Digitized by Google

13
15 E
27

NOVVS COMMENTARIVS DE VERBIS IVRIS,

FRANC. HOTOMANI IVRISCONSVLTI, ANTIQVITATVM RO. elementis amplificatus.

De legibus.
De magiſtratibus populi R.
De Senatu & S.C.
De Iuriſconſultis, eorumq́ formulis.

Quibus propter argumenti affinitatem Typographus adiunxit.

Epitomen Gruchij De Comitijs. &
Diuerſas Rerumpub. formas, ex Polybio.



BIBL. S. PVDEN DE VRBE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Apud Nicolaum Beuilacquam.
M D LXIIII.

AD SERENISSIMVM
&
POTENTISS. ROMANORVM
REGEM MAXIMILIANVM,

Imperatorem deſignatum, Franciſci Hotomani Iuriſconſulti Præfatio.

ANnus iam agitur quintus, Maximiliane Romanorum Rex potentiſsime, ex quo noſtrum hunc de uerbis iuris Commentariū Maieſtati tuę dicauimus. munus haud quaquam illi pręſtanti ac ſummę dignitati tuę Regię conſentaneum: quandoquidem neque quicquam diſputatione, quę de uerbis inſtituitur, exilius: neque Regali celſitudine quicquam inter homines auguſtius habetur. Vicit tamen hanc ſiue ruſticitatem meam, ſiue muneris inconuenientiam illa, quę ſemper inter clariſsimas uirtutes tuas tanquam ſydus eluxit, naturę tuę benignitas, manſuetudo, comitas: & Maieſtate tua tantiſper in excelſo illo ſolio faſtigioq́ ſuo relicta, ſeſe ad infimi hominis acceſsionem demiſit. Munuſculum enim quamuis tenue, ab homine & tenui & ignoto tibi oblatum, benignę mente animoq́ beneuolo accepiſti. Pręclara profectò, et tanto uirtus digniſsima principe: quę Maieſtatem Regiam ſupra uulgarem hominum conditionem quodammodo locatam, etiam ad infimorum hominum acceſſionem traducit: ut cum dignitate inter primos ſummus exiſtas, comitate tamen et facilitate nihilo ſuperior infimis eſſe uidearis. Habes igitur, Maximiliane Rex, eam, quę difficillima putatur, grauitatis cum comitate, Maieſtatis cūm humanitate ſocietatem: quibus tamen duabus rebus nihil diſiunctius, nihil remotius, ſummi ſemper Philoſophi iudicarunt. Quo minus mirandum (ut ſpero) uidebitur, quòd iterum iam ad eandem Maieſtatem tuam cum eodem hoc munere aliquantū à me reconcinnato, ac tanquam interpolato accedere audeam. Tametſi proximo ſuperiore anno longè maxima ad priſtinam illam dignitatem tuam acceſsio facta ſit: cum incredibili totius Germanię ſtudio, fauente Deo, cunctis hominibus plaudentibus, unus è Septemuirorum principum collegio iudicatus es digniſsimus, ad quem Romanorum Regnum, Germaniciq; imperij hęreditaria ſpes de-

 ferretur:

ferretur:cum,inquam,unus tu ex omnibus,ſumma principum ordinumq́; omnium uoluntate,coniunctis ſententijs,concordibus ſuffragijs delectus es, ad quem ea dignitas deferretur,qua nulla maior hominum generi à Deo tributa eſt:ut Romanorum Regno,quo nunquam ullum maius,nullum pōtentius extitit,auctus atq; ornatus,tot tantisq; Principibus ac ſatrapis,tot ciuitatibus,populis ac gentibus imperares.Summa planè hæc dignitas atq; amplitudo eſt,ad quam merita te tua,Maximiliane Rex,& eximiæ in omni uirtutum genere laudes extulerunt. Nam,ut mea paulisper hunc nacta campum euagetur oratio,& cetera regna,quæ quondam florentiſſima fuerunt,cum hoc tuo conferam:ecquodnam unquam uel opum magnitudine, uel amplitudine regionum,uel militum uirtute ac diſciplina,uel rerum terra mariq́; geſtarum gloria,cum hoc tuo comparandum fuit? Etenim, ut ab eo quod omnium antiquiſſimum numeratur,quodq́; à Nimrotho & Belo duxiſſe originem traditur,initium ſumamus:fuit quidem Aſſyriorum Regnum opibus florens,copijs locuples,gloria amplum, imperij autem longinquitate ſanè diuturnum:ſiquidem ad annos mille trecentos,ſub Regibus octo & triginta permanſit.Verūtamen Aſiæ maioris finibus circumſcriptū, & ab hominibus effœminatis ac mollibus,luxuq́; diffluentibus habitum, ecquid tādem habuit,quod cū hoc tuo ualido & robuſto,& (ut uerè uates ſanctus Daniel nominauit) ferreo,comparari poſſit?quod & ad annorum iam duo millia trecentos conſtat:& eoſdem quos orbis terrarum terminos,eaſdem,inquam,quas ſolis curſus regiones finesq; habuit: muliebremq́; iſtam Aſiam paucis prælijs paucorum annorum ſpacio fractam ac domitam, parere imperio ſuo coegit.Secuta eſt Medorum Monarchia. quid ſimile?cum illa & ad trecētos duntaxat annos ſub Regibus nouē durarit,nec ferè anguſtis Mediæ ſuæ finibus exceſſerit. Huic Perſarum dominatus ſucceſſit, qui Aegypto ad antiquam ſuam adiuncta ditionem,annos non amplius ducentos & triginta,ſub Regibus quatuordecim rerum potiti ſunt.Eorum Monarchiam Macedonum regnum excepit:quod Alexandri Magni uirtute uictorijsq́; propè innumeris nobilitatū,neq; tamē annos amplius centū quinquaginta conſtitit:& aſſiduis ſucceſſorum diſcordijs conflictatum, uarias in partes diuulſum ac diſcerptum fuit.Secutum igitur eſt ferreū illud maiorum tuorum, Maximiliane,hoc eſt Romanorum regnum: quod per annos non minus ſeptingentos aſſiduas bellorum contentiones eluctatum, tandem ita ſe longè lateq; diffudit,ut ab occidentali Oceano ad Caucaſum mōtem,fluuiumq; Euphratem excreuerit:à Daciæ uerò & Sarmatiæ finibus

in ultimam ſe uſque Africam protendens, utranque ſimul Aethiopiam ac Mauritaniã cõprehenderit: totumq; mediterraneum mare, omneſq; quæ in eo ſunt inſulas, occuparit. Quam tantam potentiam annos ferè trecentos obtinuit: quo tempore nullo magis uitio, quam ſua mole ac magnitudine nimia laboraſſe creditur. Ex quo illæ Barbararum gentium eruptiones, & quaſi eluuiones extiterunt, cùm Heruli, Gothi, Vuãdali, Langobardi, uniuerſam Italiam occuparunt: Romanorumq; Regem Auguſtulum Odouacre Duce anno à Chriſto nato CCCC.LXXVI. pepulerunt, ac per annos amplius trecentos Italiam Langobardorum dominatu oppreſſam tenuerunt: uſque dum Francorum ille Rex, rerum geſtarum gloria præſtantiſſimus, Carolus Magnus, anno à ſalute Chriſtiana DCCC. Romanorum Regnum in priſtinam dignitatem reſtituit. Quo tamen extincto partim ſucceſſorum quorundam inertia, partim malis domeſticis, belliſq; ciuilibus idẽ illud regnum conuulſum ac labefactatum, propemodum concidit: cùm Otho ille primus Saxonicæ familiæ immortale decus, annis plus minus centum interiectis extitit, qui ueterem eius regni gloriam ac dignitatem uirtute uictoriaq; ſua recuperauit. At mihi quidem in illorũ malorũ cauſſas accuratius inquirenti, duæ potiſſimũ occurrunt: quarũ una eſt, quòd tot fortiſſimi Principes ac Satrapæ, immenſam unius potentiã nullis certis legib. quaſiq; terminis circumſcriptam, & quæ facillimè in tyrannidem degenerat, ferre detrectabant: altera, quòd cùm potentiam illam tantam hæreditariam eſſe nollent, ne fortè inerti alicui parere cogerentur: tum in eo qui omnib. æquè placeret, deligẽdo, quamprimum ſæpe laborabant. Huic utriq; incõmodo, ſalutares duæ leges de ordinũ ſententia conſtitutæ remediũ attulerũt: quarũ prior hæc fuit, ut quæ præſtantiſſima Reipub. forma creditur, ea deinceps uterentur: nimirũ quæ ex trib. rectis generib. regio, optimatũ, ac populari tẽperata eſſet: quod optimũ Reipub. genus eſſe, cùm Cicero in ſuis de Repub. libris, tum etiam Polybius lib. 6. demõſtrat. Nã cùm Imperator Monarchiam ac principatũ obtinebat, tum Septẽuiri principeſq; è ſummis primi cõſtituti ſunt, quorum ille tanquã optimatum auctoritate cõſilioq; uteretur. qui uerò popularis poteſtatis ſpeciẽ referrent, inſtitutum eſt, ut ceteri proceres, ciuitatumq; ac populorũ legati dicendæ in comitijs Imperatorijs ſententiæ ius haberent. Altera lex fuit, ut ijdem Septẽuiri principes eſſent, quorum fidei ac iudicio illa legendi Romanorum Regis poteſtas committeretur, qua ex poteſtate uſitatum illud Electorum nomen adepti ſunt. cuius inſtituti memoriam uix ante annum à ſalute Chriſtiana DCCLX. reperire

 poſſumus.

poſſumus. In hoc autem præclaro ac laudabili maiorum tuorum inſtituto, cum multa prudenter, ac propè diuinitus ſancita ſunt, tum uerò illud præter cetera cõmemoratione dignum eſt: quod in tuis, Maximiliane, hoc eſt, Regis Romanorum comitijs, palàm ab Electorib. illis omnib. prædicatur: Populo Chriſtiano caput eligi: *quod pulcherrimũ honorificẽtiſsimumq́, præconium crebrò in lege ueſtra Sacrata, quã uulgò Bullã aureã nominant, inculcatur. Eius autem præconij cùm permagna quædã ac diligẽter animaduertenda uis eſt, tum etiã magnã te, Rex ſumme, aliquando illius rationẽ habiturum, omnes qui animi tui præſtantiam norunt, augurantur: neq; diutius paſſurum ſperant, ut auitæ dignitatis tuæ patrimonium ab eo prædone diripiatur, à quo & Regni tui ſedes antiquiſsima, tot iam ætates dolo atq; inſidijs occupata eſt: & ſanctiſsimum iſtud atq; honorificentiſsimum* Capitis Chriſtianorum *:nomen tibi à tuis maiorib. traditum, ac per tot annos ab ijſdem retentum atq; uſurpatum, per ſummam fraudem atq; iniuriam obtinetur. Facultates tibi ádeam rem innumeras Deus largitus eſt: incredibilem quandam ingenij magnitudinem, quæ uel ex iſta ſingulari tot exterarum linguarum ſcientiæ perſpicitur: corporis uires eximias: ætatis integritatem: autoritatem tantam, quanta in his ſummis uirtutib ac laudib. eſſe debet: tot præterea præſtantiſsimorum principum ſtudia atq; uoluntates: tũ autem iſtas Germanici roboris firmiſsimas copias: Auſtriacæ deniq; familiæ ſummas opes, ditionesq́, ampliſsimas: qua in familia patrẽ habes Ferdinandum, Imperatorem clementiſsimum: patruum habuiſti Carolum v. Cæſarem fortiſsimum: auum item Maximilianum, cuius tu nomen, bonis omnib. ita geris, ut dignitatem ac ſpeciem referens, eius ueſtigia ſummæ cum laude perſequaris: proauum porrò Fridericum: à quibus ordine omnibus non tam Romanorum ad te regni atque imperij, quàm earum laudum, quæ te Imperio dignum efficiunt, hæreditas peruenit. Hunc animum, præclarumque inſtitutum, eo magis omnes abs te boni uiri ſuſcipi cupiunt, quod neque in tanta potentia inſolentiam, neque in tanta Maieſtate ſuperbiam aut faſtidium ullum extimeſcunt. Eſt enim, quemadmodum iam antè poſui, ſumma tua amplitudo & grauitas, cum humanitate manſuetudineq; coniuncta: atque ita diuturna conſuetudine confirmata, ut quo maiorem poſthac potentiam aſſequere, eò maiorem omnes abs te comitatem ac facilitatem expectent. Quam admirandam ac propè inauditam duarum diſiunctiſsimarum rerum ſocietatem, cùm ego ſimul cum alijs quamplurimis ſuſpicerem, feci liberius (iam enim*

ad

ad inſtitutum reuertar meum) ut tibi Maximiliane Romanorum Rex potentiſsime, noſtras haſce in Iure ciuili lucubrationes, noſtrum hunc, inquã, De uerbis Iuris Commentarium, iterum offerrem, auguſtique nominis tui commendatione ornatum, denuò ad ſcholas noſtras & ſtudioſorum adoleſcentum cœtus cum amplificatione aliqua & accurata recognitione remitterem. Non enim bellicè tantùm artis apparatus & inſtrumenta Regib. conſentanea ſunt: neque uerò rei militaris tractatio ſub Regib. bonis diuturna eſſe ſolet. Pacis illis & otij ſtudia multo magis colenda atque amplectenda ſunt: quæ ſtare ſine iuris & legum noſtrarum diſciplina nullo modo poſſunt. Id quod ſapienter ille qui annos adhinc amplius quadringentos in maiorum morum ordine ſummis laudib. celebratus floruit, Imperator Lotharius Saxo, indicauit: cùm iuris noſtri libros, quorum ad aliquam noſtra hæc ſtudia illuſtrationem pertinent, perquãdiu in Apuliæ tenebris abiectos ſituq; penè perditos in lucem extulit: Piſanæque urbis ciuibus, à quib. adiutus proximo bello fuerat, in magni muneris ac beneficij loco donauit: accurateque deſcriptos paßim tota Germania diuulgandos diſſeminandosque curauit. Etſi autem exigua hæc noſtra ſunt quæ nunc ad illorum librorum illuſtrationem afferimus, quippe cùm artis uerba duntaxat perſequamur, res ipſas & recondita diſciplinæ myſteria non attingamus: tamen eo fortaſſe minus inutilia uideri poſſunt, quòd & adoleſcẽtium induſtriã adiuuãt: quorum in ſtudijs curſus atq; alacritas uerborum inuſitatorum occurſu quaſi ſcopulis quibuſdã offenditur: & Triboniani ſegnitiẽ aliqua ex parte compẽſant: qui quæ de uerbis iuris paßim erant à Iuriſconſultis noſtris tradita, ita negligẽter collegit, ut non opẽ noſtris adoleſcẽtib. attuliſſe, ſed crucẽ potius eorum ingenijs fixiſſe uideatur. Sed utilitatis quidẽ & adiumenti ſi quid fortè huius diſciplinæ ſtudioſis attulerimus, doctißimorum hominum qui Maieſtatem tuã aßiduè circunſtãt, exiſtimatio futura eſt: quorum malo hac de re iudicium interponi, quàm meum. Quãtum autem laboris ac moleſtiarum in hoc aſpero & ſalebroſo ſcriptionis genere ſuſceperimus, nos certè nondum pœnitet: neq; uerò unquam, ut ſpero, pœnitebit: ſiquidem, te ſumme Rex Maximiliane, pro ea quam omnes in te admirantur, ſingulari benignitate, noſtræ huic induſtriæ fauere, & munuſcula iſta literaria beneuolo animo accepiſſe intelligamus. Deus Maieſtatem tuam quamdiutißimè nobis incolumem conſeruet. Argentorati, XI. Calend. Septemb.   M. D. LXIIII.

PRIOR PRAEFATIO AD
EVNDEM MAXIMILIANVM,
Tum Temporis Regem Bohemiæ.

MAgnifica profectò, Maximiliane Rex ſereniſſime, & præclara quædam
res eſt Iuris Ciuilis cognitio: quæ cùm in Republica bene ac feliciter
conſtituenda principem locum obtinet, tum uerò ſui ſtudioſos magno
ſemper in honoris ac dignitatis gradu locare conſueuit. Itaque non mi
nus multos qui Romæ Iuris diſciplinam magna cum gloria & ſple n-
dore profeſsi ſunt, quàm qui in Græcia Philoſophiæ ſtudia col uerunt,
numerare poſſumus: ſiquidem à Sex. Papirio, qui Tarquinij Superbi tē
pore uixiſſe traditur. ad Pōponiū & Modeſtinū, qui Alexādro Ceſare
imperante floruere, ac propè poſtremi numerantur, amplius ducenti quinquaginta Iuriſconſulti
recenſentur: qui Iuris diſciplinam per annos amplius ſeptingentos magna in hominum admira
tione ac dignitate retinuerunt: cùm Græci Philoſophi, qui quidem aliquo in numero fuerint,
uix centum, ijq́; paruo temporis ſpacio memorentur. Veruntamen ut omnium aliarum artium
(quemadmodum Maieſtati tuæ notum eſt) ſic etiam huius noſtræ Iuris Ciuilis diſciplinæ ſplen-
dor omnis, patrum noſtrorum temporibus, Barbaria longè lateq; dominante, deletus eſt. Nam,
ut indignum Iuſtiniani facinus, quod ſine lacrymis commemorari uix poteſt ſilentio prætereā,
cum illius diſciplinæ libri, & ad Reipub. Romanæ rationem accommodati, & Romano ſermone
ſcripti fuiſſent, conſtat eós, qui Romanam hiſtoriam ne primoribus quidem labris (ut dici ſolet)
deguſtarant, & Latinis literis malè tincti, ad illius ſe ſtudium, quaſi pedibus illotis conferebant,
nequaquam ſatis feliciter in ea uerſari potuiſſe. Verùm hac ætate noſtra, qua Dei Opt Max. be-
nignitate bonæ artes omnes ab interitu uindicantur, nonnulli extiterunt liberaliter erudiri ho-
mines, qui pro ſua uirili parte utrique illi malo remediū adhibere conati ſunt. in quibus, ſi Ger-
maniam noſtram ſpectemus, Vdalricus Zaſius principem facilè locum obtinuiſſe meritò credi-
tur: qui cum Reipub. Romanæ hiſtoriam quatenus ad Ius Ciuile pertinebat, diligentiſsimè tra-
didit, tum uerba Iuris, quoties res poſtulat, accuratè & ſubtiliter interpretatus eſt. Cum enim, au
ctore Fabio, non exigua pars Iuriſconſultorum muneris in ui ac proprietate uerborum expli-
canda poſita ſit, tum uerò, ut idem alibi teſtatur, fuere ſemper illi uerborum proprietatis obſer-
uandæ animaduertendæq; ſtudioſiſsimi. quippe cum ex uerbulo uno malè obſcureve poſito, ma
gnæ plerunque lites iurgiaq; oriantur, & quemadmodum ille idem ſcribit, ſi quando uno in uer
bo erratum eſſet, lis tota perdebatur. Qua de cauſſa tam multos ueterum Iuriſconſultorum ui-
demus in uerborum explicatione ſuſceptos labores: & C. Aelij Galli libros data opera de uer-
borum, quæ ad Ius pertinent, ſignificatione & conſcriptos & inſcriptos fuiſſe legimus. Quod ſi
ulla unquam ætate genus illud ſcriptionis magnas ſtudioſis opportunitates attulit, hoc certè tē
pore non modo fructuoſum, uerumetiam magnopere neceſſarium eſſe nemo non uidet. Cum
ſatis conſtet, pleroſq; illorum, qui ſe ad Ius noſtrum Ciuile perdiſcendum conferunt, & qui, cū
hunc meum de uerbis Iuris inſcriptum Cōmētarium aſpiciēt, uerba me pro farina (ut in ueteri
ꝓuerbio eſt) afferre clamitabunt. Latini propè ſermonis imperitos eſſe: magnāq; ineptarum in
terpretationum partem, quæ non modò ſuperioribus, uerum etiam noſtris hiſce temporibus ad
libros Pandectarum & Codicis adhibitæ ſunt, ex hac linguæ Latinæ ignoratione, tāquā ex fon-
te fluxiſſe. Quod cū mihi iāpridē indignum ac miſerum uideretur, facturum me rē ſtudioſis uti-
lē liberali certè præditis ingenio adoleſcētibus gratam atq; iucūdam exiſtimaui, ſi uerba Iuris
obſcuriora unum in librū coaceruata, literarū ordine diſponerē, ſimulq; breuē cuiuſq; interpre-
tationem, adiungerem. Quem meum laborē cum amici mei cōplures, homines eruditiſsimi, cō
probaſſent, & ſcholis noſtris non inutilem fore confirmarent: feci non inuitus, ijs præſertim ro-
gantibus, ut opus hoc cuicuimodi eſſe poſſet, Typographo traditum in lucem cōſpectumq; ho-
minum perueniret. idq; eo libentius, quia non pauca ex Antiquitatibus Romanis ad Iuris intel
ligentiam

ligentiam maximè pertinentia: quæ ſuperioribus annis obſeruatam, paſſim, ut res poſtulare uidebatur, illum in librum conieceram.

Cum autem huius mei in Ius Ciuile ſtudii Patronum aliquem mihi aſciſcendum eſſe intelligerem, cuius auſpicijs ac præſidio inſtitutum hunc curſum abſoluerem: cepi ſereniſsime & elementiſsime Rex, de amicorum ſententia conſilium, iſtud quidquid eſt Illuſtriſſimæ Maieſtati tuę dicare. adductus etiam auctoritate ampliſsimi ſpectatiſsimiq; uiri, omniq; uirtute ornatiſsimi Ioannis à Karling, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarij: cuius ſororius Richardus Streinnius, magnæ ſpei adoleſcens, generoſiſsimi Baronis, filius, qui me cum propè iam biennium uixir, à me ſæpe, ut tale aliquid auderem eontenderat. Eo magis quòd ex illuſtriſſimo Sileſiæ tuæ Ducatu me oriundum intellixiſſet: unde auus meus ex ea familia prognatus, cuius etiam nunc Vratiſlauiæ ornamenta ſuperſunt uel maxima, centum abhinc annos Lutetiam Pariſiòrum profectus, Hotomanorum coloniam (ut ita loquar) eò deduxit. Nunc uerò cum in hoe naufragio meo, ijs tempeſtatibus ac fluctibus eiectus, quibus uniuerſus propè terrarū orbis iactatur, ijs locis mea ſponte ac uoluntate caream, à quibus ſemper animo æquiſſimo, quandiu boni mores exulabunt, abero: lubēter, ad antiquæ meæ patriæ Prineipē ac Tutorem clementiſsimum, tanquam ad portum eonfugio, & quaſi poſtliminio reuertor: eum prę ſertim is Rex ſis, cuius in clemētia, pietate, iuſticia, manſuetudine, ſapientia ſpes bonorum propè uirorum omnium, ſecundum Deum, poſitæ ſunt: qui in iſto concuſſi orbis motu, ſolus, ad bene de Chriſtiana Republica cōſtituenda ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuli: qui & literatorum hominum, quorum quidem ſtudia eum pietate coniuncta eſſent, & literarum ipſarum patrocinium ſuſcepiſti. ut omnino præclarè mecum hoc tempore actū exiſtimem, cui hæc meæ erga S.M.T. obſeruantiæ ac pietatis teſtificandæ opportunitas oblata ſit. Erit igitur. Maximiliane Rex maxime ac potētiſsime, benignitatis tuæ ſingularis, quæ ſemper in iſta Maieſtate ſumma, tanquam ſydus aliquod clariſſimum ac ſplendidiſſimum enituit, munuſculum hoe, quantulumcunq; id eſt, æquo animo, bonaq; cum uenia tibi à me oblatum aecipere, & literarum ſtudia fauore, ac beneuolentia tua ſingulari, quemadmodū ſemper uſq; adhuc feeiſti, perpetuò complecti. Deus Opt. Max. Maieſtatem tuam quàm diutiſſimè ineolumen conſeruet, Argentorati, XV. Calend. Septemb. M. D. L. V. III.

TIPOGRAPHVS IVRIS STVDIOSIS S.

REDIT ad uos, humaniſſimi adoleſcentes, expetitus ille De uerbis
Iuris commentarius:ſed ita redit,ut iã planè nouus, &(uerè ut loquar)
rediuiuus uideri poſſit. Fuerat enim ſuperior editio Francofordien-
ſium nundinatorum importunitate & præpoſteris flagitionibus ſic
extorta,ut abortio uerius,quàm matura editio uideretur. Nam cum au
tor illius ita per id tẽpus in ſuis Inſtitutionum cõmẽtarijs dies noctes-
que occupatus eſſet, ut ſatis ad illam editionem perpoliendam uacui
temporis non haberet: uictus autem aſſiduis multorum flagitionibus
eas nobis arculas tradidiſſet, in quibus uerba Iuris literarum ordine congeſſerat: optimum
factu putauimus,quamplurima augendi uoluminis cauſſa partim ex Theophilo,Harmenopulo,
Connano, Duareno,partim etiam ex Gruchio, Manutio, Sigonio, & alijs nonnullis collecta,
certos in locos inſerere:quo in negocio(uerè & ingenuè fatebimur) neque ordo qui in Dictio
narijs conficiendis exquiritur,obſeruatus: neque ea in multis uerbis collocandis adhibita dili-
gentia fuerat,quam huius operis ratio poſtulabat.Et tamen non tam potuit,hæc ſiue editio, ſi-
ue abortio immatura uideri,cuiuſmodicunq; tandem illa fuerit, quin & multis probata ſit, &
paucis nundinis à Librarijs noſtris diſtracta.Cum autem huius autor Commentarij qui nullum
neque finem neque modum bene de nobis merendi facit alijs ſuis lucubrationibus perfunctus
eſſet,opus hoc illi ſub incudem reuocandum,& maiore aliquanto cura atque diligentia perpo-
liendum tradidimus.Quòd cum ſuperioribus menſibus nobis reddidiſſet, animaduertimus, id
ab eo præſtitum in illo fuiſſe,quod ſummũ poetam Virgiliũ tradunt de ſuis uerſibus elaboratis
dicere ſolitum:eos ſe urſæ more parere,& lambendo demũ effingere. Nam (ut Plinius ſcribit)
urſarũ fœtus carne ſunt primũ informi,ſine oculis, ſine pilo:ungues tantũ prominent,poſtea ue
rò aſsiduè lãbendo paulatim calefaciũt, & figurant.Idem igitur huius Cõmentarij autorem in
hoc ſuo opere effeciſſe perſpicietis.Nam aliena omnia,quæ uoluminis augendi cauſſa hinc atq;
illinc deſcripta fuerãt,ſuſtulit;& quæ confuſa perturbataque uidebantur, ea ſuũ in locũ atq; or-
dinem ita diligenter ac ſtudioſè redegit,ut iã abſoluto Dictionario frui cõmodè ad ſummas ſtu
diorũ ueſtrorũ opportunitates poſſitis.Quòd ſi qui erũt,quibus nondũ ſatisfeciſſe uidebitur,ij
uelim meminerint,quod editione ſuperiore autor ab ijs deprecatus erat. primũ ut illud Varro-
nis cogitent: QVI DE VERBIS MVLTA DIXERIT COMMODE, POTIVS BONI
CONSVLENDVM, QVAM QVI ALIQVID NEQVIVERIT, REPREHENDENDVM.
Deinde ut ipſius in hoc opere perpetuã ſcribendi conſuetudinẽ cõſiderent. qui cũ aliorũ quorũ
dã præſertim clarorũ uirorũ,peccata grauiſſima glorioſè reprehendere,atq; ijs exaggerãdis lau
reolam apud imperitos quærere potuerit:ſuo tamen pudori ac naturæ ſeruire maluit: tantũque
ſibi ab omni obtrectatione refugiendũ putauit,ut etiam illorũ errata,quoad in ipſo fuerit, diſſi-
mularit.Cũ enim homo ſit;(ut ait ille apud Comicũ)humani à ſe nihil alienũ putat.Humanũ au
tem hoc uel maximè animaduertit,quòd quibus in rebus ſibi quis attẽtiſſimus ac diligẽtiſſi mus
fuiſſe uidetur:tamẽ in ijs ipſis accerrimis atq; attẽtiſſimis cogitationibus ſuis,poſtea,uel ſua ſpõ
te.uel aliũde admonitus,grauiter ſe dormitaſſe ſentiat. quo lubentius in hoc ſe modeſto deſcri-
ptionis genere cõtinere ſolet,quippe cũ(ut ipſe de ſe ingenuè profitetur) interdũ animaduertat
ubi ſe multo plus quã alios uidiſſe exiſtimarat,ibi tamẽ maximè ſe omniũ allucinatũ eſſe.Quare
ſi qua erũt in hoc opere,quæ doctorũ hominũ reprehẽſione digna eſſe uideãtur,ueſtrũ erit, ado
leſcẽtes humaniſſimi, pro ueſtra in literarũ cultores beneuolẽtia.hoc in opere æſtimando non
uſq; eò uitia peccataque perpendere,quin ſimul tũ laborũ ac lucubrationũ quotidianarũ. quas
autor ueſtra cauſſa ſuſcipit,tũ etiã eius utilitatis,quã ex hoc libro capere poteſtis,nõnullã ratio
nem ducatis.Valete adoleſcentes humaniſſimi,& fructuoſis aliorũ laboribus, dum uobis licet,
fruimini.Deus ſtudia ueſtra fortunet.. Venetijs,IX.Calen.Aprilis. 1564.

NOVVS

COMMENTARIVS VERBORVM IVRIS,

FRANCISCI HOTOMANI *IVRISCONSVLTI.*

DE LITERA A.

A LITERA ſalutaris à Cicerone dicitur in ea pro Milone: quæ, ut ſcribit Aſconius, ſi uidebatur iudicibus bona cauſa, abſoluebant reum: notamq; abſolutionis, A literam in tabella, quam à Prætore accipiebant, ſcribebant. Cicero: Quòd niſi uidiſſet poſſe abſolui eum qui fateretur, cum uideret nos fateri, neq; quæri unquam iuſsiſſet, nec nobis tam ſalutarem hanc in iudicando literam, quàm illam triſtem dediſſet. Eadem nota fuit in ſuffragijs & comitijs legum, qua ſe Ciues repudiare rogationem ſignificabant. Nam duæ dari tabulæ ſolebant, quarum in altera, V. R. id eſt, uti rogas, ſcriptum erat: in altera, A. id eſt Antiquo, antiqua ſequor, noua non placent. Eſt enim, ut Feſtus primo lib. ſcribit, Antiquare in morem priſtinum reducere.

A CERTO hærede legare: certo hæredi, ut legatum aliquod præſtet, mandare, ſi cut ab illo debeatur ſolo. Cicero in Top. Si paterfamilias uxori ancillarum uſumfructum legauit a filio, neq; à ſecundo hærede legauit mortuo filio, mulier uſumfructum non amittet. Idem pro Cluentio: Itaque ei teſtamento legat grandem pecuniam à filio, ſi qui natus eſſet: ab ſecundo hærede nihil legat. Marcellus l. 6. D. de auro & argento: Scia ab hærede P. Mæuio ita legauit. Iulianus l. quæſitum, 91. D. de legat. & fid. 2. Si filiusfam. qui filium habebat, hæres inſtitutus fuiſſet, an ab eo, filio eius legari poſſet? Reſpondi cum poſsit a filio patri legari, & cet. Item: Si mihi ſeruus a te hærede legatus fuerit. Neratius l. à Titio, 64. D. de furt. A Titio heræde homo Scio legatus, ante aditam hæreditatem Titio furtum fecit.

A DVVMVIRO pro, imperio uel permiſſu Duumuiri. Vlpianus l. ſi quis, 52. §. 6. D. de furt. Si fugitiuum meũ quis quaſi ſuum a Duumuiro, uel ab alijs qui poteſtatem habent, de carcere uel cuſtodia dimitteret, an is furti teneretur? In uulgatis libris, DIMITTERE, ACCIPERET: ut ſit poteſtatem dimittere: quod mihi non probatur. Nam ita hoc dictum eſt, ut alibi, ab aliquo ſe liberare.

A LIBERIS pro quandiu liberos habebit. Terentius, l. ſed ſi, 62. §. 2. D. de condit. & demonſt. Quum uir uxori, ſi a liberis non nupſerit, in annos ſingulos aliquid legauit, quid iuris ſit? Iulianus reſpondit, poſſe mulierem nubere, & legatum capere. Quòd ſi ita ſcriptum eſſet, Si à liberis impuberibus non nupſerit, legem locum non habere; quia magis cura liberorum, quam uiduitas iniungeretur. id eſt, Quamdiu liberi erunt impuberes. Papinianus l. cum tale, 72. D. eod. cũ tale legatum eſſet relictum Titiæ, ſi a liberis non diſceſſerit, & cet. Similiter Paulus lib. Sent. 2. c. 29. Potior quis eſſe debet, inquit, non ſolum à gradu generis, ſed & a ſubſtantia rei familiaris. Similiter in Cluentiana Cicero dixit: Non modò dicendi a reo, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat: id eſt, pro reo.

A. T. M. D. O. Aio te mihi dare oportere, ut Valerius Probus teſtatur: quæ perſonalis actionis fuit formula, quia perſona rei nominarim in agẽdo notabatur: & ſtricti iudicij, quia ſimpliciter, ait Cicero, aſperè & directò Oportere de certa definitaq; ſumma dicebatur. Aio uerò antiqui pro affirmo & contendo dicebant, auctore Nonio: unde Aientia Cicero appellat, quæ Græci forenſi & litigioſo uerbo κατηγορικὰ.

A TITIO perſoluere, de Titij numis perſoluere. Cicero ad Attic. lib. v. Homines non modò non recuſare, ſed etiam hoc dicere, ſe à me ſoluere. quod enim Prætori dare conſueſſent, quòd ego non acceperam, ſe a me quodammodo dare: id eſt, de mea pecunia. Idem in Planciana, in fin. Sinite me quod uobis fretus huic ſæpe promiſi, id a uobis ei perſoluere. Plautus Menæchm. Da ſodes a te: poſt reddidero tibi. Me. Imò cedo abs te. Hinc natæ illæ ſunt Prætorum formulæ,

Ab aliquo poſsidere, pro, poſſeſsionem ab aliquo certo nactum eſſe, alicuius certi hominis poſſeſsionem obtinere. Prætor in l. 1. Vti poſſid. Vti eas ædes nec ui nec clam alter ab altero poſsidetis. Vi ergo ab aliquo poſsidere, eſt ui poſſeſsionem illi ſoli eripuiſſe, eamque ui obtinere. Hinc

Ab aliquot uti re quapiam dicitur, qui illi præciſè rei ſuæ uſum ademit, eumque quoquo modo retinet. Prætor in l. 1. D. De itin. actuque, priu. Quo itinere actuque nec ui, nec clam, nec precariò ab illo uſus es. Nam hoc eò pertinet, ut nominatim notetur is, a quo uſum actorem non oportuit: neq; ſatis eſt, ſi infinitè a quouis alio uſus eſſet. Sic

Ab aliquo aquam ducere, eſt non undecunque aquam ducere, ſed ex illius qui præciſè nominatur, fundo deductam habere. Prætor in l. 1. D. de aqua quotid. Vti hoc anno aquam nonui, nõ clam ab illo duxiſti. Sic

Ab aliquo abſolui: quod in uoce Abſolui explicabitur.

Ab hinc centum annis. Vetus locutio, quæ (pace quorundam dixerim) non hoc ſignificat quod vulgari lingua dicere ſolemus, De poſt centum annos: hoc eſt, ut Latini dicunt, poſt centum annos, ut, poſt homines natos: ſed centeſimo ab hinc anno, uel, Annus nunc agitur centeſimus. Alfenus l. proponebatur, 76. D. de iudic. Populum eundum hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuiſſet. Item, Nos ipſi non ijdem eſſemus qui ab hinc anno fuiſſemus. Cicero Verrina tertia planiſsimè hoc demonſtrat: Quæſtor Cn. Papirio coss. fuiſti ab hinc annos quatuordecim. Nam a Pompeio & Craſſo coss. ad Papirij conſulatum totidem anni numerantur. Idem in ea pro Q. Roſcio, Quo tempore? ab hinc annis quatuor. Repromittis tu ab hinc triennium Roſcio. Idem Verrina quarta, Horum pater ab hinc duos & uiginti annos eſt mortuus. Et paulo poſt, Ipſos uiginti annos hæreditas ab his petita non eſt. Et rurſus, Offendit illum menſem comitialem fuiſſe comitijs ab hinc triginta diebus habitis, id eſt, trigeſimo antè die. Huc etiam illud Chariſij pertinet, qui libro primo ſic ſcribit, Ante annos ab hinc decẽ natus ueteres dixerũt, quod eſt, ante annos decem natus.

Ab reo, pro defenſor, & patronus rei. Ad Heren. lib. 2. Conſiderandum eſt, ne aliud accuſatoris criminatio contineat, aliud defenſoris ratio purget: quod ſæpe conſultò multi ab reo faciunt, anguſtijs cauſæ coacti.

Abacti magiſtratus dicebantur, qui coacti depoſuerant imperium. Feſt. lib. 1.

Abactores, uide Abigei.

Abalienare uetus uerbum eſt ciuilis Iuris, hoc eſt ciuium Ro. proprium, peregrinis hominibus non commune: quo perfecta rei alicuius alienatio ſignificabatur. Itaque Vlpianus l. abalienatum. 67. D. de uerborum ſignific. Abalienatum, inquit, non propriè dicitur, quod adhuc in dominio uenditoris manet: uenditum tamen rectè dicitur. Abalienatio uerò eſt, eius rei quæ mancipi eſt aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſsio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt: uti ſcribit Cicero in Topic. quo ex loco tria notanda & obſeruanda ſunt: primùm, cum ſex ſint acquirendarum rerum modi, quos Vlpianus in Inſtitutiunculis enumerat, emancipatio, traditio, uſucapio, in iure ceſsio, adiudicatio, lex: duos tantùm ſolos eſſe, quibus res a dominio noſtro in alienum traducantur, mancipationem ſcilicet, & in iure ceſsionem. Quod tamen Paulus, homo Græcus, litigioſus, natura controuerſus, & hoſtis antiquis Iuriſconſultis additu, ſuo more cauillatur in l. Abalienationis, vigeſimaoctaua D. de uerborum ſignificat. Abalienationis uerbum, inquit, etiam uſucapionem continet: uix eſt enim ut non uideatur alienare, qui patitur uſucapi. Quaſi uerò quis ſciens prudens rem ſuam uſucapi patiatur: aut ſi fortè quis eo animo ſit, res ex maiore parte iudicandæ non ſint: aut ſi iudicandæ non ſint, qui patitur uſucapi, non pro derelicto rem ſuam habeat, ac proinde alienare non dicatur, quia uerbum hoc certam & alienantis, & eius in quem alienatio fit, perſonam complectatur. l. in omnibus. 55. D. de obliga. & actionibus. tametſi uſucapionem tertium eſſe modum quo res perfectæ abalienantur, conſtet ex eodem Vlpiano cap. 1. & 19. Secundò ex hac definitione intelligitur, abalienationem earum tantùm rerum dici, quæ mancipi ſunt: non etiam earum quæ ſunt nec mancipi. Sed cùm Vlpianus in Inſtitutiunculis traditionem dicat propriam eſſe rerum nec mancipi, quid eſt quod Cicero ait, abalienationem traditione fieri? Subdifficilis nodus hic uidetur, quem tamen explicare conabimur. Nam Ciceto non ſimpliciter traditionem dixit, ſed traditionem nexu: quo uerbo mancipationem ſignificari Boetius, non apertè ille quidem ac nominatim, ſed tamen ita ſignificat, ut ſatis intelligatur. Cum enim nexus formulam ritumque ex Caio Iuriſconſulto deſcribit, indicat nexum ad mancipationem pertinere. Ex quo intelligitur, Abalienationem mancipatione & in iure ceſsione fieri: traditione autem nuda, hoc eſt ſine nexu & libra, fieri non potuiſſe. Poſtremò ex eo loco conſtat, Abalienationem propriam ciuium Ro. fuiſſe, non etiam peregrinorum.

Abalienatvs dicitur, quem quis à ſe remouit. Alienatus, qui alienus eſt factus. Feſtus lib. 1.

Abamita, inquit Caius eſt abaui ſoror. l. 3. D. de

de gradibus.ab alijs autem ferè Amita maxima dicitur.

Abavncvlvs, abmatertera, id eſt, abaiæ frater & ſoror: ait Caius l. 3. D. de grad.& affin.

Abavvs, inquit Feſtus, dicitur,qui abeſt ab auo, & eſt auus aui. Hinc quartus pater a Virgilio nominatur Aeneid. x. Ille tamen noſtra deducit origine nomen: Pilumnusque illi quartus pater.

Abavvs eſt proaui paterni,aut materni pater:Abauia, proauiæ paternæ, aut maternæ mater: ait Paulus l.10.§.8.D.de gradibus.

Abdicare, inquit Nonius,eſt familia abijcere. ſumptum autem a Græcis uidetur, qui patrem ἀπειπεῖν, filium autem ἀποῤῥηθῆναι dicebant. Itaque Quintilianus libro III.cap. VI. Abdicatum interpretatur, qui a familia patris abalienatus eſt. nam Græca quidem locutio per præconem id pronunciari ſolitum indicat. Et Plato libro de legibus XI.perſpicuè id oſtendit, ἐὰν οἱ πατέρες βούλωνται τὸν υἱὸν ὑπὸ κήρυκος ἐναντίον ἁπάντων ἀπειπεῖν, υἱὸν κατὰ νόμον μηκέτ' εἶναι. Si patres uelint filium per præconem coram omnibus abdicare,ne amplius ſecundum legem ſit filius. Sæpe autem poſtea ἐκκηρύττειν, & ἀποκηρύττειν dicit.Hinc abdicatio,de qua Imp.l.6.C. de pat. poteſt. ſic ſcribit: Abdicatio,quæ Græco more ad alienandos liberos uſurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Fabius lib. 7.capite 4. Abdicationum formæ ſunt duæ: altera criminis perfecti,ut ſi abdicetur raptor, adulter:altera imperfecti, uelut pendentis, & adhuc in conditione poſiti: quales ſunt in quibus abdicatur filius qui non pereat patri. Videtur autem hæc abdicatio in iure apud Magiſtratum fieri ſolita, qua parentes teſtificabantur ſe ijs de cauſis quas proferebant, ſuos liberos a ſua familia remouere,neque deinceps in liberorum loco numerare uelle, totaq; hæc ratio Græcorum fuit: nam Romani emancipatione utebantur. Quintilianus autem exempla puerilium exercitationum ex Græcorum fontibus proferre conſueuit.uide Ἀποκήρυξις.

Abdicare ſe magiſtratu,eſt ante tempus magiſtratum deponere. Pomp.l.2.§.13. D.de orig. iur.Et quum placuiſſet leges quoque ferri,latum eſt ad populum,uti omnes magiſtratu ſe abdicarent. Papinianus in l.penult.D.de offic.præſ. Legatus Cæſaris abdicando ſe, non amittit imperium. Moris etiam erat, ut quibus imperium certa de cauſa abrogandum erat, ij dignitati & exiſtimationi ſuæ conſulentes,per ſe & quaſi ſua ſponte magiſtratum deponerent,ſeſeque priuatos redderent.quod in P.Lentulo Prætore factũ uidemus in tertia Catilinaria, de quo Senatus cẽſuit, ut cum ſe Prætura abdicaſſet,tum in cuſtodiam traderetur: P.Lentulus,inquit, quanquam patefactus indicijs & confeſsionibus ſuis, iudicio Senatus non modo Prætoris ius, uerùm etiã ciuis amiſerat,tamen magiſtratu ſe abdicauit. Hoc autem Græci ἀφίστασθαι τῆς ἀρχῆς dicunt. Plato libro undecimo De legibus: ἐὰν δὲ ἀδικία δόξῃ κακῶσαι τὸν ὀρφανόν, πρὸς τῷ τιμήματι, τῆς ἀρχῆς τῶν νομοφυλάκων ἀφιστάσθω. τὸ δὲ κοινὸν τῆς πόλεως ἕτερον νομοφύλακα ἀντὶ τούτου καθιστάτω. Id eſt. Quòd ſi iniuria uideatur affeciſſe pupillum,præter litis æſtimationem, magiſtratu nomophylacis ſe abdicato: Reſpublica uerò in comitijs alium nomophylacem in eius locum ſufficito. Sic Cicero ad Atticum: Itaque tutela me abdicare cogito. quod Vlpianus capit. Inſtit. undecima ſic interpretatur, Eſt dicere nolle ſe tutorem eſſe. Sed deponere magiſtratum dicebantur, qui eum confecto tempore populo Romano reddebant. Abrogare autem ſuo loco explicabitur.

Abdicare Conſulatu, deponere Conſulatum. Cic.de nat. deor.II. Augures rem ad Senatum, ſenatus ut abdicarent: Conſules abdicauerunt. Et paulo poſt: Conſules ſummum imperium ſtatim deponere,quàm id tenere punctum temporis contra religionem.

Abdicare, decreto recuſare, ac denegare. Pomponius l. 2. §. 13. De orig. iur. Qui cum animaduerteret, Appium Clodium contra ius uindicias filiæ ſuæ a ſe abdixiſſe, & ſecundum eum qui in ſeruitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: id eſt, decreto recuſaſſe, ac denegaſſe, Nam cùm tribus uerbis in decretis uterentur, Do, dico, addico: cùm ſecundum aliquem uindiciæ dicerentur, ab altero abdici dicebantur. Hinc aues in augurijs abdicere regionem dicuntur, quam improbant, ac ſequi tenerique uetant. Cicero libro de diuin. I. Cumque in quatuor partes uineam diuiſiſſet, treisque partes aues abdixiſſent, quartam partem, quæ erat reliqua, in regiones diſtribuit. Quemadmodum ergo Dicere, dare, decernere uindicias ſecundum aliquem à Pomponio & Liuio dicitur Magiſtratus, qui cuipiam litis uindiciarum uictoriam decernit: ſic Abdicere uindicias ab aliquo Pomponius dixit, pro abnegare & recuſare, quod ipſum Abdicare quoque ſignificat. Nonius enim de uocabulis improprijs: Abdicare, inquit, non ſolùm de patris facto poteſt dici, quod eſt familia abijcere, ſed rem quamlibet negare. Pacuuius Atalanta, Mortem oſtentant, regno expellunt, conſanguineam eſſe abdicant.

Abdvcere comitem mulieri Labeo ſic interpretatur, non modò manu a mulieris comitatu detrahere ac remouere: uerùm quoquo modo efficere, ut eam deſerat. Vlpianus l. item apud, 15. §. abducere, D. de iniur. Abduxiſſe uidetur, ut Labeo ait, non qui abducere comitem cœpit, ſed qui perfecit, ut eo-

A 2 mes

mes cum eo non eſſet. Abduxiſſe autem non tantùm is uidetur, qui per uim abduxit, uerum is quoq; qui perſuaſit comiti ut eam deſereret. Iniuria autem in comite abducendo duplex eſt, primùm quia pudicitia attentatur: deinde quia abduci tantùm res dicuntur a ſtultis & ſtupidis, ut in Eunuchum Donatus annotauit, Multæ ſunt cauſſæ quamobrem cupio abducere. Etiā, inquit, hoc uerbo grarificatur Phædriæ quum dicit, Abducere à Thraſone, tanquam à ſtulto, & mentis experte.

Abduci mulier dicitur a marito cum diuortiū fit. Donatus in illud Terent. Hecyr. Et filiam abduxit ſuam: Abduxit, inquit, propriè. Acceríi enim dicitur ad maritum: Abduci a marito ad diuortium. Sic Virgilius: Et gremijs abducere pactas.

Abesse res dicitur, non modò quæ in rerum natura non eſt, cuiusve precium domino abeſt, ſed etiam ea cuius corpus manet, forma mutata eſt: ait Vlpianus l. Mulieris, 13. & Paulus l. ſequenti, D. de uerbor.ſignifi. Et ideo, inquit, ſi corruptæ redditæ ſint, uel transfiguratæ, uideri ab eſſe: quoniam plerunque plus eſt in manus precio, quàm in re. Quo in loco non dubito, quin Qvanqvam pro Qvoniam legendum ſit: boc ſenſu, Quamuis ita rei forma mutata ſit, ut recens forma pluris ſit quàm uel ipſius rei corpus, tamen res abeſt .l. ultima, D. de uſu & habit. Veluti ſi ex patera ſcyphum affabrè ac ſingulari artificio confecerim, ut iam multo pluris ſit, quàm antea: res tamen abeſſe iudicatur. Patera enim, ut ſpecies omnis, ex forma denominatut. Falſum autem alioqui dixiſſet, cùm ait, plerunque plus eſſe in manus precio, quàm in re. Nam etſi interdum id uſuueniat, ut in tabula picta, de qua Paulus in ſequenti lege diſputet, non tamen id plerunque, ſed perrarò accidit.

Abesse, uerbum relatiuum eſt: cum enim abeſſe aliquem dicimus, locum ſimul unde abeſt, cogitatione comprehendimus. Cuiuſque ergo loci ratione ubi quis deſideratur, abſentiæ nomen intelligitur: diligenterque Iuriſconſulti de abſente diſputantis propoſitum ſpectandum erit. ueluti cum de tribunalibus Vlpianus loquitur in l.abſentem, 199. & l. collegarum, 173.D. de uerbor.ſignific. Abſentem, inquit, accipere debemus eum, qui non eſt eo loci, in quo loco petitur. Non enim trans mare abſentem deſideramus, & ſi fortè extra continentia urbis ſit, abeſt. cæterùm uſque ad continentia, non abeſſe uidebitur, ſi non latitet: Cùm, inquam, Vlpianus ita loquitur, dixiſſe falſum uidetur. Nam in eo qui in ius uocatus ſeſe in iudicio non ſtetit, quamuis in foro ipſo eſſet, niſi tamen ad tribunal adeſſet, commiſſam abſentiam dicimus. Vnde illud præclarum Antonini reſponſum in l. Diuus, 7. Digeſt. de in integ.reſtitut. De eo igitur qui in ius uocandus eſt, Vlpiani locum accipio oportebit. Sicum dicimus in l.prima D. de uerbor.oblig.l.3. C.de cont.ſtip. l. 3. C.de inutil. ſtip. inter abſentes ſtipulationem non rectè contrahi: non eos abſentes intelligimus qui extra continentia urbis ſunt: ſed qui eo in loco non ſunt, ubi exaudire inter ſe poſsint. Sic in denunciatione ob damnum infectum: Abeſſe, inquit Vlpianus, uidetur & qui in iure non eſt, l. 4.§.3.D.de dam. inſe. Hinc & abeſſe interdum dicitur is qui adeſt, & adeſſe contrà qui abeſt. Nam miles qui Romæ militat, pro Reipubl. cauſſa abſente numeratur .l. milites, 7. D. de quibus cauſ.maior. & furioſus per omnia abſentis habetur loco, l.2 §.2. D.de iure codicill. Et tutor, qui dum pupillus contrahit, præſens eſt, ſed quid agatur non attendit, abeſſe dicitur .l. non multum, 14. D.de auctor. tut. Et res quæ caſu adfuit, abeſſe uidetur, l. quæſitum, 79.in fin. D.de legat.& fideicom.3. Contra ſeruus qui diſciplinæ ac ſtudiorum cauſſa aliò miſſus eſt, adeſſe iudicatur, d.l.quæſitum; & l. Seiæ, 20.in fin. D.de legat. 3. Et qui ſui cōmodi cauſſa ac dolo malo abeſt, pro abſente numeratur, l.4.§.5.D.ex quibus cauſis maior.

Abigere partum, eſt immaturum fœtum eijcere, Triphonius l. Cicero, 39. D. de pœnis: Mileſiam quandam mulierem, quòd ab hæredibus ſecundis accepta pecunia, partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam. Quæ uerba ex oratione Ciceronis pro Cluentio deſcripta ſunt. Vlpianus l. ſi mulierem, 8.D. de ſicarijs: Si mulierem uiſceribus ſuis uim intuliſſe, quò partum abigeret, conſtiterit: eam in exilium Præſes prouinciæ exiget. Vſurpatur etiam ſimpliciter a Marciano l. 4. D. De extraord. criminibus. Eam quæ data opera abegit, a Præſide in exilium dandam. Hinc

Abactvs uenter dicitur a Paulo libro Sentent. IIII.cap. 9. pro fœtu uenenis & medicamentis eiecto. Aborſus, inquit, uel abactus uenter partum efficere non uidetur.

Abigei, inquit Vlpia. propriè hi habentur, qui pecora ex paſcuis, uel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi ſtudium tanquam artem exercent. equos de gregibus, uel boues de armentis abducentes .l. 1.§.1. D.de abig. Hinc

Abigeatvs, crimen quod abigendo committitur. l. 2. D. eod. l.5.§. qui deſertionis, D. de re milit. Dicuntur autem Abigei nonnunquam etiam Abactores. Itaque Paulus libro Senten. v.capite XVIII. Abactores, inquit, ſunt, qui unum equum, duas equas totidemque boues, capras decem, aut porcos quinque

que

que abegerint. Eodemq; modo appellantur ab Impp. in l. conſenſu, 8. C. de repud. Sed intelligendum eſt numero pecorum auerſorum diſtingui Abigeos à furibus: ſiquidem unius ouis auerſio fures facit, duarum aut pluriuın Abactores. l. aut facta. 16. §. quantitas, D. de pœnis.

ABIRE in creditum, non omnino idem eſt quod credere: ſed tantùm eas res credere, quæ accipientis fiunt: hoc eſt, quæ functionem non in ſpecie, ſed in genere recipiunt: ueluti pecuniam, frumentum, uinum, & alias res, quarum nou corpus redditur, ſed quantitas. Vlpianus l. 5. §. 8. Digeſt. de tribut. act. Sed ſi dedi mercem meam uendendam, & extat, uideamus ne iniquum ſit, in tributum me uocari, & ſiquidem in creditum ei abijt, tributio locum habebit. Enimuerò ſi non abiit, quia res uenditæ nõ deſinunt eſſe meę, & cet. Idem l. 5. §. 1. Digeſt. ad S. C. Macedon. Et ideo etſi in creditum abijt filiofamilias, uel ex cauſa emptionis, uel ex alio contractu, & cet. Atque hæc quidem paulo breuius: quòd in uoce CREDENDI, multo ſubtilius a nobis explicata ſunt.

ABIVDICARE & abiudicare contraria ſunt. Nã abiudicare eſt iudicio aliquid auferre. Cicero Verrina II. Nulla res cuiuſquam tam patria atque auita fuit, quæ non ab eo, imperio iſtius, abiudicaretur. Liuius libro IIII. Audiere patres Ardeatium populum ob iniuriam agri abiudicati defeciſſe.

ABIVRARE, eſt, ut Seruius Aeneid. VIII. ſcribit, rem creditam periurio negare. Saluſtius in Catilin. Sed ea ſæpe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat. De Sempronio loquitur. Plautus Perſa: Nec metuo, quibus credidi hodie ne quis abiuraſsit mihi. Cicero autem libro ad Atticum I. abiurare dixit, pro ſponſionem factam iureiurando abnegare. Tulliola noſtra munuſculum tuum flagitat: & me ſponſorem appellat. mihi autem abiurare certius eſt, quàm dependere.

ABNEPOS, abneptis, hi ſunt, ait Paulus, pronepotis proneptis filius filia. l. 10. §. 8. D. de grad.

ABNOCTARE, integram noctem abeſſe. Marcianus l. 5. Digeſt. de officio præſid. Ne qui prouinciam regit, fines eius excedat, niſi uoti ſoluendi cauſſa: dum tamẽ abnoctare ei non liceat.

ABNVTARE, ſæpe abnuere. Feſtus libro I. Hinc Abnutiuum, diſſenſio, uoluntas contraria, ſed ſine actione ad impediendum exprompta. Paulus l. 83. Digeſt. de uerborum obligat. Qui ſpondet dolum malum abeſſe, abſuturumùe eſſe, nõ ſimplex abnutiuum ſpondet: ſed curaturum ſe, ut dolus malus abſit.

ABOLITIO criminum dicitur a Iuriſconſultis, cum accuſati nomen de reis eximitur, ſic, ut accuſationis iuſtitutæ memoria funditus extinguatur. Papinianus l. abolitio, 8. Digeſt. ad S. C. Turpil. Abolitio aut publicè fit ob diem inſignem, aut publicam gratulationem, uel ob rem proſperè geſtam, aut priuatim actore poſtulante, aut accuſatore mortuo, uel ex iuſta cauſſa impedito, quo minus accuſare poſsit. Ea autem duplex eſt: publica, quæ principis ſenatusue auctoritate fit, ut iam dictum eſt: priuata, quæ rei, accuſatorisve poſtulatu conceditur. Poſt illam etiam ab eodem repeti reus intra dies XXX. poteſt l. 1. C. de gen. abolit. l. aut priuatim. 30. Digeſt. ad Turpill. poſt hanc, ab alio repeti poteſt: ab eodem, non poteſt. l. 38. Digeſt. de accuſat. l. I. C. de abolit.

ABOMINARI, eſt omen auerſari. Hinc apud Iuriſconſultos, QVOD ABOMINOR dictum uidemus, pro eo quod Cicero crebrò ſic extulit: Quod Deus omen auertat, deteſtetur, obtuat. Scæuola in l. Lucius, 85. Digeſt. de hæredibus inſtitu. Si mihi Titius hæres eſſe noluerit, aut, quod abominor, prius moriatur, & cet. Idem in l. Lucius, 88. §. filiam, De legat. & fideicom. ſecundo: Si quod abominor, neque filia mea hæres erit.

ABPATRVVS idem qui patruus maximus, hoc eſt abaui frater. l. 3. D. de gradibus.

ABROGARE legem, eſt legem ferre, & populum rogare, ut ne amplius aliqua lex ualeat: & omnino tollatur. nam, ut ait Modeſtinus in l. derogatur, 102. Digeſt. de uerbor. ſignificat. Abrogatur legi (uidetur tamen LEX reponendum) cum prorſus tollitur: Derogatur legi, cum pars detrahitur. Cicero ad Atticum: Nulla lex eſt, quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Idem libro de Legibus II. Eas tu leges rogabis, quæ nunquam abrogabuntur. Hinc Vlpianus Inſtitut. ca. I. Abrogatur, inquit, cum prior lex tollitur.

ABROGARE alicui magiſtratum dicitur, qui legem fert ad populum, ut is magiſtratu ſuo ſpolietur. Cicero in Corneliana, Nec uehementius eſt, oſtendere ſe latutum inuito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare: nec crimino ſius, tribus ad accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum introuocare. Vbi Aſconius, L. Trebellius Tribun. pleb. cum perſeueraret intercedere, introuocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magiſtratum abrogaret, ſicut quondam Tit. Gracchus Tribunus M. Octauio collegæ ſuo magiſtratum abrogauit.

ABS, præpoſitio a Græco deducitur ἀψ. ſignificat autem retractionem in partem poſteriorem. Feſtus libro primo. Itaq; in coniunctione, uerbi cui præponitur uim auget: ut in Abnoctare, Abalienare, Abdicere, Abiudicare, Abuti: quæ ſingula ſuis locis exponentur.

ABS præpoſitio in accepti tabulis uſurpabatur: quum eius nomen perſcribebatur, unde accepta

pecunia in codicē referebatur. hoc modo, Abs T. Pomponio accepi HS decies Calend. Maij, Q. Metello, Q. Hortenſio Coſs. Cicero in Oratore, Vna præpoſitio eſt ABS, eaque nunc tantùm in accepti tabulis manet, nec his quidem omnium: in reliquo ſermone mutata eſt.

ABSCISE, præcisè, imperfectè, non plenè. Calliſt. l. ſemper, 5. §. 2. D. de iure immunit. Demonſtratur uariè, nec abſcisè, numerum liberorum ad excuſationem prodeſſe.

ABSOLVERE creditorem, pro dimittere, eique ſatisfacere. Vtrum quod ligati ſunt, quibus debetur aliquid, ut putat Donatus: an quod appellandi flagitandique negocio ac moleſtia creditores liberentur: unde etiam dimitti dicuntur? Vlpianus l. 37. Digeſt. de uſur. Et in contraria negociorum geſtorum actione uſuræ ueniunt, ſi mutuatus ſum pecuniam, ut creditorem tuum abſoluam. Terentius Adelph. Ego ad forum ibo, ut hunc abſoluam. Sumptū è Græcorum conſuetudine uidetur qui ἀπολύειν, & ἀπαλλάττειν dicunt.

ABSOLVERE iudicio, pro liberare, non uexare moleſtia iudiciali. Iulianus in l. 14. Digeſt. iudicatum ſolui. Quotiens ex ſtipulatione iudicatum ſolui ob rem non defenſam agitur cum fideiuſſoribus, non eſt iniquum caueri, dominum priore iudicio abſolui: id eſt, non oppugnatum iri. Item Iauolen. l. fullo, 90. Digeſt. de furtis. Si furti egiſſet prius, quàm ex locato cum eo ageretur, & antequam de furto iudicaretur, locati actione liberatus eſſet: & fur ab eo abſolui debet.

Hinc

ABSOLVI ab aliquo, liberari ab ea controuerſia, quam ab aliquo patiebatur. Paulus l. ſi in re, 19. Digeſt. de noxal. act. Sed etſi alterutri noſtrum in ſolidum noxæ ſit deditus, & ob id ab utroq; dominus ſit abſolutus, alteri teneri communi diuidundo iudicio. Cicero pro Comœdo, Iudici hic denunciauit, abſolutus eſt. Item, Cur de fundo decidit, & iudicio non abſoluitur? cur tam imperitè facit, ut nec Roſcium ſtipulatione alliget, neque a Fannio iudicio ſe abſoluat?

ABSOLVERE pignus, pro luere. Paulus libro Sententiarum 2. cap. 5. Creditor, ſi ſimpliciter ſibi pignus depoſitum diſtrahere uelit, ter antè denunciare debitori ſuo debet, ut pignus abſoluat, ne a ſe diſtrahatur.

ABSTENTVS, qui tutoris auctoritate ab adeunda hæreditate reuocatus eſt. Scæuola l. penult. Digeſt. de auctoritate tut. An ſecundum hæc acta adoleſcens a bonis patris abſtentus ſit: reſpondit, proponi abſtentum. Vlpianus l. 1. in fin. Digeſt. ut in poſſeſſ. legat. Si certum ſit repudiatum, uel omiſſam hæreditatem, uel abſtentos neceſſarios hæredes. Item Papinianus Iul. Digeſt. Si quis cautionibus.

ABSTINERE ſe hæreditate, & retinere hæreditatem, contraria ſunt: in ijsque ſolis ponuntur, qui ſui & domeſtici hæredes appellantur: uti Iuſtinianus docet ſub tit. De hæred. qualitat. & differ. libr. Inſtit. 2. at extranei uel adire, uel repudiare dicuntur. unde titulus libro Cod. ſexto, De repudianda uel abſtinenda hæreditate. Quomodo enim qui in familia ſunt, quæ antiqua conſuetudine hæreditatem ſignificat, adire, ac non potius retinere dicerentur? Quare Vlpianus in l. ſi patronus, 12. ſub fin. D. de bon. libert. Si patroni filius emancipatus, inquit, noluerit adire hæreditatem, uel qui in poteſtate eſt, retinere: nihilominus: & cet. Adire dixit eum qui cum aliam in familiam, tanquam in coloniam demigraſſet, nunc ad priſtinam familiam reuocatur: retinere uerò qui in ea familia ſemp māſit, qui ſi nihil attingat, & ab omnibus rebus temperet, abſtinere ſe dicitur. repudiare uerò quomodo? cum, uelit nolit, hæres ſit. qua de cauſſa Neceſſarius appellatur, ut eodem loco Iuſtinianus docet: cum etiam uiuo teſtatore, quamuis nihil minus cogitaret, tamen hæres eſſet. ut l. in ſuis, 11. De liber. & poſthum. Hinc illud Pomponij l. impuberibus, 11. Diſt. de acquir. uel omitt. hæred. Impuberibus liberis, inquit, omnimodo abſtinendi poteſtas ſit: puberibus autem ita, ſi ſe non immiſcuerint. Abſtinere igitur in ſuo, eſt quod Repudiare in extraneo: rurſus Retinere uel Immiſcere, quod adire in extraneo. quæ omnia generaliter his continentur uerbis Acquirere uel Omittere, ut ex titulo Digeſtorū conſtat, De acquirenda uel omittenda hæreditate, libro 29.

ABVTI ueteres dicebant pro eo quod eſt, utendo conſumere, conficere, extinguere. Cato De re ruſtica, Linito uſque adeò, donec omnem caſeum cum melle abuſus eris. Cicero Verrina 111. Niſi omni tempore quod mihi lege conceſſum eſt, abuſus ero, querere. Loquitur de legitimis horis accuſatori ad dicendum præſtitutis, quibus cum Hortenſius non tantum uti, ſed etiam abuti uolebat: id eſt, uſque ad extremum uti. Idem libro de Inuent. 11. Poſtremò quas ad defenſionem rationes reo dabimus, ijs accuſator ad alios ex culpa eximendos abutemur. Hinc apud Iuriſconſultos eæ res in abuſu non uſu conſiſtere dicuntur, quarum uſus, niſi pereant, nullus eſt: ſiue quæ utendo conſumuntur. Vlpianus l. 5. §. 1. De uſufruct. rer. quæ ut. Si pecuniæ ſit uſusfructus legatus, uel aliarum rerū, quæ in uſufructu conſiſtunt, uidendum an cæteræ res quæ in abſumptione ſunt, cō dici poſsint. Item, Quę in uſufructu pecuniæ diximus, uel cæterarum rerum quæ ſunt in abuſu, eadem & in uſu dicenda ſunt. Hinc illud Ciceronis

ronis

ronis in Topic. Non debet eā mulier, cui uir bonorum ſuorum uſumfructum legauit, cellis uinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim non abuſus, relictus eſt. Vbi Boetius, Vtimur ijs quæ nobis utentibus permanent: ijs autem abutimur, quæ nobis utentibus pereunt. Vlpianus l. plenum, 12. §. 1. De uſu & habit. Vſuarius horto, pomis, holeribus, & aqua utetur, non uſque ad compendium, ſed ad uſum: ſcilicet, non uſque ad abuſum. Eodem modo καταχρῆσθαι Græci dicunt: ut Paulus 1. ad Corinthios, capite VII. καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι: hoc eſt, ſic utentes hoc mundo, ut ne abutamur: id eſt, ſic utentes quaſi uſuarij, non autem ut proprietarij.

ACCEPTILATIO, uide Acceptum ferre.

ACCEPTVM ferre, ſcribere ſe ab aliquo accepiſſe Scæuola l. 89. D. De ſolut. Titius Mæuius dico me accepiſſe, & habere, & accepto tuliſſe à Caio Titio reliquum omne, & cet. Alfenus l. 6. D. De manumiſſ. Sed ſi interea dum eum manumitteret, acceptum ſeruo retuliſſet. Iulianus l. 48. §. 1. D. De iure dot. Hanc pecuniam generum petere debere: exactam, acceptam legatis referri. Florentin. l. 35. D. De pigner. act. Primùm uſuris quas iam tunc deberi conſtat: deinde ſi quid ſupereſt, ſorti accepto ferendum eſt. Patet igitur tribus de cauſis accepto ferri ſolitum. Primùm, ſi pecunia ſic accepta eſſet, ut ei à quo accepta eſſet, deberetur. Cicero Verrina III. Propter quod minus Dolabella Verri acceptū retulit, quàm Verres illi expenſum tulit. Deinde, ſi non deberetur pecunia, ſed tantùm qua de cauſſa accepta eſſet, referretur. ut cùm ex legato uendito, locato accepta ferebatur. Poſtremò, cùm id quod debitum erat recipiebatur. ut cùm à creditore uel uſura, uel pars ſortis receptæ accepto ferebatur. Locus enim Florentini, alijq; complures id oſtendunt. Ex quo intelligi debet moris fuiſſe in tabulis, ut qui ſuum reciperent, primùm debitoris nomen, cui expenſum tulerant, expungerent, deinde in alteram paginam acceptum ferrent. Plaut. Ciſtellar.

Nunc quod reliquum reſtat, uolo perſoluere
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.

Hinc

Acceptilatio, quæ generali nomine ſignificat, in tabulas acceptæ pecuniæ relationem: ſpeciali uerò, & proprio à Iuriſconſultis bifariam intelligitur aut enim Vulgaris eſt, aut Aquiliana. Vulgaris eſt, quæ una ſtipulatione conſtat: cùm is qui uerbis obligatus eſt, à ſuo creditore ſtipulatur ſic, Quod tibi debeo, habesne acceptū? l. an inutilis, 8, §. 2. D. De acceptil. Cùm enim creditor & illius nomē expūxiſſet, & æs acceptū ei retuliſſet, reſpōdebat, Habeo, acceptūq; tuli. neq; ad aliā, quàm uerborū obligationem adhiberi hęc ſtipulatio poterat: quam ineptum eſt ab Aquilio proditam exiſtimare. Aquiliana enim acceptilatio mutua & reciproca ſtipulatione conſtat, & ad omnes omnium generum obligationes extinguendas excogitata eſt. eaq; ſola definitur a Modeſtino in l. 1. D. eod. liberatio per mutuam interrogationem, qua utriuſq; cōtingit ab eodem nexu abſolutio. quod ex formula ipſius planius intelligitur apud Florent. in l. & uno, 18. D. eod.

ACCEPTVM facere, idem quod acceptum habere. l. 7. D. & alibi perſępe, De acceptil. ut ī formula A. Agerius Numerio Nigidio acceptū fecit.

ACCEPTO ſiue acceptum rogare dicitur, qui ſtipulatur an id quod promiſit, creditor acceptum habeat: uti patet ex l. 6. & l. 8. §. 1. & 3. & alibi perſæpe, D. De acceptilat.

ACCEPTO liberare, eſt accepti rogatione liberare: quum ei qui ſtipulatus eſt an id quod promiſit acceptum creditor habeat, reſpondetur habere. l. 8. §. 1. & 3. & alibi frequenter, D. De acceptil.

ACCESSIO interdum dicitur obligatio quæ principali adiuncta eſt: ut cum fideiuſſerant, ad promiſſor datus eſt. Paulus l. 91. §. 3. D. De uer. obl. Vtique autem principalis debitor perpetuat obligationem. Acceſsiones an perpetuent, dubiū eſt. Pomponio perpetuare placet. quare enim facto ſuo fideiuſſor ſuam obligationem tollat? Itē, Acceſsionibus quoque ſuis, id eſt, fideiuſſoribus perpetuant obligationem. Interdum autem pro disiunctione quæ in obligatione adiuncta eſt, uſurpatur. ut apud eundem in l. obligationum, 44. §. penult. D. de oblig & act. Acceſsio in obligatione aut perſonæ, aut rei fit. Perſonæ, cum mihi aut Titio ſtipulor: rei, cum mihi decem, aut Titio hominem ſtipulor.

ACCESSIONVM nomine intelliguntur ea generaliter omnia, quæ tum ex re qua deagitur orta ſunt, ueluti fructus, partus, uſura: tum extrinſecus ei acceſſerunt, ueluti id quod per alluuionē accreuit, aut uſusfructus qui per conſolidationē proprietati adiungitur. Vnde titulus lib. Digeſt. XXII. de uſuris & fructib. & cauſa, & oībus acceſſionibus. Propriè autem ea demum continētur, quæ extrinſecus accedunt, cum Cauſæ appellatione generaliter hæc omnia comprehendantur. l. præterea. D. de rei uindic.

ACCIDERE præciſè Veteres ominis cauſſa dicebant, cum mortem nominare nollent. Iulianus in l. quidam, 25. D. ad Trebellian. A te hæres peto, ut filio meo prima quaq; die, aut ſi prius quid ei acciderit, marci eius des, & cet. Hinc Pomponius l. in uulgari, 162. §. 1. D. de uerbo. ſignif. Si quis, inquit, ita in teſtamento ſcripſerit, Si quid filio meo acciderit, Damas ſeruus meus liber eſto, mortuo filio, Damas liber erit: licet enim accidant & uiuis, ſed uulgi ſermone etiam mors ſignificatur. Cicero lib. De inuent. II. Cuius hæres non illo in teſtamento quiſquam ſcriptus erat, ſi quid pupillo accidiſſet. Idem in Antoniū,

Si quid

Si quid mihi humanitûs accidiſſet : multa antem impédere uidebantur præter naturam, prætereą; fatum. Idem in Pompeiana, Qui enim ex nobis quæreret, ſi in uno Pompeio omnia poneretis, ſi quid eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: Græci dicunt, εἴ τι πάθοι.

Accipere inter & Capere, Vlpianus hoc intereſſe ſcribit, quod Capere eum affectu accipitur, Accipere, & ſi quis nõ accepit ut habeat. l. aliud, 71. D. de uerb. ſignif. Hinc perſæpe accipi ea dicuntur, quæ oblata placent, & non recuſantur: ut cum accipi lex dicitur, quæ approbatur. Itaq; Iulianus locutus eſt in l. ei qui, 13. D. de condit. inſtit. Ei (inquit) qui ita legatum accepit, ſi decem dederit. Sed multo apertius Vlpian. in l. 1. §. ſanè. D. ſi quis omiſſ. ubi ait legatarios qui quid in teſtamento acceperunt, ſi poſſeſsionem per fraudem tranſtulerint, carituros hia quæ ſibi relicta ſunt.

Accipere iudicium, eſt pati à Prætore dari in eam rem iudices, de qua mouetur controuerſia. Paulus l. 2. §. 1. D. Si ex nox. cau. Compellendum putat Vindius, uel iudicio eum ſiſti permittere, uel iudicium accipere. Vlpianus ex edicto Præt. l. 8. §. 3. D. De procurat. Procuratorem ad litem ſuſcipiendam datum, pro quo conſentiente dominus iudicatum ſolui expoſuit, iudicium accipere eogam. Paulus l. 35. §. 2. D. De iureiur. & Vlpianus in l. 1. in princ. D. Si ex nox. cau. ubi tamen Accurſius, Iudicium pro ſententia poſitum interpretatur. Cicero pro Quintio, Iudicium quin acciperet in ea ipſa uerba quæ Neuius edebat, non recuſare. Obſeruandum igitur, moris fuiſſe, ut actor qui iudicem à Prætore peteret, formulam ipſam in quam iudicium peteret, certis conceptisq; uerbis proferret: ueluti, C. Aquilius iudex eſto. Si pateret Septimium Octauio centum debere, tum Septimius damnetur.

Accipere uxorem filiusfam. potius dicitur, à patre nimirum, quam uxorem ducere. quippe cum patri committatur puella, potius in huiuſmodi conditionibus, quàm marito. Hæc Donatus in Phormionem Terent.

Acceptare pro accipere, Papinianus tribus locis dixit. primùm in l. tale, 40. §. 2. D. de pact. Singuli creditores à ſingulis hæredibus uſuras acceptauerunt. deinde in l. alio, 9. in fin. D. de alim. & cib. leg. tertiò in l. Seio, 10. in fin. De annuis leg.

Accomodandi uerbo Iuriſconſulti utuntur, cùm quid benignè ex æquo & bono contra ſummi iuris regulas conceſſum ſignificant. Veluti enim utiles actiones accommodari dicunt in l. uxor. 55. in fin. D. de donat. int. uir. l. eleganter, 24. D. de pign. action. l. 1. C. de inoffic. teſt. l. ult. D. de tranſact. Sic Iuſtinianus in §. rurſus, 5. De actionibus. Quod genus actionis, inquit, quibuſdam & alijs ſimili æquitate motus Prætor accommodat. Sic Terentius in l. filio, 48. De ritu nupt. Filio patroni (inquit) in libertam paternam idem iuris quod ipſo patrono daretur, ex ſententia legis accommodatur. Itaq; Cicero acommodationem magiſtratuum præclarè dixit Verrina v. his uerbis: Ex huiuſmodi initio atq; ex liberalitate & accommodatione magiſtratuum, conſuetudo æſtimationis introducta eſt.

Accreſcere dicitur alicui res, cum ei qui iam partem habet, accedit atque adiungitur. ueluti cum inſula fundo accreſcere dicitur in l. inſula, 56. & l. ergo, 30. D. De acq. rer. domin. aut cum ei qui ſolus hæres, ſed ex parte tantùm inſtitutus eſt, reliqua pars accedit. l. interdum, 13. §. 1. D. De hæred. inſtit. §. hæreditas. Inſtit. eod. Hinc ius accreſcendi apud Iuriſconſultos celebratur, cùm hæreditatis, rei ue legatæ pars, quæ in quopiam de hæredibus legatarijs ue deficit, alteri attribuitur. l. ſi ex pluribus, 9. D. De ſuis & legit. l. ſi duobus, 12. D. De bon. poſſ. cont. tab. Hinc tit. lib. Pand. VII. De uſufructu accreſcendo. Vide, Ius accreſcendi.

Accuſare, inquit Seruius, & incuſare hoc differunt. Incuſare, propriè eſt ſuperiorẽ arguere: ut in Terentio pater ad filium, Quid me incuſas Clitipho? Accuſare uerò, uel parem, uel inferiorem: ut in eodem ad maritum uxor, Me miſerą, quæ nunc quam ob cauſſam accuſet neſcio. Et hoc proprietatis eſt: licet uſus iſta malè corrumpat. Hæc Seruius Aeneid. 1.

Accuſſare, non à Cudo, & Cuſo, ut Priſcianus putat, ſed à Cauſſa deductum coniugata uerba oſtendunt: Recuſo, Excuſo, incuſo. fictum enim eſt inſtar Græci αἰτιάομαι, & ad publica iudicia tantum modo accommodatum eſt. Hinc

Accuſatio, eſt eius criminis cuius quis reus legitimè factus eſt, apud iudicem, cuius de ea re notio eſt, expoſitio. dixi Criminis, nõ autem Delicti aut Maleficij, quòd illo nomine fraudes ex quib. Reſp. læditur, intelliguntur: Delicti aut Maleficij, priuatæ noxiæ. ut ſuo loco demonſtrauimus. Dixi Reus legitimè factus eſt. quòd & Paulus ſcribit in l. 3. §. 2. D. De accuſat. Si libelli inſcriptionum legitimè ordinati non fuerint, rei nomen aboletur. & Vlpianus in l. 7. ante accuſationem ſubſcriptionem eſſe neceſſariam, itemą; ut perſonas quibus reum facere non licet exciperemus. ut l. 1. & 2. eod. Dixi Cuius notio eſt, ut ordinem iudiciorum notaremus, de quo ſcribit Vlpia. in l. 7. §. ult. & Papin. in l. ult. D. eod. Dixi Expoſitio, non Delatio: quod Deferendi uerbum ad id tempus pertineat, quũ reus fit, & libellus inſcriptionis datur: ut in Verrinas orat expoſuimus: & Paulus ſignificat d. l. 3. De accuſat. Hoc enim, inquit, lege Iulia publicorum cauetur: & generaliter præcipitur omnibus qui reum aliquem deferunt.

Accuſatio à maledicentia quid differat, oſten-

dit

dit Cicero in ea pro Celio, his uerbis: Aliud eſt, inquit, maledicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ, ſi petulantius iactatur, conuicium: ſi facetius, urbanitas nominatur. Sumpta autem hæc ex Orat. Demoſth. pro Cteſiphonte uidentur, ubi ſic loquitur: Καὶ τοι καὶ τοῦτο, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ἔγω λοιδορῶν κατηγορίας τούτῳ διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ, τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ᾽ ἔχειν ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι, τὴν δὲ λοιδορίαν, βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν. Et in eandem ſententiam Iſocrates in Panegiric. χρὴ δὲ κατηγορεῖν μὲν ἡγεῖσθαι τοὺς ἐπὶ βλάβῃ λοιδοροῦντας, νουθετεῖν δὲ τοὺς ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τοιαῦτα πράττοντας.

Acetvm extinguendi cauſſa parari ſolitum, Vlpian. l. 12. §. 12. D. De inſt. uel inſt. teſſatur, l. 7. §. pecori. D. de penu. leg. Quod Macrobius lib. Satur. VII. declarans, Quid aceto frigidius? inquit; quod culpatum uinum eſt. Solum enim hoc ex omnibus humoribus creſcentibus flammam uiolenter extinguit: dum per frigus ſuum, calorem uincit elementi.

Acinaticivm, uinum ex acinis uinaceis aqua maceratis confectum. Vlpi. in l. 9. De trit. uin. & ol. Acinaticium, inquit uini legato cõtinebitur. Mallẽ tamẽ Acinacivm, aut Acinaticvm. Eius conficiendi rationem lege apud Caſsiodorum lib. 12. Var. epiſt. ad Cauonic. Venet.

Aconitvm, herba uenenata ac peſtifera, ut ſcribit Plin. lib. 27. cap. 3. Itaq; à Martiano inter uenena connumeratur in l. 3. §. 1. D. ad leg. Cor. de ſicar.

Acqvirere, eſt, inquit Varro, ab ad & quærere. ipſum quærere ab eo quod, quæ res ut recuperaretur, datur opera. Hæc lib. De ling. v.

Acqvirere rerum domiuium, aut poſſeſsionẽ dicimur, cùm illa iure aliquo ciuili, hoc eſt ea ratione, quæ iure ciuili ad dominij, poſſeſsionisve translationẽ instituta eſt, nanciſcimur. Dominij nanq; acquirendi ſex modi ſunt: mancipatio, traditio, uſucapio, in iure ceſsio, adiudicatio, lex. Poſſeſsionis autem plures: pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro ſuo, &c. Plus ergo eſt, Acquirere quàm aut Adipiſci, aut Nanciſci. nam qui rem inuenit, aut cui pignori data, aut commodata, aut apud quem depoſita res aliqua eſt, aut ſi ex permutatione alicui res tradita eſt, cum ipſe non ſatisfaciat, nactus adeptùsve rem aut poſſeſsionem rectè dicitur: acquiſiſſe uerò, nequacquam.

Ἀκρόδρυα Gaius in l. qui uenenum, 236. D. de uerb. ſignif. ſcribit apud Græcos omnes arborum ſpecies continere. quo tamen loco haud ſcio an non baccarvm potius, aut frvctvvm legẽdum ſit, cùm inter omnes conſtet, ἀκρόδρυα dici (ut Suid. teſtat) ταύτας τὰς τῶν δένδρων καρπάς.

Acta propriè dicuntur quæ geſta ſunt ab eo, qui togatus in Repub. cum poteſtate imperioq; uerſatus eſt. Nam Imperatorum res geſtę dicuntur. Ciceto Philip. 1. An in commentariolis, & chirographis. & libellis acta Cæſaris, firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi iuſſa, perpetuasq; leges eſſe uoluit, pro nihilo habebuntur? & paulo pòſt: Ecquid eſt, quod tam propriè dici poſsit actum eius, qui togatus in Repub. cum poteſtate imperioq; uerſatus ſit, quàm lex? quære acta Gracchi. leges Semproniæ proferentur: quære Syllæ, Corneliæ. Poſtea autem conſuetudine ſermonis factum eſt, ut literæ omnes de quorumlibet iudicum ſententijs perſcriptæ, Actorum nomine cenſerẽtur. Hermog. l. 46. D. De re iud. Actorum uerba emendare tenore ſententiæ perſeuerante, non eſt prohibitum. Item quodcunq; apud ius dicentem ad cauſſam ſiue publicam, ſiue priuatam pertinens, geſtum, eiusq; auctoritate literis mandatũ eſſet. Imp. l. 2. C. De edendo: Is apud quem res agitur, acta publica, tam criminalia quàm ciuilia exhiberi inſpicienda ad inueſtigandam ueritatis fidem iubebit. Hinc Seruum actis interuenientibus hominare ſuum filium, apud Imp. §. ult. de adop. Et Donationes actis interuenientibus inſinuari, §. 1. De donat. id eſt, cuius rei memoria in literas publicas relata ſit.

Actio cum ab agendo dicta ſit, generali ſignificatione quicquid omnino agi ſolet, complectitur. Itaq; & hiſtrionum & oratorum & fabrorũ actionem dicere ſolemus. Verùm in Iuriſconſultorum ſcriptis facile eſt intelligi, ad eas actiones contractam hanc eſſe ſignificationem quæ ad ius pertinerent: hoc eſt, ad eos ritus qui à Iuriſcõſultis excogitati ſunt, ueluti nexum, emancipationem, manumiſsionem per uindictam, ceſsionem in iure, teſtamẽtum per æs, & librã: & ſi qui ſunt generis eiuſdem. Porrò cum illa omnia certa uerborum conceptione fierent, tandem conſuetudine loquendi res eò perducta eſt, ut actio uulgò pro formula & conceptione uerborum diceretur. Et cum ea præcipua uideretur, qua lis aduerſus ciuem intenditur, inde factum eſt, ut Actio plerunq; pro querela in iudicio aduerſus aliquẽ propoſita uſurpetur. Tum enim ab Agere quod queri ſignificat deducitur: niſi fortè queri aliquanto plus ſit, quàm Agere. ut in Orat. pro Cęlio: A quo quæram ſi prodierit, primùm cur ſtatim nihil egerit: deinde, ſi id queri quàm agere maluerit, cur productus à uobis potius, quàm ipſe per ſe? Agere autem pro queri, aut poſtulare, Cicero multis locis uſurpat, ut pro Cæcinna: Si te hodie domum tuam redeuntem armati homines aditu prohibuerint, quæro quid acturus ſis? Item: Quid ergo eſt? impune feci: nã quid agas mecum ex iure ciuili ac prętorio, non habes. Itẽ: Quid negligentius maioribus noſtris, qui tantæ rei prætermiſerint actionem?

Actio

ACTIO formula eſt conceptione uerborum, quibus iudicium à prætore certa de cauſſa poſtulatur. Vel ſic:

ACTIO eſt formula iuris ſui recuperatorio iudicio perſequendi, ab eo qui legis actionē habet, data.

ACTIO apud ueteres nihil aliud quàm formulam ſignificabat: quaſi quis dicat, rerū priuatim agendarum modus, & forma iuriſcōſultorum & pragmaticorum ingenijs excogitata. itaq; uulgò legis actiones uocabantur, quoniam earum rerum de quibus lex XII. ſcripta erat, agendarum formam, ritumq; præſcribebant. Pompon. l. 2. De orig. Ex his, inquit, legibus eodem tempore ferè actiones compoſitæ ſunt, quibus homines inter ſe diſceptarent, quas actiones ne populus prout uellet inſtitueret, certas ſolennesq; eſſe uoluerunt, & appellatur hæc pars iuris, Legis actiones. Quibus ex uerbis apparet, Legis actiones olim id fuiſſe, quod nunc uulgus Formularium practicæ appellat. in eam enim ſententiam à Varrone, Cicerone, & alijs Manilianæ, & Hoſtilianæ actiones nominantur. patetq; ex Varrone rerum acquirendarum, ſtipulationumq; formulas etiā in ruſticanorū hominum manibus uerſatas fuiſſe, à Manilio & Hoſtilio Iuriſc. compoſitas: citāturq; in Pandectis Valentis, & Venuleii libri De actionibus, illius ſeptem, huius decem, quos conſtat eodem argumento ſcriptos eſſe, quo Pauli librum ſingularem De conceptione formularū. Varro lib. De re ruſt. II. Paulo uerboſius hæc, qui Manilij actiones ſequuntur Lanij, qui ad cultrum bouem emunt. Loquitur de ſtipulationibus. Cicero pro Muræna: Gloria militaris ueſtris formulis atq; actionib. anteponenda eſt, Idē ad Attic. lib. VI. Nec uerò pauci ſunt auctores, Cn. Flauium Scribā faſtos protuliſſe, actionesq; compoſuiſſe. Et libro de Ora. I. Expoſitis à Cn. Flauio primùm actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificioſè digeſta generatim componerent. Item in eod. Et credo, in illa militis cauſſa, ſi tu aut hæredem aut militem defendiſſes, ad Hoſtilianas te actiones, non ad tuam uim & oratoriā facultatem contuliſſes. Varro libr. De ling. V. Itaq; quibus res erat in controuerſia, ea uocabatur lis. Ideo in actionibus uidemus dici, Quam rem ſiue litem dicere oportet. Cicero Philipp. IX. Neque conſtituere litium actiones malebat, quàm controuerſias tollere.

ACTIONES, orationes apud populum iudicesve habitæ. Cic. lib. De art. Rhetor. II. Quod ſi nunc id agant, uelle ſe ſcire, qui lator ſit, qui ſint acceptuni, ſe actiones uidere & diſſuadere uelle. Aſconius in Cornelianæ argumen. Cicero ipſe ſignificat, quatriduo Cornelium defendiſſe, quas actiones contuliſſe eum in duas orationes apparet. Sic Verrinæ actiones fortaſſe non incommodè numerari ſeptem poſſent, pro Orationes ad Verris cauſſam pertinentes. Sed ne actionum ſignificatio conturbetur, quæ duæ tantùm fuerunt, nunquam, quod ſciam, ab antiquis ita nominatæ ſunt.

ACTIO, inquit Celſus, nihil aliud eſt, quàm ius perſequendi iudicio, quod ſibi debetur. l. nihil aliud. 51. D. de oblig. & act. quibus uerbis apparet Celſum Actionem intellexiſſe poteſtatem à Prætore datam, cauſſam ſuam apud iudices recuperatoresve agendi: ut ex utriuſque oratione quid æquitas ratioq; iuris poſtulet, ſtatuant. ueluti cùm dicimus, Actionem uel iudicium poſtulare, pro, Iudicem poſtulare, & facultatem apud eum cauſſam noſtram agēdi. Ex quo facile intellectu eſt, eam definitionem ad eorum temporum rationē accommodatam eſſe, quibus ab antiquorum iudiciorum ordine receſſum erat.

ACTIO pro Actus. Vlpianus in l. 3. §. ult. D. de donat. inter uir. Nam celeritate coniungendarum inter ſe actionum unam actionem occultari.

ACTIONIS uerbum, inquit Vlpianus, & ſpeciale eſt, & generale: nam omnis actio dicitur, ſiue in perſonam, ſiue in rem ſit petitio. ſed plerunque actiones perſonales ſolemus dicere. Petitionis autem uerbo in rem actiones ſignificari uidentur. Perſecutionis uerbo extraordinarias perſecutiones puto contineri: utputa fideicommiſſorum, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinarij executionem. l. pecuniæ. 178. D. de uerbor. ſignif.

ACTIONUM ædilitiarum tres in iure ciuili maximè reperio: Redhibitoriam, quanto minoris, & in factum. Redhibitoria, eſt quæ emptori aduerſus uenditorem datur ut mācipium redhibeat, id eſt, recipiat, preciumq; acceptum reſtituat. l. redhibere. D. de ædil. edict. quod quatuor de cauſſis accidit: propter morbum, propter uitiū, cùm pronunciatum eſt quid adeſſe quod abeſt, uel abeſſe quod adeſt: poſtremò, cùm ex ædilium edicto uenditor non cauit. Quanto minoris actio præciſè dicitur, pro quanto minoris res fuit, quæ uendita eſt. daturq; emptori ſimiliter contra uenditorem eiſdem de cauſſis quibus Redhibitoria: & eo amplius, propter eos qui uitio animi ex conſuetudine laborāt. l. I. §. 2. 3. & 4. D. eod. In factum autem emptori ſimiliter datur ad precium recuperandum, cum aut rem emptam ſine iudice redhibuit, aut uenditor mancipij nationem non pronunciat: aut cùm ita emit, ut niſi intra certam diem placuerit, redhibeatur: aut indefinita die intra dies LX. l. quòd ſi nolit. 31. eod. aut cùm ornamenta mancipij deſunt. l. ædiles. eod. Differunt præterea tempore. nam Redhibitoria, ſex menſium: Quanto minoris, anno: In factum, ſexaginta dierum ſpacio circumſcripta eſt. d. l. ædiles. eod.

ACTIONUM, inquit Vlpianus, genera ſunt duo: in rem, quæ dicitur Vindicatio: & in perſonam, quę Cōdictio appellatur. In rem actio eſt, per quam rem

rem noſtram, quæ ab alio poſsidetur, petimus: & ſemper aduerſus eum eſt, qui rem poſsidet. In perſonam actio eſt, qua cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid uel dandum. & ſemper aduerſus eundem locum habet. l. 25. D. de oblig. & actio.

ACTIO, petitio, perſecutio diſtinguuntur in Aquilianæ acceptilationis formula in l. 18. §. 1. D. de acceptil.

ACTIO, pro accuſatio. Papinian. l. 1. D. de crim. ſtellion. Actio ſtellionatus neque publicis iudicijs, neq; priuatis actionibus continetur. hoc eſt, Hæc accuſatio non è legibus publicorum iudiciorũ eſt, ſed extraordinaria. Similiter titulus eſt lib. Cod. 9. Quando actio ciuilis criminali præiudicet.

ACTIO æſtimatoria quanto minoris, uide Quanto minoris.

ACTIO æſtimatoria ſiue de æſtimato eſt actio in perſonam, per quam qui rem aliquam uendendam recepit, uel rem ipſam incorruptam reddere cogitur, uel ipſius æſtimationem. l. 1. D. de æſtimat.

ACTIONES arbitrariæ dicebantur, in quibus non reſtrictè certum quid poſtulatur, ſed id tantùm quod æquius melius iudici uidebitur, qui propterea uerius arbiter diceretur: quippe qui totius rei arbitrium ac poteſtatem habeat. Earum autem duæ ſunt ſpecies, una in qua duplex quodammodo ſententia pronunciatur, & prior quidem his ferè uerbis, Arbitror debere te aduerſario hac ratione ſatisfacere: ante ſecundam porrò in litem iuratur. Altera in qua & una ſententia profertur, nec in litem iuratur. §. præterea. 27. De actionib.

ACTIONES ædilitiæ dicuntur, quæ edicto Aedilium Curulium conſtitutę ſunt. §. 1. Si quadrup. paup. & tit. Cod. de Aedilitijs act. nimirum, Redhibitoria, Aeſtimatoria quanto minoris, & quod aduerſus dictum promiſſumùe fit: de quibus ſuo loco deinceps.

ACTIONES bonæ fidei conciſa locutione dicuntur, in quarum formulis Prætor adijciebat EX BONA FIDE. Cic. in Topic. In omnibus igitur iudicijs in quibus EX FIDE BONA eſt additum, primus earum uſus eſt. Item lib. De offic. 3. Q. Scæuola ſummam uim eſſe dicebat in omnibus ijs arbitrijs, in quibus adderetur EX FIDE BONA. Ibidem, Quid ſibi dare facere oporteat ex fide bona. Nam in quibus hoc additum non erat, iudici dato formulam & ſummam ſibi à Prætore præſcriptam ac definitam egredi non licebat. At in bonæ fidei iudicijs (ait Imper. §. 29. De actionib.) libera poteſtas permitti uidetur iudici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui oporteat. Actiones ſtricti iudicij dicuntur, in quibus præfractè iudicium a Prætore definitur, & quaſi ad uiuum reſecatur, ut iudici à uerbis formulæ ne tantillum quidem recedere liceat. Cicero de ijs loquens in Orat. pro Q. Roſcio, Quid eſt in iudicio? directum, aſperum, ſimplex. SI PATERET TANTAM PECVNIAM DARI OPORTERE. Hic niſi planum facit tantam pecuniam ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit. Iudices enim (quippe priuati homines) poteſtatem iudicandi nullam, niſi quam à magiſtratu, & qua de re acceperant, habebant. Veluti, L. Caſsius iudex eſto. Si apparet aureos uiginti Næuio dare oportere Sempronium, eum tantæ pecuniæ cõdenato. Poterat L. Caſsius de aureis xx iudicium ſtatuere: de uno minus aut amplius, non poterat, non accepta ſcilicet à Prætore poteſtate. Nam poteſtates & imperia ſunt penes magiſtratus: Iudices autem priuati (ut diximus) homines erant. itaque ſi maximè undeuiginti deberentur, quia tamen uiginti petita ſunt, petitorem iudex damnabit. Vnde illud uulgatum, ut qui plus peteret, cauſſa caderet. Officium ergo iudicis eſt, conſtituere ſimpliciter debeantùrne uiginti aurei, an non debeantur: non autem de aureorum numero arbitrari. Tranquillus Claudio: Nam & ijs qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidiſſent, reſtituit actiones. De ſtrictis iudicijs loquitur, in quibus ſi petitor aſſe uno plus poſtulaſſet, condemnabatur.

ACTIO ad exhibendum, eſt actio in perſonam, per quam qui in rẽ qualicunq; actione acturus eſt, eius rei ſibi in publico poteſtatem ut experiatur, fieri poſtulat. l. 2. & 3. D. ad exhib.

ACTIO Caluiſiana eſt actio in perſonam, qua patroni utuntur ad ea reuocanda, quæ in ipſorum fraudẽ liberti alienarunt. l. 1. §. ſi plurib. l. 2. col. 3. §. ſi inteſtatus. & l. ult. D. ſi quid in fraud. patron. l. 2. D. ſi à par. quis manumit.

ACTIO calumniæ, uetus erat actio, per quam is, qui litem alicui calumnioſè intenderat, damnatuſq; fuerat, decimam eius quod petierat partẽ aduerſario ſoluere cogebatur. uti docet Imper. §. 6. De pœna tem. li.

ACTIO damni iniuria, aduerſus eum competit, qui damnum iniuria dederit: ut quanti plurimi res uel anno proximo, uel triginta diebus proximis fuerit, tanti damnetur, pro caſibus qui ex Lege Aquilia cognoſcuntur. tit. De lege Aquil. in Inſt. & Pand. Dicitur autem Actio damni iniuria, præcisè: pro Damni iniuria dati. itaque apud Ciceronem legitur in Orat. pro Q. Roſcio. quũ in libris noſtris frequenter INIVRIAE in ſecundo caſu legatur.

ACTIO commodati, eſt perſonalis actio, per quã id quod gratis alicui utendum dedimus, reddi nobis poſtulamus. uti docet Imp. §. 2. Quib. mod. re cont.

ACTIO communi diuidundo dicitur, quæ datur ijs qui res quas uel uoluntate, uel fortuna inter ſe communes habent, per arbitrum diuidi, & ſi

quid

quid alter alteri debeat, præſtari poſtulant. Paulus l. 1. D. comm. diuid. Hoc iudicium ideo neceſſarium fuit, quò pro Socio actio magis ad perſonales inuicem præſtationes pertinet, quam ad communium rerum diuiſionem.

ACTIO condictitia, actio perſonalis, in qua condicimus. Imper. §. Quib. mod. re cont. Daturque agenti contra eum propter repetitionem Condictitia actio. nam perinde ei condici poteſt, SI APPARET eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet. Vlpian. l. ſi quis. 24. D. Si cert. petat. Sed illa condictitia actione id perſequi debet, per quã certum petitur. item in l. ſi duo. 13. §. 2. D. de iureiur. & l. uxor. 55. de donat. inter uir.

ACTIO conducti, ſiue ex conducto, eſt actio in perſonam, per quam is qui uel rem utendam, uel opus faciendum cõduxit, ſiue recepit, ut uel re ſarta tecta utatur, uel operis perfecti mercedem conſequatur, poſtulat.

ACTIO confeſſoria, eſt per quam rem noſtram ab alterius poſſeſſione in dominium noſtrum uindicamus. uti docet Imp. §. 2. De action.

ACTIO conſtitutoria, eſt qua cum eo agitur, qui uel pro ſe, uel pro alio ſoluturum ſe ſine ulla ſtipulatione conſtituerit. uti docet Imp. §. octauo & §. 9. De actio. itemque toto tit. De conſtit. pecun. D.

ACTIO de albo corrupto, eſt qua qui uis de populo agere aduerſus eum qui Prætoris edictum corrupit, poteſt: ut quinquaginta aureorum pœna multetur. uti docet Vlpian. l. 7. D. de iuriſ. ann. iud.

ACTIO de arboribus ſucciſis, ex duodecim tab. eſt actio in perſonam, per quam qui alienas arbores ceciderit, æris xxv. damnatur. hanc enim conſtitutam pœnam fuiſſe Plin. lib. 17. cap. 1. teſtatur. Paulus l. 28. §. 6. D. de iureiur. Colonus cum quo propter ſucciſſas forte arbores agebatur ex locato, ſi iurauerit ſe ſuccidiſſe, ſiue è lege XII. tab. de arboribus ſucciſis, ſiue &c. Hinc tit. Arborum furtim cæſarum, lib. Pand. 46.

ACTIO de dote, eſt actio in perſonam quæ diuortio facto mulieri ad dotem exigendam aduerſus maritum datur, & maritum in id tantum quod facere poteſt, damnat. l. maritum, 12. 13. 14. D. ſolut. matrim.

ACTIO de effuſo, deiecto, ſuſpenſo, eſt actio in perſonam, quæ aduerſus eos intenditur, qui eum in locum quà uulgò iter fit, aliquid effuderint, deiecerint, ſuſpenderint, cuius caſus alicui nocuerit, nocereve ſuſpenſum potuerit. l. 1. & 5. D. de his qui deiec. uel effud.

ACTIO de in ius uocato ui exempto, eſt qua cum eo agitur, qui in ius uocatum exemit, dolove eximendum curauit, ut quanti ea res ab actore æſtimabitur, damnetur. l. 1. & 5. D. ne quis eum qui in ius uoc.

ACTIO de in rem uerſo, eſt actio in perſonam, per quam pater dominusve, cuius filius ſeruusve cum aliquo ſine ipſius uoluntate contraxit, ſi ue quid in rem ipſius uerſum erit, totum præſtare cogitur: aut ſi quid non ſit uerſum, quatenus peculium patietur. uti docet Imper. §. 4. Quod cum eo qui in al.

ACTIO de iureiurando, eſt per quam is qui aduerſari poſtulatu deberi ſibi pecuniam iurauit, ita eum damnari poſtulat, ſi planum faciat ſe illius poſtulatu iuraſſe. uti docet Impe. §. 12. de action.

ACTIO de paſtu pecoris ex lege XII. tabul. inſtituta eſt, cùm in meo fundo pecus tuum depaſtum eſt. nec enim de pauperie noxalis actio ſufficiebat: quia paſtus pecoris, nec pauperies, nec damnum eſt. l. qui ſeruandarum, 14. §. ult. D. de præſcript. uerb. l. 2. §. in beſtijs. D. Si quadr. pauper.

ACTIO de patre patronove in ius uocato, eſt per quam filius emancipatus aut libertus qui patrẽ patronumve ſine Prætoris uenia in ius uocauit, pœna quinquaginta aureorũ damnatur. l. penul. D. de in ius uoc.

ACTIO de peculio, eſt per quam is qui cum filiofa. ſeruuve contraxit, contra patrem dominumve ita agit, ut quoad profectitium peculium ferre poſſit, ſoluere damnetur. uti docet Imp. §. 10. De action. & toto tit. de pecul. D. Sciendum eſt autem, non certam quandam actionis ſpeciem hanc eſſe, quæ per ſe conſtet: ſed adiectionem qua principalis actio deſignatur. nã ſi depoſiti commodati, mandati filiusfa. obligatus ſit, datur aduerſus patrem actio depoſiti ex peculio, commodati ex peculio, mandati ex peculio. l. 5. §. cui congruit. D. de pecul. l. depoſiti. cod. l. 1. C. quod cum eo, &c.

ACTIO depoſiti directa, eſt perſonalis actio, per quam id quod apud aliquem depoſuimus reddi nobis poſtulamus: uti docet Imp. §. 3. Quib. mo. re cont.

ACTIO depoſiti contraria, eſt actio in perſonam, per quam qui depoſitũ recepit, quod in eo tuendo aſſeruandoq; impendit, poſtulat. Hinc tit. in Pand. Depoſiti uel contraria. Sic enim legendum eſt.

ACTIO de tigno iuncto dicitur, qua utitur dominus tigni aduerſus eum qui ipſius tignum ædibus uineisve ſuis adiunxit: per quam non ipſum tignum, ſed duplum conſequitur. ut docet Vlp. l. 1. D. de tig. iuncto.

ACTIO directa (quum actioni contrariæ opponitur) ea formula eſt, quæ quum certam ob cauſſam inuenta atque inſtituta ſit, ad eandem ipſam cauſſam accommodatur. ueluti Lex XII. tab. Pro ſocio actionem inſtituit, aut ea ex lege ſcilicet inſtituta eſt. Quoniam utriuſque ſocij cauſſa inſtituta hæc actio eſt, Directa utrinque nominatur. At in tutela, mandato, & depoſito inuenta primùm eſt actio tantùm pupillo in tutorem, mandatori in mandatarium, & deponenti in depoſi-

in depoſitarium. quare quæ his in cauſſis dantur actiones, quia illæ ipſæ ſunt maximè, quæ primùm inſtitutæ ſunt, Directæ nominantur. Et quoniam uſu rerum poſtulante intellectum eſt, uiciſsim quoque dandas eſſe tutori in pupillum, mandatario in mandatorem, depoſitario in deponentem, certis de cauſsis actiones: conceſſæ quoq; ſunt eædem ipſæ antiquitus inſtitutæ cō̃ceptæq; formulæ, quas Directas, cùm ad ſua negocia referuntur, nominamus: ſed quia non ad ſuam cauſam propriè accommodantur, Contrariæ nominantur, quaſi dicas, Eædem ipſæ actiones, ſed ad contrariam partem accommodatæ.

Actio directa dicitur, quum eius ipſius aduerſus quem agitur, non autem alterius nomine intenditur. ueluti Actio noxalis, quia contra dominum non ſuo, ſed ſerui nomine intenditur, directa non eſt. ſed ſi qui in ſeruitute noxam nocuit, poſtea manumittatur, quia ſuo nomine lege Aquilia conuenitur, Directa pulſari dicitur. Iuſtinianus.§.3.de nox. act. At ſi manumiſſus fuerit, directò ipſe tenetur, & extinguitur noxæ deditio. ex diuerſo quoque directa actio noxalis eſſe incipit. nam ſi liber homo noxiam commiſerit, & is ſeruus tuus eſſe cœperit, incipit tecum eſſe noxalis actio, quæ antè directa fuiſſet. Idem.§.ulti, Quod cum eo, &c. Id quod iuſſu patris dominive contractum fuerit, quodq; in rem eius uerſum erit, directò quoque poſſe à patre dominove condici, tanquam ſi principaliter cum ipſo negocium geſtum eſſet. Ex quo apparet, actionē Quod iuſſu, & ſimiles, directas dici non poſſe: quippe quæ aduerſus patrem dominumve non ipſorum, ſed filij ſeruive nomine intendantur.

Actio empti, ſiue Ex empto, eſt actio in perſonam, per quam qui rem quampiam emit, uenditorem & quæ lingua nuncupata ſunt, præſtare, & ſi nominatim nihil conuenit, rem tradere, eamque uel emptoris facere, uel euictionis nomine obligari cogit. uti docet Vlpian.l.11.D.de act.empt.

Actio exempta dicitur, quum agi poſſe deſijt. Vlpia.l.26.§.4.D.Ex quib.cauſ.maior. Siue cui per magiſtratus actio exempta eſſe dicetur. Itē Actio exempta ſic erit accipienda, ſi deſiit agere poſſe. Locutio deducta eſt ab exemptione reorum, de qua ſuo loco diximus.

Actio exercitoria, eſt actio quæ in exercitorem, qui ſeruum naui præpoſuit de eo quod cum eo ſeruo illius rei cauſſa geſtum fuit, in ſolidum conceditur. Is enim ad quem quotidianus nauis quæſtus redit, Exercitor dicitur: & moris erat, ut ſeruum ei rei præficerent, quem Magiſtrum appellabant l.1.& paſſ, D. de exercita.act.

Actio ex ſponſu, uide Spondere, & Sponſus.

Actio ex ſtipulatu, eſt actio quæ ei competit qui ſibi aliquid incerti dari fierive ſtipulatus eſt. ueluti quicquid uini hoc anno ex uineis tuis colligetur. ut patet ex titu. Inſti. de uerb.obliga.in princip.

Actio ex ſtipulatu doti exigendæ, eſt actio in perſonam, per quam uxor dotem ſuam ſoluto matrimonio à marito condicit, l.pen.C.de iur. dot.&.l.unic.C.de rei uxor.act.

Actio familiæ erciſcundæ dicitur, quæ datur coheredibus poſtulantibus ut & hæreditas diuidatur, & ſi quid alter alteri debeat, præſtetur. nam Erciſcere familiam, hæreditatem diuidere ſignificat. eius autem formula in rem eſt: uis & natura, qualis eſt actionis in perſonam Vlpian.l.22. §.3.D.famil.erciſc. Hoc iudicium ex duobus conſtat: id eſt, rebus atque præſtationibus: quæ ſunt perſonales actiones.

Actio Fauiana eſt actio in perſonam, quæ patronis eorumve liberis conceditur, ad ea reuocāda quæ in ipſorum fraudem liberti alienarunt.l.uideamus.38.§.in Fauiana.D.de uſur.l.1.& paſſ. D.ſi quid in fraud.patron Ei gemina eſt Caluiſiana, de qua ſuo loco diximus.

Actio finibus regundis, eſt quæ confinibus conceditur: poſtulantibus ut quod cuiuſque proprium ſit, ab arbitro definiatur: & ſi quid ab alterutro commiſſum ſit, reſarciatur. Eius autem formula eadem eſt quæ uindicationis: uis autem & natura eadem quæ condictionis. uti docet Paulus in l.1.D.finium regund. Finibus autem regundis hæc ab antiquis appellata eſt actio; item ut Familiæ erciſcundæ, Communi diuidundo, Rationibus diſtrahendis: quod cuiuis ex Cicerone licet intelligere: ſed, ut opinor, poſteaquam a Græcis hominibus ius ciuile tractari cœptum eſt, hæc mutatio, cuiuſmodi aliæ alibi permultæ ſunt. hoc in loco contigit.

Actio funeraria, eſt actio in perſonam, per quam is qui pro officio ſuo, ueluti delectus a teſtatore, uel hæres ſcriptus, uel ſuo ordine cognatus funerandi defuncti cauſa ſumptus fecit: eos ab eo ad quē ea res pertinet, recuperat.l.12.§.2.& perpetuo tract. De relig.& ſumpt. Dicitur & Funeratitia à Pomponio l.30.D.eod.tit.uel ſic,

Actio funeraria eſt, qua qui defunctum ſuis ſumptibus, funeratus eſt, eam pecuniam ab hæredib. condicit. Vlp.17.D.de reb.auct.iud. Vtrum ita demum priuilegium habet funeraria, ſi is cuius bona ueneunt, funeratus ſit.

Actione furti concepti tenetur is, apud quem furtum quæſitum & inuentum eſt. Paulus li.11. Sent.tit.31.

Actio furti concepti dicitur, quæ in eum intenditur, apud quem teſtibus præſentibus furtiua res quæſita & inuenta eſt: quamuis ipſe fur non ſit. apud Imp.§.4.de oblig.quæ ex del.

Actio furti manifeſti eſt, qua quadrupli pœna

 ab

ab eo qui manifeſtus fur eſt, exigitur: nec mani feſti, qua à nec manifeſto dupli. ait Imp. §. 17. de oblig. quæ ex del.

Actio furti non exhibiti aduerſus eum datur, qui furtiuam rem apud ſe quæſitam & inuentam nõ exhibuit. ait Imp. §. 4. de oblig. quæ ex delict.

Actio furti oblati, competit ei cui res furtiua oblata eſt, ut apud eum potius, quam eum qui obtulit, conciperetur: ait Imp. §. 4. De oblig. quæ ex delict.

Actio furti prohibiti aduerſus eum eſt, qui furtum quærere teſtibus præſentibus uolentem prohibuerit. §. 4. De oblig. quæ ex delict.

Actio ſiue petitio hæreditatis, eſt actio in rem, quæ aduerſus illos qui ius pro hærede uel pro poſſeſſore habent, uel rem hæreditariam licet minimam poſsident, intenditur. l. 9. D. de pet. hæred. habet tamen præſtationes quaſdam perſonales, utputa eorum quæ a debitoribus ſunt exacta, & preciorum. l. 25. §. 13. eod. tit.

Actio furti ope conſilioque facti aduerſus eum datur, cuius ope conſilioque furtum factum eſt. ait Imper. §. 9. de oblig. quæ ex del. Eius formulam. Cic. lib. de nat. 3. hanc fuiſſe ſcribit, ope conſilioq; tuo furtum aio factum eſſe.

Actio hypothecaria, quæ & quaſi Seruiana, & utilis Seruiana, interdum Seruiana, & Pigneratitia uocatur, eſt actio in rem, per quam creditores quib. res aliqua ſiue mobilis, ſiue immobilis oppignerata eſt, rem illam ſi fortè in alterius poſſeſsionem inciderit, ſibi uindicant. uti docet Imp. §. 7. de action.

Actio in rem, eſt quæ conceditur ei, qui rem quam alter poſsidet, ſuam eſſe intendit: ut ea res ipſi ius eſſe pronuncietur. ſicut Imp. docet in §. 1. de action.

Actio in perſonam; eſt quæ aduerſus eum intenditur qui ex contractu uel delicto obligatus eſt, ut aliquid dare facere damnetur, ait Imp. §. 1. de action.

Actio inofficioſi teſtamenti, quæ interdum etiã Accuſatio, interdum Querela nominatur, dicitur ea quæ liberis exhæredatis datur, ut teſtamenta parentum reſcindant, & a iudicibus poſtulent, ut ſi notatum officium cognoſcant, reſciſſo teſtamento hæreditatem ijs quibus naturæ iure debetur, adiudicent. l. 1. & paſſ. D. de inoffic. teſtam.

Actiones in rem ſcriptæ dicuntur, quæ ut ipſa in perſonam quidem ſunt, ſimpliciter tamen & abſolutè ſine ullius perſonæ notatione ſcriptæ & conceptæ ſunt. cuiuſmodi ſunt Ad exhibendum, Quod metus cauſſa, Ex cauſſa interdictorum. nam in rem uetus locutio eſt quæ, ut ſuo loco docebimus, nihil aliud ſignificat, quam generaliter, infinitè, & ſine certæ alicuius perſonæ deſignatione. Itaq; Perſonales actiones ſemper aduerſus eũdẽ, hoc eſt eũ qui ĩ ijs nominatus eſt, dantur: at hæ aduerſus quemuis. uide in rem.

Actio malæ tractationis, aduerſus maritũ facto diuortio dabatur uxori, diuortij culpam in illũ transferenti. Fabius libro vii. cap. iiii. Nõ diſsimiles autem abdicationum actionibus ſunt malæ tractationis actiones. nam & ipſæ habent eandem in accuſationibus moderationem. Idem libro quarto cap. ii. Sed in ſcholaſticis quoque nonnunquam euenit, ut pro narratione ſit propoſitio. nam quid exponet, quæ Zelotypum malæ tractationis accuſat? cùm totum crimen uno uerbo in qualibet actionis parte poſito ſatis iudicetur. Eiuſque iudicij exemplum extat apud eundem Declamat. viii. & xviii.

Actio malè geſtæ procurationis in foro, nominatur a Fabio lib. 7. cap. 4.

Actio inſtitoria, eſt actio in perſonam, quæ in eum qui ſeruum inſtitorem tabernæ præfecit, ex eo quod cum eo ſeruo eius rei cauſſa geſtũ erit; in ſolidum conceditur. Eſt autem inſtitor, qui quæſtuariæ alicui negociationi præficitur: quòd (ut ait Vlpianus) negocio gerendo inſtet. l. 1. & paſſ. D. de inſtitor. act.

Actio ingrati, excepta Macedonum gente nuſquam data eſt: ut ait Seneca libro iii. de benef. Nam cùm difficilis eſſet, inquit, incertæ rei æſtimatio, tantum odio damnauimus, & inter ea reliquimus quæ ad uindices deos remittimus. nam optima beneficij pars perit, ſic ut certæ pecuniæ ex conducto aut ex locato detur. Hoc enim eſt in illo, quod dedimus uel perdituri, quod permiſimus accipientium arbitrio, ſi appello, ſi ad iudicem uoco, incipit non beneficium eſſe; ſed creditum: nec erit glorioſa res, gratum eſſe, niſi tutum eſt gratum non eſſe. Fabius de ſcholaſtica exercitatione loquens libro vii. cap. iiii. In actione ingrati, inquit, quæritur an is cum quo agitur, acceperit beneficium: quod raro negandum eſt: ingratus eſt enim qui negat. an quantum acceperit, reddiderit: an protinus qui non reddiderit, ingratus ſit: an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit.

Actio locati, ſiue ex locato, eſt, actio in perſonam, per quam qui quempiam uel in prædio cõlendo, uel in opere faciendo locauit, ea quæ in contrahendo conuenerunt, illum ex æquo & bono præſtare cogit. l. 2. & 17. C. locat. l. ſi merces. 25. D. eod.

Actio legis, uide Legis actio. item ſuprà Actio.

Actio mandati directa, eſt actio in perſonam, per quam qui alicui mandatum dedit, quanti ſua intereſt ob id quod alter uel non confecit, uel non tempeſtiuè renunciauit, ab ipſo poſtulat. l. 22. §. 11. & l. 27. §. 2. D. mandati.

Actio mandati contraria, eſt actio in perſonam, per quam qui alterius mandatũ ſuſcepit, quod in eo cõficiẽdo de ſuo impẽdit, ab altero poſtulat.

Hinc

Hinc tit.in Pand. Mandati, uel contraria. ſic enim legendum eſt.

ACTIO negatoria, eſt per quam actor negat aduerſario id licere, quod niſi ſibi ſeruitus deberetur, ei liceret: uti docet Imp. §.2. de action.

ACTIO negociorum geſtorum, eſt actio in perſonam, qua qui alterius negocium ſine mandato ac ſua ſponte geſsit, quicquid eo nomine illi uel abeſt, uel abfuturum eſt, a domino repetit: uiciſsimque illi actus ſui rationem probare, & ſi quid uel non ut oportuerit geſſerit, uel ex his negocijs retinet, præſtare cogitur. uti docet Caius l.2. D. de negot. geſt.

ACTIO negociorum geſtorum, Directa quidem aduerſus eum inſtituitur, qui abſentis negocia, ſine mandato geſsit: Contraria uerò, aduerſus eum cuius negocia geſta ſunt, de eo quod alterũ alteri ex æquo & bono dare facere oportet.

ACTIO noxalis, eſt actio in perſonam, per quam is, cuius ſeruus noxam aliquam commiſit, aut litis æſtimationem ſufferre, aut ipſum hominem noxæ dedere cogitur. uti docet Imp. tit. de nox. act. in principio.

ACTIO noxalis de pauperie, eſt actio in perſonam, per quam is, cuius quadrupes, quæ cicurũ numero ſit, alicui dãnũ dederit, aut litis æſtimationẽ præſtare, aut ipſam quadrupedẽ noxæ dedere cogitur .l. prima. D. Si quadrup. ubi obſcurius Vlpianus eſt locutus, quum ait hanc actionem locum habere, quum feritate commota nocuit quadrupes: & paulo poſt, Quum contra naturam fera mota, pauperiem dedit. Significat autem eas, ut dixi quæ cicures ſunt, ut equum, bouem, mulum, quæ nonnunquam feritate commota, id eſt, laſciuia quadã ferociunt, ut ſi mulam equus olfecerit: & tamen contra naturam, id eſt, præter naturalem manſuetudinẽ, Cicures enim natura ſunt mãſuetæ. Verùm aliud eſt in ijs quæ Cicures non ſunt, ſed Beſtiæ appellantur eodem loco ab Vlpiano, ueluti urſi, leones, pantheræ. In his enim ceſſat hæc actio.

ACTIO oneris auerſi, erat actio in perſonam, quę aduerſus nautam intendebatur, cuius in naue onus (id eſt ſarcina aliqua) interuerſum ac ſurreptum eſſet. nam Auertere pro furari apud antiquos ita frequens eſt, ut putidum ſit exempla conquirere. Alfenus l.31. D. locat. In naue Saufeij quum complures frumentum confuderant, Saufeius uni ex his frumentum reddiderat de communi, & nauis perierat. quæſitum eſt, an cæteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſsint oneris auerſi actione? Item, Siue eius generis eſſent merces quæ nautis traderentur, ut continuò eius fierent, & mercator in creditum iret, non uideretur onus eſſe auerſum: quippe quod nautæ fuiſſet. Alciatus autem ADVERSI oneris actionem appellat, quum uector rem alienam non aduertit & curauit ut debuit.

lib. Parerg. 6. ca. 28. quod ſanè homine docto indignum eſt, ut nihil acerbius in eius παρέργων libros nunc dicatur.

ACTIO Pauliana a Prætore Paulo inſtituta eſt, qua creditores quorum in fraudem bona ſua debitor alienauit, bonorum poſſeſsione a Prætore impetrata, ea bona perinde ac ſi nunquam a debitore tradita fuiſſent, uindicare poſſunt. nam ut ait Paulus l. 38. §. tertio. D. de uſur. Per actionem Paulianam quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, reuocantur. nam Prætor id agit, ut perinde ſint omnia, atque ſi nihil alienatum eſſet.

ACTIONES perpetuæ dicuntur, quæ olim nullo temporis ſpacio terminabantur: cuiuſmodi erãt omnes ciuiles actiones, id eſt, quæ ex legibus, Senatuſconſultis, aut conſtitutionibus naſcuntur. nunc autem in rem actiones decem aut uiginti terminantur annis perſonales uerò triginta .§.1. de perpe. & temp. act. l. 3. C. de præſcrip. 30. ann.

ACTIO pigneratitia, ut ex uerbi notatione intelligitur, actio eſt ad pignus perſequendum inſtituta. Eſt autem triplex: ſed uſurpatur propriè de ea quę debitori aduerſus creditorem, cui ſua pecunia ſoluta eſt, repetendi pignoris cauſſa conceditur. l. ſi rem nono. §. tertio D. de pign. act. eaque Directa eſt. nam Contraria etiam prodita eſt, quæ creditori aduerſus debitorem datur ob ſumptus neceſſarios in rem oppigneratam factos l. ſi neceſſarias 8. & l. tutor. 16. §. 1. D. eod. Itaque titulus intelligendus eſt, De pigneratitia actione, & contraria. ſic enim legendum eſſe, iampridem docuimus. Præterea eſt Seruiana pigneratitia duplex: nimirum prior a Prætore, & poſterior ad exemplum Prætorij a Iuriſconſultis inſtituta: quæ pigneratitiæ nõnunquã nominãtur, ut l. 3. §. 1. D. ad exhi. l. Titius 9. D. quib. mod. pig. l. rem alienam. 41. D. de pign. action.

ACTIONES pœnariæ dicuntur a Fabio, quæ a noſtris vulgò Pœnales, quib. pœnam commiſſam perſequimur. ut furti. rapinæ, legis Aquiliæ. Fab. lib. VII. cap. IIII. Sed etiam in formulis, cùm pœnariæ ſunt actiones, nos ita cauſſã partimur, an commiſſa ſit pœna, an exigi debeat.

ACTIONES populares dicimus, quæ ſuum ius populo tuentur: inquit Paulus in l. 1. D. de pop. act. inter Priuatas autem, Publicas & Populares hoc intereſt, quod priuatæ actiones ſunt quæ rei priuatæ ſunt, & ei ſoli cuius intereſt, conceduntur. Populares uerò non quod priuatim alicuius, ſed quod publicè intereſt perſequuntur: ac proinde cuiuis de populo cõceduntur. ueluti de albo prætoris corrupto, de ſepulcro uiolato. Publicæ uerò accuſationes ſunt, quæ lege aliqua certa publicorũ iudiciorũ conſtitutæ ſunt: ut eius criminis de quo lex lata eſt, a certo Prætore

quæſtio exerceatur. Illæ a Prætore urbano, hæc à Quæſitore certo exercebantur .l. non diſtinguemus. 32. §. de liberali. D. de rece. arb. ubi Paulus ait populares actiones, maiores iudices habere debere. illæ pecuniariam; hæ capitis pœnam impunebant: illæ infamiam non pariunt, hæ pariunt omnino. Popularium autem aliæ rem publicam directò, propriè, ac per ſe: aliæ cõiunctim ſpectant. propriè, ut actio de albo corrupto .l. ſi quis id quod, 7. D. de iuriſd. itaq; ſi plures petant, prætor magis idonem deliget. l. ſi plures 2. de popul. ac proinde nemo eam in bonis ſuis habere dicitur .l. pen. eod. l. ſi quis pro ep. 56. §. ult. de fideiuſſ. Coniunctim, ut ſepulchri uiolati. in quibus, is cuius maximè intereſt, præfertur, ac propterea conſtituere procuratorem poteſt. l. 3. eod. l. 3. de ſepul. uio. De iiſdem popularibus actionib. Zonaræ locus lib. 11. intelligendus eſt, ubi ſcribit Romulum eos omnes qui ętate militari eſſent, in Legiones diſtribuiſſe: τοῖς δὲ ἄλλοις, ĩquit, τῷ δήμῳ ἐκέχρητο, καὶ τὸν δῆμον ποπῦλον ὠνόμασεν. ὅθεν παρὰ ταῖς βίβλοις ταῖς νομικαῖς ποπουλάριαν ἀκ- καλεῖται ἡ δημοτικὴ ἀγωγή. quem locum ſic interpretor: Aliis uerò, pro populo (id eſt, pro urbana multitudine) eſt uſus: eosque populi nomine appellauit. qua de cauſſa etiam in libris ad leges pertinẽtibus, popularis actio uocatur, quę a Gręcis δημοτική nominatur. Sed eius loci fructus non ita magnus eſt.

Actio quanto minoris uide Quanto minoris, & Actiones ædilitiæ.

Actiones præiudiciales, uide præiudicium.

Actio præſcriptis uerbis. Ex conuentionibus iuris Gentium quibus cauſa ſubeſt, ita iure ciuili comprobatis, ut eis tamen neque nomen proprium dederit, neque certam actionis formulam conſtituerit, Iuriſconſulti olim litigatoribus actionis formulam ad id quod conuenerat accommodatam concipiebant, quæ in factum præſcriptis uerbis appellabatur. uti docent Iuriſconſulti ſub tit. de præſcrip. uerb. uide Præſcriptis uerbis actiones.

Actio pro ſocio, eſt actio in perſonam, per quam qui non fortuna, ſed uolũtate res communes habent, dirempta communione quod ex dolo culpave inter ſe debent, poſtulare poſſunt. l. 31. & ſeq. D. pro ſocio.

Actio Publiciana duplex eſt: & altera alteri ex aduerſo reſpondet. Prior ei conceditur, qui cum rem alienam iuſta ex cauſſa, bonaq; fide aliquandiu poſſediſſet, poſtea illam caſu amiſit. nam ſi is qui nunc poſſidet, dominus non eſt, Prætor ęquius eſſe cẽſet eum qui iuſta ex cauſſa illam acquiſiuit, quàm eum qui caſu eam nactus eſt, obtinere. Itaque permittit ei rem illam ita petere, quaſi iam uſucepiſſet. Poſterior autem aduerſo caſu datur, cùm quis aut Reipubl. cauſſa abſens, aut apud hoſtes per ſubiectas ſibi perſonas rem alienam uſucepit: & is cuius res uſucapta eſt, neminem in ciuitate nanſciſci potuit abſentis defenſorem, aduerſus quem agendo uſucapionem interrumperet. nam Prætor ei promittit, ita rem ſuam petere, quaſi uſucapta non fuiſſet. §. nanq; & §. ſeq. De actionib. l. prima, & paſſ. D. de publicia. in rem act. l. prima, & paſſ. D. ex quibus cauſ. maior.

Actio quaſi Seruiana, quæ Hypothecaria propriè uocatur, quemadmodum ſuperius demunſtratum eſt, eò dicitur, quia Seruiana de rebus coloni propriè inſtituta eſt: quas is pro mercedibus fundi oppigneraſſet. Aequitatis autem ratio poſtulauit, ut omnibus etiam aliis creditoribus daretur. Ergo inter Seruianam & Quaſi Seruianam triplex differentia eſt. nam illa de coloni, hæc de cuiuſuis alterius debitoris rebus inſtituta eſt. illa directa eſt, hæc utilis illa de rebus mobilibus, hæc de immobilibus conceditur. §. item Seruiana. de actionib.

Actio quod iuſſu dicitur, quæ aduerſus eum datur, cuius ſeruus ipſius iuſſu cum aliquo contraxit, ut ipſe in ſolidum quanti ea res eſt damnetur. nam qui cum ſeruo iuſſu domini contrahit, non ſerui, ſed ipſius domini fidem ſequi uidetur .l. 1. & paſſim, D. quod iuſſu.

Actio quod metus cauſa, eſt actio in perſonam, per quam is à quo per uím uel metum res extorta eſt, quadruplum ab eo qui rem extortam poſſidet, conſequitur. Eius autem natura tacitè continetur, ut qui Iudicis iuſſu rem ipſam actori reſtituat, abſoluatur: uti docet Imper. §. 26. De actionibus.

Actio Redhibitoria, uide Actiones ædilitiæ.

Actio rei uxoriæ, erat olim actio in rem, per quam uxor dotem ſuam ſoluto matrimonio repetebat. Dos enim (ut ſcribit Boetius) licet matrimonio conſtante in bonis uiri ſit, eſt tamen in uxoris iure, & poſt diuortium uelut res uxoria peti poteſt. Et Imper. l. penul. C. de iur. dot. Dos & ab initio uxoris fuit, & naturaliter in eius permanet dominio. non enim quòd legum ſubtilitate tranſitus earum in patrimonium mariti uideatur fieri, ideo rei ueritas deleta uel confuſa eſt. hæc illæ. Quòd ſi in danda dote interueniſſet ſtipulatio, eam dirempto matrimonio reditum iri, Ex ſtipulatu actio naſcebatur. quam ſulam Iuſtinianus illa ſublata ſupereſſe doti repetendæ uoluit: ſiue ſtipulatio interueniſſet, ſiue nulla aut inutilis interueniſſet. uti patet ex l. un. C. de rei uxor act.

Actio reſciſſoria, eſt in rem actio, quam Prætor ei, cuius rem aduerſarius dum ex iuſta cauſa abeſſet, uſucepit, reſciſſa pro imperio & pro nihilo habita uſucapione, concedit: ut eam rem nihilominus quàm ſi uſucapta non eſſet, uindicet. uti docet Imper. §. 5. De action. unde intelligitur, finem huic actioni non hunc eſſe

propoſitum

propoſitum, ut nſucapionem reſcindat: ipſum enim prætorem id pro imperio cauſa cognita facere: ſed ut res a poſſeſſore uindicetur. ut patet ex l.21.& l.22. D.ex quib.cau.maior.

ACTIO reſtitutoria dicitur, quæ in ueterem debitorem, pro quo mulier interceſſerat, ea muliere liberata reſtituitur. l.quamuis, 8.§.6.& 7. D.ad Velleian. l.8.C.eod.

ACTIO reuocandæ donationi dicitur, qua utitur is qui rem quampiam donauit, aduerſus eum cui donauit, ſi eum ingratum probauerit Rem enim donatam per hanc actionem recuperat. l.ult. C. de reuoc.donat.& §.2.De donat.

ACTIO Seruiana eſt, per quam dominus prædij eius rei, quam ei colonus pro mercedibus oppignerauit, poſſeſsionem ab eo qui eam tenet, uindicat. nam, ut ait Papinianus in l.66.D. de euict. etſi Seruiana in rem actio eſt, nudam tamen poſſeſsionem auocat.

ACTIO ſerui corrupti, competit in eum cuius hortatu conſiliove ſeruus alienus fugerit, aut contumax aduerſus dominum factus eſt, aut luxurioſè uiuere cœperit, aut denique qnolibet modo deterior factus ſit. in qua actione earum etiã rerum, quas fugiendo ſeruus abſtulerit, æſtimatio deducitur .l. prima & paſſ. D. de ſer. corrupt.

ACTIO Sequeſtraria, eſt actio in perſonam, per quam is qui rem aliquam litigioſam apud ſequeſtrum depoſuit, eam impleta depoſitionis conditione ab ipſo repetit. uti patet ex .l. 9. §. 2.D. de dolo malo. Pomp.l. ſi in Aſia. 12. D.depoſ. Cum ſequeſtre rectè agetur depoſiti ſequeſtraria actione. Vlpian.l.ſi quis.9.§.2. de dol. mal. Quoniam neque mandati, neque ſequeſtraria Seium conuenire potes,&c.

ACTIO ſubſidiaria dicitur ea quæ contra magiſtratus inſtituta eſt, qui aut omnino a tutoribus uel curatoribus ſatiſdari non curauerunt, aut non idoneè paſsi ſunt caueri. §. ſciendum. De ſatiſdatio. tut. l.prima,& quarta. D.de magiſt. conuen.l.1.§.7.D.de tut.& rat. diſt. nomen autem ex eo reperit. nam quemadmodum Subſidiarij propriè dicebantur Triarij, qui dum primus & ſecundus ordo pugnabant, ut ait Feſtus, ſubſidebant: eodem modo primo loco tutores, tum eorum fideiuſſores, poſtremò quaſi res ad Triarios pupillo redierit, magiſtratus conueniuntur.

ACTIO tributoria, eſt actio in perſonam, quæ in dominum datur, quo ſciente nnà cum ſeruo in merce peculiari contractum eſt, niſi res æquabiliter inter creditores partitus ſit: nimirum ut alia tributio fiat. l.1.& paſſ.D.de tribut.act.

ACTIO tutelæ & rationibus diſtrahendis eſt, quæ aduerſus tutorem in duplum datur, qui pupilli pecuniam intercepit, abſtulit, furatus eſt .l. tres tutores.55.D.de aminiſt.tut.l.1.§. Rationibus. D.de tut.& ratio. Diſtrahendis autem rationibus eodem modo dictum puto, ut Communi diuidundo, Finibus regundis, Familiæ erciſcundæ: pro ad diſtrahendas rationes, hoc eſt, ad ineundam ſubducendamque acceptorum expenſorumque rationem: & quia quod alteri ab altero debetur, id quaſi coniunctum & contractum eſt, ad coniunctionem illam diſtrahendã, & dirimendã. Fab.l.7.c.4. In tutelę iudicio, inquit, ſolet quæri, an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat: an fides præſtari debeat tantùm, non etiam conſilium & euentus.

ACTIO Vectigalis, eſt actio in rem, qua utitur is qui uectigalem fundum conduxit, aduerſus poſſeſorem & eos a quibus eum fundum conduxit. l.1.D.ſi ager uectig. Vlpianus l.15.§.13.D. de damno intec. Si de uectigalibus ædibus non caueatur, decernẽdum eſt, ut eodem iure eſſet, quo foret is qui non cauerat. poſt quod decretum uectigali actione uti poterit.

ACTIO uenditi, ſiue ex uendito, eſt actio in perſonam, per quã qui rem uendidit, precium, eiusque poſt rei traditionem, quamuis præcariam, uſuras, itemque ſumptus in rem factos, & quod inter contrahendum pactum ſit, poſtulat. uti docet Vlpian.l.13.§.17.D.de actio.empt.

ACTIO ui bonorũ raptorum eſt, per quam ab eo qui rem eripuit, quadruplum intra annum exigitur, in quo ſimplum ineſt: poſt annnm, ſimpluin duntaxat. ait Imperator, ſub titulo, Vi bon. rap. in principio,

ACTIO utilis, uide Vtiles actiones.

ACTOR, in iudicijs dicitnr quicunque cauſſam agit: quemadmodum actores in theatris, qui fabulas agunt. Cicero in Bruto, Eodem anno etiam Moloni Rhodio dedimus operam, & actori ſummo cauſſarum & magiſtro. Horatius in Arte, Conſultus iuris, & actor cauſarum mediocris. Terentius in Prol. Heautont. Oratorem noluit eſſe me, non prologum: ueſtrum iudicium fecit: me actorem dedit. Sed hic actor tantum poterit a facundia, quantùm ille potuit cogitare commodè, qui orationẽ hanc ſcripſit, quam dicturus ſum. Hæc propriè. Factum eſt autem loquendi conſuetudine, ut actores dicantur nunc ij tantùm, qui ad iudicium prouocauerunt. Cicero in Partit. Cùm eſt in inſiciando reus, accuſatori hęc duo prima ſint: ſed Accuſatorem pro omni actore & petitore appello. Idem etiam in uocabulo Reus uſuuenit.

ACTOR ſeruus dicitur idem qui diſpenſator, nimirum qui pecuniæ domini tum exigendæ, tum diſpenſandæ præeſt. l.quinta.§.tertio.D. de doli except. l.Sticho. 40.§. 3. D.de ſtatuliber. Hinc apud Vlpianum, Actor, pro ſeruo præſtantiſſimo & optimo, in l. legato, trigeſimoſeptimo D. de leg.& fid.lib.30. Legato generaliter relicto, ueluti hominis, nec optimus, nec peſsimus accipitur. Itaq; homine legato, actorem nõ poſſe

 eligi

eligi. Vide Diſpẽſator. Pla. Atrienſes appellat.

ACTOR dicitur qui & ſyndicus: id eſt, qui allorũ cauſſam agit. ut Cicero, cùm Siculorum cauſſam aduerſus Verrem agitet: Me, inquit, actorem delegerunt. Hinc, qui a municipijs, collegijs, alijsque corporib. actionum inſtituendarum cauſſa conſtituebantur, Actores a noſtris appellantur. Caius l. 1. §. 1. D. quod cuiuſq; uniuerſit. Quibus autem permiſſum eſt corpus habere collegij, ſocietatis, ſiue cuiuſque alterius eorum nomine proprium eſt, ad exemplum reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem, ſiue ſyndicum: per quem tanquam in repu blica quod communiter agi fieriq; oporteat, agatur fiat.

ACTOR publicus, ſeruus publicus. Tacitus lib. 2. Mancipari ſingulos actori publico iubet, ſcilicet ut in Libonem ex ſeruis ſaluo S.C. quæreretur.

ACTOR in tribus mixtis iudicijs dicitur, qui ad iudicium prouocauit. l. 13. D. de iudic.

ACTOR dicitur is, quem tutor uel curator ad agendum quaſi procuratorem auctore Prætore conſtituit. l. 1. C. De act. a tut. uel cur. l. tutor. 6. D. quand. ex fact. l. ſi actor. 10. C. de appellat. Ergo Curator ad patrimonij totius: Actor ad litium tantum adminiſtrationem inſtituitur. ille a magiſtratu deligitur: hic a tutore uel curatore proditur, a magiſtratu confirmatur. Tutor curatoris adiuncti ſibi periculũ nõ præſtat actoris uerò pręſtat. §. ult. de curat. ubi copioſius hæc expoſui.

ACTVARIVS, pro ſeruo publico. Tranquillus in Iulio: Quam orationem non immeritò Auguſtus exiſtimat magis ab actuarijs exceptam malè ſubſequent. uerba dicentis, quam ab ipſo editã.

ACTVM eſt, Donatus in Andr. In ſumma rerum deſperatione ponitur Actum eſt, Ilicet. Hæc res ſecundum ius ciuile dicitur: in quo cauetur ne quis rem actam apud Iudices repetat. Sic ipſe in Phormione: Actum, aiunt, ne agas. Idem in Adelph. Actum eſt, dicitur in ea re, de qua iã lata ſit ſententia.

ACTVS generale uerbum eſt, ait Vlpianus, ſiue uerbis, ſiue re quid agatur: ut in ſtipulatione, uel numeratione. Contractus autem ultrò citroq; obligatio, quod Græci συνάλλαγμα uocant, ueluti emptio, uenditio, locatio, conductio, ſocietas. Geſtus rem ſignificat ſine uerbis factam. l. 19. D. de uerb. ſignif.

ACTVS ab agendo dictus eſt: eſtque ſeruitus prædialis, quæ ius armentum gregemve per prædiũ alienum agendi complectitur. A uia autem & itinere hoc differt, quòd iter eſt proprium hominum, actus pecudum uia uehiculorum. unde ſequitur, ut itinere actus, actu uia latior atq; amplior ſit: homo enim tranſire per anguſtiorem aditum, quàm grex aut armentum poteſt. & rurſus grex per ſpacium anguſtius quàm uehiculũ. Quare qui actũ habet, habet & iter: qui uiam, actum & iter. at hoc non reciprocatur: tametſi quoniam is qui uehem ducit, iumentum agit. frequenter Agendi uerbo uia quoque continetur, ueluti ſi quis eundi agendi ſeruitutem promittat. hæc enim formula & pecoris coniuncti uehicularis actum complectitur. Itaque illud Seruij in quartum Aeneidos, intelligendum eſt: Via, inquit, eſt actus dimidius, quà poteſt ire uehiculum. nam Actus duo carpenta capit propter euntium & redeuntium occurſum. Atqui Varro in libris de ling. Lat. Viam octo pedes latam eſſe, dicit, Actum uerò quatuor duntaxat. quod Caius cõfirmat in l. 8. de ſerui. ruſt. Prędterea Iuſtinian. ſub tit de ſeruit. præd. Et iter, inquit, & actum in ſe uia cõtinet. Vſum ergo & loquendi conſuetudinem Seruius reſpexit: ſed in definitionibus ac differentijs proprietas uerborum explicanda eſt.

AD agnatos & gentiles, prouerbium eſt. è iure ſumptũ, cùm aliquem mente captũ eſſe ſignificamus, propter leg. 12. tab. Si furioſus exiſtet, agnatorũ gẽtiliũq; in eo pecuniaq; eius poteſtas eſto. Varro li. 1. De re ruſt. de uitib. loquens: Duo in primis ſpectaſſe uidentur Italici homines in colendo: poſsent ne fructus pro impenſa ac labore reddere: & utrum ſaluber locus eſſet an nõ: quorum ſi alterutrum de collar, & nihilominus uult colere, mente eſt captus, atque ad agnatos & gẽtiles eſt deducendus. Columel. li. 1. Porcius quidem Cato cenſebat in emẽdo agro inſpiciẽdoq; præcipuè duo eſſe conſideranda, ſalubritatem cœli, & ubertatem loci: quorum ſi alterutrũ deeſſet, & nihilominus uellet incolere, mente eſſe captum, atque ad agnatos & gentiles deducendũ.

AD beſtias dari, bifariam uſurpamus, primùm de dãnatis, qui lacerandi beſtijs obijciuntur. l. quòd ad ſtatum. 12. D. de pœ. l. 1. D. de ueter. l. 8. D. de falſis. Itaque ad beſtias damnati crebrò dicuntur: ut in l. ad beſtias. 31. D. de pœn. l. 6. D. de pecul. l. eius qui. 8. in fi. D. de teſt. Tum præterea de ijs qui operas ſuas ut cum beſtijs pugnent, locare conſueuerant: quos Cicero in Sexſtiana Beſtiarios appellat. Sic accipienda lex 1. D. de ædil. edict. l. 3. §. lege Iul. D. de teſtib. l. 4. D. de accuſat. l. 1. §. qui operas. D. ad Tertull.

ACTVS, diſpenſatio, adminiſtratio pecuniæ. Scæuola l. 40. §. 3. D. de ſtatu lib. Stichus ſeruus meus actor, ſi rationem omnem actus ſui hæredi meo reddiderit, liber eſto.

ACVISSE uinum dicitur ab Vlpiano in l. 1. D. de peric. & comm. rei uend. quod in acetum degenerauit. Si uinum uenditum acuerit, inquit, uel quid aliud uitij ſuſtinuerit, ẽptoris erit dãnũ.

ACVS cum margarita quam mulieres habere ſolent, enumerantur ab Vlpiano in l. argumento, 25. §.

25.§.ornamentorum.D.de aur.& arg. Itaque Feſtus: Acus dicitur,inquit, qua ornatrix utitur. 1. Pertinebat autem ad comam exornandam. Hinc illud Martial.

Figat acus tortas,ſuſtineatq; comas.

Et Tertullianus de pœnit. Cedo acum crinibus diſtinguendis, & puluerem dentibus elimandis.

ACTVARIA nauis,uide Naues actuariæ.

AD manum,in promptu:quod Vlpianus dixit,pręmanu. Africanus l.19.§.2.D.ad S.C.Vell. Ego, quia ad manum nummos non habebam,ſtipulanti tibi promiſi.

AD Sabinum,Ad Plautium,Ad Vrſeium Ferocē, Ad Minicium,Ad Q.Mutium, quum in Pandectis legimus, hoc intelligimus,Ad libros Sabini, Plautij, Vrſeij, Minicij,Mutij.Et ferè notæ ſunt poſteriorum Iuriſcōſultorum,qui ueterum ſcripta uel corrigunt,uel interpretantur: ut patet ex l.18.De hæred. inſt.l.140.de uerb. obli.l.24.de inſtit.uel inſt.l.48.D. de iur. dot. & l.8.10.34. D. de aur. & arg. & mund. itemq; locis innumeris.

AD urbem magiſtratus dicebantur, qui cum poteſtate prouinciali,aut nuper è prouincia reuertiſſent,aut nondum in prouinciam profecti eſſent, ſed extra urbem manerent:ut in Verrin.111.explicauimus.

ADDICERE, uerbum eſt ſummum è tribus Prætorijs:hoc eſt ex illis tribus,quibus uniuerſum Prætoris imperium ac poteſtas continebatur: Do, Dico, Addico.nam addicendo ius faciebat:uelut i cùm in ceſsionib.addicebat: cùm in uindicijs, cùm in bonorum poſſeſsionibus: item cùm aliquem ſuis creditoribus in ſeruitutem addicebat, aut furioſum atque a mētem cauſſa cognita decernebat.

ADDICERE in bonorū ceſsionibus. Vide Ceſsio.

ADDICERE bona,meo iudicio, Prætor tum dicitur, cùm aut ſecundo decreto bonorum poſſeſsionem largitur,hoc eſt,poſsidere iubet:aut cùm eius bona qui iudicatum facere non poteſt,petitori attribuit. De priore exemplum eſt in Verrina 111. Domus erat plena:noua iura,noua decreta,noua iudicia petebantur: mihi det poſſeſsionem,mihi ne adimat:in me iudicium ne det, mihi bona addicat. De poſteriore apud Plautum in Pœnulo:

Quid tu dubitas, quin extemplo tibi
Duplicet,ubi auri & hominis fur leno ſiet,
Neque id unde efficiat, habet: ubi in ius uenerit,
Addicet Prætor familiam totam tibi.

Vtriuſq; exemplum eſt in Verrina 11. Simul in iure dicendo bonorum poſſeſsionumq;, contra omnium inſtituta addictio & condonatio.

ADDICERE dementem & inſanum rationibus neceſſarijs, Cicero in Paradoxis translatè dixit,conſuetudinem Prætoris exprimens, qui legis XII. tab.imperio furioſos & dementes eorumq; familiam,id eſt,fortunas omnes agnatis gentilibusq; addicebat. Ego uerò (inquit, de Clodio amico ſuo ſentiens)te non ſtultum,ut ſæpe, non improbum,ut ſemper, ſed dementem & inſanum rationibus addicam neceſſarijs.

ADDICERE litem, in XII.tabulis, pro ſecundum aliquem iudicare. Gell.li.17.c.2. Poſt meridiem præſenti litem addicito.

ADDICERE proprium eſt Prætoris, rem alicui ut eius fiat pro poteſtate attribuentis. Traductū poſtea uerbum in magiſtros auctionum: a quibus in eos qui rem, niſi precium intra diem.certum augeatur,emptori attribuunt, poſtea deriuatum eſt. Hinc tit.lib.Pand.XVIII. De in diem addictione: quum uenditor ea conditione rem emptori addicit ſi intra certum tempus nulla ad precium fiat adiectio. Ad eam Plautus alludit in Captiueis:

Age ſis roga emptum:niſi quis meliorem afferet,
Quæ tibi atq; amicis placeat conditio magis.
Quaſi fundū uēdam,meis me addicā legibus.

Alloquitur Aegio Paraſitum, cui cœnam promittit.ſed parcam:quare illum monet, ut ſi melior offeratur,arripiat.

ADDICTI dicebantur apud ueteres, qui pecuniæ damnati quòd iudicatum facere non poſſent, ne xi iu ſeruitutem creditoribus addicebantur. ut ille Veturius,de quo ſcribit Val.Max. li. 6. cap.1. Quintil. lib.5. Quod autem proprium non erit, differens erit:ut aliud eſt ſeruum eſſe, aliud ſerui re:qualis eſſe in addictis quæſtio ſolet. Qui ſeruus eſt,ſi manumittatur,fit libertinus: non item addictus.Et lib.7. Seruus quum manumittitur, fit libertinus: Addictus, recepta libertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non conſequetur: Addictus, ſoluendo citra uoluntatem domini conſequetur. Ad ſeruum nulla lex pertinet: addictus legem habet. Propria liberi, quæ nemo habet niſi liber, prænomen,nomē,cognomen, tribum: habet hæc addictus. Cicero pro Flacco, Iſte cùm iudicatum nō faceret,addictus Hermippo,& ab hoc ductus eſt. Hoc autē quoddam ſeruitutis genus fuiſſe, argumento eſt Liuij locus ex l.VI. quē ſubijciam: Tum uerò ego,inquit, necquicquam hac dextra Capitolium arcemq; ſeruauerim, ſi ciuem commilitonemq; meum tanquam Gallis uictoribus captum in ſeruitutem ac uincula duci uideam. Inde rem creditori palàm populo ſoluit: libraq; & ære liberatum emittit.

ADDICI iudex, pro dari à Prætore,& certæ controuerſiæ diſceptandæ attribui, apud Papinianū in leg.cum furioſus,39.Paulum in l.Iudex,46.& Pomponium in leg. ſi in iudicis,80.D. de iudic. Itàque legitur in Florentinis libris: cum in alijs

Additus

Additus legatur. item ut apud Paulum in l. debi
tor,59.in fi. D.ad Trebell.& leg.4. in fi. De eo
quod certo loco.

ADDICI bona libertatis cauſſa in iure legimus
multis locis,ut l.ult.C.de teſtam. manum.l.2.&
4.D.de fideic.lib.& apud Imp. De eo cui libert.
hoc autem ſic intelligendũ eſt, ut cui hæres non
extat,eius bona cuiuis, qui ſe æs alienum ſolutu-
rum caueat, libertatum conſeruandarum cauſſa
attribuantur:ut etiam ſeruorum manumittendo
rum,ſi conſentiant,patronus efficiatur. quòd ſi
fiſcus uacantem hæreditatem occupet, liberta-
tes,præſtet.quod ius à D.Marco inſtitutum tra
ditur in l.6.& ult.C.de teſt.manum.

AD AERARE,æſtimare: quaſi ad æris præcium redi
gere. Vnde Adærata prædia, ex quibus æs certũ
præſtabatur.l.1.C.de collat. donat. poſſ.li.x.Vn
de Adhæratio, æſtimatio ad æris precium.l.ult.
C.de milit.ueſt.l.14.C.de erogat.milit.

ADEMPTIO legatorum dicitur, cùm teſtator ea
legata quæ alicui attribuerat, adimit:uel his uer
bis,non do,non lego: uel alijs mutatam teſtato-
ris uoluntatem ſignificantibus. l. 1.& poſſ.D.de
adim.& transf.leg.

ADIECTIO,melior conditio:quum quis rei uendi
tæ intra præſtitutam diem precium uel pecunia
uel qua alia ratione adauget. Vlpian.l.4.D.de
in diem adict. Si res in diem addicta intercide-
rit, uel ancilla deceſſerit,an partus uel fructus
eius nomine adiectio admitti poſsit: id eſt pre-
cij amplificatio. Item l. 10.& 11.& alibi perſæ-
pe,ſub eodem tit.

ADIGERE arbitrium,uetus locutio,pro Agere ad
arbitrium. Vtrunq; autem dicimus, Arbitrium
adigere,& Arbitrum adigere. & eſt ſimilis ſigni
ficatio quæ illius,Agere in iudicium, uel ad iudi
cium.Cicero pro Q.Roſcio,Quæ quum ita ſint
cur non arbitrium pro ſocio adegeris Q. Ro-
ſcium,quæro.Idem lib. De offic. 3. Itaque Cal-
purnius quum demoliturus eſſet, cognouiſſetq;
Clodium ædes poſtea proſcripſiſſe quàm eſſet
ab Auguribus demoliri iuſſus, arbitrum illum
adegit, Quicquid ſibi dare facere oporteret ex
fide bona. Et in Topicis, Quemadmodum ſi in
urbe de finibus controuerſia eſt, quia fines ma-
gis agrorum uidentur eſſe, quàm urbis, finibus
regundis adigere arbitrũ non poſsis: ſic ſi aqua
pluuia in urbe nocet, quoniam res tota magis
agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non
poſsis arbitrum.

ADIRE & cernere hæreditatem,itemq; pro hę
rede gerere,hæredis eſt alieni: Immiſcere, ſui ac
neceſſarij. Nam ille aliunde ad alienam familiam
accedebat: eoq; his utebatur uerbis, Quum me
Mæuius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem
adeo cernoq;:ut ait Vlpianus tit. 22. At filiusfa.
permanebat, neq; aliud quippiam moui cœpta-
bat, niſi quòd quas res antea non attigerat,
earum ſe liberæ, adminiſtrationi tum immi-
ſcebat.

ADIRE & repudiare dicitur hæres qui alienus
ac uolũtarius eſt: Immiſcere & abſtinere, qui ne
ceſſarius. apud Imp. §.6. De hæred.qualit.

ADIVDICARE eſt, non (ut in actionibus in rem
fieri ſolet) declarare & pronunciare aliquem ali-
cuius rei dominum eſſe,ſed rei dominium alicui
iudicio ſuo attribuere. quod iudicibus mixtarũ
actionum permittitur.uti docet Imp. ſub ti. De
offic.iud. unde rectiſsimè colligimus, horum iu
dicum atque arbitrorum ſententias ius facere,
dominiumq; transferre. Id enim eorum officio
continetur, ut ait Vlpianus l.22.& alibi perſæ-
pe,D.famil.erciſc.

ADIVDICARE & abiudicare contraria ſunt. Cice
ro contra Rullum ad Quirit. Volet eſſe popula-
ris, populo R.adiudicabit. non ſumet ſibi tantũ
non appetet: iudicabit Alexandriam Regis eſſe,à
populo R.abiudicabit.

ADIVDICARE apud Scæuolã l.21.§.3.D.de anni.
leg. ubi Præſes prouinciæ ex nominibus hæredi-
tariorum debitorum eligit idonea nomina,& in
cauſam legati Reip. adiudicat. poſt cuius ſenten-
tiam Reſpublica a pleriſq; adiudicatis ſibi pecu-
nias percipit. Adiudicat,id eſt,iudicio attribuit,
aſsignat,proprium eſſe decernit.

ADIVDICARE cauſſam alicui,ſecundum aliquem
iudicare.Cicero de Orat. 11. Nam hoc neceſſe
eſt,ut is qui nobis cauſſam adiudicaturus ſit, aut
inclinatione uoluntatis propendeat in nos, &c.
Cicero de Ora.11. Qui locus eſt talis,ut plus ha
beat adiumenti,quàm incommodi, hunc iudico
eſſe diſcendum:ubi plus mali, quàm boni repe-
rio,id totum abiudico atque reiicio.

ADIVTOR tutelæ dicitur,quem (ut ſcribit Pompo
nius) ſolet Prætor permittere tutoribus conſti-
tuere,qui non poſſunt ſufficere adminiſtrationi
tutelæ:ita tamen ut ſuo titulo eum conſtituant.
l.ſolet,13.D.de tutel.

ADMISSIONALES dicebantur, qui admittendis,
ſiue introducendis ad Imp.hominib.præerant.l.
ult.De diuerſ.off.lib.Cod.12.Lamprid.in Alex.
Salutabatur uerò quaſi unus de ſenatoribus, pa-
tente uelo,admiſsionalibus remotis.

ADNEPOS, adneptis: hi ſunt, abnepotis uel ab-
neptis filius, filia: pronepotis uel proneptis ne
pos,neptis.l.1.§.5.& l.ult.§.adnepos.D. de gra-
dibus.

ADNOTARI dicitur, qui abſens in reos refertur.
nam in grauioribus criminibus Magiſtratus qui
abſentem in reos recipiebat, edicta propone-
bat, quibus illi denunciabat fore,ut niſi intra an
num adeſſet,eius bona confiſcarentur, uti Mar-
tianus docet l. 1.& 2. D.de requir.uel abſent.
Hinc,

ADNOTATIO apud Macrum in l.4.eod.tit.illa in
reos relatio.

ADNOTATVS

ADNOTATVS cenſibus in l.quiſquis,16.C.de epi. & cler.idē qui Aſcripitius. Nam in l.ſi quis,20. cod.Cenſibus aſcriptus appellatur.

ADNOTARE quoque eſt cum præſes notat qua quemq; damnatum pœna dignum cenſeat, idq; ad Imperatorem reſcribit.l.1.D.quand.appell.l. 6.§.præſides.D.de interd. & releg.l.1.§.1.D.nihil innouand.Plin. lib. epiſto.x.Fuerunt ſimilis amentiæ,quos quia Romani ciues erant, adnotaui in urbem remittendos.

ADOLESCENS à noſtris dicitur, qui inter annum decimumquartum & uiceſimumquintum ætatē agit.nam ante decimumquartum pupillus appellatur. Hinc titulus Rem pupilli uel adoleſcentis ſaluam fore. lib.Dig.46.uide Aetatis gradus.

ADOPTATITIVS, ex adoptato filio natus Feſtus.

ADOPTIO nomen generale eſt, cuius altera ſpecies Adoptio, altera Arrogatio appellatur. illa, quum eos qui in parentis poteſtate ſunt, imperio Magiſtratus adoptamus:hæc, quum eos qui ſui iuris ſunt, & principis auctoritate.l.2.D.de adoptionib.

ADOPTIO eſt actus legitimus, per quem extraneus in alienam familiam iusque filijfam. ſuſcipitur. Dixi, Actus legitimus, Papinianum imitatus in l.77.D.de reg.iur.quia non moribus, ſed lege duodecim tabularum inſtitutus eſt. Dixi, Extraneus, eum ſignificans qui ſuus non eſt:ſiue planè ſit extraneus, ſiue etiam agnatus. Dixi,In ius filijfam. quia nullius alterius cognationis ius quæri per adoptionem poteſt. Eſt igitur adoptare idem quod optione facta deligere, atque in familiam ſuam adiſcere.quemadmodū cooptari in ſenatum dicebantur,qui delecti à Cenſoribus in Senatorum numerum referebantur.

ADOPTIO,inquit Caius in Inſtit. eſt naturæ ſimilitudo,ut aliquis filium habere poſsit, quem non generauit.

ADOPTIONIS duæ ſunt ſpecies. nam quum in familiam, inq; liberorum locum extranei ſumuntur, aut per Prætorem id fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, adoptio dicitur: quod per populū,arrogatio.Adoptantur autem,cùm à parente,in cuius poteſtate ſunt, tertia mancipatione in iure ceduntur: atque ab eo qui adoptat, apud eum penes quem legis actio eſt, uindicantur.Arrogantur ij, qui quum ſui iuris ſint,in alienam ſeſe poteſtatem tradunt: eiusq; rei ipſi auctores fiunt. Sed arrogationes non temerè nec inexploratè committuntur. Nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ Curiata appellātur.Aetas quoque eius qui arrogare uult, an liberis poſtea gignundis idonea ſit: bonaq; eius qui arrogatur,ne inſidioſè appetita ſint,conſideratur. Iusq; iurandum a Q.Mutio Pontifice Maximo conceptum dicitur, quod in arrogādo iuraretur. Sed arrogari non poteſt,niſi iam ueſticeps. Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per populi rogationem fit.eius rogationis uerba hæc ſunt: Velitis, iubeatis,ut L. Valerius L. Titio tam iure legeq; filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matreq; familias eius natus eſſet:utique ei uitæ necisq; in eum poteſtas ſiet,uti pariēdo filio eſt.hoc ita,ut dixi,uos Quirites rogo. Hæc ex Gellio lib.5.cap.19.

ADOPTIO, inquit Theoph.eſt actus legitimus naturam imitans,ad eorum qui liberos non habēt, ſolatium inuentus.§.1.De adopt. Verùm utrum hoc ex Accurſij gloſſa ſumptum eſt,& ex Placentini Ioanniſve commentarijs, ut Theophilus illorum ætate poſterior eſſe uideatur: an contrà tum illi,tum hic noſter ex tertio quopiam,cuius Latina extaret hæc definitio,totum hoc exſcripſerunt.

ADPLVMBATVRA & Ferruminatio ſic differunt, quòd hæc per eandem materiam facit confuſionem:illa non idem efficit, ſed coniungit & connectit tantum: ait Paulus in l.in rem,23.§.4.D. de rei uindic.

ADPROMISSOR eſt, qui quod ſuo nomine promiſit,idem pro altero quoque promittit: inquit Feſtus quo tamen loco haud ſcio an uox ALTER deſideretur:ut locus ſic legatur: QVI QVOD ALTER SVO nomine promiſit. nam Pomponius in l.5.§.2.De uerb.oblig.Satiſacceptio, inquit,eſt ſtipulatio, quæ ita obligat promiſſorē, ut ad promiſſores quoque ab eo accipiantur: id eſt, qui idē promittant. Item Vlp.l.in omnibus, 43.D.de ſolut.In omnibus ſpeciebus ſtipulationum etiam acceſsiones liberantur: puta ad promiſſores,hypothecæ, pignora. Quibus ex locis conſtat,Adpromiſſorem eundem eſſe qui & fideiuſſor dicitur.l.ſi uerò.D.ſolut.mat.

ADSCRIBERE ſibi in teſtamento dicuntur, qui alieno in teſtamento ſibi aliquid quaſi a teſtatore attributum uel ſua, uel eorum qui in ſua parte ſunt,manu adſcribunt.unde tit. De his qui ſibi in teſt.adſcrib.

ADSCRIPTI,inquit Feſtus,dicebantur,qui in colonias nomina dediſſent,ut eſſent coloni.Hinc adſcriptitij ſerui dicti ſunt, certis colonijs ſic attributi,ut ijs adhæreſcerent, quaſi poſſeſsionum ipſarum pars eſſent: bonaq; omnia dominis prædiorum acquirerent. l.6.& paſſ.C.de agri col.& cenſit.

ADSERERE,uide Aſſerere.

ADSESSORES,uide Aſſeſſores.

ADSIGNARE Inſtrumento,pro ſubſignare, apud Scæuolam l.20.D.de auct.& cont.tut.

ADSISTERE,quod Cicero Adeſſe: patrocinari,aduocatū eſſe. Vlpianus l.54.D. De rei uendi. Nec propterea quis, ſi poſtea cognouerit rem ad ſe pertinere,quòd alij eam uindicanti ſuam eſſe adſiſtebat,dominium ſuum amiſit.

ADVENA eſt, quem Græci ἄποικον appellant: ait Pompon.l.239.§.4.D.De uerborum ſignif.

ADVENTITIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Adventitia dicuntur, quæ fortuitò & aliunde quàm ex uſitata conſuetudine manarunt. Itaq; de teſtamẽtaria hæreditate Cicero loquens Verrina t i i. Homo Ligurem accuſare uenit, qui in re aduentitia atque hæreditaria tam diligens, tã attentus eſſet. Item in Orat. pro Poſthumot Aduentitia pecunia petitur ab eo, cui ſua non redditur. Sic Iuriſconſulti Aduentitium peculium, itẽ Aduentitiam dotem appellant eam, quæ aliunde quàm à patre profecta eſt. uide Peculium, itẽ Dos. Sic Aduentitium lucrum in l. non debet, 41. D. de reg. iur. In re obſcura melius eſt fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro.

Adventitivm peculium, uide Peculium.

Adversaria dicuntur tabulæ ad quotidianum uſum paratæ, in quibus curſim & negligenter ea ſcribimus, quæ poſt accuratius in certas & perpetuò manſuras tabulas ordine ac diſpoſitè perſcribimus: deductaq; ex eo appellatio uidetur, quòd ibi ſtatui ſoleant, ubi nobis aſsiduè obuerſentur: quaſi aduerſus nos poſita. unde etiam aduerſarij dicti, quaſi in quos perpetuò incurramus, uel qui ſe nobis aſſidue opponant. hoc. n. propriè aduerſari ſignificat. Cicero pro Q. Roſ. Non habere ſe hoc nomen in codicem accepti & expenſi relatum confitetur, ſed in aduerſarijs patere contendit.

Adversvs, inquit Feſtus, aut contrarium ſignificat, aut idem quod Erga. Et Chariſius, Aduerſus, inquit, ad animi motum refertur: ut, aduerſus illum facio. Interdum autem promiſcuè accipitur. Hinc

Adversvs, pro ſecundum. Vlpian. tit. 20. Qui dedititiorũ numero eſt, nec quaſi peregrinus teſtari poteſt, quoniam nullius certæ ciuitatis ſit, ut aduerſus leges ciuitatis ſuæ teſtetur. Item tit. 28. Bonorum poſſeſsio datur, aut contra tabulas teſtamẽti, aut aduerſus tabulas inteſtati. quod paulo pòſt interpretatur Secundum tabulas. & Caius l. 5. D. de uſurpat & uſucap. Naturaliter interrumpitur poſſeſsio, quum quis de poſſeſsione ui deijcitur, uel alicui res eripitur. quo caſu non aduerſus eum tantum qui eripit interrumpitur poſſeſsio: ſed aduerſus omnes. id eſt, ipſius commodo, ſed omnium.

Advlter & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum ſe conferunt. Feſtus.

Advlterivm & ſtuprum differunt. nã propriè, inquit Papinianus, adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine: ſtuprum uerò in uirginem, uiduamve cõmittitur. quod Græci φθορὰν apellant. l. 6. §. 1. D. ad leg. Iul. de adulter. Hinc

Advlterare pro corrumpere. ut, adulterare monetam, in l. aut facta, 16. in fi. D. de pœn. adulterare rationes. in l. 1. D. de ſeruo corrupt. Hinc

Advlterinvm, pro corruptum. ut Adulterini nummi, paſſ. ſub tit. ad leg. Cor. de Falſ. adulterinæ ſtateræ, l. 6. §. ult. D. de extraord. criminib. adulterinum teſtamentum, l. 6. D. ad leg. Corn. de Falſ.

Advocare generaliter, ſignificat cõuocare. propriè aũt ad ius ptinet: & ſignificat, hoĩes uel patrocini, uel cõſilij, uel teſtimonij cauſſa conuocare. Hinc Aſconius Verrin. 1. Aduocatum in iudicio dicit eum eſſe, qui uel ius ſuggerit, uel præſentiã ſuam amico commodat. etenim moris erat in iudicijs tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum auctoritate moueri poſſe iudices putabantur: ut in ea pro Quintio docuimus. Hinc Vlpianus in l. 1. §. aduocatos. D. de extraod. criminibus. Aduocatos ſcribit accipiendos omnes omnino qui agendis cauſsis quoquo ſtudiò operantur. Quanquam Aſconius illo eodem loco patronum definiat eũ, qui orator eſt, & uerba facit: & Vlpianus in l. 1. D. de præuaric. mater. in l. 3. eod. tit. Patronum ab Aduocato diſtinguat: generaliter tamen ſæpe uſurpatur. ut cùm legimus Aduocationibus interdicere. l. octaua D. de poſtulat. l. nona. D. de pœn. Aduocationes poſtulare. l. 23. §. 4. D. ex quib. cauſ. maior. Aduocationem ſuſcipere. l. 9. D. de offic. præſid. Atq; hæc quidem de patrocinij & conſilij aduocationibus. Teſtimonij autem cauſſa cõuocatos, uulgò Aduocatos dici patet ex orat. pro Cæcina, ubi Aduocati dicuntur ij qui in rem præſentem deducebantur, ut de ui moribus facienda teſtes eſſent. Patet etiam ex Pœnulo Plauti, ubi certis aduocatis præſentibus Agoraſtocles ſuum apud lenonem ſeruum & pecuniam deprehendit. Pomponius l. 18. D. rat. rem hab. Prout interſit agentis quòd litigat, quòd conſumit, quòd aduocat, quòd damnatus ſoluit. Niſi fortè Aduocat pro aduocatos iuriſperitos conſulit. ſed ſuperior magis arridet. Hinc enim Aduocatio apud Marcianũ in l. 1. D. ad leg. Corn. de fal. Item, inquit, ob inſtruendam aduocationem, teſtimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit. Et Hermogen l. 20. eiuſdem tit. Falſi pœna coercentur, & qui ad litem inſtruendam aduocatione, teſtibus, pecuniam acceperunt. Non igitur ij Plautini aduocati tenebantur, qui ab Agoraſtocle ſine mercede dimiſsi, inter ſe illud admurmurabant,

> Iniuriam illic inſignitè poſtulat;
> Noſtro ſibi ſeruire nos cenſet cibo.

Verùm ut de re dicamus, Locus ille ſignificare uidetur Aduocationes fuiſſe hominum iuris nõ imperitorum: teſtes uerò, quorumuis.

Aedes ab aditu: quòd plano pede adibant. itaq; ex ædibus efferri præco etiam eos dicit, qui è tabernis efferuntur, & omnes in cenſu uillas, inde etiã dicimus ædes. Hæc Varro lib. de ling. I I I. Feſtus autem ſic: Aedes, domicilium in aditu poſitum ſimplex, atque unius aditus. Florentinus autem in l. fundi, 2 1. Digeſt. de uerb. ſignif. In uſu, inquit, urbana ædificia, ædes: ruſtica, uillę dicuntur.

cuntur. Quod etiam Cicero & alij obſeruant. Duobus autem ædes conſtant: ſolo ſiue area, & ſuperficie. l. ſolam, 49. D. De rei uind. l. eum qui, 23. D. de uſurpat. l. ſi fundum, 81. §. 3. D. de legat. primo.

AEDICVLA, ædis ſacræ particula, alicui Deo propriè dicata, quæ & cella dicitur. Paulus l. 9. Digeſt. de leg. Iul. pecul. At qui priuata ſacra, uel ędiculas tentauerint, amplius quàm fures, minus quàm ſacrilegi merentur. Liuius libro 35. Iiſdē dem diebus ædiculum Victoriæ uirginis propè ædem Victoriæ M. Portius Cato dedicauit bien nio poſtquam uouit.

AEDILES, Vide in appendice Indicem magiſtratuum.

AEDILITIAE ſtipulationes dicūtur, quæ ab ædilibus ex ipſorū officio ac iuriſdictione decernūtur ijs in rebus, quarum ipſi iuriſdictionem habent. l. ſtipulationum, 5. D. de uerb. oblig. & l. ſi uenditor, D. de ædil. edict.

AENVM Paulus in l. cum de Canionis, 18. §. 2. D. de inſtit. leg. dicit eſſe uas, quod ſupra focum pendet, in quo aqua ad potandum caleſit.

AEQVVM dicitur, quod uſque quaque par & ſimile eſt. proprieq; in eo magiſtratu dicitur, qui nō uariè ius dicit: ut potentibus aliter, tenuibus uerò & infimæ ſortis hominibus aliter: ſed pariter æquabiliterq; omnibus. Cicero in ea pro Muræna, Huius ſors ea fuit quam omnes tibi optabamus, iuris dicundi, in qua gloriam conciliat magnitudo negocij: gratiam, æquitatis largitio. qua in ſorte ſapiens Prætor offenſionem uitat æquabilitate decernendi, beneuolentiam adiungit lenitate audiendi: Itaque propriè nihil aliud Aequum, aut Aequitatem eſſe, quàm ius, facilè mihi perſuadeo. uideoq; Ciceronem in Partit. ſic uſurpaſſe, Aequitatis, inquit, uis eſt duplex: cuius altera directi, & ueri, & iuſti, & (ut dicitur) æqui & boni ratione defenditur: altera, &c. Cùm autē benignius aliquanto & mitius ageretur, Aequū bonum, pro Ius benignum quaſi prouerbii figura dictum puto. nam Bonum, benignum eſſe, & Iouem optimum dici, quaſi beneficentiſſimum, nemo neſcit. Hinc illa formula Aequum bonū, & Aequius melius in arbitrio rei uxoriæ: ut ipſe in Offic. ſcribit. Sic in Bruto, Deinde æquum bonum, teſtamentum, ſententias uoluntateſq; tutatus eſt. Hinc ſenſim conſuetudine loquendi Aequum & bonum coniunctim, tandem etiam ſeorſim Aequum. Terētius, Nimium ipſe durus eſt, præter æquumq; & bonum. ubi Donatus, Potuit, inquit, ET, non addi: Præter æquum bonū. Cicero in Bruto, Craſſus multa contra ſcriptum pro æquo & bono dixit. Et pro Cæcina, Ex æquo & bono, nō ex callido uerſutoq; iure rem iudicari oportet. Imp. l. 1. C. de legib. Inter æquitatem iuſq; interpoſitam interpretationem, nobis ſolis: & oportet & licet inſpicere. Hinc illa definitio apud Vlp. in l. 1. D. de iuſtit. & iur. Ius eſt ars æqui & boni: hoc eſt, Diſciplina iuris, eſt diſciplina controuerſias ex bono & æquo diſceptandi. Hinc illud Cōſtantini in l. 8. C. de iudic. Placuit in omnib. rebus præcipuam eſſe iuſticiæ æquitatiſq; ſcriptæ, quàm ſtricti iuris rationem. Hinc Paulus in l. quod ſi, 24. De minorib. Non ſemper, inquit, ea quę cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, ſed ad bonum & æquum redigenda ſunt. Suetonius in Claudio: Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemq; multarum ex bono & æquo perinde ut afficeretur, moderatus eſt.

AEQVA lance ſeruari Modeſtinus dixit in l. non tantum, 20. D. de re iudic. prouerbiali loquendi genere, pro pariter æquabiliterq;, ut apud Græcos ἰσορροπῶς: Maritus, inquit, in quantum facere poteſt condemnandus eſt: quod & in perſona mulieris æqua lance ſeruari æquitatis ſuggerit ratio. Sic Imp. in l. cum quis, 10. in fi. D. de natur. lib. Quapropter, inquit, ſancimus, in huiuſmodi caſibus omnes liberos ſiue ante dotalia inſtrumenta editi ſint, ſiue poſtea, una eademq; lance trutinari.

AEQVITATEM Iuriſconſulti aliam naturalem faciunt, aliam ciuilem. Naturalis eſt, quam uniuerſum genus hominum ſocietatis communis retinendæ cauſa, ſola natura duce ac magiſtra conſtituerunt. ueluti depoſitum reddere, emptorem acceptare precium ſoluere: & uiciſsim uenditorem accepto precio rem tradere, mercedem operario pendere. Ciuilis autem dicitur, quam non omnes homines, ſed unius tantum ciuitatis participes, ſolius ſuæ ciuitatis cauſſa conſtituerunt: ueluti ut ſi reus capitalis iudicij aliquid apud me depoſuerit, id in publicum referam. Vtriuſq; autem exemplum eſt præclariſsimum apud Triphon. l. 31. D. de poſ. & l. 1. D. ſi is qui teſtam. lib.

AERARIVM, in æde Saturni Romæ, ubi tum quæ ſignata in urbe fuerat, tum quæ ex uectigalib. deportata pecunia erat, recondebatur. cui tum Tribuni, tum Quæſtores ærarii præerant: & quæ pecunia ab Senatu alicui attributa erat, eam illi adnumerabant. Differt autem a fiſco ſic, ut illud populi, hic Principis dicatur. Interdum tamen

AERARIVM & fiſcus pro eodem uſurpantur. Marcianus l. 1. §. 5. D. de leg. Cor. de Falſ. Qui officio depoſito non reſtituerunt tutelam, cum fiſco contrahere non poſſunt. ac ſi quis aduerſus hanc legem profectus ærario obrepſerit: ut perinde puniatur, ac ſi falſum commiſiſſet. Paulus l. 13. D. de iur. fiſci, Si quis antequam cauſſa eius ad ærarium deferatur, profeſſus eſſet, eam rem quā poſsideret capere ſibi non licere: ex ea partem fiſco inferet.

AEROSA pecunia, ære mixta. Scæuola l. 102. D. de ſolut.

ſolut. Creditor oblatam à debitore pecuniam, ut alia die accepturus diſtulit, mox pecunia, qua illa Reſp. utebatur, quaſi ærosa iuſſu principis ſublata eſt. Sic Plinius aurum ærosum dixit lib. 33. cap. 5.

Aes nunc generale nomen eſt, pro quouis pecuniæ ſignatæ genere. quia primis temporibus Romani æreis numis uſi ſunt. Hinc Vlpianus, Etiã aureos numos, inquit, æs dicimus. l. etiam, 159. de uerb. ſign. Et Seneca lib. de Benef. v. Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum: quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum pecuniæ numeratæ præſtat.

Aes alienum eſt, ait Vlpianus, quod nos alijs debemus: Aes ſuũ eſt, quod alij nobis debent. l. 213. Digeſt. de uerborum ſignific. Plinius libro trigeſimoquarto, capite decimo: Non erat, inquit, apud antiquos numerus, ultra centum millia: itaque & hodie multiplicantur hæc: ut decies centena millia, aut ſæpius dicantur. Fœnus hoc fecit, nummusq; percuſſus, & ſic quoque æs alienum etiamnum appellatur.

Aestatem, inquit Vlpianus, incipere ſic peritiores tradiderunt, ab æqui noctio uerno, & finiri æquinoctio autumnali, & ita ſenis menſibus æſtas atque hyems diuiditur. l. 1. §. 23. D. de aq. quot. & æſt.

Aestimata pœna ab antiquis ab ære dicta eſt, qui eam æſtimauerunt ære, ouem decuſsis, bouem centuſsis: hoc eſt, decem uel centum aſsibus. Feſtus.

Aestimatio litis, uide Litis æſtimatio.

Aestimatoria actio, uide Actio æſtimatoria.

Aetas apud Romanos duplex erat: Seniorum, & Iuniorũ. Seniores erant poſt annum ætatis quintum & quadrageſimum: Iuniores poſt ætatem militarem uſque ad quadrageſimumquintum annum. Hoc ex Dionyſ. Halic. libro IIII.

Aetatis gradus quinq; Varro putat eſſe diuiſos, unumquemq; ſcilicet præter extremum in annos quindecim. itaque primo gradu uſque ad annum quartumdecimum pueros dictos, quòd ſint puri, id eſt impuberes. Secũdo ad trigeſimũannũ adoleſcẽtes, ab adoleſcẽdo ſic nominatos. In tertio gradu qui erat uſque ad quinq; & quadraginta annos, iuuenes appellatos, eo quòd Rempubl. in re militari poſſent iuuare. In quarto uſq; ad ſexageſimum annum ſeniores uocitatos, quòd tunc primùm ſeneſcere corpus incipiat. Inde uſque ad finem uitæ uniuſcuiuſq; quintum gradum factum, in quo qui eſſet, ſenex appellatur: quòd ea ætate corpus ſenio laboret. Hæc Cenſorinus libro De die nat. cap. XIIII. Iuriſconſulti autem gradus quidem ætatis totidem fecerunt, ſed ita, ut mẽtis potius & iudicij, quàm corporis, incrementiq; rationem ducerent. mihiq; Hippocratis potius quàm Varronis ſecuti diuiſionem uidentur. nam is, ut eodem loco Cẽſorinus ſcribit, primum gradum anno ſeptimo terminat. quod eodem modo Iuriſconſulti faciunt, qui ætatem illam omnem infantium appellant, l. ſi infanti, 18. C. de iure delib. ex qua interpretanda eſt l. ſi infantis, 55. D. de uſufr. ſecundũ autem ad annum decimumquartum producit: quo anno pueritia terminatur a Iuriſconſultis, & pubertas incipit. l. ult. C. quando tut. eſſe deſin. l. 2. C. arbit. tut. l. 3. C. de teſtam. tut. l. 1. C. de Carbon. tertium autem ad duodetrigeſimum extendit: ut bis ſeptem anni huic ætati attribuantur. & adoleſcentia totum id tempus appelletur, quo exacto media ſiue conſtans ætas eſſe incipiat. Iuriſconſulti uerò qui, ut modò diximus, non tam corporis, quàm animi ingenijq; incrementum conſiderant, hos quatuordecim annos in tres diuidunt partes. nam quatuor primos, nimirum uſq; ad decimumoctauum, plenam pubertatem perducunt. §. ult. Quibus manumitt. licet. l. arrogato, 40. D. de adoption. Cicero ineuntem adoleſcentiam appellat in Catone. eo nanq; anno cauſſas agere licebat: leg. 1. D. de poſtul. quippe cum anno antè prætexta depoſita uirilem togam ſumere ſolerent, & in forum ad cauſſas audiendas deſcendere. Ab anno uerò decimooctauo ſeptem continuos, nimirum uſq; uigeſimumquintum adoleſcentiæ non tam, ut dixi, corporis, quàm ingenij & iudicij attribuunt. nã adoleſcentes per illud tempus Forum & iudicia frequentabant, rerumq; maximarum ſpectatores erant: cum interea ætas illa non ſatis matura & conſtans uideretur. l. 1. Digeſt. de minoribus. Reliquum tempus ætati conſtanti tribuũt: quia tunc uirilis uigor completur: ut ait Vlpianus in d. l. 1. De minoribus. Itaque ætas illa modò Robuſta, modò Iuſta, modò Legitima nominatur. l. 15. §. lex Iulia, Dige. de adult. l. 2. §. 1. Digeſt. de uacat. mun. l. ult. C. de his qui uen. ætat. Marcellus autem in l. non aliter. 69. Digeſt. de legat. tertio, Iuuentutem illam appellat: Exiſtimari, inquit, poſſet Iuuenis, is qui adoleſcentis exceſsit ætatem, quoad incipiat inter Seniores numerari. Itaque conſtantem ætatem Romani ad annũ ætatis quinquageſimũ, quod ſenectutis initium eſt, producunt. Hoc enim anno ſenectutis initiũ eſſe, ab antiquis factum Cicero in Catone teſtatur: cuius uerba, quòd ſuperiorem diſputationem confirmant, ſubijciam. Loquens igitur de M. Valerio Coruino: Cuius, inquit, inter primũ & ſextum Cunſulatum octo & quadraginta anni interfuerunt. ita quantum ſpatium ætatis maiores ad Senectutis initium eſſe uoluerunt, tantus illi curſus honorum fuit. Item, Sunt pueritiæ certa ſtudia. num igitur ea deſiderant adoleſcentes? ſunt & ineuntis adoleſcentiæ. num ea iam conſtans requirit ætas. quæ media dicitur? ſunt etiã eius ætatis. ne ea quidem a ſenectute quæruntur. ſunt

ſont extrema quædam ſtudia ſenectutis. ergo ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic occidũt etiam ſenectutis Hæc ille in Catone. In libro uerò de Amicitia ita loquitur, ur ſimiliter adoleſcentiam ab anno ferè decimooctauo incipiat: pueritiæ uerò non modò annos quaruordecim attriboat, uerùm reliquos uſque ferè ad adoleſcẽtiam: quam ætatem ineuorem adoleſcentiam ſuperius appellauit. Atq; earum, iuquit, rerum exẽplum ex ſimilitudine capiebar ineuntis ætatis, quòd ſummi puerorum amores ſæpe unà cum prætexta, ſumpta toga depooerentur: ſin autem ad adoleſcentiam perduxiſſeut, dirimi tameo ioterdum contentione, &c. Xenophon autem ætatem quatuor in partes diſtribuir: alios einm appellat παῖδας, alios ἐφήβους, alios τελείους ἄνδρας, alios τοὺς ὑπὲρ τὰ στρατιωτικὰ ἔτη γεγονότας. Pueritiam autem uſque ad annum decimumſeatum perducit. Adoleſcentiam uerò decennem facit, hoc eſt uſque ad annum uigeſimumſeptimum: uode uirilem ætatem exorditur, quam per uigintiquinq; annos producit: hoc eſt, uſq; ad annum qoinquageſimum ſecundum: à quo Senectutem incipit.

Aetatem ita Ser. Tullus deſcripſit, ut qui minores eſſent annis ſeptendecim, Pueri: qui maiores, uſque ad annum quadrageſimumſextum, Iuniores: qui hac ætate grandiores, Seniores appellarentur. Hæc Gellius libro 10. capite 28.

Affines ſunt (air Modeſtinus) uiri & uxoris cognati: dicti ab eo quòd duæ cognationes quæ diuerſæ inter ſe ſunt, per ouptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. l. 4. §. 3. Digeſt. de grad. & affin. uel ſic:

Affines ſunt, & qui aliorum cognatam habent in matrimonio, & quorum propinquam alter uxorem duxit: ue Affinitatem piugui quadam Minerua dicere poſsimus alteram Accedentem, hoc eſt eorum qui aliorum cognatam duxeruot: alteram Stantem, hoc eſt eorum qui alterius coniogis cognati ſunt. qua de re in Partitionibus planius explicauimus.

Affinia, confinia. Paulus l. 12. D. fin. reg. Non enim termini, qui ſingulos fundos ſeparabant, obſeruari debent, ſed demonſtratio adfinium nooos fines inter fundos conſtituere.

Affinitas eſt ius qooddam inter unum coniugem & alterius cognatos inſtitutum. neque unquam hoc oerbum ponitur, niſi ubi ius quoddã ſubeſt. quare cùm Modeſtinus aie in l. 4. De gradib. Affines eſſe uiri & uxoris cognatos, ita intelligendum eſt, ac ſi diceret, Titij & Titiæ cognatos Caio & Caiæ affines eſſe: noo autem uiri cognatos, uxoris cognatis affines eſſe: ot quidam putant. nam ſi affines eſſent, quæreretur primùm quæ nã eſſent eorum affinitatis nomina: deinde quod ius inter eos ſit conſtitutum.

Affinitas, impropriè & abuſiuè pro neceſsitudine. Neratius l. quod Seruius, 8. D. De cond. cau. dat. Non magis id repeti poſsit, quàm qood ſpõſa ſponſo dotis nomine dederit, donec maneat inter eos affinitas: id eſt propinquitas illa, uel potius ſpes proximæ communionis. nam ſponſa ſponſo propinquabit, ad eiusq; fines eo aoimo acceſsit, ut primo quoque tempore in familiam ſe ſui ſponſi penitùs immergat. Verùm hoc planius intelligitur ex l. non ideo, 5. C. De hæred. inſt. ubi de teſtamẽto quęritur, io qoo quæ uxor erat, affinis appellabatur. Gordiaous enim impropriè poſitum affinis uerbum ſignificat: Non ideo minus, inquit, uxor tua iure hæres uidetur inſtituta, quòd non uxor, ſed affinis teſtamento oominata eſt.

Αφοσιωσεως χάριν, dicis cauſa, perfunctoriè. Modeſtin. l. 13. D. De excuſat. tut. Ἀποχρῇ δὲ αὐτοῖς τῆς προθεσμίας ἐντυχεῖν μόνον. ἐὰν γὰρ μετὰ ταῦτα μὴ ἔχων ἀπολειφθῇ, οὐκ ἔσται παραγραφικός· ὥσπερ ἐὰν ἀφοσιώσεως χάριν μόνον ἐντύχῃ, &c. Sufficit autem intra præſtitutum tempus adeſſe tantùm, nam ſi poſtea nou ſua uoluntate aberit, temporis præſcriptione non repelletur. quapropter ſi dicis cauſſa & perfunctoriè duntaxat adſit, &c. Alij tamen aliter eum locum arbitratu ſuo coouerterunt.

Agaso, propriè dicitur ſeruus qui iumenta curat: ioquit Acron. Alfeous l. ult. D. Si quad. paup. Agaſo quum io tabernam equum deduceret, mulam equus olfecit.

Agentes io rebus, quorum io poſtremis Codicis libris crebra mentio eſt, dicti uidentur, qui non certo alicui muneri pręfecti erant: ſed ſi qua negocia extra ordinem inciderant, ſuſcipiebant. In l. 2. & ult. C. de curioſ. & ſtationar. ſic dicuntur, qui publici curſus euectionum munus ſuſceperant.

Ager, inquir Varro lib. De ling. 4. dictus eſt, in quam terram quid agebant & unde quid agebãt fructus cauſſa. Fabius libro 1. cap. 6. Sed cui non poſt Varronem ſit uenia, qui agrum quòd in eo agatur aliquid, dictum Ciceroni perſuadere uoluit? Varronis ergo libros eſſe, qui de ling. Latina extant, hinc licet intelligatur: ut ſtili ſimilitudinem, quod maximum ſemper eſſe iudicaui cognoſcendi auctoris argumentum, omittam, Vtcunq; ſit, Agrum noſtri Iuriſconſulti dicunt, locum eſſe ſine ædificio: & alibi, ſine uilla, l. 27. & l. 211. D. de uerb. ſignif. unde FVNDVS.

Ager Quæſtorius, uide Quæſtorius ager.

Ager limitatus, uide Limitatus ager.

Agere, inquit Feſtus, interdum ſignificat iurgari: ut cùm dicimus, Agit cum eo furti. Tranſlata enim locutio eſt in forum ac iudicia: pro Litigare, & iudicio contendere. unde etiam Agere dicitur is, qui excipit, l. 1. Digeſt. de excepr. unde ACTOR.

Agere Rempub. pro Adminiſtrare Remp. Pau-

lus in l.35.§.3. D. Ex quibus cauſ. Qui in prouincia eſt, ſimul agere Rempubl. cœpit, ad ſimilitudinem abſentis habetur.

Agi, uide Ferri.

Agitatores, curruum in ſacris certaminibus rectores. Vlpianus l.4.D. de his qui not. infam. Et generaliter ita omnes opinantur, & utile uidetur: ut neque thumelici, neque xyſtici, neque agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteraque eorum miniſteria qui certaminibus ſacris deſeruiunt. ignominioſi habentur. uel ſic:

Agitatores, aurigæ in ſacris certaminibus qui equos currúq; agitát. Vlp.l.43.in fi.De act.emp. Planè ſi in tantũ preciũ excediſſe proponas, ueluti ſi ponas agitatoré poſtea factũ uel pãtomimũ.

Agitare, pro agere, litigare. Paulus l.73.D. de fideiuſſ. Poſtea uicto eo dominus reuerſus iterum de ea re agitabat.

Agnata dicuntur, non quæ alicunde nata ſunt: ea enim Enata dicuntur: ſed quæ ad alia, id eſt, contra, ſiue iuxta alia quædam nata ſunt. Itaq; filius patri naſci dicitur, quum ad patrem cogitatio refertur: agnaſci uerò, quum ad agnatos & propinquos. Cicero lib. De Orat. 1. Num quis eo teſtamento quod paterfami. ante fecit, quam ei filius natus eſt, hæreditatem petit? nemo. quia conſtat agnaſcendo rumpit teſtamentum. Naſci filius apertè dicitur uiuo patri: agnaſci mortuo. quia cogitatio poſthumi naturæ non ad patrem, ſed ad propinquos refertur. Idem pro Cæcina, Cui filius agnatus ſit, eius teſtamentum non eſſe ruptum, iudica. Vlpian. l. 3. D. de iniuſt. rupt. Poſthumi per uirilem ſexum deſcendẽtes ad ſimilitudinem filiorum nominatim exhæredandi ſunt: ne teſtamentum agnaſcendo rũpant. Et in fin. Licet autem poſthumus præteritus agnaſcendo rumpat. Itaque Papinianus l.7. D.Si tab. teſt.null. nepotem auo ſine dubio non eſſe agnatum affirmat.

Agnati ſunt cognati uirilis ſexus, ab eodem orti. l.2.D.de ſuis & legit. uel ſic:

Agnati & cognati hoc differunt, quòd in agnatis & cognati continentur, in cognatis non utique & agnati. uerbi gratia, patris frater, id eſt patruus, & agnatus eſt, & cognatus: matris autem frater, id eſt auunculus, cognatus eſt, agnatus nõ eſt. l.5.D. unde legit. uel ſic:

Agnati ſunt, qui per uirilis ſexus perſonas cognatione iuncti ſunt: quaſi a patre cognati. l.7. D. de leg.tut. Vide Cognati, & Cognationis nomẽ.

Agnomen uide nomen.

Agonothetae, Suidas, Ἀγωνοθέτης ὁ ἐν τοῖς σκηνικοῖς· ἀθλοθέτης δὲ ὁ ἐν τοῖς γυμνικοῖς. Agonothetes, inquit, in ſcenicis: Athlothetes, in gymnicis. & Iul. Pollux, Ἀγωνοθέται, ἀγώνων διαθέται. id eſt, qui certamina conſtituebant. Arcadius l. ult.§.1.D. de muneri b. Maſtigophori quoque qui Agonothetas in certaminibus comitantur. & Scribæ magiſtratus perſonali muneri ſeruiunt. Hinc ἀγωνοθετεῖν, certaminibus præeſſe, eaq; moderari. Modeſt. l.10.D. de pollicit. καθιερῶ ἀγῶνα, ἀγωνοθετοῦντος καὶ προκαθεζομένου τοῦ ἀνδρός μου. id eſt, Dedico certamen, cui præſit, ac præfectus ſit uir meus. Hinc ἀγωνοθεσία, ea curatio ac præfectura, apud Vlpianum l.20.§.5.D. famil. erciſc.

Agri occupatorii Flacco dicuntur, qui & arcifinales: quos uidelicet in ea terra quam occupauerant non quatenus colere poterant, ſed quantum in ſpe colendi reſeruauerant, uicinos colendi uirtute arcendo ſibi ſumpſerant.

Agricolae ſerui, uide Serui agricolæ.

Albini, quos Græci κονιατὰς appellant, aiunt Impp. l.1. De excuſat. art. lib. Cod. 10. ij dicũtur, qui calce pura parietes illinunt. Tectorium enim quod ex calce pura fit, Albarium opus uocatur Vitruuio. niſi fortè nomen ſpeciei pro genere uſurparunt, quod ueriſimilius uidetur.

Album, alba tabula, in qua attramento ſcribebatur. quod ex hoc Ciceronis loco intelligitur, quẽ ex lib. De orat. 2. deſcribam, Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi. Vbi tamen referebat corrigendum putarem. Quòd ſi in album res illæ referrentur, facile intellectu eſt, non literas, ut Theophilus exiſtimauit, ſed tabulas ipſas albas fuiſſe. quod etiam ſuſpicari libet ex Plauti Perſa, ubi Paraſitum de quadruplatoribus ſic loquentem facit: Si id fiat, næ iſti faxim nuſquam appareant, Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona. ut autem Pontifices res geſtas, ſic Prætores edicta ſua in album referebant, & proponebant tabulam in publico, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi, quemadmodũ anno quiſq; ſuo ius dicturus eſſet. Paulus l.9.D. de iuriſd. Si familia alicuius albũ corruperit, non ſimiliter hic edicitur; ut in furto. Vlpia. l.7. eod. Si quis id quod iuriſdictionis perpetuæ cauſa, nõ quod, prout res incidit, in albo, uel in charta, uel in alia materia propoſitum erit, dolo malo corruperit. Album autem Latini ſimiliter dixerunt, ut Græci λεύκωμα. nam in albo leges ſcribebant. Demoſth. cõtra Timocratẽ, ex Solonis legibus, Ὁ δὲ τιθεὶς τὸν καινὸν νόμον, ἀναγράψας εἰς λεύκωμα, ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων: Qui cõem legem ferret, is eã in albo perſcriptã pro Eponymis proponat. Extat ẽt in Pandectis lib.50. titulus, De albo decurionum ſcribẽdo, ubi quo ordine ſcribi decuriones debeant, præcipitur. Illud obſeruatu dignum eſt, quod aliquando notauimus: moris fuiſſe, ut Album hoc Prætoris penderetur, ſic tamen ut de plano legi poſſet. Itaq; Auſon. in Gratiar. act. Has ego literas tuas, inquit, in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi poſsint, inſtar edicti pendere mandauero. Lamprid. in Alexand. Tacebantur ſecreta bel-

lorum

lorum, itinerum autem dies publicè proponebantur, ita ut edictũ penderet ante menſes duos.

ALDERICVS Iuriſconſultus, in Italia Ius Ciuile profeſſus eſt circiter annum M.CXC. eius plerunque Accurſius in Gloſsis mentionem appoſuit.

ALEAE emptio dicitur a noſtris, cùm incertus euentus emitur: ueluti cum piſcator iactum retis uendit, uel auceps pantheram. Pomponius in l. nec emprio, 8. D. de cont. empt. Aliquando & ſine re uenditio intelligitur: ueluti cùm quaſi alea emitur. quod fit, cùm captum piſcium, uel auium, uel miſsilium emitur. quia ſpei emptio eſt. Vlpianus in l. nam hoc, 2. D. de hæred. uel act. uend. Incertum rei uenire dicit.

ALEXANDER Tartagnius, Iuriſconſultus, Imolenſis fuit: Patauij, Ferrariæ, & Bononiæ, annos propè triginta Ius ciuile interpretatus eſt: relictiſque libris compluribus, homo quinquagenarius anno M. CCCCLXXV. mortem obijt.

ALICVLAE recenſentur ab Vlpiano inter puériles ueſtes, in l. 23. §. 2. D. de aur. arg. quo uerbo quid ſignificetur, hominem qui exponat inueni adhuc neminem: ſed & ALICVBI vulgatis in libris legitur. Legendum putarem ALLICVLAE, ut manicatæ tunicæ intelligantur, quæ pueris decoræ, grandioribus autem minus honeſtæ apud Romanos erant. ut patet ex Gellius lib. 7. cap. 12. nam, ut ait Heſychius, ἀλλὶξ, χιτὼν χειριδωτος: Allix, inquit, tunica chirodota: id eſt, manicata. Hoc enim uerbo Scipio Africanus apud Gellium utitur.

ALIENARE, eſt in alium ius ſuum transferre: nam cum effectu uerbum hoc accipitur. Itaque Vlpianus non propriè Alienatum dici ait, quod adhuc in dominio uenditoris manet. uenditum tamen rectè dici l. 67. D. de uerbor. ſignifi. Seneca autem lib. de Benef. v. Alienationem ait eſſe, rei ſuæ iuriſque ſui in alium translationem. uide ſupra ABALIENARE.

ALIMENTA & Cibaria differunt. nam illorum nomine ea omnia continentur, ſine quibus ali corpus non poteſt: horum uerò, tantum quæ ad cibum pertinent. Itaque Iauolenus Alimentorum legato & cibaria, & ueſtitum, & habitationem contineri tradit l. 6. D. de alim. & cib. Vlpianus autem Cibariorum legato, ea contineri negat. l. 21. D. eod.

ALIMENTARII, quibus alimenta legata ſunt: eadem ratione qua Donatarij, aut legatarij. l. penul. §. 1. D. ad leg. Falcid. l. 8. §. eam tranſact. D. de tranſact.

ALLECTI, inquit Feſtus, dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum ſunt numerum aſſumpti: nam Patres dicuntur, qui ſunt patritij generis: Cõſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcriptis annotati.

ALLEGARE ſe ex ſeruitute in ingenuitatem, pro aſſerere: apud Vlpianum l. 28. §. primo. D. de lib. cau.

ALLODIVM & Feudum contraria uerba ſunt, a Gothis deriuata: quibus Ortenſius in libris de Feudis frequenter utitur. Allodium enim vulgò appellant, quod ab omni clientela liberum ac ſolutum eſt: uel cuius cauſſa poſſeſſor nemini fidem atque obſequium debet. & (ut noſtri loquuntur) quod ita alicuius proprium eſt, ut a nemine alio niſi a Deo recognoſcatur.

ALLVVIO, inquit Iuſtinianus, eſt incrementum latens: id eſt, ita lentè progrediens, ut non appareat. §. præterea, De rer. diuiſ. nam, ut ait Caius, per alluuionem id uidetur adijci, quod ita paulatim adijcitur, ut intelligere non poſsimus quantum quoquo momento temporis adijciatur. l. 7. §. primo. D. de acquir. rer. dom. Sed uideamus ne Iuſtiniani definitio, ſi ad exactum iudicium reuocetur, abſurda uideri poſsit. non enim alluere augere eſt, ſed attingere & aſpergere. Cicero pro Sex. Roſcio, Ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluatur. Item Verrina 7. Non alluuntur a mari mœnia extrema, ſed influit in urbis ſinum portus. Alluuio ergo eſt adiunctio & appulſus fluminis, ripam contingentis. Hinc Alluuius ager, quem paulatim fluuius in agrum reddit: id eſt, qui ex alluuione factus eſt: ut eſt in libro Variorum auctorum. De limitib. Sed cum iſto appulſu & attritu affluentis aquæ detractio illa conglutinatioque contingeret, ac proinde per alluuionem acquiſitio fieret, acquirendi modum, quod incrementum latens uerè definitur, Iuriſconſulti alluuionem uocarunt: eique definitionem illam accommodarunt, rerum uim non uerborum proprietatem ſpectantes.

ALTERNATIO propriè eſt per uices ſucceſsio: ut Feſtus ſcribit. Iuriſconſulti autem pro Disiunctione uſurpant: cum dicitur Illud aut illud. l. 7. §. quodautem, D. de iniur. l. 2. §. 1, D. quod cert. loc. ubi Vlpianus loquitur de rerum alternatione, locorum alternationi mixta.
Vſurpatur etiam impropriè pro complexione, & ambarum rerum coniunctione. Vlpianus l. 9. D. de ſer. corrupt. Qui cum extraneo agit, ſiue recepit, ſiue corruperit, agere poteſt: qui cum ſocio, ſine alternatione. Hoc eſt, Extraneus utroque caſu tenetur: ſocius, hoc uno duntaxat, ſi corrupit.

ALTERVM tantum, id eſt, tantundem amplius. Iulianus l. 13. D. de liber. & poſthum. Ita enim ſecundum uoluntatem teſtantis filius altero tanto amplius habebit, quàm uxor: item uxor altero tanto amplius, quàm filia. Paulus l. nona §. 5. D. de public. Quod illicitè publicè priuatimque exactum eſt, cum altero tanto paſſis iniuriam exoluitur. ſic in l. decimaoctaua in fi. D. de alim. & cib. & l. 9. D. de uſur. & l. 27.

deadulter. Plautus etiam Tribus tantis dixit, in Trinumo:

Frumenti quando albi meſsis maxima eſt
Trib. tãtis illi minus reddit, quàm obſeueris.

Cic. in Orat. Pes qui adhibetur ad numeros partitur in tria: ut neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe parti, aut altero tanto, aut ſeſquimaiorem eſſe.

Alvarotvs, Iuriſconſultus, Patauij natus, leges ibidem publicè interpretatus eſt, nonnulliſque commentarijs relictis propè ſeptuagenarius circiter annum M. CCCCLIII. uita exceſsit.

Amata, omnis uirgo quæ a Pontifice Max. capitur, ut Veſtalis fiat, appellatur: quoniam quæ prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum eſt. Gellius lib. I. cap. 12.

Amatorivm poculum, de quo mentio fit in l. ſi quis. §. abortionis. D. de pœn. & l. 3. §. 1. D. de ſicar. medicamentum, & ad alliciendum amorem accommodatum. quo potionatum Caligulam à Cæſonia uxore Suetonius ſcribit. Philtra autẽ a Græcis & Poetis appellantur: de quibus Iuuenal. ſatir. ſexta. Ouid. lib. de arte II. Ioſeph Antiquit. 9.

Ambitiosa, gratioſa, in gratiam alicuius non iure conceſſa. Vlpianus l. 3. D. de minor. Denique D. Seuerus huiuſmodi Conſulum uel Preſidium decreta quaſi ambitioſa eſſe intepretati ſunt. Nam ambitio plerunque ſtudium conciliandæ gratiæ ſignificat. ut Verrina quarta. Si abs te iſtam rem pater tuus alicuius amici rogatu, benignitate aut ambitione inductus petiſſet, &c. Item Epiſt. I. ad Q. Frat. Præſertim cum mores ad nimiam lenitatem atque ambitionem incubuerint. Græci τὸ ἀρεσκεύεσθαι dicunt, & ambitionem ἀρέσκευμα.

Ambitvs, iter quod circumeundo teritur. nam Ambitus, circuitus. ab eo Duodecim tabularũ interpretes ambitum parietis circuitum eſſe deſcribunt. Hæc Varro. Feſtus autem ſic: Ambitus propriè dicitur circuitus ædificiorum, patens in latitudinem pedes duos & ſemiſſem: in longitudinem idem quod ædificium. Cicero in Topicis, P. Scæuola id ſolum eſſe Ambitus ædium dixit, quoad parietis communis tegendi cauſſa tectum proijceretur: ex quo in eius ædes qui protexiſſet, aqua deflueret. Sic enim eum emendandum locum, docuimus lib. Obſeruat. I. cap. 26.

Ambvlare, pro non uno in ſtatu permanere, ſed mutari Iuriſconſulti uſurpant. Sic ambulatoriam eſſe teſtatoris uoluntatem uſque ad mortem, dicitur in l. quod ſi, 4. D. de adim. legat. Sic ambulatoriam conditionẽ Papinianus appellat in l. ſeruus, trigeſimoquarto. D. de ſtatu lib. cùm eam ſignificaret, quæ non in unius tantum, ſed etiam in plurium hæredum perſona rectè impleri poſsit. Sic legis ambulatoria poteſtas in l. erit 10. D. de fund. dotal. & obligationes cum capite ambulare. l. tutelas, 7. §. I. D. de cap. minut. emptiones per plures perſonas ambulaſſe. l. ſed ubi, 15. D. de minoribus.

Amethystvs ἀμέθυστος, gemma quæ ex eo nomen inuenit, quòd uſque ad uini colorem accedens, prius quam eum deguſtet, in uiolam deſinit, fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, ſed in uini colorem deficiens: ut ait Plin. lib. 37. cap. 9. Eius facit Vlpian. mentionem in l. 19. §. 6. D. de aur. arg.

Amfractvm eſt ab origine flexum duplici. dictum ab ambitu, & frangendo ab eo leges iubent in directo pedum octo eſſe, in amfracto ſexdecim: id eſt, in flexu. Hæc Varro De ling. VI. ubi legem XII. notat, de qua ſcribit ſic Caius in l. 8. D. de ſeruit. ruſtic. Viæ latitudo ex lege duodecim tab. in porrectũ octo pedes habet: in amfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim.

Amica, uide Pellex.

Amicos, inquit Paulus, appellare debemus, non leui notitia coniunctos: ſed quibus fuerint iura cum patrefam. honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. l. 223. de uerb. ſig.

Amineum uinum, idem quod Falernum. nam Aminei fuerant, ubi nunc Falernum eſt: inquit Macrob. libr. Satur. 3. cap. ult. Eius mentio fit in l. ultim. §. 1. D. de trit. uin. & ol. Vinum amphorarium, Amineum Græcum, & dulcia omnia. Vbi tamen Alciatus ἄμεινον reponit: a quo uehementer diſſentio. nam quod de Comenſis ſui obſeruatione nobis narrat, ei loco non conuenit: ſed hæc potius, Genus poſt aliquot ſpecies enumeratas ſubiectum, ad eam ſpeciem reſtringitur, cuius illa ſunt indiuidua. nam omnia dvlcia genus eſt. cuius duæ ſunt ſpecies, cibi uidelicet, & potionis. huius autem erant illa indiuidua, uinum Amphorarium, Amineum, Græcum. quare generis nomen ad eam contrahitur ſpeciem cuius illa ſunt indiuidua. Amineum autem ſine diphthongo legendum eſſe, ex Auſonij uerſu Beroaldus in Columellam demonſtrat, Solus qui Chium miſcet, & Amineum. Beroaldus in quam hoc docuit; tum etiam Alciatus, quem ſanè non hoc tantùm loco deprehendi ſuos hortulos ex illius fontibus irrigaſſe. Seruius autem in illud Georg. II.

Sũt & Amineæ uites firmiſsima uina. Amineũ uinum dictũ eſt, quaſi ſine minio. nã album eſt.

Amita patris mei ſoror: quia ſimiliter tertia a me ſit, atque auia. uideri poteſt dicta, ex eo quòd ab antiquioribus Auita ſit uocitata. ſiue Amita dicta eſt, quia a patre meo amata eſt. nã plus ſorores a fratribus, quàm fratres diligi ſolent: uidelicet propter diſsimilitudinem perſonarum, quæ ideo minus habent diſſenſionis, quo minus æmulationis. Ex Sex. Pompeio.

Amita, eſt patris ſoror, ait Paulus l.10.§.7.D.de grad.& adfin.

Amita magna, eſt aui ſoror, ait Paulus l.10.§.8. D.de gradib.

Amita maior, ait Paulus, eſt proaui ſoror, patris uel matris amita magna.l.10.§.8.D. de gra. & ad fin.

Amita maxima eſt, ait Paulus, ab aui ſoror, patris uel matris amita maior .l. 10. §. 10. D. de gradib.

Amitini, amitinæ ſunt, ait Caius, qui quæve ex fratre & ſorore propagantur .l. 1. §. 1. D. de grad.& affin.idem Paulus l.10.§.8.eod.

Amovere, inquir Donatus, proprie eſt ſaxum de loco mouere. denique eſt non auferre, ſed remouere. Itaque Iuriſconſulti quibus in perſonis notare furti infamiam noluerunt, in ijs hoc uerbum uſurparunt: uelut ſuis hæredibus, quaſi non ex familiarem auferant .l. ſi ſeruum, 71. §. prætor .D. de acqnir.hæred.in ſeruis domini teſtamento manumiſsis.l. Titia, 59.§. 1.D.de manu.teſt. præſertim autem in coniugibus: inter quos etiam Rerum amotarũ actio inſtituta eſt, earum rerũ nomine quas diuortij conſilio auerterint. de qua extat tit.Rerum amot.

Amphitapa, ἀμφίταπα, ueſtita utrinque uilloſa: apud Vlpian.l.23.§.2.D.de aur. argen. nam, ut ait Heſychius, ἀμφιτάπης, χιτὼν ἑκατέρωθεν ἔχων μαλλούς: id eſt, ueſtis utrinq; uillos habens. quod idem Nonius tradit.

Amphora, uas cuiuſuis materiæ, duarum urnarum capax, figura cubi, rei cuiuis continendæ: ut uino oleo, &c. Itaque Iulianus l.106.de uerbor.ſignific. Eandem, inquit, cauſam amphorarum eſſe: ut quum uinum habeant, tum in uaſis uinarijs: quum inanes ſint, tum extra numerum uinariorum ſint: quia aliud in his addi poſſit. Eius mentio fit apud Vlpian.l.15.§.4.D. de uſufruct.apud Pompon. Iulianum, Proculum pro naſe uinario,l.2.l.5.& 6.De trit.uin.& l.ult. in fin.D.de leg.Rhod. Hinc

Amphorarium uinum quòd è dolio in amphoras eſt diffuſum: apud Proculum l.ultima,§.1.D. de triti.uin.& oleo.

Ampliatio a Comperendinatione hoc differt, quòd illa libera eſt, & in iudicum poteſtate poſita: hæc neceſſeria, & legis ui atque imperio inſtituta. illa ſæpius fieri poterat, hæc ſemel tantùm: illa in id tempus quod Iudicibus placebat alteram actionem differebat, hæc in perendinum diem duntaxat. Prima differentia patet ex Verrina III. ubi Cicero ait, Antea uel iudicari primò poterat, uel Amplius pronunciari. Item, Etiam ſi lex ampliandi poteſtatem faciat, tamen iſti turpe ſibi exiſtiment; non primò iudicare. Item, Cum hæc omnia tanta contentione, tantis copijs agerentur, tamen tanta uis iſtius iniuriæ, tanta in iſto improbitas putabatur, ut, de Philodamo, Amplius pronunciaretur. Neceſſariam autem comperendinationem fuiſſe, illud eiuſdem declarat, Adimo enim comperendinatum: quod habet lex in ſe moleſtiſsimum, bis ut cauſſa dicatur. quod aut mea cauſſa potius eſt conſtitutum, quàm tua, &cet. Item, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea uel iudicari primo poterat, uel Amplius pronunciari. Secunda differentia cognoſcitur ex eo quòd Valerius libro ſexto cauſam C. Cotiæ repetundarum accuſati ſepties ampliatam ſcribit. Et Cicero in libro De Claris Oratoribus cauſam quorundã publicanorum tribus ampliationibus prolatam. In comperendinatione autem numerum duarum actionum præſtitutum fuiſſe, locus quem ex Verrina tertia protuli, apertè oſtendit. Tertiam differentiam partim uerbi notatio quã Pedianus etiam declarat, partim locus Ciceronis in Bruto demonſtrat: Vnum, inquit, quaſi comperendinatus medium diem fuiſſe. Ex quo intelligitur plures in ampliatione interponi potuiſſe: in comperendinatione nequaquam. Quod autem uir eruditione ſingulari præditus; qui Verrinarum interpretes ſcribit in eo loco, tanquam in luto adhæſiſſet, duas ſtatuit differentias: de poſteriore, quum antiquiorem fuiſſe Ampliationem ſcribit (ſi tamen hæc differentia numeranda eſt) facilè aſſentior. In priore non poſſum: ubi ampliationem in Iudicum arbitrio tantùm poſitam fuiſſe ſcribit: Comperendinationem, in reorum poſtulatione, & Iudicum poteſtate ſimul: & niſi alteruter, aut uterque petiſſet, de comperendinatione iudices cogitaturos non fuiſſe. Locus enim Aſconij, quo ſolo firmamento hæc uiri doctiſsimi opinio conieсturaque nititur, longè aliò mea quidem ſententia pertinet, Is autem in Argumento ſecundo Verrinę eſt his uerbis, Expoſitio conſilij ſui, ut cum iudicibus deliberatio, uidetur inducta: in qua oſtenditur certandum cum Hortenſio aſtutia, non utendo horis omnibus ad dicendum: ad tollendam, ſi fieri poſsit, comperendinationem, per teſtes crimina comprobando. Quibus uerbis dici hoc ab Aſconio uir doctiſsimus exiſtimat. Spectabat Cicero cauſſa patefacta & probata, futurum, ut de tollenda comperendinatione a iudicibus impetraret. fruſtra enim Cicero conatus eſſet tollere. ac ne conatus quidẽ eſſet, ſi neceſſaria fuiſſet. Verum, ut antè dixi aliò pertinere locus Aſconij uidetur: nimirum eò, ut illa calliditate & aſtutia Cicero utens qua eſt uſus, hoc eſt, ſimpliciter teſtibus interrogandis crimina exponens, & perpetuam orationem omittens, Hortenſio defendendi facultatẽ priore actione adimeret. quod eo ipſo conſilio Ciceronem aſſecutũ, Pedianus ipſe in extremo eiuſ-

dem Orationis demonſtrat: Quibus rebus, inquit, adeò ſtupefactus Hortenſius dicitur, ut rationem defenſionis omitteret. Et Cicero Verrina tertia, Vereret, ne quem nemo prima actione defendere auſus eſſet, eum ego bis accuſare non poſſem. Item in quinta, Qui teſtes interrogari priore actione nolueris, & ijs tacitum os tuum præbere malueris, quamuis & te & patronos tuos ingenioſos eſſe dicito. Item in ſeptima, Quoniam priore actione ut patroni tui dictitant, noua quadam ſapientia, ut omnes intelligunt, conſcientia tua teſtem nullum interrogaſti. Item Aſconius in ſecundæ argumento, Qua arte ita eſt fatigatus Hortenſius, ut nihil contrà, quod diceret, inueniret. Item in media tertia, Aſtutia Ciceronis hæc fuit, utendo teſtibus, ut nihil reliqui eſſet Hortenſio, niſi ut eos interrogare poſſet dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipſe dicendo. Satis apertè, opinor, docuimus, aſſecutum fuiſſe Ciceronem id quod contendebat, nimirum, ut comperendinatio tolleretur, non legis permiſſu. ſed aſtutia & calliditate. Sublatam autem ideo comperendinationem, quia ſi fuiſſet comperendinatio, ſemel atque iterum defenſus Verres fuiſſet. Nunc autem defenſus non eſt. Itaque poſt perpetuam orationem Ciceronis, & quinque libros pronunciatos, ſemel tantùm defenſus fingitur. quaſi unica actione tranſactum iudicium ex Cæcilia uel Acilia lege fuiſſet. Hæc & alia complura in Commentariorum editione altera copioſius: cui ne præiudicium afferatur, in meis quidem optatis, in aliorum autem beneuolentia & comitate poſitum eſt.

AMPLIARE hominem, & Primus cœtus, pro Ampliare cauſam, & Prima actio. Auctor Rhetor. ad Herenn. libro 4. Nam quid fuit, Iudices, quare in ſententijs ferendis dubitaueritis, aut iſtum hominem nefarium ampliaueritis? non apertiſsimæ res erant crimini datæ? non omnes hæ teſtibus comprobatæ? non contrà tenuiter, & nugatoriè reſponſum? Hic uos ueriti eſtis, ſi primo cœtu condemnaſſetis, ne crudeles exiſtimaremini.

AMPLISSIMI ordinis nomine, Senatorius intelligitur: utpote omnium ſummus ac digniſsimus. Paulus l. 21. §. 2. D. de legat. & fid. libr. 32. Columnis ædium uel tignis per fideicommiſſum relictis, ea tantummodo ampliſsimus ordo præſtari uoluit, &c. idem in l. ampliſsimi, 4. & l. ſeq. C. de excuſ. tut.

AMPLIVS, quam uim habeat, tractatur in l. uerbum, 82. de uerb. ſignif. l. ſi ſeruus, 108. §. ſi ita, de legat. primo. l. ſi purè, 54. de legat. tertio.

AMPLIVS non peti, cautio eſt uetuſtè ſic appellata, pro Non petitum iri. Sic Dari fieri, pro Datum & factum iri, Iudicatum ſolui, Rem ratam haberi plerunque in Pandec. Plenè autem ita cautio illa concipitur: Non petiturum eum cuius de ea re actio, petitio, perſecutio eſſet: & ratum habituros omnes, ad quos ea res pertineret. l. procurator, 23. D. rem rat. hab. Cicero eleganter in Bruto ea eſt uſus: At uerò tibi ego Brute non ſoluam, niſi prius cauero Amplius eo nomine, neminem cuius petitio ſit petiturum. Vſurpat & in Orat. pro Q. Roſcio; & lib. ad Attic. 1. & Famil. 13.

ΑΝΑΚΡΙΣΙΣ, interrogatio rei, præſertim ſi tormentis quæratur. Marcellus l. 6. D. de cuſt. & exhib. Et ideo quum quis ἀνάκρισιν faceret; iuberi oportet uenire Irenarchen.

ANADEMATA, ἀναδήματα, Paulus inter capitum ornamenta muliebria recenſet in l. 26. D. de aur. arg. item ut Heſychius, qui ſcribit eſſe εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς. Itaque a Polluce lib. 5. in mundo muliebri ἀναδήματα numerantur.

ANATOCISMVS, ἀνατοκισμοὺς, regeneratio, renouatio. Cicero Epiſt. ad Att. lib. 6. poſuiſſe uidetur pro fructibus uſuræ in ſortem redactæ: non autem ſimpliciter pro uſura uſuræ, ut lib. De uſuris primo docuimus. Latinè autem epiſt. 1. uerbum interpretatur: Confeceram, inquit, ut ſoluerent centeſimis ſexennij ductia cum renouatione ſingulorum annorum.

ANCONES, ἀγκῶνες, uaſa ſunt cubitalia, ut origo uocabuli declarat. Eorum Paulus meminit in l. 13. D. de inſt. uel iuſt.

ANECLOGISTVS, ἀνεκλόγιστος, rationibus reddendis liber ac ſolutus. Vlpianus l. 5. §. 5. D. de admin. tut. Quidam decedens filijs ſuis dederat tutores: & adiecerat, Eoſque anecclogiſtos eſſe uolo. Et ait Iulianus, tutores niſi bonam fidem in adminiſtratione præſtiterit, damnari debere: quamuis teſtamento comprehenſum ſit, ut anaclogiſti eſſent. Iidem plerunque dicuntur ἀνυπεύθυνοι.

ΑΝΕΞΕΤΑΣΤΟΣ, rationibus reddendis, ſiue ſubducendis ſolutus. Scæuola l. 13. §. 2. D. de pecul. leg. ὅσους κατέλιπον ἐλευθέρους, καὶ τὰ λεγάτα, αὐτοὺς τούτους βούλομαι εἶναι ἀνεξετάστους: Quibuſcunque libertatem & legata reliqui, eos ipſos reddẽdis rationibus ſolutos eſſe uolo. Alibi autem ἀνεκλόγιστοι appellantur, & ab alijs ἀνυπεύθυνοι.

ANGARVS, ἄγγαρος, operarius, baiulus. Eſt autẽ uox Perſica, ut ſcribit Heſychius, ὀνομάζουσι δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους: id eſt, Significat etiam eos qui Regias epiſtolas alter alteri ſuccedendo ferunt. Hos uulgus poſtas, quaſi poſitas curſorum ſtationes appellat. Vnde Angaria, operæ publicè ob negocium aliquod obortum cui celeriter prouidendum eſt, impoſitæ. Impp. l. 11. C. de ſacroſan. eccl. Neminẽ ab angarijs, uel perangarijs, uel plauſtris, uel quolibet munere excuſari præcipimus, &cet.

Quidam in Pandec. Græcis ſic legi teſtantur, *ἐστὶ δὲ ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῶν καὶ δρόμον ἐχούσης, ὡς τυχὸν ἐντεῦθεν ἐπὶ τύρον. παραγγαρεία δὲ ἡ διὰ τῆς πλαγίας ὁδοῦ καὶ ὅτι τὸ παλαιὸν ἦν ὁ πλατὺς δρόμος ὁ λεγόμενος διὰ ὀχημάτων.*

ANGELVS Vbaldus, Iuriſconſultus Peruſij natus, Baldi frater, Patauij Ius Ciuile docuit, magnaq; de eo uolumina ſcripſit. Floruit circiter annum M.CCCC.

ANGVLARIVS, pro angularis, id eſt, quadratus, uel triangulus. Proculus l.69.D.de contr. empt. Rutilia Polla emit lacum Sabatenem angularium, & circa q̃am lacum pedes decem.

ANNIVERSARIA conditio percipiendi reditus, id eſt, annua, unoquoque anno uertente. apud Scæuolam l.21.§.6.D.de annu.leg.

ANNONA, propriè rei frumentariæ: ſed promiſcuè pro quouis alimentorum genere uſurpatur. unde lex Iulia de annona, lib. Pandec. 48. Et ſic accipitur.l.1.& ult.D.de mun.& hon. itemq; paſsim in Pand. uſurpatur & pro certa definitaq; cibariorum annuorum ratione: ueluti cum Lampridius ait, Alexandrum dediſſe medicis annonas binas & ternas. Indeq; in libris noſtris Annonæ ciuiles appellatę ſunt.l.iubemus, 14.C.de ſacro. eccl.l.un.§.cum aũt. C. de rei ux.act. quæ & panes ciuiles nominantur in l.ult.§. præterea.C.de iur.dot.

ANNOTATIO dici uidetur Principis reſcriptum, ſua manu ſubnotatum. in l.iubemus, 10.C.de ſacroſ.eccl.l.ult.C.de diuerſ.reſcript. uide ADNOTARI.

ANNVS alius dicitur continuus, alius utilis. Continuus eſt, qui CCCLXV. diebus continuis conſtat. l.4.§.Stichus.D.de ſtatulib. Vtilis, qui è totidem diebus, ſed ad agendum utilibus conſtat: id eſt, quib. experiundi poteſtas eſt: ut Prętor loquitur in l.1.D.quæ in fraud.credit. Sic accipitur in l.ſi cum except. 14.§. poſt annum. D. de eo quod met.cau.l.1.D.quan.de pecul. act.l.1.D.quæ in frau.cred.l.1.D.de diuerſ.temp.præſcript.

ANNVS litium. Seruius in illud Aeneid. 2. Si omnes uno ordine habetis Achiuos, Idq; audire ſat eſt: iamdudũ ſumite pœnas. Vno ordine. inquit, id eſt, uno reatu. & eſt de antiqua tractum ſcientia: quia in ordinem dicebantur cauſſæ propter multitudinem uel tumultum feſtinantium, cùm erat annus litium. Iuuenalis: Expectandus erit qui lites inchoet annus.

ANNVA die, pro Anno: in l.1.D.de dot.præleg.

ANNVA, bima, trima die, uetus locutio eſt, pro Anno, biennio, triennio. Pompon.l.8.§.3.D.de pigner.act. Si annua, bima, trima die triginta ſtipulatus, acceperim pignus, &c. Vlpianus l.3. D. de ann. legat. & fid. Si legatum ſit relictum annua, bima, trima die, triginta fortè: dena per ſingulos debētur annos. Alfenus l.19.D.de pact.dotal. Aliud eſt ſi pater pro filia dotem promiſit, ut annua, bima, trima, quadrima, quinto anno dos a ſe redderetur, &c. Põponius l.6.§.1.D. de cõt. emp. Si fundus annua, bima, trima die ea lege ueniſſet, ut ſi in diem ſtatutum pecunia ſtatuta non eſſet, fundus inemptus foret.

ANNVA preciſè dicuntur, quæ plenè Annua cibaria: unde tit.lib.33.de annuis legat. Iuuenal. Sunt quæ tortorib. annua præſtent. Seneca lib. De clement. 1. Maſsiliæ parricidam continuit: & annuum illi præſtitit, quantum præſtare integro ſolebat.

ANQVIRERE pecunia & capite ueteres dicebant, pro mulctam irrogare, uel ad populum ferre de multa uel capite alicuius, ut eam populus aut iubeat, aut antiquet. Liuius libro octauo, Capite anquiſitũ ob rem bello malè geſtam de Imperatore nullo, &c. Idem lib. XXVI. Cùm tribunus pl. bis pecunia anquiſiſſet, tertio capitis ſe anquirere diceret. Idem libro ſexto, Sunt qui Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores ſunt.

ANTECESSORVM nomine iuris doctores ac magiſtros intelligi, perſpicuũ eſt ex locis innumeris. Itaque Heſychius, *ἀντικήνσωρ*, inquit, *ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς*. Iuſtinianus in conſtit. cuius initium eſt, Omnem, & in ea quæ eſt De compoſit.dig. Theophilum & Dorotheũ iuriſperitos & facundiſsimos Anteceſſores quum appellaſſet, poſtea dicit, illum Conſtantinopoli, hunc Berythi iuris profeſſorem fuiſſe. ut appareat eos, quos Græci *ἐξηγητὰς*, interdum *ὑφηγητὰς* appellant, id eſt, interpretes, magiſtros, præceptores, ea ætate Anteceſſores ab antecedendo, item ut illos a præeundo dictos eſſe. Suidas etiam *ἐξηγητὰς* iuris legumq; Doctores interpretatur. Iuſtin. in d.l. Omnem, Quatenus, inquit, tam prudentia ueſtra, quàm cæteri anteceſſores qui eandem artem in omne æuum exercere maluerint, &c.

ANTECESSOR. prior magiſtratus, cui alter ſuccedit: qui alibi Deceſſor dicitur. Cicero, ſemper Prior. Paulus l.55.D.de iudic. Edictum quod ab anteceſſore datum eſt, in numero trium edictorum connumerari debet. planè licet omnis ab anteceſſore numerus finitus ſit, ſolet ſucceſſor unũ edictum dare.

ANTESTARI quid ſit, demonſtrat Acron his uerbis in Serm. Horat. lib. 1. Sat. IX. Denunciantes litem anteſtatos habebant, quibus præſentibus conueniebat, ita ut aurem illis tertiò uellerent. Solebant enim teſtium aures tenere, & ita dicere: Memento quòd tu mihi in illa cauſſa teſtis eris, quod eſt Anteſtari. Aliter, olim qui anteſtabantur, auriculam cõtingebant. Ideoq; Poeta ait, Libenter auriculam obtuli. Tangens autẽ auriculam his uerbis loquebatur, licet anteſtari? ſi ille reſpondiſſet, licet: iniectione manus aduerſarium ſuum in iudicium trahebat. quòd ſi anteſtatus non eſſet, & manum inieciſſet, iniuriæ reus

conſtitui

cōſtitui poterat. Plautus in Perſa, Leno ad Satyrionē paraſitū, Nonne anteſtaris?& paraſitus, Tuane ego cauſa, carnifex Cui quam mortali libero aures atteram? Aliter: Anteſtari, id eſt, teſte uti, quod iudicij cauſſa uolo manum inijcere. nā hęc erāt conſuetudo, ſi quis uadato non paruiſſet, ei aduerſarius aliquem de præſentibus anteſtabatur, id eſt, tāgebat eius aurem, & dicebat, licetne anteſtari? ſi reſpondiſſet ille, licet: tunc inijciebat uadatus manum in eum qui nō paruiſſet, & ducebat in iudicium: aliter ſi inieciſſet manum, iniuriarum poterat accuſari. Hæc Acron, & Porphyrio ferè in eādem ſententiam. Horatius eo loco,

Et quo tu turpiſsime? magna
Exclamat uoce, & licet anteſtari? ego uerò
Oppono auriculam, rapit in ius.

Plautus in Curcul.

Licet anteſtari? M. non licet.
Ph. Iupiter te malè diſperdat miles, inteſtatus uiuito.

Antiades, ἀντιάδες, tumores in extremis faucibus ex inflammatione nati. Vlpian. l. 14. §. 4. D. de ædil. edic. Si quis ἀντιάδας habeat, an redhiberi quaſi uitioſus poſsit, quæritur. & ſi ἀντιάδες hę ſunt, quas exiſtimo, id eſt inueteratas: & qui iam diſcuti non poſſunt faucium tumores: qui ἀντιάδας habet, uitioſus eſt. Cornelius Cel. eas Tonſillas uocat, lib. 6. cap. 10.

Antichresis, ἀντίχρησις, mutuus uſus, ut uerbi notatio declarat. Sic enim is contractus dicitur, quo pignus ita datur, ut quoad debitor ſatisfaciat, eo creditor uſuræ nomine utatur fruatur. Martianus l. 33. De pignerat. act. Si pecuniam debitor ſoluerit, poteſt pigneratitia actione uti ad recuperandam ἀντίχρησιν. nā quū pignus ſit, hoc uerbo poterit uti. Idē l. 11. §. 1. D. de pigno. Si ἀντίχρησις facta ſit, & in fundum aut in ædes aliquis inducatur, eouſque retinet poſſeſsionem pignoris loco, donec illi pecunia ſoluatur. Huiuſce contractus exempla extant apud Pap. l. 1. §. pacto. D. de pignorib. Modeſtinum in l. 39. de pign. act. Paulum l. 9. §. ult. D. de ſupell. leg. Impp. l. ſi ea lege, 17. l. ſi ea pactione, 14. C. de uſur. in Nouel. 32. 33. 34. 130. Ἀντίδωρα, mutua dona, remunerationes. Vlpia. l. 25. §. 8. D. de hęred. petit. Nec ſi donauerint, locupletiores facti uidebuntur: quamuis ad remunerandum ſibi aliquē naturaliter obligauerunt, planè ſi ἀντίδωρα acceperunt, dicendum eſt eatenus locupletiores factos quatenus acceperunt. uelut genus quoddā hoc eſſet permutationis.

Antinomia, pugnantia legum contrariè ſcriptarum. Imp. De concep. dig. §. 6. Nulla itaque in omnibus prædicti codicis membris antinomia (ſic enim a uetuſtate Græco uocabulo nuncupatur) aliquem ſibi uindicet locum: ſed ſit una concordia una conſequentia aduerſario nomine cōſtituto.

Antipherna, ἀντίφερνα iuncto ex ἀντὶ & φερνὴ nomine, dicuntur ea quæ maritus conſtante matrimonio uxori ſuæ quaſi remunerandæ dotis cauſſa largitur. Iuſtin. l. ult. C. de donat. ant. nupt. Ita & in donationibus quas mariti faciunt, uel pro his alij, debet eſſe aperta licentia & conſtante matrimonio talem donationem facere: quia quaſi ἀντίφερνα hæc poſſunt intelligi, & non ſimplex donatio.

Antiqvare, uerbum ſolenne, quo populus R. utebatur, cùm ſignificabat ſe legem quæ ferebatur, non recipere. itaque Feſtus lib. 1. Antiquare, inquit, eſt in morem priſtinum reducere. Cicero lib. De legib. III. Vos item, ut uideo, legem antiquaſtis ſine tabella. Liuius lib. IIII. Profertur tempus ferendæ legis: quam, ſi ſubiecta inuidiæ eſſet, antiquari apparebat.

Antiqvior, potior, charior Paulus l. 19. §. 4. D de cap. & poſtl. Quia diſciplina caſtrorū antiquior fuit parentib. Romanis, quàm caritas liberorum. Cicero, Antiquiorem Deiotaro fuiſſe laudem & gloriam, quàm regnum & poſſeſsiones ſuas.

Apices iuris, ius ſummum, ſubtilis & ſpinoſa diſputatio, in qua æqui & boni ratio non habetur, ſed res ad uiuum reſecatur. Vlpia. l. 29. §. 3. D. mand. De bona enim fide agitur, cui non congruit de apicibus iuris diſputare: ſed de hoc tantùm, debitor fuerit, nec ne.

Apisci, pro Adipiſci. Vlp. l. 40. D. de donat. int. uir. Quod adipiſcendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatum eſt, &c. Vlp. l. 25. §. 3 D. de hæred. petit. Quòd ſi ab initio quidem iuſtam cauſam habuit apiſcendæ poſſeſsionis. Paulus l. 1. §. 2. D. de acq. & amitt. poſſ. Apiſcimur autem poſſeſsionem per noſmetipſos, & l. 3. Et apiſcimur poſſeſsionem corpore & animo. Hermogenianus l. 15. D. de Carb. edic. Hæc bonorum poſſeſsio, ſi ſatiſdatum ſit, non tantum ad poſſeſsionem apiſcendam, ſed ad res etiam perſequendas prodeſt.

Ἀποκήρυξις, abdicatio. Imp. l. 6. C. de pat. pot. Abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos uſurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Hinc ἀποκήρυκτος, ὁ ἐπὶ ἁμαρτήμασιν ἐκπεσὼν πατρῴας τῆς οἰκίας: id eſt, qui ob peccata è patris familia eiectus eſt. uide Abdicatio.

Apocha, ἀποχὴ, παρὰ τὸ ἀπέχειν. id eſt recipere: acceptilatio, ſcriptura qua nos debitam pecuniā recepiſſe teſtamur. Vlp. l. 19. §. 1. D. de accept. Inter acceptilationem & apocham hoc intereſt, quòd acceptilatione omnimodo liberatio contingit, licet pecunia ſoluta non ſit: apocha non alias, quàm ſi pecunia ſoluta ſit. Vel ſic:

Apocha eſt cautio, in qua creditor ſe pecuniam à debitore accepiſſe teſtatur. l. 18. C. de fide inſtr. l. ult. § 2. D. de cond. indeb. l. 27. in fi. D. de furt. Antapocha uerò, qua debitor ſe pecuniam debitam

tam creditori perſoluiſſe teſtatur:quod in pẽſionibus annuis in quibus præſcriptionis obiectio timetur fieri,Imp.ſuadet in d.l.18.C.de fide inſtr.

Ἀπόφασις,ſententia,dictum,reſpõſio.Vlp.l.1.§.1.D.de appel.ὑπάρξῃ τοῖς βουλομένοις ἐπικαλεῖσθαι πρὸς τὴν ἀπόφασιν:Liceat ijs, qui uolent,aduerſus reſpõſum appellare. Loquitur de reſcripto principis, qui ab iudice quopiam de aliquo negocio conſultus reſponderat. Apud Dialecticos autem plerunque pro Negatione ponitur.

APOSTOLI,qui & literæ dimiſſoriæ,dicuntur, inquit Martianus,libelli erant, qui ab eo à quo appellatum erat,ad eum qui de appellatione cognĩturus erat, teſtandæ appellationis cauſſa dabantur.l.1.D.de libell. dimiſſ.ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν,qđ mittere ſignificat l.dimiſſoriæ,106.de uerb. ſig.

APOTHECA, ἀποθήκη,cella, locus rebus quibuſuis ad tempus condendis idoneus. Vlpia.l.12,§.16.D.de inſtr.uel Inſt.Inſtructo autem fundo, & bibliothecam, & libros qui illic erant, ut quoties ueniret,uteretur, contineri conſtat.ſed ſi quaſi apotheca librorum utebatur, contrà erit dicendum:id eſt, locum ubi temporis cauſſa libros reponebat.Vlp.in l.21.§.6.D.de furt.& l.5.§.3.D.de his qui deiec.uel effu. pro loco ubi uinum eſt temporis cauſſa repoſitum, uſurpat.item ot illa l.12.§.15.De inſt.uel inſt.Vina quoque, inquit, ſi qua ibi fuerint uſus ipſius cauſſa, continentur. ſed ſi qua eò congeſſerat,non uſus ſui cauſſa, ſed cuſtodiæ gratia, non continebuntur.uina etiam quæ in apothecis ſunt,non cedent. Et l.11.§.3.D.locat.

APPARITORES (de quibus mentio fit in l.3.D.de ſer.fugit.l.ult.§.ult.D.quod met.cau.) uerbũ generale eſt, eoq́; omnes qui magiſtratui apparere ſolent eiusq́; imperio præſtò eſſe, intelliguntur:ueluti ſcribæ, accenſi, interpretes, lictores, uiatores,præcones.ut in Verrina III.explicauimus. Apparitores ex eo nomen inueniſſe quòd magiſtratui apparerẽt, Ciceronis uerba in Cluẽtiana declarant:Quid ſibi autem illi ſcribæ,quid lictores,quid cæteri quos apparere huic quæſtioni uideo,uolunt?Hinc

APPARITIO, pro Apparitore.Vlp.l.23.§.3.D.qđ met.cauſ.Per uim apparitione Præſidis interueniente.

APPELLARE dicitur inferior ſuperiorem, quum ad eum, ut alloquatur, accedit. Vlpian.ex Præt. edicto in l.1.D.ex quib.cau.maior. QVVM'VE MAGISTRATVS DE EA RE APPELLATVS ESSET. Et Aſconius in illum Verrinæ 3.locum, ubi Verres hæredem quendam hominem priuatum appellaſſe dicitur: APPELLAT,inquit, iniurioſum uerbum in perſona Prætoris. appellatio enim eſt inferioris ad potiorem. Hinc

APPELLARE,uerbum iuris, cùm is qui à magiſtratu aliquo iniuriam paſſus eſt, uel parem uel ſuperiorem magiſtratum adit, & ut illud decretum reſcindat,petit. ueluti cùm Prætor contra Prætoris,aut Conſul contra Conſulis,aut Cenſor cõtra Cenſoris,aut Tribuni pl. contra cuiuſuis magiſtratus decretum appellantur. Hinc Appellare, ab inferioris iudicis ſententia ad ſuperiorem prouocare. Vlp.l.1.D.de appell. Appellandi uſus quàm ſit frequens,quamq́; neceſſarius,nemo eſt qui neſciat: quippe cùm iniquitatem iudicantium,uel imperitiam recorrigat, licet nonnunquam bene latas ſententias,&c.

APPELLARE debitorem,eleganter & propriè pro eo quod crebrius dicitur interpellare, id eſt, ab eo id quod debet repoſcere. Iulianus l.16.in fi. D.de fideiuſſ.Veriſimile eſt id actum, ut quum appellatus reus non ſoluiſſet, fideiuſſor teneretur.ſed etſi reus antequam appellaretur, deceſſiſſet,fideiuſſor obligatus non erit. In eandem ſententiam illud eſt Columellæ lib.1.cap.VII.Vel optima nomina non appellando fieri mala,fœnerator Alfius dixiſſe fertur. Vulgus, non ſollicitando.

APPELLARE, inquit Vlp.eſt blanda oratione alterius pudicitiam attẽtare.& paulo pòſt, Aliud eſt appellare,aliud adſectari. Appellat enim qui ſermone pudicitiam attentat:adſectatur, qui tacitus frequenter ſequitur. adſidua enim frequentia quaſi præbet nonnullam infamiã, l.15.§.17.D.de iniur. Valerius lib.6.cap.1. Cui Cominius Tribunus pl.diem dixit. diem apud populum dixit, quòd Cornicularium ſuum ſtupri cauſſa appellaſſet.

APPLICATIONIS ius fuiſſe uidetur, ut qui peregrinus ſeſe in ciuis alicuius Romani quaſi patroni fidẽ & clientelam ita dedidiſſet, ſi is inteſtato mortuus eſſet, eius hæreditatem patronus obtineret. Cicero lib. De orat.1.Quid,quod item in Centumuirali iudicio certatum eſſe accepimus? qui Romam in exilium ueniſſet, cui Romæ exulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet,inteſtatoq́; eſſet mortuus, nonne in ea cauſa ius applicationis,obſcurum ſanè & ignotũ patefactum in iudicio, atque illuſtratum eſt a patrono?

APVD te,uide Penes te.

APVD aliquem obligari,pro Alicui obligari. Iulianus l.16.D.de fideiuſſ. Fideiuſſor obligari non poteſt ei,apud quem reus promittendi obligatus non eſt.

AQVA diurna eſt,quæ interdiu ducitur: Nocturna,quæ noctu.l.ſi prius,17.D.de aq. & aquæ pl.l.ſi communem,10.D.ſi ſeruit.amitt.

AQVA perennis,dicitur quæ perpetuò fluit,neque unquam areſcit.l.1.§.loquitur. D.de aq.quotid.

AQVAE ſalientes dicuntur, quæ ex fiſtulis erumpunt,& ſupernè deſiliunt.l.2.D.de ſuppell.leg.l. impenſæ,79.D.de uerb.ſignif.

AQVA pluuia, eſt quæ de cœlo ueniens creſcit imbri.

bri. Eius nocentis duæ ſunt formæ, alia loci uitio, alia manu nocens: ait Cicero in Top. Vel ſic:

Aqvam pluniam dicimus, inqnit Vlpianus, quę de cœlo cadit, atque imbre excreſcit. ſiue per ſe hęc aqua cœleſtis noceat, ut Tubero ait: ſiue cùm alia miſta ſit. l. 1. §. 1. D. de aq. & aq plu.

Aqva profluens ſeparatur a Flumine, §. & quidem. de rer. diuiſ. uideturque tantum a Flumine differre, quantum pars a toto. Flumen enim eſt, qnod integrum fluminis uſum præbet: ueluti nauigandi, piſcandi, lauandi. Aqua profluens eſt pars eius quantumuis tenuis, quæ non integrum fluminis uſum præſtat, ſed potandi & abluendi tantùm. Eum denique quem aqua non profluens præſtare poſſet: ut ſtagni aut putei. Ex quib. intelligi debet, aquam profluentem nihil aliud eſſe, quàm aquam fluminis. Cic. de Offic. 1. Ex quo ſunt illa communia, Non prohibere aquam profluentem: pati ignem ab igne capere. Vbi tamen Aqua profluente legendum uidetur.

Aqva quotidiana ab æſtiua, inquit Vlpian. uſu differt, non iure: Quotidiana ea eſt, quæ duci aſsiduè ſolet, uel æſtiuo tempore uel hyberno, etiāſi aliquando ducta non eſt. ea quoque dicitur quotidiana, cuius ſeruitus intermiſsione temporis diuiſa eſt. Aeſtiua autem ea eſt, qua æſtate ſola uti expedit, ſicut dicimus ueſtimenta æſtiua, ſaltus æſtiuos, caſtra æſtiua, quibus interdum etiā hyeme, plerunque autē ęſtate utamur, l. 1. §. 1. D. de aqua quotid. & æſti. Vel ſic:

Aqva quotidiana eſt quæ quùm aſsiduè duci poteſt, tum ut aſsiduè ducatur, comparatur: Aeſtiua uerò, quæ quùm æſtate duci poteſt, tum ut eo tantùm ducatur tempore, comparatur: uti patet ex l. 1. D. de aqua quot.

Aqvagivm eſt, inquit Feſtus, quaſi aquæ agium, id eſt aquę ductus. Pomp. l. 3. §. 5. D. de aq quot. Dummodo ne fundum domino, aut aquagium riualib. deterius faciat. Iauolen. l. 9. D. quemad. ſeruit. amitt. Aqua ſi in partem aquagij influxit, etiam ſi non ad ultima, &c. Pompon. l. 15. D. de ſeruit. ruſt. Et quod uellet, in riuo facere liceret, dum ne domino prædij aquagium deterius faceret.

Aqvarii ſerui dici uidentur in l. quæſitum, 12. §. 22. D. de inſtruc. & inſt. leg. qui aquarum cuſtodes & hydrophilaces appellantur in l. decernimus. 10. C. de aq. duc. li. 10.

Aqvaedvctvs, eſt ius aquam ducendi per fundū alienum, l. 1. D. de ſer. præd. ruſt. l. 1. §. hoc interdictum, D. de riuis.

Aqvilices, qui aquæ eliciēdæ ſunt artifices: apud Tarruntenum l. ult. D. de iur. immun. de quibus uide Vitruuium li. 8. cap. 1. & Plin. lib. 26. cap. 6.

Aqviminale, Paulus apertè pro uaſe aquario uſurpat in l. 3. in princip. D. de ſuppet. leg. & paulo pòſt, Nam & pelues argenteas, & aquiminalia argentea, & menſas, &c.

Aqviminarivm, non potorium, ſed eſcarium uas fuiſſe, Pompon. in l. 21. §. 2. D. de aur. ar. leg. ſic tradit, Sed de aquiminario Caſsius ait, quum alteri argentum potorium, alteri eſcarium legatum eſſet, eſcario cedere. Item Vlpianus l. 29. §. 5. eiuſd. tit: Si cui eſcarium argentum legatum ſit, id ſolū debebitur, quod ad epulandum in miniſterio habuit: id eſt, ad eſum & potum. unde de aquiminario dubitatum eſt: & puto contineri. nam & hoc propter eſcam paratur.

Arabarches, præfectus fuit exigēdo uectigali de pecuarijs, quæ ex Arabia in Aegyptum deuehebantur. Hinc uectigal Arabarchiæ apud Impp. l. 9. C. de uectig. commiſſ. Hæc ex Alciati prætermiſsis.

Aratrvm, inducere, moris fuit Romanis quum urbem aliquam euertiſſent, ut eam funditùs delerent. Modeſtinus l. 21. D. quib. mod. uſuf. Si uſusfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea inducatur, ciuitas eſſe deſinit: ut paſſa eſt Carthago, ideoq; quaſi morte deſinit habere uſumfructum. Horat. lib. 1. Carm. Iræ altis urbibus ultimæ ſtetere cauſſæ cur perirent Funditus, imprimeretq; muris Hoſtile aratrum exercitus inſolens. Cicero Philip. 11. Caſilinum coloniam deduxiſti, quò erat paucis annis antè deducta, ut uexillum uideres, & aratrum circumduceres.

Arbiter eſt ciuis R. ex compromiſſo a litigatorib. ſumptus, cui Prætor diſceptandæ arbitrio ſuo controuerſiæ poteſtatem dedit: hisq; tribus potiſsimùm a Iudice diſcrepat: quòd Iudex priuatus eſſe debet, Arbiter etiam cum Imperio eſſe poteſt, l. 2. & 3. D. de arb. Illi propter Prætoris imperium huic propter compromiſſum parendum eſt. Ille ex formulæ prætoriæ præſcripto; hic ex arbitrio ſuo ſententiam pronunciat. Hinc illud Ariſtot. lib. Rhetor. 1. ὁ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον. καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς εὑρέθη, ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ. Arbiter, inquit, æquitatem ſpectat: Iudex uerò legem. & iccirco Arbiter repertus eſt, ut æquitas ualeret.

Arbiter dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium & facultatem. Feſtus.

Arbitrorvm genera ſunt duo: unum eiuſmodi, ut ſiue æquum ſit, ſiue iniquum, parere debeamus. quod obſeruatur, quum ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt. alterum eiuſmodi, ut ad boni uiri arbitrium redigi debeat: etſi nominatim perſona ſit comprehenſa, cuius arbitratu fiat. ueluti quum lege locationis comprehenſum eſt, ut opus arbitrio locatoris fiat. l. 76. & 77. D. pro ſocio.

Arbitrari, ſtatuere, iudicare. ueluti Arbitrari inſcitum, pronunciare inſcitum atque imperitū. Plaut. Merc. Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſcribimus, Seu maritum, ſiue hercle adeò cœlibem ſcortarier, cum eo nos hic lege agemus

mus:inſcitum arbitrabimur : Et per nos quidem hercle egebit, qui ſuum prodegerit. Neu quiſquā poſthac prohibeto adoleſcentem filium, Quin amet, & ſcortum ducat, quod bono fiat modo. Si prohibuerit, plus perdet clàm, quàm ſi non prohibuerit. Hæc adeò ut ex hac nocte primùm lex teneat ſenes.

Arbitrari in patiendi ſignificatione, pro æſtimari. Vlp. l. 12. §. 3. D. de relig. Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus uel dignitate defuncti.

Arbitrariae actiones, Vide Actiones bonæ fidei.

Arbitrarium, quum adhuc res apud arbitrum geritur. Feſtus.

Arbitratu boni uiri, uide Boni uiri arbitratu.

Arbitrium dicitur ſententia quæ ab arbitro ſtatuitur. Feſtus.

Arbitrium recepiſſe uidetur, qui iudicis partes ſuſcepit, finemq; ſe ſua ſententia controuerſijs impoſiturum pollicetur, l. 13. §. 2. D. de recept. qui arb.

Arcarius ſeruus, dicitur cui arcæ in qua domini pecunia condita eſt, procuratio commiſſa eſt. idem qui Actor, aut Diſpenſator. Scæuola l. 41. §. ult. D. de fid. libert. Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino ſcriptas exhibet. nec poſtea nomen ullum fecit. Scriptas accipe, ſubſcriptas & ſubſignatas : ut apud Paulum l. 126. §. 2. D. de uerb. oblig.

Archimandritae dicuntur cœnobiorum præfecti. l. 4. C. de ſumm. trinit.

Archimimus, ἀρχίμιμος, mimorum, id eſt eorum hiſtrionum qui alienos geſtus imitādo deridēt, princeps. Iulianus l. 25. D. de ope. lib. Nā ſi quis planto mimum, uel archiminum libertum habeat, & eius medioeris, &c.

Archiotae, ἀρχιῶται, qui archio, id eſt tabulario præſunt. Arcad. l. ult. §. 1. D. de mun. & honorib. Hi quoque qui cuſtodes ædium, uel archiotæ, uel logographi, uel tabularij, &c.

Archigarontes in l. 5. C. de epiſ. And. Alciatus interpretatur qui procurant negocia aulæ principalis. legemq; Ita reſtituit, Archigerontes diœcetæ quæ ἐργασίας ταμεῖον non niſi Chriſtiani dirigantur : id eſt, qui quæ ad uictum principis palatinorumq; pertinent, coemunt. Hæc ille. nunquam autem ἀρχιγέροντες pro ea re uſurpari audiui. Suſpicarer igitur leuiſsima mutatione adhibita locum ſic corrigendum, Archigerontes & diœcetæ ergaſticorū non niſi Chriſtiani, &c. Eſt autem ἀρχεγατῶν ab ἀρχεγατέω deducto uerbo qui principatum tenet, fabrorum ſcilicet : ut in opificijs publicis & regijs, qui & Ἀρχιτέκτων appellatur. Nam Ergaſticos meo iudicio nominat operas, quæ in publicis operibus cōductæ ab aliquo quaſi principe & magiſtro gubernantur. ἀρχιγέροντες uerò ſeniorum principes declarat; quod uerbum ad huiuſce legis ſententiam quēadmodum accommodari debeat, nō diſpicio.

Archigubernus, ex ἀρχὸς & κυβερνήτης iūcto nomine, princeps gubernator, omnium gubernatorum primus. Iauolenus l. 46. D. ad S. C. Trebell. Seius Saturninus archigubernus, teſtamento reliquit heredem Valerium Maximum trierarchum.

Archivm, ἀρχεῖον, propriè domus principis, Palatium hinc factum, ut cella in qua inſtrumenta publica, quaſi in Principis cuſtodia, reconduntur, Archium appelletur. Vlpian. l. 9. §. 1. D. de Pœnis. Solet & ſic, ne eo loci ſedeant, quo in publico inſtrumenta deponuntur, archio fortè uel grammatophilacio.

Archontes, ἄρχοντες, annui magiſtratus apud Athenienſes: quorum ex nominibus, item ut Romæ ex Conſulum, anni numerabantur. Cice. lib. de Fato Græcum nomē retinuit: Morietur Epicurus, quum duo & ſeptuaginta annos uixerit, archonte Pitharato. Plinius tamen magiſtratum Latinè dixit lib. 33. Nonaginta annis ante Praxibulum Athenienſium magiſtratum. Hadrianus autem pro quouis magiſtratu poſuit in l. 48. D. de iud. τοὺς ἄρχοντας ἐν ᾧ ἄρχουσι ἐνιαυτῷ, μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων. Magiſtratus quo anno magiſtratum gerunt, neque propriam agere cauſam. ſiue agendo ſiue defendendo, &c. Ergo τοὺς ἄρχοντας dixit pro ἐν ἀρχῇ γενομένους.

Area, inquit Varro, ubi frumenta ſecta terantur, & areſcant, propter horum ſimilitudinem loca in urbe pura, Areæ. Itaque Florentinus in l. fundi. 211. D. de uerb. ſign. Area, inquit, in urbe dicitur locus ſine ædificio. Plerunq; autem pro ſolo, in quo ædes poſitæ ſunt, uſurpatur : qua de cauſſa Aedificij pars eſſe dicitur in l. ſeruitutes, 20. §. 2. D. de ſerui. urb. & in l. qui res, 98. §. ult. D. de ſolut. ubi Paulus ait, Aream eſſe inſulæ partem, & quidem maximam : cui etiam ſuperficies cedit.

Arena, pro loco ubi certamina præbebantur, qui ſpargi arena ſolebat. Vlpianus l. 4. D. de accuſat. Sed & calumnia notatis ius accuſandi ademptū eſt : item his qui cum beſtijs depugnandi cauſſa in arenam intromiſsi ſunt. Tryphon. l. ult. D. de fugit. Si in arenam fugitiuus ſeruus ſe dederit, ne iſto quidem periculo diſcriminis uitæ tantùm ſibi irrogato, &c. Hinc Arenarius, qui in arenā certandi cauſſa deſcendit. Calliſtratus l. 38. D. de op. lib. Nec arenarius manumiſſus tales operas patrono præſtare debet : quia iſtæ ſine periculo uitæ præſtari non poſſunt. Hinc

Arenarius, qui in arena publicè pugnauit. Arcadius l. 21. §. 2. D. de teſtib. Si ea rei conditio ſit, ubi arenarium teſtem uel ſimilem perſonam admittere cogimur, &c.

Argentarii, ciues Romani, qui tamen Romæ tum

tum in prouincijs rei nummariæ negociationem exercebant: unde & Numularij, & Menſarij nominantur. nam ad eos duabus de cauſis pecuniæ deferebantur, quemadmodum ex Vlpiano intelligimus in l. uigeſimaquarta §. ſecundo D. de reb. auct. iud. aut enim deponebantur ſine fœnore, propter fidem publicam duntaxat: id eſt, ut tutiore loco quàm priuatis in ædibus aſſeruarentur. nam in æde Caſtoris recondebantur. Plautus in Curcul. Sub ueteribus ibi ſunt, qui dant, quique accipiunt fœnore. Pone ædem Caſtoris ibi ſunt, quibus credas malè. Iuuenalis, Quanto capitis diſcrimine conſtant Incrementa domus, ærata multus in arca Nummus, & ad uigilem ponendi Caſtora numi. Aut ſub uſuris ipſis pecuniæ credebantur: quas deinde fœnori collocabant. Hinc Argentariorum rationem Donatus Terentij interpres ſignificans: Tunc, inquit, in foro & de menſæ ſcriptura, magis quam ex arca domoque, uel ciſta pecunia numerabatur. De qua conſuetudine quum Syngrapham interpretabimur, dicendi erit locus. Hinc conſtat quamobrem Vlpianus l. decima D. de edendo ſcribat, Argentariorum officium atque miniſterium publicam habere cauſſam: & hanc principalem eorum operam eſſe, ut actus ſui rationes diligenter conficiant. & l. 4. Argentarios ſingulorum rationes conficere. Hos uero tabernas circum forum habuiſſe conſtat. unde Circunforaneum æs Cicero appellat epiſt. prima libro ad Attic. .11. Liuius lib. 26. Annibal, inquit, uocato prætorio tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc eſſent, iuſſit uenire, id eſt, eas quæ tum erant: nam aliæ poſtea ſunt additæ. Has à Tarquinio rege in foro poſitas Dionyſius Halicar. libro tertio docet his uerbis: τήν τε ἀγορὰν ἐν ᾗ δικάζουσι καὶ ἐκκλησιάζουσι, καὶ τὰς ἄλλας ἐπιτελοῦσι πολιτικὰς πράξεις, ἐκεῖνος ἐκόσμησε, τοῖς ἐργαστηρίοις τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις περιλαβών. Forum in quo ius dicitur, & conciones fiunt, aliaque ad Remp. pertinentia tranſiguntur, ille tabernis & alijs ornamentis circundatum exornauit. De his tabernis Vlpianus loquens in l. 32. D. de cont. empt. Qui tabernas, inquit, argentarias, uel cæteras quæ in ſolo publico ſunt, uendit, non ſolum, ſed ius uendit: quum iſtæ tabernæ publicæ ſint, quarum uſus ad priuatos pertinet. Ad eas autem tabernas auctiones fieri ſolitas patet ea l. 18. D. de hæredit. petit. & l. 88. D. de ſolutionib. & ijs quæ in Ora. pro Cæcina explicauimus.

ARGENTVM aliud eſt factum, aliud infectum, aliud ſignatum: quas omnes ſpecies Vlpian. enumerat in l. 19. D. de furt. Factum eſt, unde artifex opus aliquod ueluti lancem aut pateram effecit. Infectum quod rude & adhuc in maſſa eſt. Signatū quod ſigno publico notatum, numi, atq; pecuniæ appellationem recipit. Liuius lib. 34 Secundo die aurum argentumq;, factum infectūq; & ſignatum. Infecti argenti fuit pondo decē & octo millia. Facti uaſa multa omnis generis. Signati argenti octoginta quatuor.

ARGENTVM purum putū Alfenus Iuriſconſultus lib. 34. D. ſcribit eſſe ualde purum: ſicut nouū nouitium dicimus, & proprium propitium, augere atque intendere uolentes noui & proprij ſignificationem. Hoc tamen Gell. li. 6. cap. 5. reprehendit, & ait putum eſſe à putando dictum, & ob eā cauſam prima breui ſyllaba pronunciari. Purum autem argentum eſſe, quaſi exputatum, excoctūque, omniq; aliena materia carens, omnibusq; ex eo uitijs detractis, emaculatum & candefactum.

ARGENTVM puſulatum, uide Puſulatum.

ARMILLAE humerorum & brachiorum ornamēta muliebria, ab Armus deducto nomine: apud Vlpian. l. 25. § 4. D. de aur. arg. Plaut. Menæhmis, Vbi hercle armillæ ſunt, quas unà dedi.

ARRA, ſiue arrabo dicitur, quod precij numerandi quaſi pignus datur. Arræ autem inſtitutæ uidentur in auctionibus, quum æris aliquantulum dateretur, quòd plauſtra grauis æris eò uehi incommodum fuiſſet, nam quod arræ nomine datur, argumentum eſt emptionis & uenditionis contractæ: ait Imp. tit. De empt. & uend. in princ.

ARRABO, pecunia ſic data ut reliquum reddatur. hoc uerbum à Græco ἀῤῥαβὼν. Varro.

ARRABO, pignus. Terent. in Heauton.

Reliquit filiam adoleſcentulam:
Ea relicta huic arraboni eſt pro illo argento.
Item aliquanto poſt de eadem.
Num iuſſi, num illa oppignerare filiam
Meam me inuito potuit?

ARRAE ſponſalitiæ dicuntur munuſcula, quæ ſponſis quaſi coemptionis futuræ prærogatiua dabantur. ſub tit. C. de ſponſal. & arris ſponſalit. quæ tum reſtituebantur, cùm ſine culpa eius qui eas dediſſet, nuptiæ impediebantur. Is enim qui dederat, ſi nolebat matrimonium contrahere, amittebat: qui acceperat duplum, atque adeò, ſi tantùm in ſtipulationem deductū eſſet, quadruplū reddere cogebatur.

ARS Ludicra, ars Ludionum, id eſt, hiſtrionum, aut comœdorum. Macer l. 14. D. de pœn. Similes artem ludicram fecerit, uel in ſeruitutem ſe uenire paſſus eſt, capite punitur.

AS, libræ pondus: cuius duodecim partes Vlpianus enumerat in l. ſeruum, 50. § ult. D. de hæred. inſt. Vnciā, Sextātē, Quadrantē, Trientē, Quincuncē, Semiſſem, Septuncē, Beſſem, Dodrantē, Deuncē, Aſſem. Itaq; cùm totū Iuriſconſulti ſignificabāt, ſæpe Aſſem nominabāt: quia diuidua omnia ad Aſſis partes reuocabāt. Hinc Ex aſſe hæres dicitur, cui uniuerſa hæreditas relicta eſt. hinc Ex aſſe auferri hæreditas, quæ uniuerſa aufertur. l. 2. C. de his q̄ ut indig. Ex aſſe deberi, l. 1. D. ut leg. no. caueat. Ex aſſe poſſidere, l. pen. D. qui ſatiſd. cog.

ASCETERIA

ASCETERIA ἀσκητήρια, loca exercitationi parata. nam ἀσκῶ exerceo ſignificat, & ἀσκητὴς exercitator. Hinc ſeceſſus olim a Theologiæ ſtudioſis parati, in quibus ſe animo uacuo ac libero in eo ſtudio exercerent, Aſceteria nominantur in l.omnia, 33.& alibi ſæpe. C. de epiſ. & cler. De his aũt Budæi uerba ex Græcis cõmẽtarijs adſcribi, eſt melius: Ἄσκησις, inquit, ꝓ meditatiõe & exercitatione mentis in rebus diuinis accipitũ. Baſi. De uita ſolitaria, Ἔστω τοίνυν τὸ χωρίον τοιοῦτον οἷον περ ἐστι καὶ τὸ ἡμέτερον, ἀπιμιξίας ἀνθρώπων ἀπηλλαγμένον, ὡς μὴ ὑπὸ μηδενὸς τῶν ἔξωθεν τὸ συνεχὲς τῆς ἀσκήσεως διακόπτεσθαι. ἄσκησις δὲ τῆς εὐσεβείας τὴν ψυχὴν τρέφει τοῖς θείοις διανοήμασι. Inde Ἀσκητήρια locus ſolitarius, & a publico ſeceſſus ad ueræ philoſophiæ exercitationem. Greg. εἰς Βασίλειον de quo loquimur, Ἀσκητήρια καὶ μοναστήρια δειμάμενος μὲν, οὐ πόῤῥω δὲ τῶν κοινωνικῶν καὶ μιγάδων. Inde Ἀσκηταὶ, monachi dicti. Damaſ. περὶ τῆς τῶν ἁγίων τιμῆς, τοὺς ὁσίους πατέρας ἡμῶν, τοὺς θεοφόρους ἀσκητὰς, τοὺς χρονιώτερον καὶ ἐπιπονώτερον μαρτύριον τῆς συνειδήσεως διαθλήσαντας. Baſil. de uita ſolitaria, Ἀλλ' ὅπερ τοῖς ἄλλοις ὁ ἀνθρώπος ἐστὶ, τοῦτο τοῖς ἀσκηταῖς τῆς εὐσεβείας τὸ μοναδικὸν, id eſt, Monachis, & ijſdem uerbis ad clericos Neocæſarienſes. Et ἀσκήτριαι puellæ Deo dicatæ. Sic enim in l.omnia, de epiſc.& cle. legi debet: ubi hoc uerbum deprauatum eſt in Cod. Iuſtiniani, & ubi aſſiſtererijs legitur, aſceterijs reſtituendum; & βιοτὴ ἀσκητικὴ, uita monaſtica. Theodoſ. in IIII. hiſt. eccleſ. Καὶ τὰς ἀσκητικὰς καταλύσαντες παλαίστρας οἱ ἐν ἐκείναις διάγοντες, τὸν ἀθανασίας θῶκον κληρονομῆσαι τὸν πατρῷον ἔξιον. Idem Παιδοτρίβης δὲ ἄριστος τῶν ἀσκητικῶν ἐγγίνετο συνταγμάτων αἱ τούτοις ἐκεῖνος ὁ πολυύμνητος. Idem de monachis uitis ſanctis, Ἐν μὲν οὖν ἀσκηταῖς καὶ τῆς ἀρετῆς φροντισταῖς αὐτοῖ κατ' ἐκεῖνον διέλαμπον τοὺς καιρούς.

ASCRIPTITII, uide Adſcriptitij.

ASPARGO, uitium ex pluuia undave contractum. Calliſt.l. 4.§.2.D.ad l. Rhod. Si uicenum merces duorum fuerunt, & alterius aſpargine decem eſſe cœperunt. Et infrà, Adhuc nunquid & ſi aſpargine propter iactum res deteriores factæ ſunt: Alij libri ASPERGINE. In uetuſtis autem pleriſq; Conſpargo, & Aſpargo legitur.

ASSECTARI matronam dicitur, qui tacitus frequenter ſequitur: quæ iniuria iniure ciuili exiſtimatur: ut conſtat ex l.15.§.17.de iniur. nam, ut ait Feſtus, matronæ a magiſtratibus non ſubmouebantur, ne pulſari contrectarique uiderentur, neve grauidæ concuterentur. Sed nec uiri earum ſedentes cum uxoribus cum uehiculo deſcendere cogebantur.

ASSERERE manum, eſt admouere: quòd ea quoque quæ in terram dimittuntur, ſeri dicuntur. unde etiam ſeræ appellantur, quia foribus admotæ opponuntur defixæ poſtibus, quemadmodum ea quæ terræ inſeruntur. Feſtus libro primo. Significat autem eam conſuetudinem qua ueteres utebantur cùm rem quampiam uindicabãt, & manu prehendebant. Plautus Rudente de piſcibus loquens, Siquidem cepi, mei ſunt: habeo pro meis: nec manu aſſeruntur, neq; illinc partem quiſquã poſtulat. Hinc cùm è ſeruitute in libertatẽ aliquis uindicabatur, aſſeri dicebatur. Var.l.de lin.v. Aſſerere manu in libertatẽ, cùm prehendimus, inquit. Ter. Ego illã liberali aſſero cauſſa manu. ubi Donatus, Aſſertores, inquit, dicuntur uindices alienę libertatis. Paulus lib. Sent. v. cap. 1. Poſt ſuſceptũ liberale iudicium, ſi aſſertor cauſſam deſeruerit, in alium aſſertorem omne iudicium trãſferri placuit. Hinc Iudicium liberalis cauſſæ ASSERTIO uocatur: & a Quintiliano l. v. ca. 11. Aſſertio ſecunda: cùm aſſertore uicto cauſſa iterum agitur. uide Liberali cauſſa manu aſſerere.

ASSESSORES dicti ſunt ſublatis ordinarijs iudicijs, Iuriſperiti, qui tum in publicis, tum in priuatis iudicijs, colonijs, municipijs, non modò Romę, uerùm etiam in prouincijs ab ijs qui iudicium exercerent, in conſilium publico conſtituto ſalario adhibebantur. Eorumque officium in his ferè cauſſis conſtabat: cognitionum, poſtulationũ, libellorum, edictorum, decretorum, epiſtolarum. l.1.& paſſ. D. de offi. aſſeſſ. Eos Paulus in l. pen. Conſiliarios appellat. Lampridius in Alexand. Seuero, Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit: quamuis ſæpe dixerit eos eſſe promouendos, qui per ſe Remp. gerere poſſent, non per Aſſeſſores: addẽs militares habere ſuas adminiſtrationes, habere literatos, & ideo unumquenque id agere debere, quod noſſet.

ASSIDVVS quidam per d ſcribunt, quaſi ſit a ſedendo figuratum: ſed errant. nam cùm à Seruio Tullio populus in quinque claſſes eſſet diuiſus, ut tributum pro ut quiſque poſſideret, inferret: ditiores qui aſſes dabant, Aſſidui dicti ſunt: & quoniam ſoli negocijs publicis frequentes aderant, eos qui frequentes aſſunt, aſſiduos ab aſſibus dixerunt. Hæc Chariſius libro 1. Vel ſic:

ASSIDVVS in XII. tabulis pro locuplete, & facile munus faciente: Dictus ab aſſibus, id eſt, ære dando, quum id tempora Reipub. poſtularent: aut à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. Aſſiduo, inquit lex, uindex aſſiduus eſto: Proletario ciui quiuis uolet, uindex eſto. Gellius l.16. cap.10. Vel ſic:

ASSIDVVS, eſt locuples, ut ait Aelius: appellatus ab ære dando. quare quum lex aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubet, locupletem iubet locupletis ait Cicero in Topicis.

ASSIGNARE libertum, inquit Modeſtin. hoc eſt, teſtificari cuius ex liberis libertum eum eſſe uoluit l.107. D. de uerborum ſignific. nam uetus Senatuſconſultum fuit, quo poteſtas patribuſfamil. permittebatur, ſi duos pluresve liberos iuſtis nuptijs quæſitos in poteſtate habeant, de liberto libertave ſua ſignificandi, cuius ex liberis ſuis eum libertum, eamve libertam eſſe uelint .l. prima .D. de aſſignat. liber. Hæc autem ſignificatio Aſſignatio dicitur: aſſignari

quippe libertus dicitur, qui a patre alicui ex liberis quaſi peculiaris ac proprius attribuit, ut poſt mortem patris is ſolus filius patronus ei ſit. Et Aſsignare aliud nihil eſt, quam ius patronatus ad plures pertinens uni propriè ac peculiariter attribuere, in eumque ſolum contrahere.

Atavvs, ait Paulus, eſt abaui uel abauiæ pater, pro aui uel proauiæ auus, aui auiæq; proauus, patris uel matris abauus l. 10. §. 9. D. de grad. & adf.

Atrienses, ſiue Atriarij ſerui dicuntur, quibus atrij cura commiſſa erat. l. 1. §. caupones, D. naut. caup. ſtab. l. in lege, 203. D. de uerb. ſignif. l. 8. D. de inſtruct. uel inſt.

Atrox iniuria dicitur, quæ cũ grauiore aliqua contumelia coniuncta eſt: in qua æſtimanda facti, loci, perſonæ, membri ratio conditioque perpenditur. l. prætor, 7. & l. ſeq. D. de iniur.

Attentari pudicitia dicitur, quum id agitur ut ex pudico impudicus fiat. l. 10. D. de iniur.

Atypvs, ἄτυπος, qui non habet in lingua explanatam uocuum impreſsionem: ut qui lingua ſunt paulo craſsiore. nam τύπος formam ſignificat, quę imprimitur: ut ἄτυπος dicatur, quum ea forma malè alicui rei imprimitur. Vlpian. l. 10. §. 4. D. de ædil. edict. Quæſitum eſt an balbus & blæſus, & atypus, iſque qui tardius loquitur, & uarus, & uatius, ſanus ſit. & opinor eos ſanos eſſe.

Attribvtvm, uide Tributum.

Avctionalia, tabulæ auctionariæ, inſtrumenta auctionis. l. 1. §. officio. D. de tut. & rationib.

Avctor is dicitur, a quo quis auctoritatem, id eſt, ius domini in rẽ quampiam accepit. Cicero Verrin. 7. Tum illi intellexerunt, ſe id quod a malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe: id eſt, ab eo qui uendendi auctoritatem nullam habebat. Item, pro Cæcina: P. Ceſennius auctor fundi. Plaut. Curcul. Nec nobis auctor ullus eſt, nec uoſmet eſtis ulli. Declinatum autem uidetur uerbum ab auctionibus, in quibus ei qui plurimum auget, res addicitur: & ex ea auctione atque adiectione ſua, auctoritatem ſibi in rem emptam comparat. nam ab augendo deductum Grammatici ueteres teſtantur: & nota illa oſtendit quæ eſt apud Valerium Probum, qua ueteres utebantur Avc. quæ auctor ſignificat: & in antiquis monimentis ſic ſcriptum eſſe plerique teſtantur. Quum ergo Auctor is propriè diceretur, cui propter ſummam auctionem & licitationem res addicta eſſet, & Auctoritas ius ex ea auctione quæſitum: translatum poſtea fuiſſe uocabulum putamus ad eos, qui rem quoquomodo abalienarent, ut quum quæreretur ex eo qui rem acceperat, unde ſibi ius in eam comparaſſet, ſuum illum quaſi auctorem nominaret, qui ſibi ſuam auctoritatem tradidiſſet. unde ſenſim in eos quoque quorum ſententiam & conſilium ſequimur, quaſi ius quoddam ita ſentiendi certum & conſtitutum haberent, conſuetudine ſermonis tranſlatum eſt. nam uerbi gratia quum inſtitutum eſt, ut legum quæ comitijs centuriatis ferrentur ante initum ſuffragium patres auctores fierent, id eſt ut S.C. prius aliquid decerneretur, poſtea illud idem a populo iuberetur. ea lex hanc uim habebat, ut quaſi in euictionibus, poſſeſsionumque controuerſijs poſſeſſor ſuum auctorẽ a quo ius ſuum adeptus eſt laudat, ita populus conſilij ſui auctorem ac ſuaſorem ſenatum laudare poſſet. Quòd ſi quis uel αὐθέντας, uel αὐτὸς uocabula nobis obijciat, indeque propter literarum ſimilitudinem auctoritatem dictam putet, is Dionis uerba audiat, qui li. LV. ſic ſcribit, ΕΒΟΥΛΕΥΟΝΤΟ μὲν, καὶ ἤγε γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστι. id eſt, Conſultabant autem Senatores (abſente Cæſare ſcilicet) & eorum ſententia perſcribebatur. non tamen quaſi rata effectum habebat: ſed erat Auctoritas: ut eorũ ſententia nota eſſet. Tale enim quiddam uis huius uerbi declarat: quod uno uerbo Grecè exprimi non poteſt. Paulus l. ſi fundo, 53. De euict. Si cùm poſsit emptor auctori denunciare, non denunciaſſet, ideoque uictus fuiſſet. Modeſtinus l. Herennius, 63. eod. Seia fundum a Titio emerat, & quæſtione mota fiſci nomine auctorem laudauerat. Hinc

Avctor ſecundus. Vlpian. l. 4. D. de euict. Illud quæritur, an is qui mancipium uendidit, debeat fideiuſſorem ob euictionem dare, quem vulgò Auctorem ſecundum uocant. Hinc

Avctoritas, titulus, id eſt ius quo quid poſsidemus. Itaque Scæuola in l. ult. D. de pigner. act. ꝗ principiò Inſtrumẽtũ emptionis appellauit, paulò poſt Inſtrumẽtum auctoritatis nominat.

Avctoritas, euictio, periculi præſtatio. Paulus lib. Sent. 2. cap. 17. Venditor, ſi eius rei quam uendiderit, dominus non ſit, precio accepto auctoritatis manet ob noxius: id eſt euictionis. ſubauditur autem nomine. Item, Res empta mancipatione & traditione perfecta, ſi euincatur, auctoritatis uenditor duplotenus obligatur.

Avctoritas, firmamentum, robur, firmitas, &, ut ita loquar, ualiditas. Scæuola l. ult. D. de aq. & aq. plu. Scæuola reſpondit, ſolere eos qui iure dicundo præſunt, tueri ductus aquæ. quibus auctoritatẽ uetuſtas daret, tametſi ius non probaretur. id eſt in quibus uetuſtas pro titulo ualeret.

Avctor legis dicebatur, qui quum ea dignitate præditus eſset, ut eius oratione commoueri populus poſset, ab ijs qui leges ferebant, deligebatur ut eas ſuaderet, ac populo probaret. Ita Pompeius eius legis quam tulit Lentulus de Cicerone reuocando, frequenter a Cicerone auctor appellatur in Orat. poſt reditum ad Quir. Idem libro de Legib. 3. Itaque iſti rationi neq; lator quiſquã

eſt

eſt inuentus, nec auctor unquam bonus.

AVCTORARE, Auctoramentum & Auctoratio, uide Exauctorari.

AVCTORARI, pro auctorem eſſe, auctoritatem ſuã interponere. Pomp. l.4.D.de auct.tut. Etſi pluribus datis tutoribus unius auctoritas ſufficiat, tamen ſi tutor auctoretur cui adminiſtratio tutelæ conceſſa non eſt. Vlpian. l.9. D. quòd falſo tut.auct. Huius actionis exemplo danda eſt actio aduerſus eũ qui dolo malo adhibuit, ut alius auctoraretur inſcius.

AVCTOREM eſſe, eſt dicere ſe id probare quod agitur, etiam ſine interrogatione: ait Paulus in l.3. D.de auct.tutor.

AVCTORES iuris dicebantur Iuriſconſulti, quibus permiſſum erat (ut ait Imperator) iura condere. Vlpian.ex Diuorum fratrum reſcripto in l.17.D. de iur. patro. Et Proculum ſanè non leuem iuris auctorem in hac opinione fuiſſe. & paulo poſt, Plurium etiam iuris auctorum, ſed & Saluij, Iuliani amici noſtri clariſsimi uiri hanc ſententiam fuiſſe. Martianus ex reſcipto Diui Pij, An mora facta intelligatur, neque conſtitutione ulla, neque iuris autorum quæſtione decidi poſſe. Aggæus Vrbicus, At Caſsius Longinus, uir prudentiſsimus, iuris auctor hoc ſtatuit, ut quicquid aqua lãbendo abſtulerit. id poſſeſſor amittat.

AVDENTER, pro temerè, impudenter. Vlpianus.l. prima §.quinto .D.ſi pars hæred. pet. Non audenter itaque dicitur, ubicunque meritò quis incertus eſt, &c.

AVDITORIVM, locus in quo iudices audiendæ cognoſcendæque controuerſiæ cauſſa conueniunt. Paulus l.lecta.40.D. Si cert.petat. Lecta eſt in auditorio Aemilij Papiniani præfecti prætorio, Iuriſconſulti, cautio huiuſmodi. Vlpia. l. minor, 18.D.de minoribus. Princeps perrarò ſolet permittere induci in auditorium ſuum eum, qui per infirmitatem ætatis captum ſe dicat. Item, Poſt ſpeciem in auditorio eorum finitam. Item, Permiſerunt in auditorio ſuo examinari. Sic apud eũdem in l. mulier, 22.D.ad S.C.Trebell.apud Paulum l.contra, 54.D.de rei iudic.

AVERSIONE, uel per auerſionem emere, locutio eſt a Iuriſconſultis uſurpari ſolita, quum res multæ ſimul, atque aceruatim uno precio uenduntur. multas autem intelligo, ſiue illę plurium ſint generum, ſiue unius: ſed numero, aut pondere, aut menſura diuidantur. Aſconius hac in re uocem SEMEL uſurpat, Sectores, inquit, ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur: ac poſtea ſingulas quaſque res populo uenditabant. Putoque non ab Auertendo deductum uocabulum, ſed ab Auertendo: quaſi quum omnia ſimul uno tempore tanquam per euerriculum auerruntur. unde Vniuerſa dicuntur propriè, quę unum in locum ſunt conuerſa. Exemplum eiuſmodi emptionis perſpicuum eſt in auctionibus de quibus diximus: quum res non ſingulatim & ordine diuenduntur: ſed uniuerſæ uno precio ſimul atque aceruatim auferuntur. Vlpianus .l. 4.§.1.D.de peric. & comm. Si auerſione uinum uenit, cuſtodia tantum præſtanda eſt. Et §.ſeq. Vino autem per auerſionem uendito, finis cuſtodiæ eſt auehendi tempus: id eſt non ad menſuram: ut ipſe idem locutus eſt in l.1.§.1. eod. tit. Modeſt. l.62.§.2.D.de cont.empt. Res in auerſione empta ſi non dolo uenditoris factum ſit, ad periculũ emptoris pertinebit. Vlpian.l.1.§.7. De exercit. act. Exercitorem eum dicimus, ad quem obuentiones & reditus omnes perueniunt, ſiue is dominus nauis ſit, ſiue a domino nauem per auerſionem conduxit. id eſt non in certam partem, ut certum onerum numerum imponeret: ſed uniuersè. quod apertiſsimè Paulus docet in l.ult. in fin. D. De leg.Rho. Si conduxiſti nauẽ amphorarũ duo millium, & ibi amphoras portaſti, pro duobus millibus amphorarum preciũ debes. Paulus, Imò ſi auerſione nauis conducta eſt, pro duobus millibus debetur merces: ſi pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituta eſt, contrà ſe habet. nam pro tot amphoris precium debes, quot portaſti. Perſpicuè Paulus eum qui per auerſionem conducit, ei qui ad certum onerum numerum conducit, oppoſuit. Florentinus in l.36.D. locat. Opus quod auerſione locatum eſt, donec approbetur, conductoris periculo eſt (ſic puto legendum, non PERICVLVM,) quod uerò ita conductum ſit, ut in pedes menſurasq; præſtetur, eatenus conductoris periculo eſt, quatenus admenſum non ſit. Hæc quum ita ſint, haud ſcio an ADVERSIONE potius, quàm AVERSIONE legendũ ſit, quomodo in Florentinis libris ubiq; legitur, & AFVISSE pro Adfuiſſe, aut Abfuiſſe. nam & Fab. lib.XII. ueterum pleroſq; Auerſa pro Abuerſa dixiſſe teſtatur: & quamuis quæ ad nos aduerrimus, ab alio auerramus, ut non magni intereſſe uideat: emptor tamen & conductor aduerſione rem accipere dicentur, non auerſione. ut non incommodè dici poſſe uideatur, quum de uenditore aut locatore loquimur, Auerſione: quum de emptore & conductore, Aduerſione ſcribendum, & pronunciandum eſſe.

AVERSIONE uendere, Pomponius Confusè uendere dixit in l.36.D.de Aedil.edict.

AVERTERE, interuertere, ſurripere. Vlpian.l.3.D. de crim.ſtel. Sed & ſi quis merces ſuppoſuerit, uel obligatas auerterit, uel ſi corruperit, æquè ſtellionatus reus erit. Idem l.1.§.7.D. Si is qui teſt. lib. Sed & in omnibus quæ interfuit hæredis non eſſe auerſa, locum habet hæc actio. Idem l. 7. §. 2. D.de trib.act. Sed etſi mercem perire paſſus eſt, aut eam auertit, aut uilioris data opera diſtraxit, &c. Hinc

AVERSIONIS actio: de qua uide Actio oneris auerſi.

Avocare alicui,pro ab aliquo. Vlpianus l.36.D. de nox.act.Nec oberit quòd Seruiana poteſt ei homo auocari.

Avrevs centum continet ſeſtertios, ut ex his Dionis uerbis intelligitur ex libro lv. quæ ſic conuertimus: Qnum Auguſti domus in palatio conflagraſſet,multiq; multa illi conferrent, nihil accepit, niſi tantum a populis aureum, a priuatis uerò drachmam. Aureum enim ego quoque numum qui drachmas uigintiquinque ualet, more noſtro appello. Et Græcorum quidam quorum libros, quòd Attico dicendi genere ſcripti ſunt, legimus, ſic ipſum uocarunt. Hæc Dio. Quum igitur drachma denario Romano apertiſſimè a Plutarcho in Camilli uita æſtimetur,apparet Dionem aureum pro centũ ſeſtertijs uſurpaſſe:quũ ſcilicet in uigintiquinque denarijs tot ſint ſeſtertij. quod ex Taciti & Tranquilli duobus collatis inter ſe locis facilè intellectu eſt. Nam ꝙ hic Othonem ſcribit excubanti cohorti diuidere ſolitum,quoties cœna principẽ acciperet, uiritim unum aureum:Tacitus idem commemorans centenos ſeſtertios nominat.Quæ quum ita ſint, crederem equidem locum illum apud Imp. §. 3. De ſucceſſ.lib.qui & me & alios complures exercuit, leui commutatione ſic ſanari poſſe,ut hæ duæ uoces centvm & mille locum inter ſe commutarent: id eſt altera in alterius locum ſuccederet. Nam ſi hoc modo legatur ut mox ſubijciam, omnia quadrabunt: Siquidem libertus & liberta minores centenarijs ſint,id eſt minus mille aureis habeant ſubſtantiam (ſic enim legis Papiæ ſummam interpretati ſumus, ut pro centum ſeſtertijs unus aureus computetur nullum locum habeat patronus, &c. Quum enim centum ſeſtertij aureum efficiant; centum quoque ſeſtertiorum millia, mille aureos conficiant neceſſe eſt. Atque huic errato ſimile aliud eſt in l. 1. Si ager uectig. in uocibus Tandiu, & Quandiu: quod tamen Haloander emendauit. Hoc præterea probatur ex eo quod ſcribit Vlpi.in l.1.§.5. D.de uar.& extraord.licitum aduocatorum honorarium pro ſingulis cauſsis uſque ad centum aureos fuiſſe. Nam Corn.Tacitus lib. xi. ſcribens de Claud.Cæſare, qui pecunijs pro aduocationibus capiendis modum impoſuit, ait eum ſtatuiſſe modum uſque ad dena ſeſtertium, quæ egreſsi repetundarum tenerentur. Sic enim legↄ in ſecundo caſu, ut ſubaudiatur millia: ſicut in omnibus antiquis auctoribus. Quapropter quum audimus libertum, qui patronum ſine uenia in ius uocarit, quinquaginta aureis multari, l. 15. & l. 24. & l. 25. D.de in ius uoc. perinde accipiendum eſt ac ſi dictum eſſet, h-s. quinque millibus. ut quum is qui edictũ corruperit quingentis aureis multari dicitur apud Vlp.l. 7. D. de iuriſdict.continuò intelligimus h-s quinquaginta millia:quæ ſanè ſumma permagna eſt:continet enim ſcutatos Gallicanæ pecuniæ mille ducentos quinquaginta. ut mihi Haloandri lectio probabilior eſſe uideatur, qui non qvingentorvm, ſed qvinqvaginta poſuit. præſertim quum huius quoque uarietatis nos optimus Accurſius admoneat. Quinquaginta enim, ſcutatos Gallicos centenos uicenos qui nos efficiunt. Huc accedit, quòd idem Vlpian. eadem in lege ſcribit, eos qui inopia laborant, corporalem pœnã ſubire: Hermogenianus autem in l. 10. D.de accuſat. eos eſſe pauperes conſtituit, qui minus quinquaginta in bonis habent. Verùm ut ad rem redeamus: quum ſcribit Caius in l. 25. D.de S. C. Silaniano, præmium accuſatori ſeruorum conſtitutum eſſe in ſingulos ſeruos quinos aureos, & qui manumiſsi erunt denos: ſimiliter intelligendum eſt, illi quidem, quingentos ſeſtertios, id eſt ſcutatos duodecim & ſemiſſem: huic uerò mille,id eſt ſcutatos uicenos quinos & apud Venuleium in l.6. §. 2. De repetund.ſancitum eſſe,ne magiſtratus plus doni muneris in anno accipiant, quàm quod ſit aureorum centum: ſic accipiendum eſt, ac ſi ſcriptum eſſet, h-s decem milliũ:id eſt ſcutatorũ ducentorũ quinquaginta.

Avrichalcvm, inquit, Sex. Pompeius, quidam putant compoſitum ex ære & auro: ſiue quòd colorem habebat aureum.Orichalcum ſane dicitur, quòd in montuoſis locis inuenitur, mons etenim Græce ὄρος appellatur. Marcianus l. 45. D. de cont. empt. Quemadmodum ſi uas aurichalcum pro auro uendidiſſet ignorans, tenetur ut aurum quod uendidit præſtet. Seruius Aeneid. xii. Apud Maiores orichalcum precioſius metallis omnibus fuit. namque ſicut Lucretius dicit, cũ primùm homines ſyluas incẽdiſſent,nullarum adhuc rerum periti, terra caſu fertilis omnium ex incendij calore deſudauit metalla, inter quæ Orichalcum præcioſius uiſum eſt, quòd & ſplendorem auri & æris duritiem poſsideret. Nam primùm de auro ſecuris facta diſplicuit cauſa mollitiei, ſimili ratione & argenti contemptus eſt uſus,mox orichalcum placuit donec ueniretur ad ferrum: unde etiam ſecula ita dicuntur fuiſſe diuiſa. Orichalcum autem fuiſſe precioſum, etiã Plaut. docet, qui ait in Milite glorioſo,Ego iſtos mores orichalco contra comparem.

Avrvm coronarium quid ſit, docet Seruius in illum Aeneid.viii.locum, Ipſe ſedens niueo candenti limine Phœbi, Dona recognoſcit populorum,aptatq; ſuperbis,Poſtibus.Aurum,inquit,coronarium dicit: quod hodieq; a uictis gentibus datur.Imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam uitam.ideo dixit dona. nam ſi hoc non eſſet,ſpolia diceret. Hæc Seruius. Cic. in Piſonem,Mitto aurum coronarium, quod lex & decerni & accipi uetat. niſi decreto triumpho. Et in Rullum,Quod ad quemque peruenerit ex præda,ex manubijs,ex auro coronario. Patet autem

tem ex Cod. Theodoſ. lib. XII. tit. XIII. poſtre-
mis temporibus moris fuiſſe, ut ex uniuerſi im-
perij curijs, & ſatrapijs, uel ſponte, uel indulgen-
tiarum lætitia, uel ob res proſperè geſtas aurum
coronarium Imperatori mitteretur.

AVTHENTICAE tabulæ: primariæ, unde tanquam
ex fonte exempla deſumpta ſunt. Vlpian. l. 4. in
fin D. fam. erciſc. Hæredem enim exemplum de
bere dare: tabulas uerò authenticas ipſum retine-
re, aut in æde deponere. Idem l. 8. Plerunq; enim
authenticæ rationes ſunt neceſſariæ actori ad in-
ſtruenda ea, &c. Sic in l. ult. D. Teſt. quemad-
aper. exemplum teſtamenti ab autheutico diſtin-
guitur. Imp. l. 3. C. de diuerſ. reſcript. Sancimus
ut authentica ipſa atque originalia reſcripta, non
exempla eorum inſinuentur.

AVTOMATA, αὐτόματα, opera quæ per ſe ipſa mo-
uentur: ut horologia. Hinc fictum ab Vlpian.
uerbũ Automataria, in l. 41. §. 7. De legat. & fid.
lib. 30. Sed automataria, inquit, aut ſi qui cantha
ri, per quos aquæ ſaliunt, poterunt legari.

AYTOΦYEΣ, natiuum, non aduentitium, aut artifi
cioſum. Vlpian. l. 70. D. de legat. & fid. lib. 32. Si
cui lana legetur, id legatum uidetur, quod tin-
ctum non eſt, ſed αὐτόφυες. ſiue autem facta eſt, ſi-
ue infecta: lanæ appellatione continetur.

AVVNCVLVS, matris meæ frater. traxit appellatio
nem ab eo, quòd æquè tertius a me, ut auus eſt:
ſed non eiuſdem iuris. ideoque uocabuli facta di
minutio eſt. ſiue auunculus appellatur, quòd aui
locum obtineat, & proximitate tueatur ſororis fi
lium. Ex Sext. Pompeio.

AVVNCVLVS eſt matris frater; ait Paulus in l. 10. §.
7. D. de gradibus.

AVVNCVLVS magnus eſt auiæ frater: ait Paul. l. 10. §.
8. Digeſt. de grad. & adfin.

AVVNCVLVS maior, is eſt (ait Paulus) proauiæ fra-
ter, patris uel matris auunculus magnus l. 10. §. 9.
D. de gradib.

AVVNCVLVS maximus eſt (ait Paulus) abauiæ fra-
ter, patris uel matris auunculus maior l. 10. §. 10.
D. de gradibus.

AZO, Iuriſconſultus, Bononiæ, ubi primum inter
pretari publicè ius ciuile cœpit, natus: cùm pro-
pter æmulorum inuidiã ad Montiſpeſſulani ſcho
lam inde profectus eſſet, ibiq; aliquandiu magna
cum laude docuiſſet, tandem in patriam reuoca-
tus, magnam & docendo & ſcribẽdo nomini ſuo
gloriam famamque conciliauit. Scripſit Codi-
cis ſummam, quæ totius iuris ciuilis epitomam
quandam complectitur. item magnos appara-
tus ſuper Digeſto ueteri. Obijt ibidem anno a
Chriſto nato M. CC.

DE LITERA B.

BABYLONICORVM quæ equis
inſterni ſolent, meminit Vl-
pia. l. 25. §. 1. D. de aur. arg.
Plinius autem de ijs loquens li
bro octauo capit. 48. Colo-
res, inquit, diuerſos picturæ
intexere, Babylon maximè celebrauit, & nomen
impoſuit. Et de pellibus Babylonicis Marcianus
in l. ult. D. de publica.

BACCHARI circa fana ſeruum Vlpianus dixit, pro
furere, quaſi Bacchi numine afflatum, in l. 1. §.
idem Viuianus, D. de ædi. ed. παρὰ τὸ βακχεῖν quòd
in Bacchanalibus clamores ab ebrijs tollebantur,
quaſi Bacchi ſpiritu afflatis. Cicer. de clar. orat.
Quòd eos quorum altior oratio, actioque eſſet
ardentior, furere & bacchari arbitraretur. Vlpia.
Quamuis aliquando quis circa fana bacchatus
ſit, & reſponſa reddiderit, tamen ſi nunc hoc non
faciat, nullum uitium eſſe. ceterùm ſi nihilominus
permaneret in eo uitio; & circa fana bacchari ſo-
leret, & quaſi demens reſponſa daret, &c.

BALANVS, βάλανος, palmarum fructus, qui dacty-
lus dicitur. nam hic populari ſermone a nobis
Balanus dicitur, ait Plin. lib. 13. cap. 4. Vlp. l. 55.
§. 4. D. de legat. & fid. lib. 32. & l. 167. D. de uerb.
ſig. Idem & de nucleis oliuarum, ſed & de balanis
eſt, uel ſi qui alij nuclei.

BALDVS, Iuriſconſultus, patre nobili, & medico,
Peruſij natus, Bartholi auditor fuit. ingenio acri
& prompto præditus, iuris diſciplinam ſic auide
arripuit, ut anno ætatis XVII. publice de ea di-
ſputare cœperit. poſt etiam Bononiam, ubi Bar-
tholus docebat, ad ius interpretandum euocatus,
magnam ſibi gloriam & docendo & ſcribendo
conciliauit. memorabile eſt quod quidam tradũt,
tantam aliquando inter utrunq; altercationem
publice exortam eſſe, propter uarietatem lectio-
nis. §. ult. l. ſi creditor, D. de diſtract. pig. ut Pi-
ſas communi conſilio miſerint, qui exemplar li-
brorum qui nunc Florentini nominantur, inſpice
rent: utrum nullam uenditionem, ut Bartholus:
an ullam, ut Baldus contendebat. ſcriptum habe-
rent. Inuitatus poſt Baldus Papiam a Ioanne Ga
lea Mediolani duce, ut ius ciuile profiteret: poſt
magnos in ea diſciplina illuſtranda labores ſuſce
ptos, ibi relictis duobus filijs ſua arte eruditis, an
no M. CCCC. deceſsit.

BALNEVM ueteres dixerunt ſiue Balineum. nihil
enim differt publicum a priuatis, in publicis aũt
fœminini generis, & quidem numero ſemper plu
rali, frequenter balneas & balineas: nec immeri-
tò, nam parſimoniæ cauſſa uno igni duplex bal-
neum calefaciebant, pariete interiecto, ut pudor
uiris mulieribusque cõſtaret. Chariſius lib. 1. Sic
Varro li. De lingua VIII. bina eſſe dixit cõiuncta

ædificia,lauandi cauſſa : unum ubi uiri, alterum ubi mulieres lauarentur.

Balnaum & Balineæ ſic differunt,quòd illud priuatum,hæ publicæ. Varro De lingua VIII.Item reprehendunt analogias, quòd dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ,nō balinea:contra quod priuati dicunt unum balineum,quòd plura,balineas dicant.quibus reſponderi poteſt, nō eſſe reprehendenda: quòd ita in uſum uenerunt. Itaque uideo uſurpari Balineum in l. ſi cuius, 13. in fi.D.de uſufr. l.ult.§.1.D.de auro & arg.Balineas autem in l.patronus,35.§.3.& l.prædijs,91. §.4.D.de legat,libro 3.

Ballistrarii,Græco more pro Balliſtarij apud Paternum in l.ult.D. de iur. im. pro balliſtarum artificibus.

Balneare argentum dicitur, quo qui in balneo lauabant, utebantur. Scæuola in l.ult.§.1.D.de auro & arg.Sēproniæ dominæ meæ hoc amplius argentum in balneare. quæſitum eſt, an etiam id argentum, quo diebus feſtis in balineo uti conſueuit,legato cedat.

Balnearii fures dicebātur,qui ueſtes eorum qui in balneis lauabant,furabantur.Hinc tit.de furib. balnearijs lib.Pād.47.Catullus, O furum optimè balneariorum. de horum pœnà multa præclarè Ariſtot.Problem.cap.29.

Balneator, balnearum præfectus, aut qui balneas exercet. Vlp.l.1.D.depoſit. Si ueſtimenta ſeruanda balneatori data perierint. Et in l.1.C.de monopol.& in l.item pictoris, 17.D.de inſtruct. uel inſtit. Hinc

Balnearium & balneatorium inſtrumentū apud Marcianum in d.l. item pictoris, pro eo quod ad balnearum uſum pertinet: Inſtrumento balneatorio legato, inquit, dictum eſt balneatorem ſic inſtrumento contineri balneario, quomodo inſtrumento fundi ſaltuarium, cum balneæ ſine balneatoribus uſum ſuum præbere non poſsint.

Barbaricarii dicuntur in poſtremis Codicis libris, qui auro, argento, ære caſsidas & bucculas tegebant. uti patet ex l.1.C. de fabrice. l.7. C.de palatin. ſacr. l.1. C.de excuſat.artif.fortaſſe,quòd mos quidam barbaricus placuit,quē imitati ſunt.

Bartholomaeus Salicetus, Iuriſconſultus, Bononiæ natus, Patauij primum, dein Bononiæ ius ciuile publicè interpretatus eſt, circiter annum M. CCCCLXXX. multisque libris de ea diſciplina ſcriptis,ſenio confectus uita exceſsit.

Bartholus, Iuriſconſultus,in urbe Saxoferrato natus anno a Chriſto nato M.CCCIX. iuris ciuilis ſtudio ſeſe Peruſij annum agēs ætatis XIIII. adiunxit: in quo tantos progreſſus fecit, ut poſtea annum agens XX. Bononiæ publicè de iure reſponderit, & anno inſequenti doctor ibidem creatus ſit. Pòſt aſſeſſor cauſſarum criminalium factus eſt: quo in munere iuris imperitia lapſus, iniuria quendam furti accuſatum damnaſſe furcæ traditur, magnam propterea in hominum offenſionem incurriſſe. propter quam ſeceſsiſſe dicitur, & priuatim ſua ſtudia magno conatu repetiſſe. itaque annum agens XXV. Piſas poſt aliquanto Peruſium ad ius interpretandum euocatus, magna in hominum admiratione ac laude uixit. Commentarios in omnes Iuris ciuilis libros conſcripſit: tantoque in omne literarum genus ardore animi fuiſſe fertur, ut etiam ſenex Hebræorum linguā, & Mathematica didicerit. cuius rei documento eſſe poteſt is liber quem Tyberiadis nomine inſcripſit. Charus etiā Imperatori Carolo IIII. propter ingenij doctrinæque præſtantiam fuiſſe: ab eoque is Doctorum iuris ordo plurimis ornamentis decoratus eſſe traditur. Obijt Peruſij, annum agens ætatis XLVI,an.a Chriſto nato M.CCCLV.

Basilica. βασιλική propriè Regia dicitur: ſed & regiarum ſimilitudine, quæ loca ampla & ſpacioſa erant, Baſilicæ nominata ſunt: quibus Romanum forum ornatum fuiſſe, nemo ignorat. Loca igitur ampla & publicis uſibus accommodata, Baſilicæ nominantur in l. inter ſtipulantem, 83.§. ſacrum. & l. continuus, 137.§. cum quis D.de uerb.oblig. Itaque judicia in ijs exerceri ſolita, patet ex illo Fab. lib. XII: Trachali oratoris uocem, cùm in Baſilica Iulia diceret, auditam laudatamq; fuiſſe ex quatuor tribunalibus. item ex illo Pli.in Epiſt.Deſcenderam in baſilicam Iuliā, auditurus quibus proxima comperendinatione reſpōdere debebam. In ijſdem tabernas uenalitiarios habuiſſe paret ex l.32.§.3.D.de auro arg.ubi mentio fit de argento quod teſtatrix negociatrix uenale in baſilica propoſitum habebat. Similiter in Curia librorum tabernas fuiſſe, Aſconius in Milonianæ argumento teſtatur.

Bastaga, corruptum ex βάσταγμα: ferculum portandis rebus fiſcalibus accommodatum: uti patet ex l.3.De cohortalibus.lib.Cod.XII. unde dicti Baſtagarij.l.4.& 8.C.de muri leg.

Beatus, inquit Varro libro 4. is qui multa bona poſsidet: & is Opulentus, ab ope: cui eæ optimæ. Hinc Vlpia.Bona dicta ſcribit,quòd beent, hoc eſt beatos faciant: quod Beare ſit prodeſſe.l. 49.De uerb.ſignif.

Βελος. Eo nomine, inquit Caius, vulgò quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι admonet nos Xenophon: nam ita ſcribit, καὶ τὰ βέλη ὁμοῦ ἐφέρετο. λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Et tela ſimul ferebātur,haſtæ,ſagittæ fundæ, tū plurimi lami lapides. Hæc in l.ſi caluitur,233.D. de uerb. ſignif.

Beneficium in iure ciuili pro priuilegio ferè dicimus:hoc eſt,pro iure præcipuo quod certæ alicui pſonæ,uel ætati,uel ſexui,uel cōditioni ,ppriè

attributum

attributum eſt. Perſonæ,ut in l.3.D. de conſtit. princ. Beneficium imperatoris,quod a diuina ſci licet eius indulgentia proficiſcitur,quàm plenisſimè interpretari debemus. Aetati,ut beneficium reſtitutionis in integrum, quod minoribus annis xxv. conceditur.Sexui,ut beneficium S.C.Velleiani, quod mulierib. quæ pro aliis interceſſerint, datur. Certæ conditioni, ut beneficium epiſtolæ D.Adriani,quod fideiuſſorib. datur, ut ſi unus in ſolidum conueniatur, de ſua uirili parte excipiat. l.inter,26.& l.ſeq.D.de fideiuſſ. Item Beneficiũ, ne qui pluris quam facere poſsint,damnentur. de quibus cognoſce ex l. ſunt qui, 16. & multis ſeq. D. de re iudic. Item, Beneficium ceſsionis, ut iis qui magno ære alieno oppreſsi,ſoluendo non fuerint,bonis apud magiſtratum cedere liceat.l.1.C. qui bon.ced. poſſ.

BENEFICIVM, largitio aliqua ex ærario, quæ ciuibus R. duntaxat, quorum egregia opera in bello extitiſſet, commendatione Imperatoris, Tribuniue ſui deferebatur.Cic. pro Archia,Teſtamentũ ſæpe fecit noſtris legibus, & adiit hæreditates ciuium R.& in beneficiis ad ærarium delatus eſt a L.Lucullo Prætore, & Conſule. Vegetius lib.11. Beneficiarii ab eo appellati, quòd promouentur beneficio Tribunorum. De his beneficiis locum Ciceronis interpretor lib.Ep.v.ep.xx. Quod ſcribis de beneficiis, ſcito a me & Tribunos mil. & præfectos,& contubernales duntaxat meos delatos eſſe. in quo quidem ratio me fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos exiſtimabã dari:poſtea certior factus ſum, triginta dieb. deferri neceſſe eſſe,quibus rationes retuliſſem.

BENEFICIO alicuius,pro opera alicuius. Vlpianus l.ex damni,40.§.t. D. de damn. inf. Conſequens eſt dicere detrimentum hoc, quod beneficio eius contingit, ſarcire eum debere. id eſt, culpa eius. Idem l.cõmuni,7.§.8.Com.diuid. Quia hæc pars beneficio alterius uenditori acceſsit.Idem l.inter omnes,46. D. de furt. Competit enim actio non ideo quia nunc abeſt, ſed quia unquam beneficio furis abfuerit.

BENEFICIARII dicebantur milites, qui uacabant muneris beneficio:econtrariò munifices uocabantur,qui non uacabant,ſed munus Reip. faciebant. Feſtus libro 11.

BERYLLVS, cuius mentio fit in l.ult.D. de public. lapillus eſt in India originem habens, qui in ſexangulas formas atteritur, ut hebetem coloris lẽnitatem angulorum repercuſſu excitet ad uigorẽ: inquit Solinus. Idemq; Plinius lib.37.cap.5.

BESTIAS plerunque Iuriſconſulti quæ feræ naturę ſunt,appellant.Caius l.2.§.1.D.ad leg.Aquil. longè magis beſtiæ in pecudum numero non ſunt: uelnti urſi,leones,pantheræ. Vlpian.l.t.§.4.D.Si quadrup. In beſtiii quoque propter naturalem feritatem hæc actio locum non habet. & ideo ſi urſus fugit, & ſic nocuit, non poteſt quondam dominus conueniri. Idem in l.t.§.beſtias,D. de poſtul. Beſtias, inquit,accipere debemus,ex feritate magis,quàm ex animalis genere. Itaque Vlpianus cap.Inſt.x1x. beſtias a quadrupedibus quæ collo dorſove domantur, ſeparat:& ait Camelos & Elephantos eſſe ex rebus nec mãcipi: quia beſtiarum numero ſunt. Vide Feræ:

BIBLIOTHECAE, inquit Feſtus, & apud Græcos, & apud nos, tam librorum magnus per ſe numerus,quàm locus ipſe in quo libri collocati ſunt,appellantur. Hæc ille lib.11t. Nerua autem in l.librorum,52.§. ſed ſi, De legat. lib. tertio, tria bibliothecæ nomine ſignificari ait:locum,armariũ, libros. ubi traditur bibliothecæ legato locũ quidem non deberi, armarium uerò ita deberi,ſi teſtatorem ita ſenſiſſe appareat,aut niſi domui affixum aut annexum ſit:libros uerò ſine dubio contineri.

BIS eadem de re ne ſit actio. Hoc,inquit Fabius,in iure obſcuro eſt. ſolet enim illud quæri quo referatur hoe BIS: ad actorem, an ad actionem: lib.7.cap.6.

BIIPALLIO, idem, opinor, qui uerſipellis, id eſt ueterator, planus, πολύτροπος. Marcell. l.72.§.4. D.de ſolutionibus, Num ergo & ſi biſpellionem, aut alias turpem dederit hominem,idem ſit? Vlpianus l.31.D.de euict,Si ita quis ſtipulanti ſpondeat,ſanum eſſe, furem non eſſe, biſpellionem nõ eſſe,& cetera, inutilis ſtipulatio quibuſdam uidetur. ubi tamen VISPELLTONEM errore in Florentinis libris peruulgato legitur. Item ut apud Metianum in l.7.D. ad S.C. Trebell. Quid enim ſi morbo adplicitus, Alexandriam iuſſus fuit adire? uel nomen Viſpellionis teſtatoris ferre? BISPELLIONIS enim legendum utrobique arbitramur. quo nomine hominem duarum pellium ſignificari conſtat. Eius autem appellationis origo in Areadarum ſabula poſita eſt, quam Pli. lib. 8. cap. 28. exponit: Ij certos homines ſtagnum quoddam tranſmiſſos in lupos transfigurari tradunt, & poſt annos nouem eo in habitu confectos, idem ſtagnum remeantes, priſtinum habitum recipere. unde Verſipelles dicti. & apud Fabium, Eandem recipere ueſtem. Ad hanc fabulã alluſit ſine dubio Perſius Sat.5.his uerſibus.

Sin tu quum fueris noſtræ paulo ante farinæ,
Pelliculam ueterem retines, & fronte politus,
Aſtutam uapido ſeruas ſub pectore uulpem:
Quæ dederas ſuprà repeto,funemq; reduco.

Biſpellionem igitur ſeruum eũdem dici puto,qui & Verſipellis:id eſt perfidioſum,fallacem,fraudulentum. Alij tamen VESPILLONEM, alij VESPERTILIONEM: alio etiam alij modo legendum putant. quorum omnium coniecturis, ſi Bipellio legeretur, ſcripturam Florentini codicis anteponeremus. Nam quod quidem ad Veſpillionis nomen attinet,cum & Libitinarios,& Veſpillones,& Pollinctores, liberos homines fuiſſe cõſtet,

ſtet,aut certè ſeruos publicos : difficile eſt eorum ſequi ſententiã,qui in iſtis omnibus Pandectarum locis uocem illam reponendam exiſtimarunt.

Bestiarii, qui ludis publicis cum beſtiis depugnabant. Cicero pro Seſtio, Sed habet defenſiones duas : primum, Do,inquit,beſtiarios : lex eſt ſcripta de gladiatoribus feſtiue. Item, Præclara Aedilitas, unus leo, ducenti beſtiarii. uide AD BESTIAS.

Bissextus, dies qui quarto quoque anno intercalatur : inde ficto nomine, quia duobus diebus continuis bis dicimus Sexto Kal. Mart. duos uidelicet dies pro uno computantes. qua de cauſſa Celſus in l.cum biſſextus,98.D.de uerb.ſign. ſcribit, nihil referre utrum priore, an poſteriore die quis natus ſit : quoniam illud biduum pro uno die habetur. quod Vlpianus confirmat in l. 5. §. minorem,D.de minoribus. Vide Macrob.lib.Saturn.1.cap.XIIII.

Boethi in l.ult.De tabular.lib.Cod.x. βοηθοὶ,alibi Adiutores appellantur, qui officialibus uel morbo, uel negociorum magnitudine impeditis additi laborem illorum ſubleuabant.l. 3.C. de diuerſ. offic.l.10.C.de numerar.

Bombycina ueſtimenta quorum meminit Vlpia. l.23.§.1.D.de aur.arg.leg. ex bombycib. uermiculis dicuntur:qui,ut Plin.lib.11.cap.22. ſcribit, telas araneatum more texunt, ad ueſtem luxumq; fœminarum,quæ Bombycina appellantur.

Bona in iure ciuili generaliter appellantur ea omnia, quorum inter homines commercium eſt:ſiue corporalia,ſiue incorporalia ſint:ſiue mobilia, ſiue immobilia.l.uxori,37. D. de uſu & uſufr. leg. ubi Paulus ait,uſufructu bonorum legato & prædia, & mancipia, & ſupellectilem, & uerò etiam kalendarium contineri.

Bona uerò ſic diuiduntur, ut alia naturaliter ſic appellentur,alia ciuiliter.l.bonorum,49. Digeſt.de uerb.ſigni. Naturaliter bona dicuntur, quæ reuera & effectu bona ſunt:quia(ut Vlpianus ait)beãt, id eſt beatos efficiunt, unde Beati dicti, qui (ut Varro libro De lingua IIII.teſtatur)multa bona poſsident. unde Plautus in Pœnul. Bonam ego quàm beatam primò dici mauolo. In hanc ſententiam illa ſunt in l.ſubſignatum,39. De uerb.ſign. bona intelliguntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. & l. non poſſunt, 11. D. de iur. fiſc. id bonorum cuiuſque eſſe intelligitur, quod æri alieno supereſt. Ciuiliter bona dicuntur,quæ cum reuera bona non ſint, loquendi tamen conſuetudine ſic appellantur : tantum, quòd ius patris fa. uniuerſum contineant. Itaque ſucceſsio in ius uniuerſum alicuius quamuis damnoſa ſit, bonorum tamen poſſeſsio appellatur.l.3.D.de bon. po.l nam quod, 14.cum l.ſeq.D.ad Trebel.Hinc Africanus in l.bonorum, 208. D. de uerb. ſignif. Bonorum,inquit,appellatio,ſicut hæreditatis,uniuerſitatem quandam ac ius ſucceſsionis, & non ſingulares res demonſtrat. Opinor, quia ὡς ἐκ τοῦ πλείστου res æſtimantur ac denominantur.

Bona fides propriè dicitur, quum quod promiſſum eſt, præſtatur. nam is cui quid promittitur, promittentis fidem ſequitur : quam ſi promiſſor liberat,bona:ſin minus,mala nominatur. Plautus Moſtellaria,

TR. De uicino hoc proximo
Tuus emit ædes filius. TE.bona fide?
TR. Siquidem es argentum redditurus, tũ bona:
Si redditurus non es,non emit bona.

Sueton. in Auguſto, Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæ fidei ſe eſſe reſpondit. Hinc Vlpianus in l.ex empto,11. D. de act. empt. præclarè ſcribit, nihil magis bonæ fidei congruere,quàm id præſtari,quod inter cõtrahentes actum eſt.& l.cum uenderem, 21.D.locat. Bona fides exigit,ut id quod conuenit, fiat. l.2.in fin.D. de admin.rer.ad ciuit.l.13.D. commun. præd.

Bona fide plerunque id fieri dicitur, quod ſincerè, candidè,ſimpliciter & apertè ſit : cui contrarium eſt Dolo malo, fucate, aſtute, artiſicioſe, ut apud Proculum l.68. D. de cont. empt. Exiſtimo te in exigendo non ſolum bonam fidem,ſed etiam diligentiam præſtare debere:id eſt, non ſolum ut a te dolus malus abſit,ſed etiam ut culpa. item in l. 3.in fi.D.pro ſoc.& l.56.de regu. iur.l. 2. De ſeparat. Hinc

Bona fide poſsidere dicitur, qui ignorat rem alienam eſſe.l.3.D.ad leg.Fla.de plagiar.& l.21.S.penltitam, D. de pet. hære. Itaque bonæ fidei poſſeſſor quis eſſe deſinit,ex quo cognouit rem alienam eſſe.l.48.D.de acq.rer.dom.qua de cauſſa poſſeſſores omnes poſt litem conteſtatam malæ fidei eſſe intelliguntur.l.28.S.etiam, D.de petit.hęred. l.45.De rer. uendic.

Bona fides,pro æquo & bono. Caius l.5.D.de oblig. & act. Palàm eſt inter eos naſci ex contractu actiones mandati, quibus inuicem experiri poſſent de eo, quod alterum alteri ex bona fide præſtari oportet. Tryphon. l.31.D.de poſ. Bona fides quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam deſiderat.

Bona caduca in iure dicuntur, quæ deficiente eo cui iure ciuili debebantur, in alium ceciderunt. ueluti cum lex ei dotem adimit, qui contra eius interdictum uxorẽ in prouincia ſua ducit, eamq; fiſco attribuit : caduca Dos dicitur a Paulo l. ſi quis, 38. D. de ritu nupt. quemadmodum caduca glans in lege XII. dicebatur, quæ deficiente eo qui legat, ex arbore decidit. l. ſylua, 30. De uerbor. ſignific. Hinc ille Craſsi iocus in lib. De Orat. III. Noſtra eſt inquam omnis iſta prudentiæ doctrinæque poſſeſsio, in quam homines quaſi caducam atque uacuam,abundantes ocio, nobis occupatis inuolauerunt. Hinc ille alter Ciceronis in C. Antonium Philipp. X.

Quem

Quem niſi in uia caducæ hæreditates retardaſſent, uolaſſe eum, nõ iter feciſſe diceres. Caducas hæreditates facete dixit, pro iacentes, quę ipſi abſenti relictæ necdum ab eo aditæ atque acquiſitæ fuerant: Facetè, inquam, ita locutus eſt, non uerè aut propriè. nam Caducum, auctore Vlp. propriè dicitur, quod quis ſibi teſtameuto relictum, ita ut iure ciuili capere poſsit, aliqua ex cauſſa non ceperit, quaſi ab eo ceciderit: ueluti ſi legatarius poſt mortem teſtatoris ante tabulas apertas deceſſerit. Hęc ille cap. Inſt. xvij. Iuſtinianus autem in l. 1. C. de cadu. toll. tribus modis ea quæ teſtamento relicta ſunt, deficere demonſtrat: ſi quid PRO NON SCRIPTO habeatur, ſi IN CAVSA CADVCI, aut ſi quid CADVCVM ſit. Pro non ſcripto ducitur, quod ab initio defecit, ut eum mortuo legatum hæreditasve deſertur: In cauſſa caduci eſt, quod poſt teſtamentum ante teſtatoris mortem deficit: ueluti ſi legatarius teſtatore uiuo moriatur: Caducum eſt, quod mortuo teſtatore ante tabulas apertas deficit, ueluti ſi tum legatarius moriatur. Atque hæc quidem ſubtiliter a Iuriſconſultis ita diſputantur: cum alioqui Caduca omnia dicantur, quæ illis excidunt quibus iure ciuili debebantur. ueluti cum lex Pappia Poppæa iubet, ut quæ ad orbos ex teſtamentis perueniunt, eorum pars decima fiſco attribueretur, pars illa caduca dicitur. unde illud Iuue. de uxore quæ marito liberos ex adulterio pariebat:

Iura parentis habes propter me, ſcriberis hæres,
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.

BONA caſtrenſia, uide Peculium.

BONA gratia diſſolui matrimonium: formula iuris antiqui: ut ex Nouella XXII. intelligitur: in qua Iuſtinianus Græcè ſcribens, eam formulam Latinis uerbis uſurpauit: διαλύονται δὲ ἐν ζωῇ συμβαλόντων γάμοι, οἱ μὲν κατὰ πρόφασιν εὔλογον, οἱ δὲ καὶ Bona gratia, καλοῦνται: & Nouell. CXVII. κἂν εἰ Bona gratia, διαλυθῆναι συμβαίη τὸν γάμον. Dicebatur autem, cùm alter ab altero non propter ullam culpam, animarum ve offenſionem, ſed uel ſua ſpõte, uel legitima aliqua de cauſſa diſcedebat. ut Vlpiani uerba oſtendunt l. cum hic ſtatus, 32. §. ſi diuortium. D. de donat. int. uir. Plerique enim cum bona gratia diſcedunt: plerique cum ira ſui animi & offenſa. & l. 6. D. de diuort. ubi exemplum huius diuortii profertur, in eo qui captus ab hoſtibus quinquennium fuerat. item in l. utri, 60. 61. 63. D. de donat. int. uirum. ubi noſtri ſcribunt bona gratia dirimi matrimonium, ueluti ſi propter ſacerdotium, ſterilitatem, ſenectutem, ualetudinem, militiam; ſatis commode retineri matrimonium non poteſt.

BONA uacantia dicuntur, eadem quæ & caduca, nimirum quæ illius fuerunt, cuius hæres nullus eſt. l. 1. C. de bon. uacant. hæc autem olim quidem publicabantur: ſicut Vlpian. cap. Inſtitut. xviij. ſignificat. nunc uerò confiſcantur, & quadriennii tempus iis nunciandis præſcribitur. l. intra quatuor, 10. D. de diuerſ. temp. & l. quamuis, 18. D. de uſucap. Vacantia autem dici quæ & Caduca, patet ex l. ult. C. TH. De bon. uacant. & l. 2. cum aliis complur. tit. ſeq.

BONAE fidei actiones, uide Actiones bonæ fidei.

BONAE fidei emptor eſſe uidetur, inquit Modeſtinus, qui ignorauit eam rem alienam eſſe: aut putauit eum qui uendidit, ius uendendi habere: puta procuratorem aut tutorem eſſe. l. 109. D. de uerbor. ſign.

BONI conſulere, æqui bonique facere. Fabius lib. 1. cap. 6. Sit'ne Conſul a conſulendo, an a iudicando: nam & hoc Conſulere Veteres appellauerunt. unde adhuc remanet illud, Rogat, boni conſulas: id eſt bonum iudices. Vlp. l. 3. D. de decurion. Boni conſulere debeat humanitatis ſententiæ, nec decurionatum recipiat. Vlp. l. 12. §. 1. D. de iur. dot. Quia boni conſulere mulier debet, quod fuit æſtimatus.

BONI uiri arbitratu ueteres dicebant, cùm neutrius eorum quorum res agebatur, ſed eius cuius nihil ea in re intererat, probatio erat. Cato de re ruſtica, Oleum cogi recte, ſatiſdato arbitratu L. Manlij. Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, reſoluito. id uiri boni arbitratu deducetur. Item, Oleam facito recte arbitratu domini, aut cuſtodis. Si quid redemptoris opera domino damni datum erit, uiri boni arbitratu deducetur. Item, Vinum uenditum dabitur in triduo proximo, uiri boni arbitratu deguſtato. hoc eſt, neutrius eorum quorum res agitur: ſed eius cui mentiri bono non eſſet. Item, Si quid dominus, aut familia, aut pecus emptori damni dederit, uiri boni arbitratu reſoluetur. Si quid emptor, aut paſtores, aut pecus emptoris, domino damni dederit, boni uiri arbitratu reſoluat. Paulus l. 24. D. locat. Si in lege locationis comprehenſum ſit, ut arbitratu domini opus approbetur, perinde habetur, ac ſi uiri boni arbitriũ comprehenſum fuiſſet. idemque ſeruatur, ſi alterius cuiuſlibet arbitrium comprehenſum ſit. nam fides bona exigit, ut arbitriũ tale præſtetur, quale uiro bono conuenit. Atque hoc eſt quod Catonem puto illis uerbis ſignificaſſe Bono domino, cap. 14. Huic operi, inquit, precium ab domino bono, qui bene præbeat quæ opus ſunt, & numos fide bona ſoluat. Item, Loco ſalubri, bono domino hæc quæ ſupra precia poſita ſunt peſtilenti, ubi æſtate fieri non poteſt, bono domino pars quarta precii accedat. Vlpianus l. 1. D. de legat. lib. 2. Placet in teſtamentis legatum in alterius arbitrium collatum pro uiri boni arbitrio accipi. Hoc eſt, pro eius arbitrio, cuius nihil intererit fallere.

BONITARIVS, uerbum eſt a Theophilo & ſimilibus fictum: item ut eius contrarium Quiritarius.

rius. Duplex eſt, inquit dominium: legitimum, quod iure Quiritium competit,& appellatur dominus iure Quiritario: naturale, quod in bonis eſt, unde Bonitarius dominus dicitur. Cauſſam autem harum appellationum ex Vlpiani Inſtitutionibus ſubiiciemus, In bonis tantum alicuius ſeruus eſt, uelut hoc modo, Si ciuis Romanus a ciue Romano ſeruum emerit, isque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei neque in iure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit. nam quandiu horum quid fiat, is ſeruus in bonis quidē emptoris eſt: ex iure Quiritium autem, uenditoris eſt. uide, In bonis.

Bonorvm emptio, modus fuit antiquus per uniuerſitatem acquirendi, de quo diſſeritur in Inſtit. ſub tit. De ſucceſs. ſub. moris enim erat, ut in bonis debitoris uendendis, unus bonorum emptor conſtitueretur, qui ſemel atque uno precio ea uniuerſa coemeret. cuius moris ueſtigia extant in l. Aufidius, 29. D. qui ex cauſ. l. cum bona, 16. eod. tit. l. Imperatores, 60. D. de pact. Ex quibus illud intelligitur, quod nunc complectar paucis. nam ille emptor aut unus erat ex creditoribus, aut extraneus. cum emiſſet, tum omnibus ſatisfaciebat in ſolidum, reliquum ſibi habebat. quòd ſi diffidebat, ne paria facere poſſet, tum antequam emeret, cum creditoribus decidebat: itaq; ad emptionem accedebat.

Bonorvm poſſeſsio eſt ius perſequendi retinendíve patrimonii, ſiue rei quæ cuiuſque cum moritur, fuerit. l. 3. D. de bon. poſs. eaque in re hæreditati eſt ſimilis, quòd utraque & commoda & incommoda complectitur: & quamuis bona ſoluēdo non ſint, tamen & hæreditas, & bonorum poſſeſsio dicitur, & utriuſque una eademque uis & efficientia eſt. Diſcrepant autem in eo, quòd illa iuris ciuilis eſt, nec Prætoris auctoritatem in adeundo deſiderat: hæc uerò tota prætoria eſt, in ciusque beneficio poſita: cum prætor hæredem facere non poſsit, ut ait Imp. §. 2. eod. Eſt autem a prætore iuris ueteris tum emendandi, tum confirmandi cauſſa inſtituta: eaque non tantum ab inteſtato, ſed etiam ex teſtamento defertur. l. 6. D. de bonor. poſſeſs. ubi Vlpian. ait, eam a Prætore ad ius percipiendarum hæreditatum amplificandum inſtitutam eſſe. Lex enim XII. tab. gentium familiarumq; conſeruationem ſolam ſpectarat: Prætor uerò ſanguinis ac naturæ rationem habuit maiorem. Ex teſtamento duæ dari ſolent, Cōtra tabulas, & Secundum tabulas. Ab inteſtato, octo: quas deinceps breuiter enumerabimus.

Bonorvm poſſeſsio, & poſſeſsio bonorum longe inter ſe differunt. Illa ad bonorum uniuerſitatem, id eſt, uniuerſi iuris ſucceſsionem pertinet, & in perpetuum tempus decernitur: hæc non ad ſucceſsionem, ſed ad cuſtodiam & ad tempus conſtituitur: ueluti cum uenter, aut creditor, aut legatarius in bonorum poſſeſsionem mittitur.

Bonorvm poſſeſsio contra tabulas locum habet, cum paterfam. teſtamentum quidem fecit, ſed in eo liberos ſuos præteriit: hoc eſt, neque nominatim inſtituit, neque nominatim exhæredes fecit. indeq; dicitur a Tryphonino contra lignom dari. l. quod uulgo, 19. D. de bon. poſs. cont. tab.

Bonorvm poſſeſsio ſecūdum tabulas, eſt ea quam Prætor teſtamenti tabulas ac ſcripturam ſequēs, eiq; obtemperans, inſtitutis hæredibus largitur. l. 1. & paſſ. D. de bon. po. ſec. tab.

Bonorvm poſſeſsio unde liberi, eſt quæ liberis tum emancipatis, tum ſuis ab inteſtato conceditur, ut parentis inteſtato defuncti bona poſſidere Prætore auctore poſsint. l. 1. D. quis ordo in bon. l. 1. §. ſed uidendum, De ſucceſſor. edict.

Bonorvm poſſeſsio unde legitimi, dicitur quæ agnatis ab inteſtato defertur: idq; ex lege XII. tabu. Prætereà autem quotieſcunque uel lex, uel ſenatus defert hæreditatem, ex hac parte eam peti oportet. l. 1. 2. 3. & 5. D. unde legit.

Bonorvm poſſeſsio unde decem perſonæ, dicitur quæ decem perſonis quæ manumiſsori extraneo præferuntur, conceditur. l. ſi ad patrem, 10. D. de ſuis & legit. Decem autem perſonas intelligimus infrà ſcriptas, filium, filiam, nepotem, neptem, frātrem, ſororem, patrem, matrem, auum, auiam.

Bonorvm poſſeſsio unde cognati, dicitur quæ cognatis proximis ab inteſtato defertur: in quibus agnati emancipati, quibus Vnde legitimi non competit, continentur. l. 1. & paſſ. D. unde Cognati.

Bonorvm poſſeſsio unde qui ex familia, eſt quæ liberti liberis, tam naturalibus, quàm adoptiuis, itemq; uxori quæ ipſius in manum conuenerat, ab inteſtato deferebatur. Sic enim hāc poſſeſsionem intelligendam eſſe plurib. uerbis in Commētariis Inſtitutionum demonſtrauimus.

Bonorvm poſſeſsio Vnde patronus, patrona, liberi, parenteſque illorum uocantur, eſt quæ ab inteſtato liberto ſupraſcriptis perſonis defertur. §. ſuot autem, De bon. poſs. & apud Vlpia. cap. 28. & 29.

Bonorvm poſſeſsio Vnde uir & uxor, dicitur quæ uiro ab inteſtata uxore, & uiciſsim huic ab illo conceditur, quoties deficit omnis parentum, liberorumve ſeu propinquorum legitima, uel naturalis ſucceſsio, fiſco excluſo. l. 1. D. unde uir & uxor. & l. 1. C. eod.

Bonorvm poſſeſsio Vnde cognati manumiſsoris eſt, quæ patroni cognatis ab inteſtato liberto conceditur: quorom ius quoddam ſingulare fuiſſe Iuſtinianus non obſcure ſignificat. §. pen. De ſucc. lib. & Vlp. cap. Inſt. 1. & 28.

Bonorvm poſſeſsio alia Edictalis dicitur, alia Decretalis. Edictalis eſt quæ ita a Prætore in edicto promiſſa eſt, cauſſæ cognitionem cum deſideret, ſed & de plano, tanquam re certa & explorata, & quo-

quocunque die peti poſsit.l.1.§.1.D. ſi tab. teſt. null.l.30.§.1.D.de ſeq. hær. Cuiuſmodi ſunt ſeptem illæ bon.po. quas ſuperius enumerauimus. Decretalis uerò eſt, quę cauſſæ cognitionem deſiderat: ac propterea non niſi pro tribunali decerni poteſt.l.2.§.dies.D. quis ord.in bon.po.l.1.§. decretalis.D.de ſucce.edict. Huius generis ſunt Carboniana, Ventris in poſſ.mittendi.eius qui captiui, furioſive nomine mittendus eſt. Illa ordinaria eſt: hæc non eſt.l.3.§.ult.D. de Carbon.edict. l.filium,§.ſi quis contra.D.de legar. præſt.

Bonorum poſſeſsio alia cum re, alia ſine re. Cum re, ſi is qui accepit cum effectu bona retineat: ſine re, cùm alius iure ciuili euincere hæreditatē poſſit: ueluti ſi ſuus hæres inteſtato ſit.

Bonorum poſſeſsio ſine re, eſt cum ſuus hęres euincere hæreditatem iure legitimo poſsit. Hæc Vlpi. cap. Inſtitut.28. Eiusq; rei ueſtigia ſuperſunt in l. filiis,C.de inoffic.teſt.l. poſthumus,D. de iniuſt. teſt.l.1.§.pen.D.Si tab.teſt.null.

Bonorum emptor olim dicebatur, qui cum debitoris damnati bona auctione uendenda eſſent, ſolus ea omnia bona per auerſionem coemebat: ut, ſi facultas ferret, in ſolidū omnibus ſatisfaceret: dein ſi quid reliqui eſſet, ſibi haberet. quòd ſi diffidebat ne paria facere poſſet, tum antequam emeret, cum creditoribus decidebat: itaq; ad emptionem accedebat.§.1.De ſucc.ſublat.l.Imperatores,60. D.de pact.l.4.C. de bon. auct. iudic. l.Aufidius, 29.D.quib.ex cau.in poſſ.

Bonum nomē, debitum facilè, & idoneum, & quod exigi non difficulter poſsit. Paul. l. inter cauſſas, 26.§.2.D. mand. Bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum. Hinc illud fœneratoris Alfij apud Columellam lib.1.ca.7. Bona nomina non appellando fieri mala.

Bpabeytai, Vlpian.l.4.D. de his qui not. infam. Deſignatores autem quos Græci βραβδῦτας appellant, artem ludicram non facere Celſus probat: quia miniſterium, non artem ludicram exerceant. & ſanè locus iſte hodie a principe non pro modico beneficio datur. Iul.Pollux libr. 3. τοῖς μὲν μουσικοῖς κριταὶ κάθηνται τοῖς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστᾶσι βραβευταὶ, καὶ μαστιγονόμοι, καὶ ῥαβδοῦχοι. id eſt, Ac Muſicis quidem iudices aſsident: Gymnicis uerò præſunt Brabeutæ, & Maſtigonomi, & Rhabduchi. βραβευταὶ autem dicuntur, quòd βραβεῖον, id eſt, præmium uictoribus deſignent, hoc eſt decernant. Qua es uoce Gallicam noſtram Brauc, dimanaſſe mihi facilè perſuadeo: quòd qui brauium reportant, inſolentes uideantur.

Brephotrophium, βρεφοτροφεῖον, domus alendis infantibus parata.l.illud,16.l.ſancimus,18.C.De ſacroſ.eccl.uide Curotrophium.

Brevi manu, uide Longa manu.

Breviariae rationes, quæ in breue contractæ ſunt. Scæuola l. ult.Digeſt.de pecul.legst. An peculio prælegato, & centum aurei, & uſuræ eorum debentur cum rationibus breuiarijs, & ſortem & uſuras complexus ſit. Vlpianus in l.3.§.6. titu. ſeq. Logarium opinor, hoc appellat. Suetonius Calig. Ordinario quidem diſpenſatori breuiarium rationum offerenti, paropſidem leguminis porrexiſſe.

Brevis, libellus in quo quid ſcriptum eſt. Impp.l. ult.de conuenien. fiſci debit.lib. Cod.10. Inter chartulas confiſcati breuis quidam aſſeueratur inuentus, qui nomina debitorum contineret. Lamprid. de Alexandro, Milites ſuos ſic ubiq; ſciuit, ut in cubiculo haberet breues, & numerum, & tempora militantium. Sic in l. penult. in fi.C. de canon. larg.l. ult. C. de conueniend. fiſ. debet.l.1.C.de excuſat. artific.

Buccinum, conchæ genus, purpuris conficiendis idoneum. Plin. lib.9.cap.36. Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia: ſed diſtat temperamento. Duo ſunt genera: Buccinum minor concha, ad ſimilitudinem buccini, quo ſonus editur. Vlp.l.70.§.5.de legat.& fid. li. 32. Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto. ſed coccum non continebitur: Buccinum, & ianthinum continebitur. Florentinus liber Fucinum.

Buccellatum panis ad uſus diuturnitate excoctus, quo milites paſci in caſtris ſolent: uti ſcribit Marcellinus lib. xvii. eius fit mentio in l.1. C.de erogat milit.

Bucculas, quarum ſtructores Paternus uacationem munerum habere ſcribit in l. ult. D. de iur. immun. inſtrumentum puto illud eſſe cuius meminit Vitruuius lib. 10. cap. 15. in quo ſuccula inditur, catapultis exercendis parata.

Bulgarus, Iuriſconſultus, in Italia floruit circiter annum mcxc. cœpitq; unà cum alijs gloſſulas Iuris ciuilis libris aſpergere: quibus eſt Accurſius poſtea multum uſus, eiusq; honoris cauſſa perſæpe meminit.

Buprestis, animal uenenatum ac peſtiferum, ut ſcribit Plin.li.30.ca.4. Itaq; inter uenena connumeratur à Marciano in l.3.§.1.D.ad leg. Cornel. de ſic.ubi tamen evbrostim uitioſe legitur.

Burdo. Laurentius Val. lib.Eleg.4. Hinnulus dicitur, inquit, qui patre equo, matre aſina genitus eſt, quem quidam Burdonem nominant. Vlpia.l. 49. De legat. & fid. lib. 32. Item legato continentur mancipia: item iumenta, uel lectica, uel ſella, uel burdones.

DE LITERA C.

C Litera, condemnandi nota erat, quam Prætor in publicis iudicijs dare iudicibus ſolebat in tabella cærata ſcriptam: ut ſi reus damnandus uideretur, eam in urnā conijcerent: quemadmodū in Verr.

Verr.111.Pedianus ſignificat.itaq; triſtis à Cicerone appellatur in ea pro Milone: Quod niſi uidiſſet poſſe abſolui eum qui fateretur,neq; quæti unquam iuſsiſſet, nec nobis tam ſalutarem hãc in iudicando literam, quàm illam triſtem dediſſet.

c, litera Gaius notatur, quæ inuerſa ɔ mulierem declarat:quia tam Caias eſſe uocitatas,quàm Caios,etiam ex nuptialibus ſacris apparet.Fabius lib.1.cap.7.

Cacabvs, uas in quo pulmentarium coquitur:,uti Paul.docet in l.18.§. 2.D. de inſt. uel inſt. & Vlpian.l.19. §. 5. De aur. & arg. Varro De ling.4. uas in quo cibum coquebant.

Cadere cauſſa, pto litem perdere ab antiquis dicebatur,fortaſſe quòd uti comœdiæ ſtare dicebãtur quæ placebant, ſic & cauſſæ. Terent. prolog. Phor.Quòd ſi intelligeret, cùm ſtetit olim noua, actoris opera magis ſtetiſſe, quàm ſua. Et Donatus duobus in locis, Agi, inquit, dicitur fabula cùm recitatur: ſtare, cum placet. Sic Cicern in epiſt.ad Lentulum,Cum in Senatu pulcherrimè ſtaremus, quòd iam illam ſententiam Bibuli, &c. Paulus autem lib.Sent.t.cap.x.Cauſſa cadimus,inquit,aut loco,aut ſumma,aut tempore,aut qualitate. Iuſtin.§.2.De actionib. Si quis agens intentione ſua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, cauſſa cadebat: id eſt rem amittebat. Cic.lib.de Orat.1.Hypſæus maxima uoce à Prætore contenderet, ut ei quem defendebat, cauſſa cadere liceret.Paulus l.45.§.5.D. de iur.fiſci. De quo cauere compellitur, ut ſi uſus is contra interdictũ fuerit, cauſſa cadat.Papinianus l.71.§.3.D. De cond.& demonſt. Quòd ſi maritus uitio ſuo cauſſa ceciderit, neq; ſoluendo ſit, & cet. Dici etiam ſolebat, pro eodem.

Cadere formula. Fabius libro 111. In omnibus ferè cauſsis in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, hæ ſunt quæſtiones: an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere. Suetnn. in Claudio: Nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemq; multarum ex bono & æquo moderatus eſt. nam & ijs qui apud priuatos iudices formula excidiſſent, reſtituit actiones. Quo ex loco patet, Cadere formula in ſtricti tantum iudicij actionibus uſurpari ſolitum; Cauſſa uerò cadere, in omnibus.

Cadvca, bona uide Bona caduca.

Cadvcae hæreditates, uide Bona caduca.

Cadvcaria lex, uide lex Caducaria.

Cadvs, uaſis genus, quod Metretes dicitur, decem cõgiorum capax, apud Vlp.l. 15.§.4.D. De uſuf.& l.6.l.14.& 15.D.de trit.uin.

Caementa, lapides fracti & rudes, quibus ædificia conſurgunt. Iauol.l.57. D. locat. Terram in eam aream amplius quàm fundamenta cæmentitia locatoris erant, congeſsit.

Caerites tabulæ quæ dicantur, Gellius lib. xvi. cap.xiij. his docet uerbis: Primos municipes ſine ſuffragij iure Cærites eſſe factos accepimus: conceſſumq; illis,ut ciuitatis R. honorem quidem caperent,ſed negocijs tamen atq; oneribus uacarẽt: pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditisque.. Hinc tabulæ Cærites appellatæ, uerſa uice, in quas referri iubebant quos notæ cauſſa ſuffragijs priuabant.Pedianus in Diuin. Qui plebeius erat, in Cæritum tabulas referebatur,& ærarius fiebat: ac per hoc non erat in albo centuriæ ſuæ: ſcilicet ad hoc ut ciuis eſſet, ſed tantummodo ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.

Caesares cur Imperatores omnes dicti ſint, uide initio noſtrorum comment. in Inſtitut.

Caesariensis & Cæſariani paſsim lib. Cod.x. pro officialibus Cæſaris.

Caivs, Caia, nomina in matrimonijs quæ per coemptionem fierent, uſitata: Vbi tu Caius, & ego Caia.quib.uerbis,ut Plutarchus ſcribit, quaſi paciſcitur ſibi cõmune cum uiro dominium, & par imperium domi: ac ſi diceret; Vbi tu es familiæ princeps ac dominus: ecce ego adsũ familiæ princeps & domina. Quod Cicern facetè exagitãs in Muræniana, Quia inquit,alicuius libris exempli cauſſa id nomen inuenerunt,putarant omnes mulieres, quæ coemptionem facerent Caias uocari. Valerius Max.Cæterũ,inquit.Caia,uſu ſuper omnes celebrata eſt: fertur enim Caiam Cæciliam, Tarquinij Priſci regis uxorem, optimã lanificam fuiſſe.& ideo inſtitutum fuit,ut nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ quæ nam uocarentur, Caiam eſſe ſe dicerent.

Calata comitia, uetuſto uerbo dicuntur pro Aduocata, & per præconem indicta, à Græco καλῶ: unde Calendæ dictæ,ut Macrnb. ſcribit li. Sat.1. cap.xv.itaq; ueteres comitia omnia Calata nominabant:& Iuſtinianus Calatis comitijs,teſtamenta fieri ſolita tradit, pro Comitijs conuocatis.cũ Gellius lib.15.cap.27. ſcribat, in concione populi ea fieri conſueſſe.

Calendae, Calendarium, &c. uide Kalendæ.

Calantica eſt tegmen muliebre, quod capiti innectitur.Mar.Tull.in Clodium, Tunc quum uincirentur pedes faſcijs,quum Calanticam capiti accommodares. Ex Nonio. Vlp. in l.25.§.4.D. de aur. arg.Ornamentorum hæc,uittæ,mitræ, ſemimitræ,calantica.Florentini tamen Calavtica.

Calciarivm, quantum ſatis eſt calceorum, pro perſonæ qua de agitur conditione. Vlp.l. 8.§.7. D.de tranſact.De calciario quoq; arbitrio Prætoris tranſigendum eſt.Idem l.21.D.de alim.& cib. Diarijs & cibarijs relictis, neq; habitationem, neque ueſtiarium, neq; calciarium, deberi palam eſt. Tranquill. in Veſpaſian. Claſsiarios qui ab oſtia & Puteolis Romam pedibus commeant, petentes conſtitui aliquid ſibi calciarij nomine,quaſi parum eſſet ſine reſponſo abegiſſe, iuſsit poſt hæc excalciatos curſitare.

Calciatvm apud Paulum in l.3.§. 3, D. de offi. præf.

pæf.uig.legi puto pro Falciatvm:id eſt,falcibus muralibus(de quibus Cæſar & alij meminere)quæ diruendis ædibus inflammatis parantur, inſtructum. Tacitus lib.19.Paulum inde moræ dum è proximis agris ligones,dolabras,& alij falces,ſcalaſq; conuectant.

Calcvlvs,pro rationibus & computatione: unde tit.lib.Cod.11.de Errore calculi.ut apud Vlp.l.5.§.ſi rogat.D.de donat.int.uir.& ux.l.1.D.quæ ſent.ſin.appell.l.8.D.depoſ. Hinc

Calcvlatores, qui ſuas operas in rõnibus ſubducendis locabant.Vlpianus l.7.§.2.D.de oper.lib. Nam huius quoq; eſt miniſterium, ſi fortè uel librarius,uel nomenculator,uel calculator ſit.Modeſtinus l.25.D.de excuſat. Μὴ δὲ λιβραρίους, μὴ δὲ καλκουλάτορας, οὓς διαψηφιστὰς λέγομεν, ἔχειν ἀλειτουργησίαν .i.Neq; librarios,neq; calculatores,quos Diaſpephiſtas uocamus,habere immunitatem. Item in l.4.De prof.& med.lib.Cod.10.& l.1.§.2. D. de uar.& extraord.cognit.

Caligatvs miles manipularis,gregarius.Vlp.l.2. D.de iis qui not. infa. Dimiſſum accipere debemus militem caligatum, uel ſi quis alius uſque ad centurionẽ,uel præfectũ cohortis.Arrius l.6.§.3. D.de re milit.Sed & caligatus,qui metu hoſtium languorem ſimulauit,in pari cauſſa eis eſt.Venul. l.9.D.de cuſt.& exhib.Is autem qui exercitum accipit, etiam ius animaduertendi in milites caligatos habet.

Caligati autem à caligis appellantur, quod erat gregariorum militum calceamentum. Cornelius Tac.lib.1.Iam infamis in caſtris genitus in contubernio legionum eductus, quem militari uocabulo Caligulam appellabant:quia plerunq; ad conciliáda uulgi ſtudia eo tegmine pedũ induebatur.

Calvisiana actio,uide Actio Caluiſiana.

Calvitvr,inquit Marcellus,eſt fruſtratur:tractum à caluis inimicis, quòd ſint omnibus fruſtratui. Plautus,in Caſsina, Nã ubi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur.Pacuulus in Hædo. Sentio pater, te uocis calui ſimilitudine.ſed quid conſpicio? nã lactans caluitur ætas.Complura Nonius exempla protulit, ex quibus Caij reſponſum facilè intelligatur in l.233.D.de uerb.ſig.Si caluitur,& moretur & fruſtretur.ut Si calvitvr, uerba ſint legis duodecim,quam interpretatur:cætera,ſua: id eſt,gloſſæ & interpretationis. Erat autem in lege Si Calvitvr pedem've Strvit,Manvm Endoiacito.

Calvmniari uerbum generale eſt, omnẽ ingenii maliciam complectens.Cic.de Repub.11.Vt Carneadi reſpondeatis,qui ſæpe optimas cauſſas ingenij calumnia ludificari ſolet.Propriè autẽ ad fraudes reorum contrahitur:hoc eſt,tam actorũ, quã defenſorum:& tam publicorum,quàm priuatorũ iudiciorum.Vnde Iuramentum calumniæ, quod litigatores,cùm iudicium acciperent, interponebant.Hinc Paulus lib.Sent.1,cap.v.Calumnioſus eſt,inquit, qui ſciens prudenſq; per fraudẽ negocium alicui cõparat. Hinc Calumniator in priuata re dicitur, qui nõ debitũ petit.l.pen.D.ne quis eum qui in & per calumniam petere, qui alterius negandi cauſſa, nõ iure petit.l.29.§.ult.D.de lib. cauſſa.l.46.D.de petit.hære.l.3.§.1.D.ut in poſ. leg.Hinc Calumniæ actio illa antiqua,de qua ſcribit Imp.§.hęc autẽ.De pœn.tem.litig.quæ in partem litis decimam actores multabat: & poſt ſententiam pronunciatam uictori aduerſus eum qui damnatus erat, dabatur.

Camelasia; Camelorum curatio & præfectura: niſi fortè Camelaria legendũ ſit à Camelarijs, ut Argentaria,Sagaria,ab Argentarijs & Sagarijs. Camelarij nanque qui camelorum curam habẽt, dicũtur. Arcad.l.ult.§.1.D. de mun. & hon. Camelaſia quoq; ſimiliter perſonale munus eſt: nam ratione habita & alimentorum & camelorum,certa pecunia camelarijs dari debet, ut ſolo corporis miniſterio obligentur. Budæus tamen Camelaſia, καμηλασία legendum putat.

Camvm, potionis genus apud Vlpianum in.l.9.D. de tritic.uin. mihi ignotum.

Cancellare,delere, expungere, quòd qui ſcripturam delent, ducto in arrectum & tranſuerſum calamo quaſi cancellos efficiunt. Scæuola l.47. D. de pact. Si quod inſtrumentum apud me remanſit, uanum, & pro cancellato habebitur. Vlpian. l.2.D.de his quæ in teſt. Cancellauerat quis teſtamentum, uel induxerat.

Cancellarivs, idem, opinor,qui actuarius.inde duct onomine, quòd eius officium,id eſt, cellula in qua ſcribere conſueuit,cancellis munita ſit. Nã quum eius officium libellis, ſiue chartulis ſit refertum, & frequentes habeat interuentores, neq; ab illorum colloquio prohibetur, & ab amittendarum chartarum periculo abeſt. Nunc ſubiungã inſcriptionem marmoream peruetuſtã,quam Romæ repertam eſſe aiunt,ex qua de Cancellarij nomine coniecturã feci. Ex auctoritate Turci Aproniani v.c.præfecti urbis. Ratio docuit utilitate ſuadente conſuetudine micãdi ſummota,ſub exagio potius pecora uendere,quàm digitis cõcludẽtibus tradere ut appenſo pecore capite, pedibus, & ſeuo lactante, & ſubgulari lanio cedentibus,reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat uenditori ſub cõſpectu publico fide ponderis comprobata,ut quantum caro occiſi pecoris appendat,& emptor norit,& uenditor:commodis omnibus & præda damnata, quam Tribunus, officium,cancellarius & ſcriba de pecuarijs capere conſueuerant, quæ forma interdicti & diſpoſitionis ſub gladij periculo perpetuò cuſtodienda mandatur. Extat & apud Fl. Vopiſcum, in Carini uitamentio de Cancellario, quam ſuſcribam. Amicos optimos quoſque relegauit: peſsimum quenque elegit, aut tenuit. Præf. urbi unum ex cancellariis ſuis fecit: quo fœdius nec cogitari

potuit aliquando.nec dici.Quam tamen lectionẽ ut liberè quod ſentio exponam; concoquere non poſſum:uereorq́; ne Ancillarii potius ſit legendum,quo nomine ipſe idem utitur, lenocinij ac libidinis miniſtros ſignificans.

Cancellarius idem qui ſeruus publicus,ſiue tabellio,& actuarius.unde tit.libr.Cod. De aſſeſſoribus, & domeſticis & cancellarijs iudicum. Is enim commune omnium actuariorum nomen fecit ſuum.

Candidati principis,uide Quæſtores candidati.

Canthari in l.41.§ 7.D.de lega.& fideicommiſſ. libro tertio,fuiſſe uidentur imaguncula,& ſigilla quædam ex quibus ſalire aqua ſoleret: fortaſſe ad cantharorum animalium,aut uerò ad canthari uaſis quo potari Liber pater ſolebat, ſimilitudinem effi cta.Sed Automatoria,inquit,aut ſi qui canthari per quos aquæ ſaliunt,poterũt legari.Auſonius in epiſtol.Edillij xvii.Harum uerticularũ uarijs coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarum: Elephantus bellua, aut aper beſtia,ager uolans,& mirmillo in armis ſubſidens, uenator & latrãs canis.quin & turris,& cantharus, & alia huiuſmodi innumerabilium figurarum, quæ alij alio ſciẽtius uariegant.

Capere,inquit Vlpianus,aliud eſt quàm accipere. Capere cum effectu accipitur: accipere, & ſi quis non accepit ut habeat.ideoq́; non uidetur quis capere,quod erat reſtiturus: ſicut pueniſſe propriè illud dicitur,quod eſt remãſurũ.l.71.D. de uerb. ſig.Quibus ex uerbis apparet,Capere, eſſe iuris: Accipere uerò, facti. ut cum dicimus Capere ex teſtamento,Capere hæreditatem,legatum, fideicõmiſſum:idem enim ualet, quod iure ſibi acquirere.ut cum ita ſcribitur: Lucius Titius cũ capere potuerit,hæres eſto l.in tempus,62.D. de hær. inſtit.l.ſi is qui,11.D.de uulg.& pupil. l. cum autem,23.in fi.D. de ædil. edict. unde Solidum capere non poſſe dicuntur,quibus id acquirendi ius non eſt.l.ſi quis,72.l.qui non militabat, 78. in fi. D.de hæred.inſtituend.l.ſi is qui. D. de uulg. & pup.l.3.D.de iur.fiſc.uſqueadeò autem uerbũ Capere iuris eſt, ut etiam pecuniam cepiſſe dicatur, qui ab obligatione liberatus eſt.l.2.D.de calumniat.l.ſi quis,115.D.de reg. iur. l. Neſennius, 22. in fi.D.ad Falcid. Hinc

Capere uſu,& Capere poſſeſſione, & præciſè Capere ſine ulla adiunctione: pro acquirere. l. ei à quo,21.& l.eum qui,23.D.de uſurpat.l.bonæ fidei,48.§.1.D.de ac.rer.dom. Hinc

Capio uſu,& uſucapio, & præciſè ac ſimpliciter Capio,iu d.l.bonæ fidei,& alibi paſſ.ſub.tit. de uſur.

Capi dicuntur uirgines Veſtales, Flamines Diales, Pontifices,Augures, quum ſacerdotes creantur. Capi autẽ uirgo propterea dici uidetur,quia Põtificis Max.manu prehenſa, ab eo parente in cuius poteſtate eſt, ueluti bello capta abducitur. Gellius li.1.c.12.

Captare aliquem Veteres dicebant,pro, Alicuius hæreditatem captare,id eſt, blãdicijs & illecebris aucupari. Martial. Scis te captari: ſcis hunc qui captat auarum:
Et ſcis quid captat,quid,Mariave,uelit.
Tu tamen hunc tabulis hæredem ſtulte ſupremis ſcribis:& eſſe tuo uis,furioſe,loco,
Munera magna quidem miſit: ſed miſit in hamo.
Et piſcatorem piſcis amare poteſt? Vlpianus in l.1.D.Si quis aliq.teſt.Qui dum captat hæreditatem,prohibuit teſtamentarium introire,&c. Dicitur & Captare teſtamentum:Seneca lib.de Benef. vi. An ut eos qui captandorum teſtamentorum artem profeſsi ſunt,non putas habere eadem quæ deſignatores & libitinarios uota? Hinc

Captatoria inſtitutio dicitur,quæ mutuæ inſtitionis captandæ & quaſi aucupandæ cauſa facta eſt.cuiuſmodi eſt hæc in l.20.in fi.D.de cond. in ſtit. Titius ſi me hæredem inſtituet, hæres eſto: aut hæc, Qua ex parte me Titius hæredem ſcriptum in tabulis ſuis recitauerit, ex ea parte hæres eſto.l.1.D.de his quæ pro non ſcript.Quare ſi de inſtitutione iam facta teſtator loquatur, non erit captatoria.ueluti ſi dicat,Qua ex parte Titius me hæredem inſtituit,ex ea parte Mæuius hæres eſto illa inſtitutio captatoria non eſt. quia in præteritum,non in futurum inſtitutio collata eſt. ait Paulus in l.71.& 29. D. de hæred. inſtit. Papinianus in l.70.eod.Captatorias inſtitutiones,inquit,non eas Senatus improbauit, quæ mutuis affectionibus,iudicia prouocauerunt:ſed quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ uoluntatis.

Capsarius,artifex capſarum.Paternus l. ult. D.de iur. immun. Quibuſdam uacationem munerum conditio tribuit, ut ſunt menſores, capſarii,& artifices.

Capsarius, qui mercede ſeruanda in balineis ueſtimenta ſuſcipit: inquit Paulus in l.3.§.3.D. de off.præf.uig.

Capsarius,qui puero ad ludum eunti libros in capſula defert. Vlpian.l.13.D.de manumiſſ.uind.Si collectaneus, ſi educator, ſi pædagogus, ſi nutrix, uel alumnus, uel capſarius id eſt,qui portat libros. Suetonius Nerone, Conſtat quoſdam cum pædagogis & capſarijs uno prandio pariter necatos.

Caput propriè dicitur quodcunq; in recenſione numerum efficit: quod dialectici indiuiduum appellant. Hinc in armentis ac gregibus,quot beſtiæ ſunt,tot capita numerantur.l.1.§.ult.& l.3.D.de rei uindic.l. 13. D. de pignorib. Vnde in locum demortuorum alia ſubſtituere, apud Vlp. l. 8. & l.70.D. de uſufr. quo eodem modo Vlp. in l.pronunciatum, 195. D. de uerb. ſign. ita ſcripſit: Et cum paterfa. moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerint,ſingulas familias incipiunt habere. Hinc Tributum capitis dicitur à noſtris, quod ĩ ſingulas perſonas imperat.l.3.& ult.D.de cenſib.

cenſib. Hinc cenſa dicuntur ciuium capita, quum à Cenſorib. in luſtris condendis, eorũ nomina in tabulas publicas relata ſunt. Hinc apud Papinianũ l. 11. §. 2. D. de bon. poſſ. qui ſe arrogandum dat, cum capite ſortunas quoq; ſuas in aliam domum ac familiam transferre dicitur, id eſt cum ſua perſona, ut uulgus loquitur. Hinc diuiſio in capita, cui opponitur ea quę in ſtirpes dicitur, de qua ſub In explicabimus. Hinc quũ ordinis alicuius quodam ius eſt proprium ac præcipuum, ſi quis ex illo ordine moueatur in quo caput ſiue numerum obtinebat, capite minutus dicetur: id eſt iure illo quod illius ordinis erat proprium, priuatus ac deminutus. quomodo fortunis diminutus Latinè dicitur, qui ijs priuatus ac ſpoliatus eſt. Hinc capitis deminutio apud Iuriſconſultos. Nam in eo tractatu Caput, ſine dubio ius ſignificat, ex eo alicui quæſitum, quòd caput ſiue locũ in ordine aliquo, cuius erat illud ius, obtinet. Qua de cauſſa Paulus in l. 3. in fi. D. de ca. minut. Seruum capite minui negat: quia nullum, inquit ius habet. Exẽpli cauſſa, liberis hominibus, qui nondum tamen tribum obtinent, facultas eſt (quæ & libertas appellatur) quidlibet faciendi. quare qui in eum ordinem (ſic enim Cicero loquitur) coaptatur, caput iam habere dicitur. unde ſeruus qui pro libertate precium perſoluit, preciũ pro capite ſoluere dicitur apud Plautum & Iuriſconſultos frequentiſsimè, id eſt ut liceat illi caput in ordine libertorum, minutus dicetur l. ult. D. de cap. minut. Eadem eſt ratio in ciuibus, quorum eſt ius multiplex, propriũ ac ſingulare, ut nexorum, hæreditatum, uſucapionum. Nam ſi quis ciuitate priuetur, ueluti per aquæ & ignis interdictionem, capite, id eſt iure ciuitatis diminutus dicetur. d. l. ult. & apud Iuſtin. §. 1. de ca. diminut. Eadem præterea eorũ ratio qui in aliqua familia caput obtinent. Familiã autẽ duobus modis intelligimus: primùm uninerſam aliquam agnationem, ut Tulliorum: deinde cuiuſq; patris fa. domum, ut M. Tullij. ex l. 195. §. 1. D. de uerb. ſig. Nam iis quidem qui eiuſdem gentis ſiue agnationis ſunt, ut omnibus Tulliis, iura certa competunt: ueluti legitimarum hæreditatum, tutelarum &c. itẽ ut ijs qui filijſfa. ſunt, ueluti iura ſui. Quòd ſi uel paterfam. aliquis, ut Clodius arrogandum ſe dederit: uel filiusfa. emancipetur: capite, id eſt eo iure quod ille in gente & agnatione Clodiorum, hic in patris familia obtinebat, minuetur, eoq; neque Clodius Gentilis dicet, ut ait Cicero in Top. neq; tutelas habebit legitimas, quæ agnatis debentur l. 6. D. de cap. minut. & apud Iuſtin. §. ult. De legit. agnat. tut. neq; emancipatus ſui hæredis ius obtinebit: ut ait idem in §. 4. De exhære. lib. ut dubium nemini eſſe poſsit, quin ſi conſuetudo tuliſſet, etiam Senatores qui Senatu mouẽtur, & Equites quibus equus publicus adimitur, & uerò etiã ſeruuli, qui manumiſsione uel alienatione de familia tolluntur, capite minuti rectè dicerẽtur: ius enim in ordine ſuo eorũ unuſquiſq; quamuis exiguum obtinebat. Itaq; Paulus d. l. 3. Seruile caput appellat, id eſt partem unam ſeruilis familiæ: quo modo bouem, aut ouem, unum in grege caput, id eſt partem unam gregis dicimus. Verùm ut alijs in rebus innumeris, communis appellatio ad certas ſpecies reſtringitur, ac reuocatur: ſic ĩ hoc tractatu Capitis appellatio ad eos tres ordines hominum, ſcilicet liberorum, ciuium & familiarum contracta eſt.

Capitis minutio, eſt ſtatus mutatio. l. 1. D. de cap. min. uel ſic, Eſt adẽptio iuris eius, quod quis uel ex libertate, uel ex ciuitate, uel ex agnatione proprium habebat. unde triplex eſſe dicitur: maxima, media, minima.

Capitis diminutio maxima eſt, quum & libertatẽ, & ciuitatem, & familiam amittimus. Media, quũ amittimus ciuitatem, libertatem uerò retinemus. Minima, quum & libertas & ciuitas retinetur, familia tantum mutatur. l. 11. D. de capit. minut.

Capite diminutus appellatur, qui ciuitate mutatus eſt, & ex alia familia in aliam adoptatus: & qui liber alteri mãcipio datus eſt: & qui in hoſtium poteſtatem uenit: & cui aqua igniq; interdictũ eſt. Feſtus.

Capital, inquit Feſtus, facinus quod capitis pœna luitur. uetuſtè nimirum, pro Capitale. Arrius l. 6. §. 4. D. de re milit. Si quis commilitonẽ uulnerauit, ſiquidẽ lapide, militia reijcitur: ſi gladio, capital admittit. Calliſtrat. l. ult. D. de term. mot. Alia quoq; lege Agraria quã Diuus Nerua tulit, cauetur, ut ſi ſeruus ſeruave inſciente domino dolo malo fecerit, ei capital eſſet. Cic. de Leg. lib. 2. Quiq; nõ paruerit, capital eſto. Plautus, Nunquã ædepol fugiet, tametſi capital fecerit.

Hinc

Capitalis rei damnatus intelligitur is, cui pœna mors, aut aquæ & ignis interdictio ſit. l. 13. D. de bon. poſſ. Hinc

Capitalis rei damnatũ ſic accipimus (ĩquit Vlp.) ex qua cauſa damnato uel mors, uel etiam ciuitatis amiſsio, uel ſeruitus contingit. l. 2. D. de pœnis. & l. 4. D. Si quis caut. Hinc Capitis accuſationem Labeo exiſtimat eam eſſe, cuius pœna mors aut exilium eſſet. l. 10. D. de iur. patro. & Capitis accuſaſſe libertum is demũ patronus uidetur, qui tali iudicio appetit, cuius pœna aut ſuppliciũ habuit, aut exiliũ quod ſit uice deportationis, ubi ciuitas amittitur. l. 14. §. 2. D. de bon. libert. Modeſtinus l. 103. D. de uerb. ſig. Licet Capitalis Latinè loquentibus omnis cauſſa exiſtimationis uideatur, tamen appellatio Capitalis, mortis uel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt. Item

Capitalem fraudem admittere. eſt tale aliquid delinquere propter quod capite puniendus ſit. ueteres enim Fraudem pro pœna ponere ſolebant. l. 23. §. 2. D. de ædil. edict.

CAPITIA Vlpianus inter muliebres ueſtes recenſet.l.23.§.1.D. de aur. atg. Nonius autem capitum tegmina interpretatur.

CAPVT liberum pro homine libero ueteres dicebant. unde illa Seruij definitio in l.1. D. de tut. Tutela eſt uis ac poteſtas in capite libero.& apud Gellium lib.v. cap. XIX. Tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem fas non eſt,ut caput libe rum fidei ſuæ commiſſum alienæ ditioni ſubijciant. Cicero aliam Verrina IIII. Hic alteram decuriam Senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? Et Vlpianus cap. Inſtit.XI. Qui liberum caput mancipatum ſibi uel à parente, uel à coemptore, &cet. Hinc

CAPVT liberum facere, pro manumittere. Plautus in Mercat. Liberum caput tibi faciam paucos menſes. Hinc

PRO CAPITE pecuniam ſoluere: id eſt, pro libertate. Cic.lib. de offic. III. Vt ſi prædonibus captum pro capite precium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris. Plautus in Pœnulo. Cum argentum pro capite dedimus,noſtrũ dedimus,non tuum: liberos nos eſſe oportet.Et in Perſa: Vt des mihi numos ſexcentos,quos pro capite pendam. Et in Rudente: Doctè atq; aſtutè ego illi pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut ſim liber, ac me emittat manu. Quam eandem locutionem uſurpat Iulianus in l. ſeruus.10.D.pro empt.& l. eo tempore. 50.§.ult.D.de pecul.

CAPVT noxa ſequitur: prouerbium apud Iuriſconſultos. l.1. §.14.D. depoſ. & l. qui ex pluribus. 20.& l.ult.D.de nox.act. in quo uox CAPVT pro perſona quæ caput habeat, & cum qua lege agi poſsit, poſitum eſt. ueluti, quandiu Dauus meus eſt ſeruus, eius ſum caput: neq; enim ſerui caput habent: ut ait l.3. in fi.D.de cap.minut. At ſi eum Sempronio uendam, Sempronius eius caput efficietur: ſin uerò manumittam, iam ipſe caput habere incipiet.unde pro capite pecuniam dare dicuntur ſerui, qui libertatem à ſuis dominis emũt. & in eandem ſententiam Paulus ſcribit in l. tutelas.7.D. de cap. minut. actionum ex delicto uenientium obligationem cum capite ambulare. itemq; in l.17.D.de furt.quod dicitur Noxam caput ſequi, ſic interpretatur, obligationem ab initio contractam caput nocentis ſequi.

CARBONVM appellatione neque materiam, neque titiones, neq; alia ligna cocta ne fumum faciant, contineri: Vlpianus ſcribit in l. carbonum. 167. D.de uerb. ſignif.& l. lignl.55.in fi.D.de leg.3.

CARBONIANA bonorum poſſeſsio, uide S.C. Carbonianum.

CARCER, inquit Seruius eſt, undecunque prohibemur exire: dictus ſecundum Varronem, quaſi arcer, ab arcendo. locum autem in quo ſeruantur noxij, carcerem dicimus numero tantum ſingulari. Hæc ille lib. Aeneid.I. & v. Vlpian.l.aut dam num.8.§. ſolent. De pœn. Solent Præſides in carcere continendos damnare, ut in uinculis contineantur. ſed id eos facere non oportet: nam huiuſmodi pœnæ interdictæ ſunt. carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. Hæc Vlpianus. At Ciceronis tempore, hoc eſt, ſtante Republica, quoniam in carcerem damnati conijciebantur, ibiq; de ijs ſupplicium ſumebatur: iccirco in Catilinaria II. ipſe ſic loquitur, Sentiet in hac urbe eſſe Conſules uigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem ſenatum, eſſe arma, eſſe carcerem, quem uindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum maiores noſtri eſſe uoluerunt.

CAREVM, frutex peregrinus, gentis ſuæ nomine appellatus, culinis principalis: laudatiſsimus ex ſua gente, id eſt Caria. ut Plinius lib.19.cap.8. teſtatur. Eius meminit Paulus in l.5.D.de pen.legat. Ergo non CARREVM à Carris, ut Alciatus putat, neq; Cæreum, neque Carynon legendnm.

CARNIFEX populi Roman. non modò ciuis Roman.non erat,ſed ne in urbe quidem domicilium habebat. Cicero pro C.Rabirio perduell. Sed mo reretur prius acerbiſsima morte millies Gracchus, quàm in eius concione carnifex conſiſteret, quem non modò foro, ſed etiam cœlo hoc ac ſpiritu Cenſoriæ leges, ac urbis domicilio carere uoluerunt. Venit autem in mentem ex Plauti Pſeudulo, ſuſpicari eum extra portam Metiam domicilium habuiſſe.

P.Iam hic ero: uerùm extra portam Metiam currendum eſt prius.
C. Quid eo? P. lanios inde acceſſam duo cum tintinnabulis,
Eadem duo greges uirgarum inde ulmearum adegero,
Vt hodie ad litationem huic ſuppetat ſatis Ioui.
In malam crucem iſtic ibit Iuppiter lenonius.

Crux autem non erat, ſed ponebatur in campo Martio, ut ex illa eadem oratione intelligitur. Et cum damnatus collo in furcam inſerto uirgis ad necem cæſus eſſet, tum unco gutturi eius impacto à carnifice extra urbem trahebatur. Iuuenalis,

Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media ſulcum deducit arena.

Propertius,

Et bene cùm fixum mento diſcuſſerit uncum,
Nil erit hoc: roſtro te premet anſa ſuo.

CARPENTARIVS, carpentorum artifex, apud Tarentinum l. ult.D.de iure immunit.

CASEARIA taberna apud Vlpianum in l.8.§.4. D. Si ſeruit uind. dicitur, in qua fumigari ſolent caſei. moris enim fuit in pleriſque Italiæ locis, colorandi, ſiccandique caſei gratia, fumum aut ex culmis, aut ex malignis uiridibuſque lignis facere. Columella libro 7. cap. 8. De caſei faciendi ratione loquens, Eſt etiam, inquit, non ingrati ſaporis. muria perduratus, atque ita maligni li-

gni, uel culmi fumo coloratus. Vlpianus, Non putare ſe ex taberna caſearia fumum in ſuperiora ædificia iure immitti poſſe. In Flor. lib. legitur CASIARIA.

CASITARE, frequentatiuum à cadere. Paulus l. 20. §. 3. D. de ſeruit. urb. præd. Si ſeruitus ſtillicidij impoſita ſit, non licet domino ſeruientis areæ ibi ædificare, ubi caſitare cœpiſſet ſtillicidium.

CASSIANI, Sabiniani, Proculiani, dicti ſunt qui Caſsij, Sabini, & Proculi ſectam inſtitutionemq́; ſecuti ſunt: de quibus quæ Pomponius ſcribit in l. 2. D. de orig. iur. ad ſummam hæc ſunt. Fuit Q. Tubero publici priuatiq́; iuris doctiſsimus. eius duo fuere diſcipuli, Ateius Capito, & Antiſtius Labeo: quorum alter magiſtri præceptis adhæreſcens, alter ingenii fiducia pleraq; innouans, diſſidium quoddam in iuris ciuilis diſciplinam inuexerunt. nam quum Ateio Maſſurius Sabinus, Labeoni Nerua pater ſucceſsiſſet, acceptam à magiſtris diſcordiam uehementer auxerunt. quam poſtea eorum diſcipuli, Sabini quidem Caſsius, Neruæ autem Proculus eò perduxerunt, ut duæ iam tum familiæ contrariæ ex eorum nominibus appellatæ ac propagatæ ſint. nam qui Caſsium ſequebantur, Caſsiani: qui Proculum, Proculiani dici cœpere. poſt ſecuti ſunt Caſsium quidem Cælius Sabinus, Proculum uerò Pegaſus: unde Sabinianorum & Pegaſianorum nomina. Quorum diſſenſionibus ac præceptionibus contrarijs imbuti poſtea Iuriſconſulti Iauolenus, Neratius, Iulianus, & ceteri, quorum ex ſcriptis compoſiti ſunt ij quibus nunc utimur Pandectarum libri, mirificas concertationes, ut Iuſtinianus teſtatur, in hanc legum diſciplinam importarunt.

CASTELLUM quid ſit, Frontinus libro 1. De aquæ duct. ſic declarat, Eſt ferè nunc in uſu, quum plures quinatiæ impetratæ fuerint, ne in uiis ſæpius conuulneretur una fiſtula, excipiatur in caſtellum: ex quo ſinguli ſuum modum recipiant. Vlpianus autem interpretatur receptaculum, quod aquam publicam ſuſcipit. l. 1. §. 28. D. de aqua cotid. & æſt. Feſtus tradit diuidicula fuiſſe, quæ nunc ſunt caſtella, ex quibus à riuo communi aquam quiſq; in ſuum fundum ducit. Vlpianus l. 17. §. 5. D. de act. empt. Caſtela plumbea, putea, opercula puteorum, ædium eſſe conſtat. De caſtellis Vitruuius lib. 8. cap. 7. Mentio fit in l. 78. De cont. empt. l. 37. §. 2. De act. empt.

CASTRATI, uide Spado.

CASTRENSE peculium; uide Peculium caſtrenſe.

CASUS à Iuriſconſultis dici conſueuit pro controuerſia quæ nata eſt, quaſi quæ acciderit, & caſu contigerit. Cicero uerò Cauſam appellat. ut Verrina III. Tantum quòd hominem non nominat: cauſam quidem totam perſcribit. Item, Nuſquam enim ſcribis, neque tu aliud quicquam edicto amplecteris, niſi eam cauſam, pro qua pecuniam acceperas. Hinc Seneca in prologo Declamat. Declamabat autem Cicero, non quales Controuerſias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur: quas Theſeis uocabant. Controuerſias nos dicimus: Cicero Cauſſas uocabat.

CASUS fortuiti dicuntur in iure noſtro, qui præuideri humano conſilio non potuerunt. l. 2. §. 7. D. de admin. rer. quales ſunt latronum, piratarumve inſidiæ, naufragia, incendia, illuuiones, mortes non oblatæ. l. in rebus, 18. D. commod. Itaque fata & damna fatalia appellantur in l. 1. §. ſi magiſtr. Digeſt. de magiſtr. conueniend.

CATADROMUS, κατάδρομος: decurſio, uel deſcenſus concitatior. Paulus l. penult. Digeſt. de act. empt. Si ſeruus ante uenditionem periculoſam rem facere ſolitus eſt, culpa tua id factum eſſe uidebitur. puta eum fuiſſe ſeruum qui per catadromum deſcendere, aut in cloacam demitti ſolitus eſſet. Quo in loco Catadromi nomine puto ſignificari deſcenſum ex grue machina, admodum periculoſum.

ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ, portus ad quem plurimum appelli ſolet. Vlp. l. 4. §. 4. D. de off. proconſ. Ingreſſum etiam hoc eum obſeruare oportet, ut per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris eſt: & quas Græcia ἐπιδημίας appellat, ſiue κατάπλουν obſeruare, in quàm primum ciuitatem ueniat, uel applicet. magni enim facient prouinciales, ſeruari ſibi conſuetudinem iſtam, & huiuſmodi prærogatiuas.

ΚΑΤΑ ΠΟΔΑΣ, ijſdem ueſtigiis ſubſequendis, quaſi dicas, ad pedes, eorumq́; ueſtigia. Iuſtinianus de compoſit. Digeſt. §. 17. Niſi tantum ſi uelit eas in Græcam uocem transformare ſub eodem ordine, eaq́; conſequentia, ſub qua & uoces Romanæ poſitæ ſunt: hoc quod Græci κατὰ πόδα dicũt hæc ille. Cicero autem Ad uerbum hoc appellat. Xenophon De uenatione, θηρατέος δ' κατὰ πόδας, ὥσπερ ὁ λαγώς: uenandus non iiſdem ueſtigiis inſequendis, ut lepus. Plato lib. De legib. XI. κιβδήλοις δ' ἐπιτηδεύμασιν ἕπεται κατὰ πόδα καπηλείας ἐπιτηδεύματα: hoc eſt, Poſt præcepta de adulteratione, proximè ſequitur ut de cauponatione præcipiamus.

CATILLUS, eſt ſuperior pars molæ, ait Paul. in l. 18. §. 3. D. de inſtruct. & inſt.

CATONIANA regula, eſt M. Catonis ſententia, ſiue axioma ex plurium legum mente notatum atque obſeruatum. QVOD ſi teſtamenti facti tempore deceſsiſſet teſtator, inutile foret, id legatum quandocunq; deceſſerit non ualere. l. 1. & poſſ. D. de reg. Caton. cuius hæc ratio atq; æquitas uidetur eſſe: quia cum teſtatoris certam mentẽ atq; uoluntatẽ eſſe oporteat, cũ præſentis tẽporis conditionẽ ſpectaſſe, deq́; ea ſtatuiſſe iudicamus: nõ autẽ incerto futuri tẽporis euentui rẽ commiſiſſe. quippe cum

alioqui teſtamenta non ex teſtatorum mente, quę in iis dominari debet, ſed ex fortuna & caſu penderent. Plura in mearum obſeruat. lib. 11. cap. 3.

Cavere uerbum fuit Iuriſconſultorum proprium ac præcipuum: quippe qui aliis cauere dicebãtur, cùm ne ab aduerſario caperentur, certis adhibitis formulis prouidebant. unde illud Ouidii libro De arte amandi. 1.

Illud ſæpe loco capitur conſultus amore:
Quiq; aliis cauit, non cauet ipſe ſibi.

Et Cicero in epiſt. ad Trebatium: Tu qui cæteris cauere dedicisti, in Britannia ne ab eſſedario decipiaris, caueto. Hinc illud Plauti in Epidico: Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet.

Cavere, eſt ſibi proſpicere, & ſe contra fraudis ac perfidiæ periculum munire. Hinc

Cavtio, pro tabulis in quibus contractum negocium perſcriptum eſt. Paulus in l. lecta, 40. D. ſi cert. petat. Lecta eſt in auditorio Papiniani cautio huiuſmodi: Lucius Titius: &cet. Cicero Verrina 111. Etenim qua ſtultitia fuiſſem, ſi quam diem qui iſtum excipiendum redemerunt, in cautione uiderunt, cum ita cauerent, ſi poſt Kalend. Ianuar. in conſilium iretur: in eam diem ego, cum potuiſſem uitare, incidiſſem. Item pro Domo: Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum, &cet. Seneca libro de Benefic. VII. Video iſthic diplomata & ſyngraphas & cautiones, uana habendi ſimulachra. Hinc Vlpianus in l. 5. §. 6. D. commod. Si tibi codicem commodauero, & in eo chirographum: debitorem tuum cauere iuſſeris, &cet. Et in l. in commodato, 17. §. 3. Digeſt. eod. l. 4. Digeſt. quæ res pign. oblig. poſſ. l. 3. Digeſt. famil. erciſc. l. 2. C. de non num. pecun. l. penult. §. ult. Digeſt. ad leg. Falcid. Cauetur ergo preditoribus illo modo: cauetur præterea pignoribus. ut l. ult. §. ſi legatarius, Digeſt. quor. legat. l. 18. §. poen. D. de pig. act. Cauetur etiam prædibus & prædiis: id eſt, fideiuſſoribus & hypothecis. ut apud Ciceronem Verrina 111. Prædibus & prædiis populo cautum eſt. Et apud Liuium lib. XXII. Animaduertendum eſt autem, cum cui fideiuſſores dantur, dici propriè Cauere. Vnde illud Ciceronis in Bruto, At uerò tibi ego Brute non ſoluam, niſi prius à te cauero, amplius eo nomine neminem petiturum. Vlpianus l. ſi rem, 9. §. 3. D. de pigner. act. Satisfactum autem accipimus quemadmodum uoluit creditor: ſine aliis pignoribus ſibi caueri uoluit, &cet. Sic Caius l. 1. D. qui ſatiſd. cog. Satiſdare dicimur aduerſario noſtro qui pro eo quod à nobis petiit, ita cauit ut eum hoc nomine ſecurum faciamus. Atque hæc quidem propria ſignificatio eſt. Vulgo tamē.

Cavere & ſatiſdare Iuriſconſulti ſic diſtinguunt, ut qui datis fideiuſſoribus ac ſponſoribus promittat, ſatiſdare dicatur: qui uerò ſine fideiuſſoribus, cauere. Vlpianus l. 2. §. 6. D. de iudi. Sed utrũ nuda cautione, an ſatiſdato, Marcellus dubitat. mihi uidetur, ſola promiſsione ſic l. 2. §. ſed utrum. D. de iudic. l. 5. & l. pen. D. de petit. hæred. l. 1. D. de ripa muniend.

Cavpo. ē qui cauponã exercet. l. 1. §. 4. D. naut. caup.

Cavssa in iure noſtro uariè uſurpatur. Interdum enim pro lite ponitur: ut cum dicimus Cadere cauſſa: quemadmodum ſuperius ſuo loco docuimus. Interdum uerò pro hypotheſi, id eſt argumento unde lis naſcitur. Itaq; in l. cauſſas, 16. C. de tranſact. & l. 1. C. de reb. cred. à lite diſtinguitur: eiusq; ſignificationis teſtimonia ex Cicerone & Seneca paulo antè protulimus ſub uoce casvs. Ridiculum eſt autem in l. 11. D. de uerbor. ſignific. & l. 9. D. ſi cert. petat. ac ſimilibus exiſtimare, Cauſſæ uocabulum uſurpari pro contractu aut obligatione. nam illis locis & ſexcentis ſimilibus planè & latinè cauſſæ uerbum poſitum eſt. Interdum autem cavssa ſignificat, quod noſtri titulum, hoc eſt dominii poſſeſsioniſve auctoritatem appellant. ut cum dicimus, Cauſſa lucratiua, uel cauſſa onerosa. Nonnunquam.

Cavssa ſignificat ius & conditionem rei: ueluti ne uſucapta ſit, Item foetum & partum, & partus partum, omnem deniq; rei utilitatem. Itaq; intelligẽdus eſt titulus, de fructib. & omni cauſſa. Vnde illud Pauli in l. cum fundus. 31. D. ſi cert. petat. Cum fundus petitus eſt, poſt iudicium acceptum cauſſa omnis reſtituenda eſt: id eſt, omne quod habiturus eſſet actor, ſi litis conteſtandæ tempore ſolutus fuiſſet. Item in l. præterea. 20. D. de rei uendic. Nec enim ſufficit corpus ipſum reſtitui, ſed opus eſt, ut & cauſſa rei reſtituatur: id eſt ut omne habeat petitor, quod habiturus foret, ſi eo tempore, quo iudicium accipiebatur, reſtitutus ille homo fuiſſet. Sic accipitur in l. Iulianus, 9. §. quantum, D. ad exhib. §. 4. De offic. iud. l. 2. l. 3. l. 8. D. de Vſur. l. 4. §. unde, 6. l. 1. §. hanc actionē, D. depoſ. l. 7. C. ad exhib. Quare cũ dicimus ſeruitutes omnes cauſſas habere perpetuas, l. foramē 28. D. de ſeruit. urb. ſic intelligendum eſt: earum ius atq; conditionem hanc eſſe oportere, ut iis perpetuò aſsidueq; uti liceat.

Cavssa alia dicitur Lucratiua, alia Onerosa. Lucratiua eſt, propter quã accipiẽti nihil abeſt: ueluti ſi quid ei legatũ aut donatũ ſit. l. 5. D. de uſur. l. 4. D. de manum. l. 82. §. fundus, De legat. 1. l. 83. §. ſi rē, de uerb. obl. Onerosa uerò eſt pp quã aliquid abeſt: ueluti cum quid emptum aut conductũ eſt.

Cavssa, forma, modus, ratio. Paulus l. 44. D. de obl. & act. Obligationũ ferè quatuor cauſſæ ſũt: aut enim dies in his eſt, aut cõditio, &cet. id eſt, Obligationum concipiendarũ forma eſt quadruplex: Idem l. 85. De uerb. oblig. In executione obligationis ſciendũ eſt quatuor cauſſas eſſe: id eſt, executionis formam ac rationem eſſe quadruplicem.

Cavssa, ĩ l. 1. D. de obl. & act. quaſi pro negocio uſurpaĩ, ubi Caius ſcribit obligationes naſci aut ex

contra-

contractu,aut ex maleficio, aut ex uarijs cauſſarum figuris. quod ſic intelligo: Ex iure quodã a puro contractu, puroque maleficio ſecreto, per ſeque ac propriè conſtante: ex uarijs cauſsis, quæ neque contractus, neque maleficia ſunt,ſed illorũ affines.

CAVSSAM propriam eam eſſe palàm eſt,ait Vlpian. cuius emolumentum uel damnum ad aliquẽ ſuo nomine pertinet.l.1.§.8.D. quando appel.ſit.

CAVSSARIA miſsio,uide Miſsio.

CAVTIO iuratoria, eſt promiſsio ſine fideiuſſoribus,ſolo interpoſito iureiurando præſtita,fore ut reus in iudicio aduſque litis exitum permaneat. uti docet Imp.§.1.De ſatiſdat.Et de Cautione iuratoria mentio fit in l.17.C.de dignit. l.12.C.de prox.ſacro.ſcrin.l.ultim.C.de princip.agen.l.12. l.uu.C.ut omn.iudie.

CAVTIO de rato, eſt, cùm defenſor alterius promittit dominum ratum habiturum id quod ſuo nomine egerit:ne ſi fortè iudicio uinceretur, reuerſus dominus rem qua de actum eſt, ſuam eſſe peteret.l.ſeruum,33.in fi.D. de procurat.

CAVTIO de dolo erat (ut opinor) Aquiliana illa formula tantopere a Cicerone celebrata: quam euerriculum malitiarum omnium appellat. nam Actionis nomine formulam Cicero ſignificat. Locum autem habebat, cum petita iudicio res eſſet, uerereturque petitor, ne quid dolò malo poſſeſſor interea committeret: itaque apud iudicem poſtulabat ab eo, ut ſibi repromitteret,ſe nihil in ea re dolo malo facturum: hoc modo, Spondes ab ea re qua de agitur,dolum malum abeſſe, abfuturum eſſe?

CAVTIO non numeratæ pecuniæ,dicitur chirographum debitoris qui ſibi creditam pecuniam ſcripſit,quæ tamen numerata non fuit.l.1. De cauta & non numerat.Cod.Gregor.

CAVTIO Mutiana eſt,qua legatarius cui quid ſub conditione non faciendi legatum eſt, id ſe nunquam facturum promittit: a Q. Mutio Iuriſconſult. inſtituta. Cùm enim de illius conditionis euentu nunquam ante legatarij mortem conſtare poſſet: ac propterea ipſe teſtatoris beneficio per totum uitæ ſuæ tempus carere cogeretur: neceſſariò Q. Mutius eam cautionem in uſum induxit. Quo uerbo quamuis nuda promiſsio vulgò contineatur, l. prima D.qui ſatiſd. cog. uidetur tamen etiam ſatiſdatio in hoc genere intelligenda eſſe: partim quia in l.hoc genus, 106.& l.cum ſub hac,67.D.de condit. & demonſt. Satiſdatio diſertè appellatur: partim quia in legatis grauioribus, probabile eſt fideiuſsionem interpoſitam fuiſſe. Itaque Iuſtinianus Nouell. XXII. ubi copioſè de hac Mutiana cautione loquitur, interdum etiam iuſiurandum & hypothecam exquirit. Illius autem ea uis eſt, ut ſtipulatione commiſſa, qui contrà fecerit,uel rem cum fructibus,uel quãti ea res eſt,reſtituat.l.cũ ſub hac,67.l.hæres, 79. §.2.D.eod.Etſi autem de legatis à Mutio concepta ſit, ad hæreditates tamen transferri poteſt. Itaq; Vlp.in l.7.D.eod. Mutianæ,inquit, cautionis utilitas conſiſtit in conditionibns, quæ in non faciendo ſunt conceptæ:utputa, Si in capitolium non aſcenderit:Si ſtichum non manumiſerit. nec ſolùm in legatis placuit,uerùm in hæreditatibus quoq; idem remedium admiſſum eſt.

CEDERE propriè eſt,abire.

Hinc

CEDERE foro dicuntur argentarij(in l.ult.D.de curat.bon.l.quoties,D.de poſ.)qui tabernam deſerunt,& argentariam facere deſierunt.& apud Iuuenal. Satyr. 11. Hinc

CEDERE lite dixit Caius,pro uictum ſe fateri, & a iudicio uictum abire: Si hæres ſcriptus,inquit, reſtituerit hæreditatem, & poſtea de hæreditate cõtrouerſiam paſſus,uictus ſit,aut lite ceſſerit, duræ actiones conſtat,&c.ſic in l.ſi de communi, D. ſi ſeruit uindic.

Hinc

CEDERE in iure dicebantur,qui rei ſuæ dominium in alium transferebant, a quo ipſi abibant. Vlpianus cap. Inſtit. 19. In iure ceſsio fit per tres perſonas, in iure cedentis, uindicantis, addicentis. in iure cedit dominus: uindicat is cui ceditur: addicit Prætor. & Boetius in Topica Ciceronis, Apud Magiſtratum is cui res in iure cedebatur, eam tenens ita uindicabat: HVNC ego hominem ex iure Quritium meum eſſe aio. deinde poſtquã hic uendicarat, Prætor interrogabat eum qui cedebat, an contrà uindicaret: negante eo, aut tacente, tunc ei qui uindicarat, rem addicebat. Hæc ille. Opinor autem ex uindiciarum conſuetudine ſumptum hoc fuiſſe:in quibus alter uirgula quaſi haſta pellebat,alter uerò cedebat. Hinc

CEDERE dicimur etiam in rebus corporalibus, cũ earum ius in alium trãſferimus ueluti cum Actiones,aut Seruitutes cedi,paſsim in iure noſtro legimus. Nam (ut Vlpianus ſuprad. capitul. ſcribit) in iure cedi etiam res Incorporales poſſunt: uelut uſufructus, & hæreditas, & tutela legitima, & libertas. incorporalib.

Hinc

CESSICVS tutor, ab eodem dicitur, cui tutela in iure ceſſa eſt. Et Ceſsitia tutela, quæ ita ceſſa & translata eſt.

CEDERE propriè eſt, abire. Itaque Cicero in libro de Senect. Horæ, inquit, cedunt, & dies,& menſes, & anni: nec præteritum tempus unquam reuertitur. Hinc cedere tempora dicuntur in iure noſtro, quorum pars abijt l. 1. D. de iur. & fact.l.4.de adult. & l.6. D. de Calum.

Hinc

CEDERE diem Iuriſconſulti dicunt, cum certi temporis pars effluit. ueluti cùm quis Kalendas Ianuarij die ſtipulatus eſt, ſibi proximis Kalend. dari: uel cum in locatione dies operi

faciundo

faciundo præſtituta eſt Kalend. Feb. triduo quatriduove exacto, rectè tres quatuorve dies ceſsiſſe dicentur. qua de cauſſa Vlpian. in l. 213. D. de uerb. ſign. Cedere diem, inquit, ſignificat incipere deberi pecuniam. Similiter ſi quis ita ſit hæres inſtitutus, Cernito in diebus centum, quibus ſcierit poteritque: quot dies effluxerint, ex quo ſcierit atque poterit, tot illi dies cedere rectè dicentur: at quibus neſcierit, non dicentur: neq; enim illi computantur. Sic in libris noſtris dies legatorum cedere dicuntur, cùm pars aliqua legitimi temporis, quo illa legatarijs quæſita ſunt, effluxit: ſub. tit. Quando dies legat. ced. Poſitum igitur illud ſit, quod ex ſuperioribus conſtat, diẽ tum dici cedere, cùm præſtituti alicuius temporis pars effluxit. Vbi uerò præſtitutum tempus nullum eſt, dici nullo modo poſſe. Quod cum ita ſit, uehementer equidem mirari me fateor, tantopere uſque adhuc celebratam illam ſubtilitatem fuiſſe, quam in d. l. cedere, ſub Vlpiani nomine legimus: quæ mihi ſanè frigida atque inſulſa uidetur: neque ex Vlpiani ingenio, ſed ex Triboniani potius audacia emanaſſe: Vbi purè quis ſtipulatus fuerit, inquit, & ceſsit, & uenit dies. Quod ſi pro CESSIT, legeremus, ABIIT, nihil obtuſius dici poſſet: cùm tamen eadem utriuſque uis ac ſignificatio ſit. Quòd autem ſequitur, VBI in diem quis ſtipulatus eſt, ceſsit dies, ſed nõdum uenit: quàm acutum hoc uidetur? & tamen pro CESSIT legendum potius eſſet CEDIT. neque enim omnes adhuc ceſſerunt: ſed quotidie abeunt. Illud autem poſtremum, VBI ſub conditione, neque ceſsit, neq; uenit dies: ecquonam, quæſo, argumento dictum eſt? cum abire dies non poſsit, ubi nulla eſt. nam in puris & conditionalibus, quæ poteſt ratio abeuntium dierum ſubduci, cum dies nulla ſit? an non hoc eſſet, ſine numeris Arithmeticam facere? at in ſtipulationibus in diem, dierum numerus computatur: & rectè dicitur, Vnus & alter, itẽ Tertius aut quartus dies abijt. quanquam etiam in his ipſis diem quæ uenit, cum ea quæ cedit comparare, & in ea re argutum uideri uelle, nunquam mihi Vlpiani eruditione dignum uiſum eſt. Quare ut iſtas Triboniani ineptias omittamus, & ad penſum noſtrũ reuertamur, CEDERE operæ eadem ſignificatione dicuntur, qua cedere legata. præciſa enim utrobiq; locutio eſt: quæ plena ſic effertur, Cedere dies, quibus operæ aut legata debebantur. Vnde illud Vlpiani l. ſi quis, 13. D. de oper. libe. Iudicium de operis tunc locum habet, cùm operę præterierint. Præterire autem non poſſunt, antequam incipiant cedere: & incipiunt, poſtquam fuerint indictæ. Et l. quoties, 24. D. eod. Operæ in ſtipulationem deductæ, ex die ſtipulationis cedunt: at eæ quas patronus a liberto poſtulat, confeſtim, non cedunt, ſed poſtquam indictæ ſunt. id eſt: quia ſtipulationes operarum tacitè ac ui ipſa præſtitutum tempus habent, atque in diem conceptæ ſunt, diebus tribus quatuorve ſine preſtatione operarum elapſis rectè dicemus, tot dies aduerſus libertum a ſtipulatione facta ceſsiſſe. Quæ uerò operæ ſine ſtipulatione debentur, earum dies non ante indictionem cedunt: quippe cum tempus earum præſtandarum non ante indictionem præſtitutum fuerit.

CESSIM ire, apud Alfenum pro retrò cedere: uel, ut ipſe paulo poſt loquitur, retrò redire. in l. ſi ex plagis, 52. §. 2. D. ad leg. Aquil. Sic Iuſtinus lib. 2. Commiſſo prælio ite ceſsim, inhibete remos, & a bello diſcedite.

CELLARARIVS ab Vlpiano. in l. quæſitum, 12. §. ſi in aliqua, D. de inſtruct. & inſtrum. interpretatur, ſeruus ideo præpoſitus ut rationes ſaluæ ſint. Qua de re nuſquam me legiſſe memini: & cùm in antiquis libris Cellarius legatur, haud ſcio an ita rectius eo loco reponeretur: is ſeruus intelligatur de quo Plautus & Columella mentionem faciunt, quique præpoſitus erat ut cellæ rationes ſaluæ eſſent. de quo etiam legitur apud Caium in l. nominatim, 24. Digeſt. de manum. teſtam. & l. uxorem, 41. §. 1. Digeſt. de legat. tertio.

KENOTAΦION, inquit Florentinus, eſt monumentum memoriæ cauſſa factum, quo neque corpus, neque reliquiæ illatæ ſunt. l. 42. D. de relig. Verbum pro uerbo ſignificat, inane & imaginarium ſepulcrum. κενὸς enim græcè inanis, τάφος ſepulcrum appellatur. Tale deſcribit Vergil. li. Aeneid. 3. cuius uerſus ſignificat Marcianus in l. 6. §. 4. D. de diuiſ. rerum,

Solennes tum fortè dapes & triſtia dona
Libabat cineri Andromache, maneſq; uocabat
Hectoreum ad tumulum, uiridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſam lacrymis ſacrauerat aras.

CENSERE, inquit Iabolenus, eſt conſtituere & præcipere. Vnde etiam dicere ſolemus, Cenſeo hoc facias: & ſenatum aliquid cenſuiſſe. inde Cenſoris nomen uidetur eſſe tractum. l. cenſere, 111. D. de uerbor. ſignifi.

CENSERI, in præcio haberi, & æſtimatione aliqua dignari. Vlpianus l. 1. D. ad municipalem. Sed ſi ex patre Campano, matre Puteolana, æquè municeps Campanus eſt. niſi fortè priuilegio aliquo materna origo cenſeatur: id eſt, dignata & decorata ſit. Idem l. 1. §. 2. D. de iuſt. & iur. Videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam iſtius iuris peritia cenſeri: id eſt, quaſi iuris iſtius peritas celebrari, eximia laude ac prædicatione ornari. Papin. l. ult. D. de ſuis & legit. priuatorum cautionem legum auctoritate non cenſeri: id eſt, propriè non dignari, uel non dignas duci quæ parem cum legibus auctoritatem habeant.

CENSITI ſerui, uide Serui agricolæ.

CENSOR, uide ſub tit. de Magiſtratibus ſuo loco.

CENSVS, propriè eſt actio ipſa Cenſorum, ciues R.& eorum bona recenſentiũ.de quo apud Póp. in.l.2.§.pnſt deinde, D.de reg.iur. Duplex enim cenſus fuit: unus perſonarum, cum ciues ſinguli in ſua tribu, claſſe, centuria nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum ſeruorumq́ue ſuorum, itẽ cuiuſque ætatem & quam urbis regionem habitareut, iureiurando dato profiterentur. Alter cenſus erat bonorum: cum ijdem patresfam. ſua prædia tum urbana, tum ruſtica, ſeruorum pecudumq́ue numerum, fundorum inſtrumenta, ſupellectilem, pecuniæ deniq; numerum profitebanẽ. Quod & Dionyſ. Halic. tradit lib.4.& Liuius lib.1.& 7. & 39. Hinc

CENSVS pro bonis fortuniſq́ue omnibus. Cice. pro Q.Roſcio: Quem tu ſi ex cenſu ſpectas, ciuis R. eſt. Vlpianus l.cogi.16.D.ad Trebell. Hoc idem & ſi patrimonium fuerit rogatus reſtituere, & ſi facultates, & ſi quid habeo, & ſi cenſum meum, & ſi fortunas meas, & ſi ſubſtantiam meam.

Hinc

CENSV manumitti dicebantur ſerui, qui luſtrati cẽſu Romæ iuſſu dominorum inter ciues R. cenſum profitebantur: ait Vlp. cap. Inſtit. 1. Hinc

CENSVI cenſendo agri propriè appellantur, qui & emi & uenire iure ciuili poſſent. Feſtus lib. 3. Cicer. in ea pro Flacco, Illud quæro, ſint ne iſta prædia cenſui cenſendo ? habeant ius ciuile ? ſint, necne ſint mancipi ? ſubſignari apud ærariũ, apud Cenſorem poſsint ? in qua tribu deniq; iſta prædia cenſuiſti. Hinc

CENSVALIS forma apud Vlp. l.4.& paſſ. D.de cenſib. Et

CENSVALIS profeſsio, l.7.C.de donation.. Et

CENSVALES tabulæ ac libri, l.4.C.de agric. & cenſit. Et

CENSVALE officium, l.18.C.de teſt.

CENTENARII dicuntur a noſtris, qui centum millia H-S in bonis habent, ut ſcribit Imper. §.2. de ſucceſſ. lib. qui, ut ait Aſconius, more ueterũ Cenſi dicebantur. De centenarijs Vlpia. frequenter in l.16.D.de iur.patr.& ſub tit. ad leg. Falcid. qua de cauſa Suidas, κεντενάριον, inquit, νομισμάτων ποσότης. Quod autem apud Imper. §. ſeq. legitur Centum millia H-S, centenis aureis comprehendi, falſum eſt. non enim centeni, ſed milleni aurei ſiue ſolidi centum ſeſtertium millia conficiunt. quapropter aut hallucinatum eſſe Tribonianum, aut locum corruptum in Inſtit. commentarijs docuimus. uide Aureus.

CENTESIMAE dicuntur uſuræ, quum ſingulis calendis pars ſortis centeſima uſuræ nomine perſoluitur. Vel ſic:

CENTESIMA uſura eſt, quum ob centum aureos pro toto anno péduntur aurei duodecim, hoc eſt propter centum aureos, unoquoq; menſe aureus unus: qui ſi cum centũ iſtis aureis cóſideretur, omnino centeſimus eſt: quare nec iniuria talis uſura Centeſima appellatur. eadẽ uerò ratione intelligi oportet uſurã quadrãtẽ, trientẽ, ſemiſſem, beſſem. Harme. tit. de uſur. uide Vſura centeſima.

CENTESIMVS annus finis uitæ lõgę ui hominis eſt, ait Caius l.56.D.de uſuf.

CENTIES aureorum, præciſa locutione pro Centies centena millia aureorum. Celſus l.88. de uerb. ſignif. Tantum quiſque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis eius refici poteſt. ſic dicimus Centies aureorum habere: qui tantùm in prædijs, ceteriſq; ſimilibus rebus habet. Paul. l.97.D.de legat.& fid. lib.32. Pone, inquit, in condito centies aureorum eſſe, quæ in uſum ſumi ſolerent. Sic Decies ſeſtertium, pro Decies centena millia H-S. ut in Verrinas demonſtrauimus.

CENTONES faſciculi ex pannis aut linteis ſordidis compacti, quibus ædium inſtrumenta deterguntur. Apud Vlpianum l.12.§.12.D. de inſt. uel inſtrum. poſitum uidetur pro ijs qui perticis impoſiti aceto immerguntur ad incendium extinguendum.

CENTVMVIRI, uide ſub tit. de Magiſtratib. in appendice.

CENTVMVIRALE iudicium. noſtri dicunt, pro actione, ſiue querela inofficioſi teſtamenti, in l.ult. C.de petit.hær. l. Titia.13.D.de inoffi. teſtam. l. petitor.30.D.de liber.legat.

CERNO dictum a creo, id eſt a creando: ab eo quòd quum quid creatum eſt, tunc denique uidetur. hinc illud in teſtamento, Facito uideant te eſſe hæredem. Itaque in cretione adhibere iubent teſtes. Varro lib. de ling. v. itemq́; lib. vi. Apud Plautum, Cùm ego antea te amaui, & mihi amicum eſſe creui: ualet conſtitui. Itaque hæres quum conſtituit ſe hæredem eſſe, dicitur cernere: & quũ id fecerit, creuiſſe. Hinc

CRETIO, certum dierum ſpacium definitur ab Vlpiano cap. Inſtit.22. quod dabatur hæredi inſtituto ad deliberandum, utrum expediret ei hæreditatem adire, necne. Et Iſidor.. lib. v. Etymolo. Cretio, inquit, eſt certus numerus dierum, in quo inſtitutus hæres aut adit hæreditatem, aut finito tempore cretionis excluditur. nam ita dicitur, Ille hæres mihi eſto: cernitoq; intra dies tot. Hinc eod. loco Vlpianus, Cernere, inquit, eſt uerba cretionis dicere, ad hunc modum: CVM me Mæuius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo cernoq́ue.

CERNERE, & pro hærede cerere hoc differunt, quòd qui cernit, uerba cretionis pronunciat, quę retulit Vlpia. tit.22. Quum me Mæuius, &c. qui pro hærede gerit, re tantùm ipſa hæredem ſe eſſe declarat. ut ſi auctionem faciat, ſeruis cibaria mãdet. Itaque Paulus in l. nona .D. de acquirenda hæreditate. Pupillus, inquit, ſi fari poſsit, cum tutoris auctoritate poteſt hæreditatem acquirere. Si fari poſsit, id eſt, ſi uerba cretionis pronunciare poſsit.

CERTAM legem in rem afferre, quod vulgus dicit, Allegare legem in proprijs terminis. Ad Heren. lib. 1. Hic certa lex in rem nulla affertur, & tamen multæ afferuntur, è quibus ratiocinatio naſcitur.

CERTARE cum uſuris fructibus prædiorum, dicuntur, quorum uectigalia uix aut ne uix quidem uſuris perſoluendis paria eſſe poſſunt. Cic. Catil. 2. Meo beneficio tabulæ nouæ proferentur, uerùm auctionariæ. neque enim iſti qui poſſeſsiones habent, alia ratione ulla ſalui eſſe poſſunt. quod ſi maturius facere uoluiſſent, neque (id quod ſtultiſsimum eſt) certare cum uſuris fructibus prędiorum: locupletioribus his & melioribus ciuibus uteremur.

CERTIORARE, pro Certiorem facere. Vlpi. l. 20. §. 9. D. de hæred. pet. Niſi fortè is cui denunciatum eſt, eum certiorauerit: ſed non ſi certiorare potuit, nec fecit. Idem in l. 4. D. de inter. act. Simul etiam portionis pro qua quiſque hæres extitit, ex interrogatione certioretur.

CERTVM in iure dicitur id, cuius qualitas & quantitas apparet, l. ſtipulationũ, 74. D. de uerb. oblig. ubi Caius ſcribit, Certum eſſe, quod ex ipſa pronunciatione apparet quid, quale, quãtumq; ſit: ubi tamen uox Quid, quæ ad ſubſtantiæ categoriam pertinet, abundare uidetur: quia qualitas ſubſtantiam præſupponit, ut vulgò loquimur. Hinc

CERTVM corpus propriè Iuriſconſuti appellant, quod dialectici Indiuiduũ: Incertum uerò, quod illi genus. qua de cauſa inter ſe opponuntur, in l. 1. §. non ſolùm. D. ad leg. Falcid. Hinc

CERTVS locus dicitur, cuius qualitas & quantitas definita eſt; ueluti fundus Tuſculanus: uel fundi Tuſculani tria iugera l. ita ſtipulatus. 115. D. de uerb. obli. l. 4. D. pro emp. l. 1. de euic. l. 6. D. de ſeruitut. Incertus uerò, cuius aut qualitas, aut quantitas non apparet. l. cùm poſt, 69. §. gener. D. de iure dot. Veluti qui pro indiuiſo dicitur: qui propterea certæ parti opponitur, in l. 1. §. hoc interdictum. D. uti poſsid. l. 1. D. de euic. l. placet, 25. D. quib. mod. uſusf. amittit. & l. ſi is cui, 94. D. de ſolut. ubi Papin. apertè quantitatem opponit ei, quod pro indiuiſo habetur. Hinc

CERTVS homo dicitur, cuius qualitas definita eſt: nam de quantitate non laboratur: qualitas autem aut nomine oſtenditur, aut demõſtratione. nomine: ut Pamphilus, Dauus: demonſtratione, ut ſi digito notemus: ueluti cum dicimus, Hunc hominem meũ eſſe aio. uel natione: ut Syrus, aut Phryx, aut Lydus: uel loco, ut frumẽtũ, quod in illo horreo eſt: ueſtis, quæ in illa arca eſt: aut alia quadam nota, ut filius Areſeucæ. l. Quintus, 10. D. de aur. arg. l. planè, 34. §. 2. l. cũ res, 47. §. 1. l. ſed ſi, 51. l. ſi ſeruus, 108. §. qui quinq; . D. de leg. 1. Contrà uerò Incertus homo dicitur, cuius qualitas definita non eſt: ueluti cũ in genere teſtator ſcripſit, Hominem illi do lego. l. ubi aũt, 75. D. de uerb. obli. & l. eum incertus. 13. D. de leg. 1. l. hæredes, 25. §. Si incerto. D. fam. erc. neque enim quali ſignificetur, intelligitur. Sic

CERTA dies dicitur, cuius numerus definitus eſt: ueluti kalẽdæ Ianuariæ centeſimę. Incerta aũt, cuius tẽpus incertũ eſt: ueluti cùm pubes erit, cũ in familia nupſerit, cùm magiſtratũ inierit. l. ſi dies. 21. D. quãd. dies leg. qua de cauſa Vlp. in l. talis ſcriptura. D. de leg. 1. diem incertum conditionem appellat. Sic

CERTVM uinum aut frumentum dicitur, cuius & qualitas & quantitas apparet: Incertum, cùm aut neutra, aut alterutra tantùm definita eſt: ueluti ſi quis dicat, uini amphoras centũ, uel etiã, uini Cãpani amphoras centũ: Incertũ dicit, propterea quòd quantitatẽ tantũ exprimit, qualitatẽ prætermittit. Campani. n. uini multa genera ſunt. Quòd ſi adijciat, Optimi: tum qualitatem expreſſerit. ſed ſi Boni diceret, nequaquã. bono enim aliud eſt melius. Quinetiam

CERTVM dicit, qui uinum quod in apotheca eſt, aut triticum quod in horreo eſt, dicit. hoc enim idem eſt ac ſi diceret, quale quãtumq; in illa apotheca, aut illo horreo eſt: quę omnia traduntur in l. ſtipulationum, 74. & l. ſeq. l. triticum, 94. D. de uerbo. obl. l. cum res, 47. §. 1. de legat. primo.

CERTA pecunia dicitur, cuius qualitas cum quantitate expreſſa eſt; ueluti, H-S decem millia, aut pecunia quæ in illa arca eſt. idem enim ualet, ac ſi diceret, qualis quantaq; in illa arca eſt, l. 7. §. pen. & l. ult. D. de cõt. empt. Incerta uerò cuius aut qualitas aut quantitas expreſſa nõ eſt. ueluti, aureos dare ſpondes? uel, Numorũ decẽ millia dabis? numorũ. n. genera ſunt innumera. Eoq; pertinẽt l. cùm poſt. 69. §. gen. D. de iur. dot. l. planè, 34. §. 2. l. ſed ſi, 51. l. ſi ſeruus, 108. §. qui quinq; D. de legat. 1.

CERVICALIA, ueſtis nomine cõtineri Vlp. ſcribit in l. 25. §. 1. D. de aur. arg. quòd ſi ad muliebrẽ mũdũ ea pertinẽt, ſignificari putarẽ eo nomine quæ Græci περιτραχήλια nominant, quæ Iul. Pollux in mũdo muliebri recẽſet. ſin uirilia ſunt, ea dici putarẽ quæ frigoris uitãdi cauſſa ceruici circũdãtur.

CERVISIA, potionis genus ex leguminibus confectum. Vlp. in l. 9. D. de trit. uin. Ceruiſiam uini legato contineri negat.

CERYCIA, ea ſunt quæ legati Græcorum ferè ſolebãt, ne quis eorum corpora uiolaret. l. 8. D. de diuiſ. rer.

CESSARE impropriè pro nunquam fuiſſe. Papin. l. 97. D. de ſolut. Quũ ex plurib. cauſsis debitor pecuniam ſoluit, utriuſq; demonſtratione ceſſante, ideſt, ſine ulla demonſtratione.

CESSIO in iure cõmunis alienatio eſt & mancipi rerum, & nec mãcipi: quæ fit per tres perſonas, in iure cedentis, uindicantis, addicentis. uide Vlp. cap. Inſtit. 19. & ſuprà in uoce Cedere.

CESSICVS tutor, & Ceſsitia tutela: uide Tutor Ceſſicus, item Cedere.

CETEROQVIN, alioquin. Vlp. l. 29. D. de iure fiſc.

Sed

Sed enim hæc pœna magis eſt, ut aduerſus ipſum locũ habeat, qui delatorẽ redemit. ceteroquin aduerſus hęredẽ eius tranſire nõ debet. Idẽ l. 35. §. 3. D. de hæred. inſt. Intelligendũ erit rerũ Italicarũ ſignificatione eas contineri, quas perpetuò quia ibi habuerit, atq; ita diſpoſuit, ut perpetuò haberet. ceteroquin ſi tempore, quo tranſtulit in aliũ locum, &c.

Ceterorvm & Reliquorum appellatione ait Vlp. etiã omnes continentur, ut Marcellus dixit circa eum, cui optio ſerui legata eſt, ceteri Sempronio. nã tentat, ſi non optet, omnes ad Semproniũ pertinere l. 160. D. de uer. ſig. l. 17. de opt. leg.

Chartae appellatione & noua & deletitia continetur .l. 4. D. de bon. poſſ. ſecund. tab. Chartis autem legatis neq; libri iam facti, neq; cœpti ſcribi, neq; membranæ, neq; ceteræ ad ſcribendum materiæ debentur .l. librorum, 52. §. 4. & l. chartis, 76. de legatis tertio.

Chartiaticvm, merces quæ officialibus pro chartis datur. l. 6. D. de bon. dãnat. eaq; uox apud Zonarã obſeruata ẽ: ἐπόπτας προεβάλλετο ἐπιχώριον ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια· ἀναγκεῖσθαι δὲ καὶ ὑπὲρ χαρτιατικοῦ ἐπὶ τῷ νομίσματι δύο κεράτια. eodem modo dictũ uidetur quo Cerarium, Verrina v. quod pro cera pendebatur.

Chasma, χάσμα, terræ hiatus, Ciceroni labes dicitur. Vlp. l. 11. §. 4. D. de minor. Prædia fuerũt, quę chaſmate perierunt, inſulæ exuſtæ ſunt, &c. Idem l. 4. D. de cenſib. Quare & ſi agri portio chaſmate perierit, &c. ſic l. 47. §. ult. de legat. primo, l. 10. D. de peric. & commod.

Chirographvm χειρόγραφον, priuata cautio manu alicuius uel ſcripta uel ſubſcripta. itaq; generale nomen eſt, ad oẽs eiuſmodi cautiones pertinẽs. l. pen. D. de teſta. & ſæpe apud Cicer. & alios ueteres. fecit aũt cõſuetudo, ut chirographũ propriè appelletur συμβόλαιον γραμματεῖον. ut ait Heſychius: id eſt, cautio ad contractus pertinẽs: & propriè libellus quo quis pecuniã ſe debere ſcripſit. Itaq; Aſconius in Verrinã 3. Inter ſyngraphas & cetera chirographa hoc intereſt, quòd in ceteris, tãtùm quæ geſta ſunt ſcribi ſolent: in ſyngraphis etiam contra fidem ueritatis pactio uenit, & non numerata pecunia, aut nõ integrè numerata, pro tẽporaria uoluntate hominũ ſcribi ſolent, more inſtitutoq; Græcorũ. & ceteræ tabulæ ab una parte ſeruari ſolẽt: ſyngraphæ, ſignatę utriuſq; manu, utriq; parti ſeruandæ traduntur. hæc ille. Hinc

Chirographvm inane dicitur, quum id quod debitum, perſolutum. Vlp. l. 18. D. de ſolut. Solutione chirographo inani facto, & pignoribus liberatis nihiloſminus creditor, ut inſtrumenta ad eum contractum pertinentia ab alio quàm debitore exhibeãt, agere poteſt Idẽ l. 41. D. ad leg. Aquil. Veruntamen in hærede uel legatario diuerſum: quibus teſtamenta, penè chirograhpa ſunt: id eſt, cautiones debitarum pecuniarum. loquitur de eo qui teſtamẽtum deleuerit. Idẽ l. 5. §. 6. D. cõmod. Si tibi codicem commodauero, & in eo chirographum debitorem tuum cauere feceris, &c. ubi tamen Chirographo legendum potius arbitrarer. Hinc

Chirographarivs creditor dicitur, qui ſibi chirographo cauit Paulus l. 38. §. 1. D. de priuileg. cred. Reſpublica creditrix omnibus chirographarijs creditoribus præfertur. Opponuntur autem ijs qui Hypothecarij dicuntur .l. cùm tibi, 10. C. qui pot. in pign. & l. 4. & 6. C. de priui. cred. Hinc

Chirographarivs debitor, qui ſua manu cautionem creditori dedit. in l. pen. C. de nouat. Et

Chirographaria pecunia, quæ ſine pignore per chirographum ſolum debetur. tit. Cod. etiam ob chirog. pecun.

Chlamydes, Vlp. in l. 23. §. 2. D. de aur. arg. recẽſet inter ueſtimenta puerilia. Et ſic Varro de liberis educãdis, apud Nonium, Vt puellæ, inquit, habeant potius in ueſtitu chlamydas, &c.

Chomata, χώματα. Vlpian. in l. pen. D. de extraor. cri. aggeres interpretatur, qui aquã Nili coercẽt.

Cibaria dicuntur, quæ ad quemque alendum ſatis ſunt. ſub titulo de aliment. & cibar. itaque neque ueſtiaria, neque habitatio eo nomine continetur. l. 4. 6. 12. 13. 21. D. eod. tit.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Ex auro arma dedit, capit ærea: at iſta nouenum, Cẽtenũ illa boum precio æſtimata. Prouerbium eſt, quo Iuſtin. utitur in præfat. ad Anteceſſores: Quia, inquit, ueſtris tẽporibus talis legũ inuenta eſt permutatio, qualẽ & apud Homerum patrem omnis uirtutis, Glaucus & Diomedes inter ſe faciũt, diſsimilia permutantes. χρύσεα χαλκείων, &c. Fabula eſt apud Hom. l. Iliad. 6. de Diomede Græco, qui quum ſingulari certamine cum Glauco Troiano pugnaturus uideretur, ab illo gentis ipſius nomen quæſiuit. quumq; ſe antiquam ſuorũ maiorum hoſpitij cum illa gente neceſsitudinem agnoſcere dixiſſet, ueterator Diomedi ſuadere cœpit, ut renouandæ neceſsitudinis cauſſa arma inter ſe commutarẽt. Iuſtinianus ergo ſuorum librorũ cum illis antiquorum permutationem, ſimillimam eſſe dicit eius permutationis qua Glaucus cum Diomede uſus eſt: quod mediusfidius ab illo Cyclope uerius dictum eſt, quàm ſperabat.

Chrysolithvs, χρυσόλιθος, gemma aureo colore tranſlucida, ut ait Plin. lib. 37. cap. 9. quaſi dicas Lapis aureus: cuius facit Vlpianus mentionẽ in l. 19. §. 6. D. de aur. arg.

Cilicia, inquit Aſconius, texta, de pilis in caſtrorum uſum atque nautarum. Hinc uela Cilicia dicuntur Vlpiano, quæ ideo parantur, ne ædificia uento uel pluuia laborent, l. 12. §. 22. de inſt. uel inſt. & l. 13. §. 2. de act. empt. Seruius in illud Georgic. 3. Nec minus interea barbas, incanaque menta Cinyphij tondent hirci, ſetaſque comantis Vſum in caſtrorũ, & miſeris uelamina nautis.

In

In uſum,inquit,caſtrorum ideo dixit: & quia de cilicijs poliuntur loricæ,& teguntur tabulata turrium,ne iactis facibus ignis poſsit adhærere.

Cinctvs, pro eo qui ad militiam conſcriptus,miles factus eſt. Marcellus l. Titius, 25.D.de teſtam. mil. Titius priuſquam Tribunus legionis factus eſſet,teſtamentum fecit, & poſtea cinctus manen te eodem teſtamento deceſsit. Paulus l. quod di citur,38.§.primo D.eod. Miles teſtamentum fecerat.deinde nõ ignominiæ cauſſa miſſus, rurſum cinctus eſt in alia militia. Moris fuit antiquis ut togati ciues Romani eſſent in militia: ſed præliũ inituri, præcingerentur. Inde Teſtamenta in procinctu, quemadmodum Plutarchus in Coriolano teſtatur. ſed eo more ſublato, cingulum manſit perpetuò. unde qui ab Imperatore ignominia afficiebantur, plerunque diſcingebantur. qua pœna uſum Marcellum Liuius li.7.teſtatur: Auguſtum uerò,Suetonius.

Cingere arborem, uetuſtè pro deglabrare, ſiue delibrare: ut ait Paulus in l.cædere,5.D.arb.furt. cæſa.qua ſignificatione uſurpat hoc uerbum Vlpianus in l.furtim, 7.§. 2. eod. Siue aũt quis ſuis manibus,ſiue dũ imperat ſeruo arbores cingi,ſub ſecari,cædi.& Alfenus l.in lege, 29.D.locat. Redemptor ſyluam ne cædito, neve cingito, neve deurito.

Circitores, circuitores: ſic enim antiqui loquẽ bantur.unde & Circites apud Feſtum, circuli ex ære facti: & Circites anni apud Varronem,a bruma ad brumam. Vlpia. autem in l.5. D. de inſt. act. Vulgò,inquit,circitores appellamus eos,qui bus Veſtiarij uel Lintearij dant ueſtem circumferendam & diſtrahendam.

Circvlatores, περιοδευταὶ uagi homines, & circumforanei, qui circumplicati colla ſerpentium amplexu terrorem ſpectantibus incutiunt: apud Paulum in l.ult.D.de extraor. crim.

Circvmdvcere, inducere, delere. Hinc Circũduci cauſſa dicitur,cùm ob id quia deſerta eſt, eius nomen ex cauſſarum albo eximitur. Paulus l. 45.D.de re iud, Acta apud ſe habita,ſi partes con ſentiant, & iudex hoc permiſerit, poteſt iubere ea die circunduci. Vlpianus l.73.§.1.D.de iudi. Tum circumducendum erit edictum peremptorium,neque cauſſa cognoſcetur,&c. Sic in l.27.§. 1.D.de liber.cauſ.l.6.C.quomod.& quand.

Circvmlinivm, ius prædiorum,inquit Feſt.

Circvmlvvio, inquit Feſtus,eſt ius quoddam prædiorum:ubi fortaſſe, Prædiatorium legi debet. Eſt autem Circumluuio,cum parte aliqua di uiſum flumen,agrum alicuius ita ambit, ut inferius unitum illum in inſulæ formam redigat .l.adeò,7.§.quòd ſi.D.de acquir.rer.domin.

Circvmscribere plerunque fallere ſignificat, ut apud Græcos περιγράφειν. Paulus l.exceptiones, 7.§.1.de exception.Si quis fideiuſſerit pro minore uigintiquinque annis circumſcripto. Plerunque autem in minoribus hoc uerbum uſurpatur. Cic.l.16.Of.3.Circũſcriptio adoleſcentũ l. Leto ria uindicata eſt. Pro Cluent. Cùm omnis ab his fraus,omnes inſidiæ,circumſcriptioneſque adole ſcentium naſcerẽtur. Sic in l.10.§.1.& l.17.D. de minorib.l.17.D.de dolo.

Cisivm, uehiculi genus eſt biroti,inquit Nonius. unde Ciſiarius,qui ciſij ductor,atque auriga. Vlpianus l.13.D.locati. Item quæritur ſi ciſiarius,id eſt,carucharius dum ceteros tranſire contendit, ciſium euertit,& ſeruum quaſſauit.Cic. pro Sex. Roſcio, Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſijs peruolauit.

Cita hæreditas,diuiſa.uide Erectum.

Citare præco dicitur,quem in iudicium euocat. Cicero pro Flacco, Citat præco magna uoce legatos Aemonenſes. Citabat autem iudices,reos, & teſtes. Marcellus l.7.D.de in integ. reſtitut. Itaque ſi citatus non reſpondit, & ob hoc more pronunciatum eſt,confeſtim autem pro tribunali te ſedente adiit,exiſtimari põteſt non ſua culpa,ſed parum exaudita uoce præconis defuiſſe: ideoque reſtitui poteſt.Vlp.l.73. D. de iudic. Et poſt edictum peremptorium impetratum, quum dies eius ſuperuenerit, tunc abſens citari debet:& ſiue reſponderit,ſiue non reſpõderit,agetur cauſſa & pronunciabitur. Sic l.20.D. de teſtib. l. 10. D.de pub.iud.

Civilia uerba,quæ etiam directa in iure appellantur, uerba ſunt formularum ciuilium, hoc eſt quæ ad ius ciuile accommodatæ olim a Iuriſconſultis fuerunt. ex eo nimirum quòd hæc pars iuris,propriè nõnunquam Ius ciuile appellatur: uti Pomponius docet l. 2. de orig. iur. ſiue quòd uernaculum eſſet, neque ab exterarum gentium inſtitutis ſumptum: ſiue quòd ſoli ciues ijs legis actionib.ac formulis uti poſſent. Papinianus l.7. De vulg.& pup.Verbis ciuilibus ſubſtitutionem poſt quartum decimum annum ætatis fruſtra fieri conuenit. Vlp.cap.Inſt.xxv. Fideicommiſſum eſt,quod non ciuilibus uerbis, ſed præcatiuè relinquitur. hoc eſt, non ijs formulis quæ ad hæredum inſtitutionem accommodatæ ſunt, ſed precatiuis.

Civilia iudicia,uide Iudiciorum alia criminalia.

Civiliter, eo modo, eaque formula quam Iuriſconſulti excogitarunt & tradiderunt. Hinc Pomponius in l. pen. D. de ſolut. ſcribit uerborum obligationem ciuiliter per acceptilationem tolli, non rei naturam ac ſubſtantiam: id eſt, conſenſum & pactum ſpectans: ſed modum ad formam aduentitiam. quum Vlpianus in l. 8. in fin. D.de acceptil.apertè dicat Accepti lationem eſſe iuriſgentium: quatenus ſcilicet,pactum con uentum,id eſt ſubſtantiam ipſius actus conſideramus.ut acceptilationis materia ſit iuriſgentium, forma uerò iuris ciuilis.

Clam factum,uide Vi factum.

Clam

CLAM facere id dicimur,quod eo inſciente facimus quem id prohibiturum eſſe ſuſpicabamur.uti patet ex.l.6.§.ulti. D.quod ui.

CLAM poſſidere dicimus eum, qui furtiuè ingreſſus eſt poſſeſſionem eo ignorante,quem ſibi controuerſiam facturum ſuſpicabatur, & ne faceret, timebat.l.6.D.de acquir.poſſeſ.

CLARIGATIONEM nidetur Liuius lib.VIII.dixiſſe pro iis quæ nunc Repreſalia uocamus: Veliterni, inquit,iuſſi trans Tyberim habitare: ut eius, qui cis Tyberim deprehenſus eſſet, uſque ad mille pondo clarigatio eſſet: nec prius quàm ære perſoluto is qui cepiſſet,extra uincula captũ haberet.

CLARISSIMI, & Claris ſimatus,uide Dignitatum.

CLARISSIMARVM fœminarum nomine Senatorũ filiæ,niſi quæ uiros clariſs.ſortitæ ſunt,non habẽtur.tamdiu igitur clariſsima fœmina erit quandiu Senatori nupta eſt,uel elariſsimo: aut ſeparata ab eo alii inferioris dignitatis non nupſit.l.8.D.de ſenatoribns.l.22.§.1.ad municip.

CLAVI, in ueſtibus retinacula dicuntur, gemmæ uiteę inſtar habentia, quibus tanquam clauis pars ueſtis alteri parti coniuncta retinetur, quos ſimilitudine gemmarum Boutons Galli appellãt. Vlp. l.19.§.1.D.de aur.arg. Quemadmodum claui aurei & purpuræ, pars ſunt ueſtimentorum. idem Pomponins libris epiſtolarum, Et ſi non ſunt claui ueſtimentis conſuti,tamen ueſte legata contineri.Idem l.23.§.1. Et quæ his acceſſionis uice eedunt: quæ ſunt inſitæ picturæ, clauiq; qui ueſtibns inſunntur.

CLERVS, ſodalitas & collegium clerorum apud Impp.l.generali.13.C.de ſacroſ.eccleſ.

CLIENTES noſtros,ait Proculus,intelligimus liberos eſſe,etiam ſi neque auctoritate, neque dignitate,neq; uiribus nobis pares ſunt.l.7.D.de capt. & poſtlim.l.3.D.de uſu & habit.l.3.C.de nouat. l.89.D.de furt.l.5.§.1.D.de his qui deie.uel effu. Romulus plebeij ordinis hominibus à Patribus diſcretis,ne qua inter eos diſſenſionum materia relinqueretur,unicuique ex plebe permiſit,quemcunque ex patribus uellent, patronum cooptare. Hæc autem inter eos iura conſtituit. Patroni quidem ut quæ clientes iura & legitima ignorarent, eos docerent.quod ſignificat Horatius Epiſtol. libro.II.Romæ dulce fuit, & ſolenne recluſa Mane domo uigilare,clienti promere iura. Eorum abſentium æquè ac præſentium,neq; ſecus,quàm parentes liberorum curam gererent: cauſas & priuatæ & publicæ rei ſuſciperent: denique tum priuatim,tum publicè eorum commodis & rationibus conſulerent. Viciſsim autem ut clientes ad collocandas patronorum filias dotem,ſi opus eſſet,conferrent: patronos, aut ipſorum liberos ab hoſtibus captos redimerent: multas,ſi quæ deberentur, eorum nomine perſoluerent: ſi qui ſumptus publicè faciendi ſint,partem contribuerent.

Vtriſq; autem hanc legẽ impoſuit, ut neq; inter ſe accuſare,neque aut teſtimonio aut ſuffragio lędere,inimicitiasve exercere ijs liceret.hæc ferè ex Dionyſ.Halic.lib.1.

CLIPEVS & ſcutum ſignificat,& imaginem: uti docet Chariſius libro 1.& Plinius li.35. ca. 3. atque in hanc ſignificationem uſurpatur ab Vlpiano in l.ſi uerò,5.ſi id quod. D. de his qui effu. Nam & cum pater in pergula clipeum uel tabulam expoſitam habuiſſet, &c.

CLOACARIVM, pecunia purgandis cloacis attributa. Vlp.l.27.§.3.D.de uſufr. Si quid cloacarij nomine debeatur,uel ſi quid ob formã aquæ ductus, &c.& in l.39.§.4.de legat.& fid. lib. 30. Hæres cogitur legati prædij ſoluere uectigal præteritũ, uel tributum,uel ſolariũ,uel cloacarium, uel pro aquæ forma.

COACTORES olim in auctionib. dicebantur quaſi quæſtores quidam, qui ab ijs quibus ſingulæ res in auctione attributę fuerant,precium exigebant: qnaſi collectores,quia pecunias cogebant, id eſt, colligebant. Scæuola in l. 40.§. 5. de ſtatu lib. Argentarius coactor, cùm penè totam fortunam in nominibus haberet,ſeruis actoribus libertatem ita dedit. Horat. lib. Serm. 1. Nec timuit, ſibi ne uitio quis uerteret olim Si præco paruas,aut,ut fuit ipſe,coactor Mercedes ſequerer. ubi Acron, Præcones dicebantur, qui ſtabant ad haſtam: nunciabant enim precia oblata. Coactores autem mercenarij eorum,qui habebãt argentariam. Sunt autem Argentarij, qui habent ſummam rerum uenalium. Argentarinm dicimus eum qni habet ſummam diuitiarum,a quo accipiunt forani. Coactor,qui exigit numos a circumforanis. Aliter, Coactores dicuntur argentarij in auctionibus, qui pecunias cogunt. ipſi ſunt conuectarij. Hæc Acron. De his quoque Cluentianæ locus qnem ſubiiciam, intelligendus eſt. Quidam ex amicis Saſsiæ recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadã uidiſſe,in rebus minutis aduncam ex omni parte dentatam & tortuoſam uenire ſerrulam, qua illud potuiſſe ita circunſecari uideretur.ne multa,perquiritur a coactoribus, inuenitur ea ſerrula a Stratonem perueniſſe. Alij uerò in ea pro Poſthumo coactores appellantur ut in Commentarijs expoſuimus.

COACTILIA, quæ ueſti cedere Vlpianus ſcribit in l.25.§.1.D.de aur.arg.Bayſium uirum doctiſſimum ſecutus,eas ueſtes interpretor, quæ ex lanis & uillis coactis fiunt,quas vulgò Feltros appellamus.Lanæ.inquit Plinius, & per ſe coactæ ueſtem faciunt.

COADVNARE cóiũgere,unã è pluribus facere. Vlp. l.9.ĩ fi.D.de pac.Nã in hũc casũ ſpectabimus ſummas plures: qa illę excedũt ĩ uná sũmã coadunatę.

COCTIATORIA uaſa apud Paulũ in l. 6.D. de pen. leg.legi uidetur pro Cocinatoria,id eſt,Coquinatoria.nã.C.pro Q.frequẽter ĩ antiquis libris reperiri

riri notum eſt. Vaſa autem Coquinatoria eadem
eſſe palàm eſt, quæ Plinius Coquinaria nominat
in lib. 33. ca. 11. a uerbo Coquinari, quo Plautus
eſt uſus: item ut hoc a Coquina. Meam coniectu
ram vulgata lectio confirmat, in qua legimus
CONCINNATORIA: & Accurſij gloſſa, qui ſi
legiſſet Concinnatoria, nunquam ita interpreta-
tus eſſet, id eſt, deputata ad coquendum. Sed om
nem Vlpianus dubitationem adimit, apud qnem
in l. 19. §. 5. D. de aur. & arg. ſic planè legitur.

COCCVM, frutex fullonius, ait Bayſius, cut adhærent
grana, quibus fit color ille lanarum præcipuus,
cuius copia ſumma in ea parte Hiſpaniæ, quæ
Tudertania appellatur. Vlpian. l. 70. §. 5. D. de le
gat. & fid. lib. 32. Purpuræ autem appellatione
omnis generis purpuram contineri puto: ſed coc
cum non continebitur. Paul. l. 78. §. 5. D. de leg.
& fid. lib. 32. Coccum quod proprio nomine ap-
pellatur, quin uerſicoloribus cederet, nemo du-
bitauit.

CODICES a libris Vlpianus ſeparat in l. librorum',
52. D. de legat. tertio. Propriè autem de tenui-
bus tabulis dicuntur. Seneca lib. ſingulari De
breuitate uitæ, Hoc qnoq; quærentibus remitta-
mus, quis Romanis primus perſuaſit, nauem con
ſcendere. Clandius is fuit, Caudex ob hoc ipſum
appellatus, quia plurium tabularum contextus
Caudex apud antiquos uocabatur. unde publicæ
tabnlæ Codices dicuntur, & naues nunc quoque
quæ ex antiqua conſuetudine per Tyberim com-
meatus ſubuehunt, Caudicariæ uocantur.

Hinc

CODICILLI diminutiuè, qui ex tabulis cera illitis,
ſed multo quàm illi breuioribns & paucioribus
conficiebantur: ob eam cauſam, ut facilè quo cui-
que commodum eſſet, circunferri & in ſinu geſta
ri poſſent. Hinc

CODICILLI, ſcriptura qua defunctus leuiter ac
ſine ulla ſolennitate uoluntatem ſuam teſtatus
eſt, de eo quod poſt mortem ſuam fieri eupit.
Eorum autem alij ſunt fideicommiſſarij, alij dire
cti, Fideicommiſſarij ſunt, in quibus ſcriptor
uerbis ntens præcarijs ſuam de rebus omnibus
quæ teſtamentis comprehendi ſolent, hæredi ſno
petitionem expoſuit. Directi, in quibus directis
ciuilibusq́ue uerbis ſcriptoris uoluntas de legatis
duntaxat alicui relinquendis expoſita eſt. Hæc
ex Inſtit. ſub tit. de codicil. ſummatim. Codicil-
li etiã pro diplomatis ſiue ſcriptura qua Princeps
magiſtratum uel honorem alicui mandauit: apud
Hermogen. l. adminiſtrãtes, 41. D. de excuſa. tut.
l. 1. C. ut omnes iudic.

COERCERE, tum de pecuniaria, tum de corporali
pœna uſurpatur: nam & Coercere pignorib. dicit̃
in l. 4. §. 1. D. de dam. inf. & lib. de Orat. 3. Pignori
busq́; ablatis Craſſum inſtituit coercere. At in li.
de Legib. 3. Magiſtratus ciuem nec obedientem
multa, uinculis, uerberib. coercento, Sic in l. 6. D.
de pœn. l. nemo, 70. D. de reg. iur. l. 2. in fi. D. de
pub. iudic. Hinc

COERCITIO, animaduerſio in facinoroſos: quę du
plex eſt, Grauis & Modica. Grauis eſt, ueluti cum
gladio, aut metalli pœna, aut deportatione, aut
uerberibus animaduertitur: quæ etiam Capitalis
dicitur in l. noxis, 200. D. de uer. ſig. Modica eſt.
ueluti ut quis in carcerem ducatur, aut uirgis cæ-
datur. l. 2. D. de in ius uoc. l. ult. D. de offi. eius cui
mand. l. ſi quid. D. de offic. proconſ.

COEMPTIO dicebatur, cùm uir & nxor ſeſe inuicẽ
emeret. unde matrimoniũ per coemptionem, de
quo alibi diximus. Seru. in illud Geor. 1. Teq́; ſibi
generũ Tethys emat omnibus undis. Quod ait
Emat, inquit, ad antiquum nuptiarum pertinet ri
tum, quo ſe maritus & uxor inuicem emebant: ſi-
cut habemus in iure. uide Vxor.

COENACVLVM, Varro De lin. 4. ſic interpretatur:
Vbi cubabant, Cubiculum: ubi cœnabant, Cœna
culum uocitabant. poſteaquam in ſuperiore pa-
re cœnitare cœperunt, ſuperior domus uniuerſa,
Cœnacula dicta. Vitr. etiã li. 2. c. 8. teſtatur ædes
Romæ prius unius cõtignatiõis fuiſſe, ſed poſtea
propter incolarũ multitudinẽ, multarum. Ad au-
xilium, inquit, altitudinis ædificiorũ res ipſa coe-
git deuenire. Itaq; pilis lapideis altitudines extru
ctæ, cœnaculorum ſummas utilitates perficiunt.
Cœnacula autem tenues homines cõducere atq;
incolere ſolebãt. Vnde Iuue. Rarus uenit in cœna
cula miles: quippe ad homines agẽtes. quorum in
ædib. expilari nil poſsit. Vlp. l. 1. §. 5. D. de his qui
effud. uel deic. Si filiusfa. cœnaculũ conductũ ha
buit, & inde deiectũ uel effusũ quid ſic, &c. itẽ §.
8. Si plures in eodẽ cœnaculo habitẽt. & ex l. 5. ap
paret in cœnaculis cubicula fuiſſe, exedras, cõcla-
uia, ceteraq́; habitationi neceſſaria.

COENACVLARIVS, qui cœnaculum conduxit. Vl
pian. l. 11. §. 5. D. de pig. act. Hinc

COENACVLARIAM exercere dicitur, qui quæſtus
ſui cauſſa conducta cœnacula alijs locat. Vlp. l. 5.
D. de his qui deiec. uel eff. Nam etſi quis cœna-
culariam exercens, ipſe maximam partem cœna-
culi habebat, ſolus tenebitur.

COERRARE, Paulus in l. 3. §. 3. D. de offi. præf. uig.
uſurpat pro Oberrare, &, ut opinor, cum aliquo
comitatu. Sciendum eſt, inquit, Præfectum uigi-
lum per totam noctem uigilare debere, & coerra
re calciatum, cum hamis & dolabris. Vbi tamen
FALCIATVM mallem: id eſt, falcibus muralibus,
quibus ædes inflammatæ diruerentur, inſtructũ.

COAESTIMARE, ſimul æſtimare: apud Celſum l.
67. §. 1. D. de furt.

COGNATIONIS nomen, ait Paul. a Græca uoce di
ctum uidetur. Συγγένεις enim illi uocant, quos
nos Cognatos appellamus. Agnati ſunt per pa-
trem cognati ex eadem familia: qui autem per fœ
minas coniunguntur, Cognati tãtum nominant̃.
Inter agnatos igitur & cognatos hoc intereſt,

quod

quod inter genus & ſpeciem.nã qui eſt agnatus, & cognatus eſt. non ntiq; autem qui cognatus eſt,& agnatus eſt.l.10..§.1.D.de grad.& adfin.

COGNATI, ait Modeſtinus, ab eo dici putantur, quòd quaſi una communiterve nati,uel ab eodem orti,progenitive ſint.l.4.§.1. D. de grad. & adfi.

COGNATI, inquit Vlp.appellati ſunt, quaſi ex uno nati,aut,ut Labeo ait, quaſi commune naſcendi initium habuerint.l.1.D.unde cognati.

COGNATIO eſt ius quoddam inter certas perſonas, quæ natura nel legis fictione inter ſe cognatæ ſunt, inſtitutum. eius enim duæ ſunt ſpecies: Naturalis & Ciuilis.l.17.§.1.D.de adopt.Naturalis cognatio eſt, commuoio ſanguinis quam habent ij inter ſe,qui ex eodem progenitore orti, quaſi riuuli ex eodem fonte deducti. dimanarunt. Ciuilis autem, quæ per adoptionem contrahitur, non ſanguinis,ſed iuris communio eſt l.4.§.1. D. de gradib.quæ ſic fortaſſe non incommodè definiri poterit, ut dicatur eſſe communio eiuſdem iuris quod habent ij inter ſe, qui naturaliter cognati ſunt,per adoptionem contracta. ſed quoniam ea non uera, ſed ficta & adumbrata cognatio eſt,iccircò definiri neq; a nobis ſolet,neq; uerò ſatis abſolutè poteſt.

COGNATI propriè dicuntur,quaſi cum aliquo nati.l.1.D.unde cognat.quare non immeritò dubitabatur an nepos poſt aui mortem conceptus,auo cognatus eſſet. Iulianus tamen in l. 8. D. de ſuis & legit. Nam quòd in conſuetudine,inquit, ne potes cognati appellantur, etiam eorum poſt quorum mortem concepti ſunt,non propriè,ſed per abuſioné,uel potius ἀναφορικῶς accidit:id eſt, relatione ad uitam aui facta. Nam quod Alciatus libro Diſp. primo diſputat,his poſterius uerbis Iulianum dixiſſe: Generis uerbum per abuſionem dici de ſpecie,uideamus ne ſatis cautè dictum ſit. quum ad argumentum quod ex definitione uocabuli ſumi poſſet, Iulianus hæc referat: neqne horum uerborum additio faciat, ut genus in ſpecie κατ' ἀναφορὰν ponatur, ſed uerè per abuſionem id dicatur: concinnius tamen per relationem ad aui uitæ tempus factam. Et eadem ratione Vlpianus in l.7.D. de ſenat. diſputat eum qui poſteaquam pater ſenatu motus eſt concipitur,ſenatoris filium non eſſe.

COGNITOR eſt,qui litem alterius ſuſcipit, corã eo cui datus eſt. Procurator autem abſentis nomine auctor fit. Feſt.uide Aduocatus:itẽ Procurator.

COGNOMEN, uide Nomen.

COGNOSCERE, propriè dicitur iudex,qui litigatores audit,eorumque cauſſam diſceptat.l. 1. D. de conſt.princ. l.4.§.1.D.de eo quod cer.lo. l.2. C. de interd. Hinc

COGNITIONES, dicuntur Prætorum ac iudicum, qui cauſſas audiunt,l.1.§.per hunc .D.de rei uindic.l.13.§.1.D.de minorib.l.4.D.de offi.eius cui mand l.1. D.de offi.aſſeſſ.

COGNOSCERE inſtrumenta,inquit Vlp.eſt relegere & recognoſcere.l.56.D.de uerb. ſig.

COIRE in alienam litem dicuntur,qui alicui calumniosè litem ſtruunt, nt quod ex condẽnatione in rem alterius redactum fuerit,inter eos communicetur.l.6.D.de ni priuat.Pli.li. Epiſt. v. Quæſtus eſt uenire aduocationes,uenire præuaricationes, in lites coiri,& gloriæ loco poni ex ſpolijs ciuium magnos & ſtatos reditus.In eadẽ ſententiã dixit Macer,Coire in accuſationem innocentium.l.2. D.de conceſ.

KOINON, pro Reſpublica,ut Cõmone apud Ciceronẽ perſæpe. Calliſtratus l.37. D. de iud. Diuos Hadrianus τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν Græcè reſcripſit.

COLLATIO bonorum(de qua tractatus duo ſunt in libris noſtris)eſt contributio certæ partis bonorum inter fratres,propter paternę ſucceſsionis rationem a Prætore inſtituta. nam cùm Prætor contra ius ciuile emancipatos,unà cum ſuis ad paternam hæreditatem admiſiſſet, ſui autem bona omnia a ſe quæſita confuſa cum hæreditate paterna haberent: emancipati uerò quæ extra familiam quæſierant,ſeorſim ſibi aſſeruarent: iniquum uidebatur ſuos conferre,emancipatos autem nihil conferre,ſed auferre tantum.quare Prætor edixit, nt emancipati uolentes ad participandam patris hæreditatem accedere, tantam partem è ſuis bonis conferrent,quantam ex hæreditate auferrent:non ſinguli,ſed omnes ſimul.quippe cum omnes emãcipati unius locum obtineãt.Itaq; ſi duo ſint ſui, duo emancipati,quãuis emancipati ſinguli ex hæreditate quadraotem auferant,tamen ex ſuis bonis non ſioguli,ſed ambo quadrantem conferrẽt. Cõferuntur autem antiquo iure Aduẽtitia & Profectitia:hodie ex Iuſtin. conſtitutione,Profectitia tantum l.ult.C.de collat.Emancipati inter ſe nihil conferunt.nam cum alter alteri nihil auferat, non ipſorum cauſſa ſimpliciter, ſed propter ſuorum rationem & reſpectum,Prætor collationem inſtituit l.ſi emancipati.C.eod.l.1.& paſſ. D. eod

COLLECTARIVS, ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργυρίου ἀλλασσόμενος, inquit Suidas: id eſt argentarius campſor,& pro argento monetam uiciſsim tribueos. Acron.quoque in Horatium collectarios pro coactoribus argẽtariorum accipit. Imp. l.16.C.ſi cert.pet. Quiſquis iudici fœnebrem pecuniam mutuauerit, ſi in prouincia fuerit uerſatus,quaſi emptor legum atq;prouinciæ,uel ſi quis collectarius,honoris precium dederit ambienti, exilij pœna una cum ipſo iudice plectetur.id eſt,ſi quis argentarius crediderit pecuniam ei quẽ ſciebat ambire honorẽ,& cũ hac pecunia empturum. Hæc doctiſsimus Alciatus lib. Diſpunct.4.c.22.

COLLEGARVM appellatione hi cõtinentur,ait Vlp. qui ſunt eiuſdem poteſtatis.l.173.D.de uerb.ſig.

COLLEGAE, inquit Varro, dicuntur,qui una lecti ſunt.itaq; omnibus ferè in rebus collegæ dicebãt: in magiſtratib.quidẽ,ij qui eiuſdẽ ſũt poteſtatis.l

173.D.de uerb. ſignifi.item qui eandem tutelam aut curatelam ſimul adminiſtrant: l.2. C. de admin.tut.l.14.l.46.D.eod.Item, Qui eiuſdem hæreditatis ſunt participes,id eſt cohæredes. l. Paulus 101.D.de ſolution. Hinc

COLLEGIA, quæ & ſodalitates dicuntur, ſiue conuentus certorum hominum artem aliquam certam factitantium:ut piſtorum, nauiculariorum, item eorum qui uectigalia,aurifodinas,argentifodinas,ceterave huiuſmodi munia exercent. l.1.D. quod cuiuſque uniuerſ.l.1. & paſſ. D. de colleg. Ea collegia a rege Numa inſtituta eſſe ſcribit Plutarch.in eius uita, Valerius lib.1.& Plin.lib. 34.c.1.deq; ijs Cic.in ea pro domo,& in Sextiana mentionem facit.

COLLVDERE dicuntur,qui quod in ſpeciem ex animo facere uidentur, id ſimulatè & fictè agunt inter ſe,aliorum ſenſibus illudentes. Hinc Præuaricatores colludere dicuntur in l.1.D.ad Turpil. l.7.§.pen.D.de dol.l.3.D.de adulter. Hinc ſub titu.D.de colluſione detegenda. Colluſio dicitur, cùm ſeruus cóniuente domino ita in ingenuitaté proclamat,ut eum ingenuum decerni patiatur.

COLLYRIVM, κολλύριον, παρὰ τὸ κωλύειν τὸ ῥέειν: id eſt quòd fluxum impediat,ac ſi ſtat: medicamentum eſt ad oculos pertinés.Imp.§.22.de rer.diuiſ.Aut ex ſuis & alienis medicamétis emplaſtrum aut collyrium.De collyrijs Corn.Celſus copioſè li.6. c.6.Paulus l.18.§.6.de inſt.uel inſt.In inſtrumento medici eſſe collyria & emplaſtra, &cetera eius generis Caſsius ſcribit.

COLONVS, qui agrum certa mercede conductum colit.nam Inquilinus in urbe dicitur, Colonus in agro.l.res pignoris. 37.D.de acq.poſſeſ.l.ult.D. unde ui & ui arm. Hinc

COLONIA,fundus colono locatus.l.24.§.3.D.loca. l.Seiæ.20.§.colonus.D.de inſtruct.leg.

COLONI ſerui,uide Serui agricolæ.

COLONVS partiarius,uide Partiarius.

COLVM niuarium,uas quo ueteres iniecta niue uinum colabant,id eſt,tranſmittebant: partim ut alſius biberent, partim etiam ut liquidius.Pompo. l.21.D.de aur.& arg.In argento potorio etiã id quod ad præparationem bibédi comparatum eſt, ueluti colum niuariũ,& urceoli.Martialis de colo niuario,in Aphor.Setinos,moneo, noſtra niue frange trientes.Pauperiore mero tingere lina potes.Et de ſacco niuaria, Attenuare niues norunt & lintea noſtra.Frigidior colo nó ſalit unda tuo.

COLVM pro Coſtum legi puto apud Pomponium in l.21.§.1.D.de aur.arg.leg.Vide Coſtum.

COLVMNAE, uide Structiles.

COMITER alterius populi maieſtatem conſeruare, Proculus in l.7.D.de capt.& poſtil. ſic interpretatur, Hoc enim adijcitur, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe,non ut intelligatur alterum non eſſe liberum. quod idem Cicero in Orat. pro Balba demonſtrat: Primùm, inquit,uerbi genus hoc conſeruãdi,imperantis eſt, non precantis.deinde quum alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur, certè ille populus in ſuperiori conditione cauſſaq; ponitur,cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur. Item ad uerbum, Comiter: Comes,inquit, benigni,faciles,ſuaues homines eſſe dicuntur.qui erranti comiter monſtrant uiam,benignè, nó grauatè:Communiter quidem certè non conuenit.

COMITES magiſtratuum prouincialium dicebantur,qui prouincialibus magiſtratibus uel Senatus uel ipſorum magiſtratuum uoluntate ac iudicio publicorum negociorum adiutores atque adminiſtri adiungebantur: quales erant Quæſtores,legati, ſcribæ, ac cenſi.Paulus l.12.§.1.D.de uacat.& immun. Comites præſidum & proconſulum procuratorumve Cæſaris,a muneribus uel honoribus & tutelis uacant. Sic in l.1.§.ſed ſi.D. de extraord.l.5.D. de repetund. l. 16. de offic. præſid.l.4.D.de offic.aſſeſſ. Sueton. in Iulio: Sanxit ne quis ſenatoris filius,niſi contubernalis, aut comes magiſtratus peregrè proficiſceretur.

COMITEM in quo abducendo fit iniuria, debemus accipere,inquit Vlp.eum qui comitetur, & ſequatur.& ita Labeo Comité definit, qui frequentandi cuiuſq;cauſſa,ut ſequeretur deſtinatus,in publico priuatove abductus fuerit,inter comites utiq; & pędagogi erunt.l.15.§.12.D. de iniur.

COMMAGENAM Pomponius in l.21.§.1.D.de aur. arg.numerat inter ea unguenta quæ ualetudinis cauſſa parata ſunt. Plinius lib.10.cap.22.& lib. 29.capite 4. ex Comagena Syriæ parte nomen ſumpſiſſe:fierique ex adipe anſerino in uaſe æreo cum cinnamo multa niue obruto, ac rigore gelido macerato. COMMAGENA tamen ea regio dicitur a Plinio,Ptolomæo,& reliquis.

COMMATA, inciſa, ſiue meatus aperti per quos aqua Nili poſsit in agros influere. Vlpianus l. penult.D.de extraor.criminib. Commata etiam & diacopi,qui in aggeribus fiunt, &c. In lib Flor. CHOMATA, uitioſè:quum de commatibus, qui in chomatibus fiunt, Vlpianus loquatur.

COMMEATVS, ſpacium quod commeandi, id eſt eundi aut redeundi militibus priuati negocij gerẽdi cauſſa cóceditur.l.1.l. 3.§.qui ad diem,D.de iure milit.l.4.§.ult.D.ad municip. Item

COMMEATVS, ſpacium ad eundum & agendum in uia publica.l.2.§.hoc interdictũ. & §. deinde, D. ne quid in loc.pub.

COMMENDARE nihil aliud eſt quã deponere:ait Vlpia.l.186.D.de uerb.ſig.l.24. & l.26.D. depoſit.

COMMENTARIVS principis apud Modeſt.in l.32. D.ex quibus cauſ.maior.eſt libellus in quo princeps eorum omnium nomina perſcribit, quibus aliqua Reipubli. procuratio commiſſa eſt. Et hoc inquit, ad Tribunos militum, & præfectos, & Comites Legatorum qui ad ærarium delati,aut in cómentarium Principis relati ſunt.

id eſt,

id eſt, ad eos magiſtratus magiſtratuumve comites, qui uel a populo R. uel a Principe in prouincijs mittuntur. alias enim populi, alias Principis prouincias fuiſſe, ſuo loco demonſtrauimus. Io ærarium uerò, qui populi: in commentarium principis, qui ipſius magiſtratus erant, referebantur. Budæus longè aliter locũ iaterpretatur. ſed meã ſententiam Vlpianus l. 4. §. 1. D. de int. act. confirmat, ubi magiſtratus populi R. a prouinciarum Præſidibus diſtinguit.

Commentariensis, poni uidetur pro tabulario ſiue actuario, qui publicas literas perſcribit, atq; aſſeruat. Paul. l. 45. §. 5. D. de iure fiſci, Quoties apud fiſcum agitur, actorum poteſtas poſtulanda eſt, ut meritò ijs uti liceat: eaque manu Commentarienſis adnotanda ſunt. Hinc

Commentariensis, cuſtos ac præfectus carceris, qui uinctorum nomina in commentario, id eſt libello perſcribit. Impp. l. 4. C. de cuſt. reorum. Ad commentarienſem receptarum perſonarum cuſtodia obſeruatioque pertineat: nec putet, &c. Item l. peoul. D. de bon. damn. Sed nec pati optiones ſiue Commentarienſes ea pecunia abuti. item l. 9. D. de cuſt. reor.

Commercium (ut ait Vlpianus cap. Inſtit. xix.) eſt emendi uendendique in uicem ius, id eſt rerum legitimo aliquo modo acquirendarum, ut l. 5. D. de iuſt. & iur. Hinc

Commercium earum rerum non eſſe dicitur, quorum acquiri dominium non poteſt. l. 6. & l. 34. §. omnium, D. de cont. emp. l. 1. §. 1. D. quæ res pig. l. ult. D. de act. emp. quales ſunt ſacræ, ſanctæ, religioſæ, publicæ. Hinc

Commercium certæ rei non habere dicitur, cui non licet eam rem ſibi acquirere, l. multum interest, 34. D. de uerb. obli. §. 1. de inutil. ſtipul.

Commilitium, ſocietas militiæ, quam inter ſe commilitones habent. Thryphonius l. 19. D. de caſtr. pecul. De hæreditate ab adgnato commilitone data, Scæuola noſter dubitabat: quia potuit & ante notus & amicus dare: potuit & non dare; niſi commilitium auxiſſet nobis ita uidetur, ſi ante commilitium factum ſit teſtamentum, non eſſe peculij caſtrenſis eam hæreditatem. Vſus eſt & Fabius, & Plinius Iunior.

Comminus, continuo, ſine intermiſſione. Venuleius l. 137. D. de uerb. obli. Continuus actus ſtipulantis & promittentis eſſe debet, ut tamen aliquod momentum naturæ interuenire poſsit, & comminus reſpondere ſtipulanti oportet. Idem l. 3. de pignoribus. Pomponius l. 3. D. de pigner. act. Si quaſi recepturus a debitore tuo comminus pecuniam, reddidiſti ei pignus. Virg. li. 1. Geor. Quid dicam iacto quæ ſemine comminus arua Inſequitur?

Committi uerbum iuris, cùm quid cõmiſſum, id eſt factum eſt, propter quod aliquid debeatur. unde titulus lib. Cod. 4. & Digeſt. 39. de uectigalib. & commiſsis. Hinc

Commissa dicuntur, inquit Aſconius, quæ contra teſtatoris uoluntatem facta aut non facta, ab hærede, multa aliqua pœnaq; plectuntur. Hinc

Commissa hæreditas ea dicitur, in qua id commiſſum eſt quamobrem alteri debeatur. Iuſſus hæres fuerat in foro ſtatuas ponere: niſi poneret Veneri Erycinæ multatus eſt mortuo teſtatore non poſuit, commiſſa multa dicitur, & hæreditas, quoniam id cõmiſſum eſt, quãobrẽ ei auferatur. Hinc

Commissa dicuntur in iure, & In commiſſum cadere, quæ fiſco propterea debentur, quia quid factum aut non factum eſt. Veluti ſi quis apud publicanos profeſſus non eſt. l. ult. & paſſ. D. de publ. Vlpianus l. commiſſa. 14. eod. Quod commiſſum eſt, inquit, ſtatim deſinit eius eſſe, qui crimen contraxit: dominiumq; rei uectigali acquiritur. Hinc

Commissa pœna dicitur quæ debetur l. 4. §. Cato. & l. ſeq. & paſſ. D. de uerb. obl. item ſub tit. de recep. arb. & apud Quintil. lib. 7. cap. 5. Cicer. Verrina v. & in Cluentian. l. Lucius. D. de act. empt. Hinc

Commissa ſtipulatio, cum id quod per eam promiſſum eſt, debetur. paſsim ſub tit. de uerb. obli. Item

Commissa obligatio l. 1. §. ult. D. de ſtipul. ſeruor. Item

Commissa deuotio capitis a Cicerone in ea pro Domo: cum ſe uoti reum fateretur, & caput deuotum debere. Hinc

Commissaria lex: de qua titul. eſt li. Digeſt. 18. & quæ in emptionibus & oppignerationibus uſurpatur; cùm aut res hoc pacto uenditur, ut precio ad diem ſoluto inempta ſit, aut pignus ita datur, ut ad diem non reddita pecunia, creditoris fiat.

Commodatum eſt cõtractus, quo gratis alicuius rei uſus ita conceditur, ut accipiens ſummam in ea ipſa reddenda diligentiam præſtare debeat, l. 1. D. de oblig. & act.

Commodatum & utendum datum Labeo ſic differe putauit, ut genus & ſpeciem: commodari enim rem mobilem, non etiam ſoli: utendam dari, etiam ſoli. ſed apparet, inquit Vlpia. propriè, commodatam rem dici & quæ ſoli eſt. idq; & Caſſius exiſtimat. Viuianus amplius etiam habitationem cõmodari poſſe ait, l. 1. D. commodati.

Communis res eſt uel cum ſocietate, uel ſine ſocietate. cum ſocietate, ueluti inter eos qui eandẽ rem emerunt: ſine ſocietate, ueluti inter eos quibus eadem res teſtamento legata eſt, l. 2. D. com. diuidun.

Communi diuidũdo iudiciũ eſt, ꝙ inter eos reddit, qui rẽ quã ex alia atq; hæreditaria cauſſa cõem habẽt, diuidi, ſimulq; ꝙ alterũ alteri ex bono & æquo præſtare oportet, dari fieri poſtulãt ex quo intelligi, præcipuã huiuſce iudicij cauſã eſſe, diuiſionem

nem:aut potius ſuæ cuiuſque partis demonſtrationem.qua ex parte realis potius, quam perſona lis hæc actio eſt,quippe qua non dari nobis quod alterius eſt,ſed quod noſtrum eſt demonſtrari pe timus:at uerò qua ex parte petimus, Quicquid ex bona fide te mihi dare facere oportet,tum per ſonalis actio eſt,non ad diuiſionem, ſed ad præſta tionem pertinens l.2.& 3.D.commun.diuidund.

COMPASCVVS ager dicitur,in quo uicinis commu niter compaſcendi ius eſt.Cicero in Top.Si com paſcuus ager eſt,licet compaſcere. Scæuola l. pe nult.D.ſi ſeruit.uind. Plures ſaltum communem ut ius compaſcendi haberēt,mercati ſunt. Et pau lo poſt,An pars illorum fundorum aliquid iuris ſecum huius compaſcui traxerit.

COMPENSATIO eſt debiti & redditi inter ſe contri butio.l.1.D.de compenſ.

COMPERENDINATIO & Ampliatio ſic differunt, quòd in lege comperendinationis numerus actio num duarum præſtitutus eſt: Ampliationis nullus eſt certus numerus. præterea in Ampliatione iudicari primò poterat: in Comperendinatione, non niſi poſt ſecundam actionem.ut in Verrinam 3.explicauimus.uide Ampliatio.

COMPETERE, uerbum eſt Iuriſconſultis noſtris familiare, pro Idoneum & aptum eſſe. itaque

COMPETENS iudex paſsim dicitur, cuius de re uel iuriſdictio, uel iudicandi poteſtas eſt.l.pen.D.de iuriſ.om.iud.l.2.D.ſi quis in ius uoc. l. penul.D. iud.ſolui.Et ad differentiam iudicis dati dicitur.l. pen.D.iud.ſol.l.ſed & hæ,35.D.de procur.

COMPETENS tribunal, apud quod ius fuit de re co gnoſci.l.ſed & hæ,35.§.1.D.de procur.

Hinc

COMPETERE actio dicitur.cum alicui propriè conuenit.l.qui habebat.§.ſcripti.D.de manūiſſ.teſt.

COMPETENTES uſuræ.l.1.C.ſi maior fact.

COMPETERE libertates,quæ ex teſtamento deben tur.l.7.D.de petit.hæred.l.8.D. de inoff. teſtam.

COMPROMISSVM dicitur certa pecunia, ab utroque litigatore mutuò promiſſa,ni Arbitri ſententiæ pareant.

COMPROMISSVM plenum appellatur, quod de rebus controuerſijsve compoſitum eſt. nam ad om nes controuerſias pertinet.l.21.§.6.D.de recept. qui arb.

Hinc

COMPROMISSARIVS iudex,id eſt,ex compromiſſo ſumptus.in l.41.D.de recept. qui arb.l. ult.C. de teſtib.l.penult.C.de pact.

CONCEPTIO, formula.Cicero de Inuent. lib.2.In iure exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio priua torum iudiciorum conſtituitur.Paulus l.3. D.de accuſat. Libellorum inſcriptionis conceptio talis eſt.Pompon.l.5.§.1.D.de uerb.obligat.Stipu latio eſt uerborum conceptio, quibus is qui inter rogatur,&c.

Sic

CONCEPTIO iuriſiurandi .l. 34. §. ſi de qualitate D.de iureiur.

CONCEPTVM furtum dicitur,ait Imp.quum apud aliquem teſtibus præſentibus furtiua res quæſita & inuenta ſit.nam in eum propria actio conſtituta eſt,quamuis fur non ſit: quæ appellatur Concepti,§.4.de oblig.quæ ex delict.& apud Paul.li. Sent.2.cap.31.

CONCINNATORES litium,id eſt,architecti,fabrica tores,ſtructores. Vlpianus l.9.§.2.D.de off. pro conſ. Nec adeò diſsimulare, ſi quos cauſſarum concinnatores uel redemptores deprehendat. id eſt, qui lites calumnioſè alicui conflare ſoleant. nam Concinnare, antiqui pro Facere Plautus in Captiu.Qui me inſanum dictis concin nat ſuis.

CONCIONEM habere, uide Cum populo agere.

CONCIPERE, certis uerbis aliquid comprehende re. Vnde Concipere iuſiurandum, eſt certam iu riſiurandi formulam præſcribere,l.34.§.ſi de qua lit.& §. pen. D.de iureiur. Cice.de Offi.3.Quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut uerbis concipitur iure noſtro, id non facere periurium eſt. Idem pro Cluent. Africanus quòd eſſet cenſor, & in equitum cenſu C. Licinius ſacerdos prodijſſet, clara uoce dixit ſe ſcire, illum uerbis conceptis peieraſſe. Hinc concipere ſtipulationem apud Vlpianum in l.61.l.71.l.115.D.de uerbor. oblig.& l.99.ſtipulatori liberum fuit uerba latè concipere. Hinc concipere uadimonium apud Ciceron.libro ad Q. Frat. 2. Trebatium, inquit, quòd ad ſe miſerim, perſalsè & humaniter etiam gratias mihi agit. negat enim in tanta multitudine eorum qui una eſſent, quenquam fuiſſe qui uadimonium concipere poſſet.

Hinc

CONCIPERE libellos appellatorios,apud Vlpi. l.1. in fi.D.de appell.

CONCVBINA, eſt mulier quæ conſuetudinis, non matrimonij cauſſa retinetur,arg.l.34.D.de adult.

CONCVBINA dicebatur ea, quam quis non mariti animo,ſed concubitus tantùm cauſſa ſine ſtupri tamen crimine, flagitiove, domi habebat. Dixi, NON MARITI ANIMO, quia concubinam ex ſola animi deſtinatione æſtimandam eſſe,Paulus ſcribit in l. quarta.D. de concub. qui & Papinianus in l. donationes, 13.D.de don. reſpondit, ſi quæratur, an maritalis honor & affectio interceſſerit, perſonis comparatis, uitæ coniunctione, perpendendum eſſe: neque enim tabulas facere matrimonium & apud eundem in l.cum tabulis, 16. D.de his quæ ut indig. mentio fit Caſſiani uiri clariſsimi, qui mulierem ingenuam, pleno honore dilexerat, cuius tamen filia ex eo concubinatu ſuſcepta, uulgò quæſita dicitur. Neque ſatis fuiſſet dicere SINE NVPTIIS. nam in mulieris honeſtæ liberæ conſuetudine, quamuis nuptiæ celebratæ non fuerint, tamen non concubinatus,ſed nuptiæ intelligēdæ ſunt,ut ait Paulus

lus l.in liberæ, 24. D. de rit. nupt. Dixi, SINE STVPRI CRIMINE. quoniam Vlpia. in l. 1. D. de concub.ſcribit,eas demum ſine metu criminis in concubinatum haberi poſſe, in quas ſtuprum non committitur: ueluti ſi ingenuam mulierem honeſto loco natam, & quæ corpore quæſtum non feciſſet, ſine teſtatione in concubinam duxiſſet.tunc enim ſtuprum nõ committitur, d.l.3. de concub.Dixi,SINE FLAGITIO: ut illud ſignificarem quod Vlpianus in l.2.ſcribit: Nefariam eſſe coniunctionem,ſi quæ patris concubina fuit, in filii aut nepotis concubinatum ſeſe tradat, aut ex contrario. quippe cum genus quoddam inceſtus eſſe hoc uideatur.Apparet ergo legibus permiſſum, concubinatum fuiſſe, ac proinde impunè concubinam habere licuiſſe, d.l.3. D. de concub.Et l.cum tabulis,16.D. de his quæ ut indig. ubi Papinianus ait, in ea quæ ſe in alterius,quàm patroni concubinatum dabat, ſtuprum non committi. quin & Maſſurius in l. 144. D. de uerbo. ſign. ſcribit eam quæ cum uxor non ſit, cum aliquo tamen uiuit,uero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam appellari. Tametſi Marcellus ſcribat, eam quæ ſe in alterius quàm Patroni concubinatum dedit, matrisfamiàs honeſtatem non retinere,l.probrum,41.D. de rit. nupt. Sed quæri uideo, an & mariti concubinam habere poſſent, quod uulgò ab omnibus negatur propter l. 1. C. de concub. ubi Conſtantinus imperator id uetat. At ego eius ipſius legis argumento adducor ut credam, ante Conſtantinum id licuiſſe.Cur enim id tum ille prohibuiſſet,niſi quia licebat? Verùm ut ea de re paulo fuſius explicemus: Primum omnium exemplum eius rei habemus apud Ciceronem in libro de Orat.1. ubi loquitur de eo, qui uxorem in Hiſpania reliquerat, Romæq; alteram dnxerat, neque nuncium priori miſerat.quia ſi iudicaretur certis quibuſdam uerbis non nouis nuptiis fieri cum ſuperiore diuortium,in cõcubinæ locum eam duxiſſe uidebatur. quæ dubitatio tamen poſterioribus legibus ſublata eſt, ex l.nullũ.7. D.de diuor.& l.eum qui.C. de adulter. Sed utcunq; ſit, apparet olim ei qui nxorem habebat, licuiſſe alteram mulierem in concubinam ducere: Tametſi Conſtantini lege id poſtea uetitum ſit: & uerò etiam Iuſtiniani in l.ultima, C. commun. de manumiſſ. apud quem locum illum: Hominibus enim uxores habentibus,concubinas habere,nec antiqua iura,nec noſtra concedunt:de lege Imperatoris Conſtantini intelligendum cenſeo: quod & interpreti Accurſio placuiſſe uideo. Quid? quod Marcianus in l. 3.D.de concub.ſcribit adulterium per concubinam non committi: qua de re dubitari non poterat,niſi in eo,qui uxorem haberet. Itaq; ſic infert,Nam quia concubinatus per leges nomen aſſumpſit,extra legis pœnã eſt. itaq; ſtipulatione pœnæ caueri de ea re uidemus in l. 121. §. 1. de uerb.obli. Mulier ab eo cuius in matrimoniũ conueniebat, ſtipulata fuerat ducenta, ſi concubinæ, tempore matrimonii, conſuetudinem repetiſſet. Obiicirur lex ultima, in fi. D. de diuor.uhi ſcribit Vlpia. patronum qui libertam ſuam in matrimonio habebat, ſi concubinam adhibeat, renunciaſſe matrimonio uideri. Quid tum poſtea quaſi uerò eo ipſo quòd concubina adducatur, cum uxore diuortium fiat. Quid ergo eſt? Dico Vlpiani diſputationem ſuis finibus coercendam eſſe.loquitur enim de patrono, qui tãtiſper in matrimonio libertam habere iudicatur,quãdiu alienum ab ea animum non oſtenderit. Vbicunq;,inquit,uel tenuis intellectus uideri poteſt, nolentis nuptam,dicendum eſt diuortium eſſe factum. Ex quo intelligirur in libertarum diuortio, neque uerborum formulam,neque ſeptem teſtium conteſtationem requiri,ſed leuiſsimam duntaxat abalienati animi ſignificationem ſufficere: ueluti ſi quam aliam appetierit, uel concubinam adhibuerit. Mouet me Paulus lib. Sententiarum t 1.his uerbis: Eo tempore quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt. Concubina igitur ab uxore ſolo edicto ſeparatur. Sed uideamus ne quid operis noui nobis aut Annianus aut alius aliquis eo in loco molitus ſit: & poſterior ſententia demonſtret, eum ſine negatione legendum eſſe. Quid enim uox IGITVR ſignificat? aut quis ſenſus eo ex loco idoneus poteſt elici,ſiue SOLO DELICTO, ſiue SOLO DELECTV legemus? At hoc modo ſenſus erit aptiſſimus. Qui uxorem habet, poteſt & concubinam adiungere:uxorẽ uerò non poteſt.Quid igitur intereſt inter uxorem & concubinã adiungere? Quid inquam intereſt utrum uxorem aliquis an concubinam adiungat? Nihil omnino, inquit, præter hoc unum, quòd in uxore adiungenda delictum eſt:in concubina uerò,nequaquam,Quod ergo ait,CONCVBINA IGITVR, ſic intelligatur: Adiuncta igitur concubina, ab uxore adiuncta ſolo delicto ſeparatur. Alioqui falſum eſſet delictũ eſſe,ſi quis cõcubinam habeat:uti ſuperius docuimus.Quòd ſi cui SOLO DELECTV legendum placet, non repugnabo, & ſenſum hunc aptiſsimum oſtendam: quòd ſolus delectus ſiue animi deſtinatio, diſcernit uxoris adiunctionem ab adiunctione concubinæ. nam ut ex l. 4. dictum eſt, Concubina ſola animi deſtinatione æſtimatur. Verùm hæc quidem hactenus.Nũc illud adiiciamus, concubinarum alias libertas, alias ingenuas, alias ſeruas fuiſſe. Libertæ autem inuitis ſuis patronis in concubina tum aliis ſe dare non poterant. l. 1. de concub.Quòd ſi qua in patroni ſui concubinatu erat,quæſitum eſt,an alteri dare ſe in matrimonium prohibeatur.nam initium dictæ l.1. ita ſcriptum eſt,ut pugnare inter ſe uideatur:adeò ut quidam priorem partem adulterinam eſſe diſputent. ego uerò ex lege ultima, D. de diuort. uocem

Alteri non de extraneo, ſed de altero pătronŏ intelligendam puto. Quod autem ad ingenuarũ concubinatum attinet, quatuor tantùm caſibus eum permitti reperio: ſi ea obſcuro loco nata ſit, ſi corpore quæſtum fecerit, ſi teſtatio ea de rė interpoſita ſit, ſi mulier adulterij crimine damnata ſit. l. I. & 3. de concub. Ancillæ autem utrum concubinæ fuerint, quæri poteſt: cùm ſatis conſtet, ancillarum omnium uſum ſuis dominis licitum permiſſumq; fuiſſe. ſed tamen & ancillas concubinas fuiſſe uideo in l. pen. D. de reb. aut iud. l. denique, 8. D. de pignorib. & l. ult. C. communia, de manumiſſ. Sequitur ut aliquot inter uxorem & concubinam differentias exponamus. Prima igitur hæc eſto. Quòd uxor iuſtorum liberorum quærendorum cauſſa, &, ut ait Demoſthenes, τῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίων: concubina uerò, uoluptatis aut cultus corporis duntaxat aſciſcitur. Nam corporis cultum in ijs pono, quæ uel quinquagenariæ, uel ſexagenariæ ſunt: quas haberi concubinas poſſe, patet ex l. I. D. de concub. Ex quo ipſo ſecunda differentia intelligitur. Quòd in uxore ex lege Pappia Poppea ſpectatur ætas: in concubina, modò annis XII. ſit maior, non ſpectatur. Tertiam differentiam Paul. in l. ult. demonſtrat: ubi ait, Prouincialem magiſtratum poſſe ex ſua prouincia concubinam habere: cum in uxore aliud ſit iuris. l. ſi quis officium, 38. de rit. nupt. Quarta differentia eſt, quòd cum donationes in uxorem non ualeant. l. I. & paſsim, de donat. inter uir. eæ tamen quæ in concubinam collatæ ſunt, reuocari non poſſunt: nec ſi matrimonium inter eoſdem fuerit contractum, ad irritum recidit, quod ante iure ualeat. l. donationes, 31. D. de donat. l. ſi prædia. 58. de donat. inter uir. Quinta etiam apparet ex eo quod uxor forum domiciliumq; mariti ſequitur. l. exigere, D. de iudic. concubina, uerò, nequaquam. l. de iure, 37. in fi. D. ad municipal.

Concubina, uide pellicem.

Concursu partes fieri dicuntur in legatis, cùm teſtator duobus pluribuſve legatarijs rem eandem ita legauit, ut ijs non diſtinctè ac ſeparatim partes certas attribueret, ſed potius rem ſolidam relinquere uideretur. l. coniunctim, 80. D. de legat. tertio. Verùm cùm utrinq; uterq; ad rei, puta fundi, alicuius poſſeſsionem acquirendam accedit, ubi ad medium peruenerunt, & concurrerũt: quo in loco obuij inter ſe facti ſunt, ibi partis quiſque ſuæ fines conſtituunt. ut Salluſtij uerbis utar: qui in Iugurthino ſimilem quandam finiũ inter Carthaginenſes & Cirenenſes rationem inſtitutã ſcribit. Hi legatarii, re coniuncti dicuntur: alij quorũ partes ab initio factæ ſunt, uerbis coniuncti. l. re coniuncti, 89. D. de lega. tertio. l. triplici, D. de uerb. ſignific.

Concutere, ui ac terrore poteſtatis aliquid à ciuibus aut ſocijs exprimere. Vnde

Concussionis crimen, l. I. D. de concuſſ. l. ult. C. de mod. mult. l. un. C. ex delict. defunct. l. 4. C. ad legem Iuliam repetund.

Concussionis crimen dicitur, quum quis ab eo quem iudicii magiſtratuſve terrore affecit, eius periculi deuitandi cauſſa pecuniam extorquet. nã concuſſum metu dicimus, pro perculſum & perturbatum: unde tit. de concuſsione lib. Pand. 47. & apud Cic. Tuſc. 4. Terror definitur, metus concutiens.

Condicere, inquit Imp. priſca lingua eſt denunciare. nunc uerò abuſiuè dicimus Conditionem actionem in perſonam eſſe, qua actor intendit dari ſibi oportere. nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit. §. 15. de action.

Condicere, eſt ſimul dicere: nam Feſtus libro. 3. Condictum interpretatur, ſimul dictum. Ergo Condicere, eſt diem locumq; communi conſenſu conſtituere, quo quid fiat. Hinc

Condicere alicui cœnam Cicero & Suetonius dixerunt, non pro inuitare ad cœnam, quemadmodum uulgò placere uideo: ſed pro indicere cœnã, & denũciare ſe affuturũ. Craſſus (inquit ille ad Lentulum ſcribens) ut quaſi teſtata Pop. Rom. eſſet noſtra gratia, penè à meis laribus, in prouinciam eſt profectus. Nam cùm mihi condixiſſet, cœnauit apud me in mei generi Craſsipedis hortis. Suetonius in Tiberio, Sext. Claudio libidinoſo ac prodigo, ſeni cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret, aut demeret. Sed in libris Iuriſconſultorum, Condictio eſt (ut ibidem Feſtus ſcribit) in diem certum eius rei, qua de agitur denunciatio. Moris enim fuiſſe, ut iudicio à Prætore conſtituto diem ex ſuo commodo litigatores ſumerent, quo in iudicium uenirent, uetera illa demonſtrant apud Plautum in Curculione, & Gellium libro decimoſexto, capite tertio, Si ſtatus condictuſve dies cum hoſte. Sed multo planius locus ille in Oratio. pro Comœdo rem omnem explicat: Quid enim factum eſt? ueniſti domum ultrò Roſcii: quod temerè commiſiſſes in iudicium ut denunciares, rogaſti ut ignoſceret, tẽ adfuturum negaſti: deberi tibi ex ſocietate nihil clamitaſti. quo in loco Denunciare dixit Cicero, quod Iuſtinianus hoc loco Condicere. Sed hoc nemo neque planius, neque elegantius exponit Aſconio, qui Verrina III. ſic ſcribit: Comperendinatio eſt, ab utriſque litigatoribus, inuicem ſibi denunciatio in perendinum diem. namque cùm in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem: qui dabatur poſt tertium diem (ſic enim legendum puto, non Trigeſimum) quo dato, deinde inter ſe in perendinum diem, ut ad iudicium uenirent, renunciabant, Hæc Aſconius. Eodemq; notæ illæ pertinent, apud Valerium Probum, I. D. T. S. P. In diem tertium, ſiue perendinum. quam formulam in Muræniana Cicero exagitat. Eodem etiã illud Macrobli lib. I. cap. XVI. pertinet. Compe-

rendini

rendini dies dicuntur, quibus uadimonium licet dicere: Stati, qui iudicij cauſa, cum peregrino inſtituuntur.

CONDICERE pro ſimul dicere, ut ſit in pactionibus Pomp. l. 66. de cont. cap. In uendendo fundo quædam etiam ſi non condicantur, præſtanda ſunt.

CONDICTIO duplex eſt: altera certi, altera incerti.

CONDICTIO certi, eſt actio per quam certum petitur: hoc eſt, quod apparet, quale quantumq́; ſit. l. 6. l. 9. l. 24. D. ſi cert. pet. l. 28. §. exceptio, D. de iureiur.

CONDICTIO incerti, eſt per quam incertũ petitur: ueluti liberationes, cautiones, & ea quorum incerta æſtimatio eſt. l. 5. l. 8. D. de act. emp. l. 2. §. aliud de donat. l. 4. D. de uſur. Itaq; illius formula hæc erit: SI PATERET Aurelius Licinio ſtipulanti centum ſpopondiſſe, tum Aurelium centum Licinio dare damnas eſto. Huius uerò hæc: SI PATERET Aemilium Cornelio ſtipulãti hominem ſpopondiſſe, tum quantum ex eo ſtipulatu Cornelio Aemilium dare facere oportebit, tanti Aemilius damnetur.

CONDICTIO cauſſa dati cauſſa non ſecuta (ſic enim legendum eſt; non DATA) eſt actio in perſonam, per quam quæ aliquid certam ob cauſſam dedit, niſi cauſſa ſecuta ſit, id eſt reuera, atque in effectũ conſtet, id repet. l. 1. & toto tract. de cond. cauſſa dati, &c.

CONDICTIO ex lege, quæ & Condictitia ex lege nominatur, generaliter omnis perſonalis actio dicitur, quæ ex obligatione naſcitur, quam noua quædam lex introduxit, quæ quo genere actionis agendum eſſet, non cauit. l. 1. D. de cond. ex leg.

CONDICTIO ex ſcriptura, eſt actio in perſonam per quam is qui ſe pecuniã alicui debere ſcripſit, ſiue ea numerata ſit, ſiue non ſit, ſoluere cogitur: dum tamen ſi data non ſit pecunia, poſt biẽnium actio intendatur, nam antea non numeratæ pecuniæ exceptione excluditur. uti docet Imp. tit. de lit. obl. & l. 14. C. de non num. pecun.

CONDICTIO dati ob turpem uel iniuſtam cauſam, eſt actio in perſonam, per quam qui turpi iniuſtaue de cauſa quid dedit, ſiquidem in accipiente ſolo turpitudo fuit, repetit. l. 1. & tot. tract. de cõd. ob turp.

CONDICTIO Triticiaria, eſt actio in perſonam, per quam res omnes excepta pecunia numerata, condicuntur: ſiue ſint mobiles, ſiue immobiles, l. 1. D. cond. tritic.

CONDICTIO indebiti, eſt actio perſonalis, per quã id quod per errorem non debitum ſoluimus, reddi nobis poſtulamus. l. 1. & paſſ. D. de condict. indeb.

CONDICTITIA actio, quæ & præciſè Condictitia dicitur, nihil aliud eſt quàm cõdict. Imp. §. 1. Quibus mod. re. cont. Daturq́; agenti contra eũ propter repetitionem Condictitia actio. Item Vlpianus l. 24. D. ſi cert. pet. At idem Vlpianus in l. 13. §. 2. D. de iureiur. Atq; ideo, inquit, neque furti, neq; condictitia teneri: quia condictitia, inquit, ſolus fur tenetur.

CONDITIO, eſt pactio certam legem in ſe continẽs, ait Donatus in And. Terent. Vel ſic

CONDITIO, eſt lex negocio alicui appoſita, unde ipſius euentus pendet. l. 37. & l. 39. D. ſi cert. petat.

CONDITIONUM duo ſunt genera. aut enim poſſibilis eſt, aut impoſſibilis, poſſibilis, quæ per rerũ naturam admitti poteſt: impoſſibilis, quæ non poteſt. Paulus lib. Sent. 3. cap. 6.

CONDITIONUM poſſibilium genera ſunt tria: aut enim ex caſu & fortuna pendent, ueluti ſi filius naſcatur: quæ iccirco Caſuales à Iuſtiniano appellãtur: à nobis Fortuitæ non incommodæ nominari poſſunt. aut ex hominis uoluntate, ueluti ſi ſeruũ manumittat: quas idẽ Poteſtatiuas, nos Voluntarias appellare poſſumus. aut miſtæ ſunt, quarũ euẽtus, ait idem, ex fortuna & perſonæ uoluntate pẽdet: ueluti ſi uictoriam reportet. l. 1. §. ſin autẽ aliquid. C. de cad. toll.

CONDITIO alia certa eſt, alia incerta. Certa cõditio eſt, quę omnimodo extatura eſt: ueluti, Si intra Calendas digito cœlum non tetigero. l. in illa ſtipulatione, D. de uerb. ob. Item, Siue nauis ex Aſia uenerit, ſiue non uenerit. l. neceſſario, 8. §. 1. D. de peric. & commod. Incerta conditio eſt, quæ an impleatur, incertum eſt: ut, Si nauis ex Aſia uenerit. Dubium eſt enim, utrũ uentura ſit nauis, an non.

CONDITIO rurſus alia dicitur faciendi, alia dandi: illa cùm appoſita lex eſt, ut quid fiat: hæc, ut quid detur. l. 31. §. 1. ad Trebell. l. 68. D. de ſolut. l. 82. D. de condit. & demonſt.

CONDITIO interdum nihil aliud eſt, quàm pactio. Vnde illud Cic. lib. De inuent. 11. Cùm omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſent, utrũ ſatius fuerit amittere milites, an ad hãc conditionem uenire. Sic in Topic. Si quæratur, à naturane ſit ius, an ab alia quaſi conditione & pactione hominum. Hinc

CONDITIO pro pactione nuptiarum: in l. ult. D. de ſponſalib. l. ult. D. de proxenet. l. 19. & 36. D. de rit. nupt. l. 65. D. de iudic. Hinc Feſtus, Conuenta, inquit, conditio dicebatur, cùm primus ſermo de nuptijs & earum conditione habebatur. Hinc

CONDITIONE tua non utor: formula erat, renunciãdi ſponſalibus. l. 2. D. de ſponſal.

CONDITIONALIS, cui conditio adiecta eſt: ut conditionalis ſtipulatio, aut legatum. l. 44. D. de uerbor. obl. & ſub tit. Digeſt. de cond. & demonſt. Item

CONDITIONALITER, pro ſub conditione. l. quę res D. de uerb. obl. & paſſ. in libris noſtris.

CONDUCERE: uide infrà, Locare.

CONDUCTOR eſt, qui uel rei alienæ uſum, uel alieni operis perfectionẽ certa mercede pacta recepit.

CONDUCTOR operis, pro redemptor. Iauol. l. 44. D. de

D. dè fideiuſ. Et quia opus effectum non erat, alij locaſti: & quum poſterior conductor ſatis non daret, ipſe opus feciſti.

CONFERRE, uide Collatio bonorum.

CONFESSORIA actio, uerbum è Græcorum Iuriſcõſultorum fontibus deriuatum: pro Actio uerbis aientib. concepta: cui opponitur Negatoria. Vſurpatur autem in ſeruitutum uindicationibus, cum quis ſuam eſſe ſeruitutem petit. l. 2. & l. 4 §. 1. D. ſi ſerui. uind. l. pen. §. ult. D. ſi uſusf. petat. neq; unquam niſi aientib. uerbis cõcipitur: ne in caſu quidem legis 4. D. ſi ſeruit. uind. ut in Commẽ. Inſt. docuimus. Dicitur & Confeſſoria actio in lege Aquilia, quæ ex confeſsione rei, id eſt aduerſum reum qui confeſſus eſt, datur. l. inde Neratius, 23. §. ult. l. proinde, 25. §. 1. D. ad leg. Aquil.

CONFINES dicuntur, quorum prædia linea tantùm diſtincta ſunt: uel quorũ unius finis, alterius etiã finis eſt. Vicini uerò, quorum prædia parietibus diſterminata ſunt. Itaq; Confinium in ruſticis, uicinitas in urbanis prædiis ponitur: uti docet Paulus l. 4. in fi. D. finium regund. l. 29. D. de ſeruit. ruſt.

CONFISCARI, fiſco committi: in fiſcum, id eſt Principis ærarium redigi. l. ult. §. pe. D. de bon. eorum qui. Sueton. in Domit. Confiſcabãtur alienisſimæ hæreditates, uel exiſtente uno qui diceret audiſſe &c. Vſurpatur etiam de perſonis: ut.

CONFISCATUS tutor dicitur in l. 9. §. pe. D. de tut. & rat. diſt. cuius bona fiſco cõmiſſa ſunt. Sueton. Caligul. Prætereuntes duos equites R. locupletes, ſine mora corripi, confiſcariq; iuſsit.

CONFUNDI dicuntur iura, quæ in eandem uel perſonam uel rem inciderunt. ueluti

CONFUNDI obligatio dicitur, cum item debitor & creditor ſimul effectus eſt: hoc eſt, cùm alter in alterius ius ſucceſsit. l. debitori, 50. l. grauius. 71. D. de fideiuſſ. l. 6. & l. 14. C. ad leg. Falcid. l. 5. C. de hæredit. act. Similiter

CONFUNDI ſeruitutes dicuntur, cùm utrunq; prædium, id eſt & id quod ſeruit, & id cui ſeruitus debetur, eiuſdem domini efficitur. l. 1. & l. 15. D. quẽ ad. ſeruit. amitt. l. 7. D. de fund. dotal. Similiter

CONFUNDI uſusfructus dicitur, cùm fructuarius proprietatem adeptus eſt. l. 4. D. uſufruct. quemad. cau. l. 6. D. de manum. teſtam.

CONFUGA, qui ad aſylum confugit. l. præſenti, 5. C. de iis qui ad eccl. conf. l. ſi qua. 22. C. de epiſcop. & cler.

CONGIARIUM, uas congii unius, id eſt ſextariorum ſenum capax: apud Paulum in l. 13. D. de inſt. uel inſt.

CONIECTIO cauſſæ. Paulus in l. 1. D. de reg. iur. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſſæ coniectio eſt. Hoc quid ſit declarat Aſconius, Quum, inquit, in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem: qui dabatur poſt trigeſimum diem (legendum autem & corrigendum arbitror, Poſt tertium diem) quo dato, deinde inter ſe perendinum diem, ut ad iudicium uenirent denunciabant. quò quum eſſet uentum, antequam cauſſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant. quod ipſum dicebatur Cauſſæ coniectio, quaſi cauſſæ ſuæ in breue coactio. hæc ille. Coniectionem autem non pro Coniectu, ſed pro Coniectura dictam opinor: itẽ ut Quæſtio apud eundem pro Quæſtura, quaſi unde de tota diſceptatione iudex coniiciendi facultatem habeat. Vt ergo cauſſæ coniectio rem ſtrictim & anguſtè cõtinet, ſic Regula id quod iuris eſt breuiter ſummatimq; complectitur. Hinc illud apud Gellium libro quinto, capite decimo, Et quum ad iudices coniiciendæ conſiſtendæq; cauſſæ gratia ueniſſet & quæ ſequuntur. Et Apud Afranium, ut Non. Marcellus refert: Cauſſam coniicere apud te uolo. ambo adeſtis: profuturos arbitror.

CONIUNCTIO in hæreditatibus & legatis triplex obſeruata eſt: aut re, aut uerbis, aut re & uerbis ſimul. l. re coniũcti, 89. D. de legat. 3. l. triplici, 142. D. de uerb. ſigni. Re coniunctio eſt, cùm duobus ſeparatim res eadem legata eſt, hoc modo: Titio fundum Tuſculanum do lego. eundem fundum Mæuio do lego. Verborum coniunctio eſt, cùm pluribus res eadem definitis partibus legata eſt: ueluti, Titio & Seio fundum æquis partibus do lego. Re & uerbis coniunctio eſt: hoc modo, Titio & Seio fundum lego.

CONNUBIUM, eſt uxoris iuræ ducendæ facultas. Vlpianus tit. 5. Seruius autem, Connubium, inquit, eſt ius legitimi matrimonii.

CONSANARE, pro conſaneſcere. Vlpianus l. 10. D. de ædilitio edict. Si homini digitus ſit abſciſus, membrive quid laceratum, quamuis conſanauerit, ſi tamen ob eam rem dominus uti poſsit, non uideri ſanum eſſe. Haud ſcio tamen an

CONSANUERIT unica literula ſublata, uerius legeretur.

CONSANGUINEOS, generaliter Caſsius definit eos, qui ſanguine inter ſe connexi ſunt, l. 1. §. 7. D. de ſuis & legit. Propriè uerò,

CONSANGUINEI, ſunt fratres ex eodem patre nati. nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint: ait Imp. §. 1. de leg. agn. ſucc. l. 3. C. de legit. tut. l. 1. l. 3. & l. 6. C. de legit. hæred.

CONSCRIPTI patres: uide in libello De Senatu, in appendice.

CONSERERE manus dicebãtur in uindiciis, qui uim moribus, feſtucas inter ſe, quaſi haſtas, dicis cauſſa committentes faciebant. qua de re diximus in Cõment. Orat. pro Decina. Lex autem duodecim tabul. de qua Gellius lib. uigeſimo, capite nono cõmemorat, his fortaſſe uerbis cõcepta erat: SI QUI in iure manũ cõſerunt, utriq; ſuperſtitibus præſentibus uindicias ſumunto. unde illud Ennii:

Non ex iure manu conſertum, ſed mage ferro

Rem

Rem repetunt.
Item illud Ciceronis in primo de Orat.
Multisque præeſſem, qui te ex iure manu conſertum uocarent. Dicebatur enim Manu conſertum antiquè, pro Manus: eliſa litera s. eo more de quo Cicero in Oratore diſputat.

CONSILIVM, conſeſſus eorum qui cauſſam uel publicam uel priuatam, cum prætore, aut Iudice cognoſcunt. unde illa peruulgata, Cauſſa cum conſilio cognita, Conſilium præbere, Conſilium uocare, Conſilium dimittere, De conſilij ſententia.

CONSILIVM & Mandatum hoc differunt: quòd Mãdatum ſpecies quædam eſt imperij, quod pro ſocietate generis humani receptum eſt, ut quod cuique negocium datum eſt, id mandatoris periculo conficiat. Conſilium autem ab imperio prorſus alienum eſt, nec ullam uoluntatis eius qui conſilium dat, ſignificationem habet. Itaque rem conſultoris arbitrio permittit: nec, utrũ fiat, necne laborat. Itaque ex conſilio nulla naſcitur, obligatio: at ex mandato naſcitur. Hæc ex l. 1. in fine, & l. ſecunda, D. mand. & l. conſilij. D. de reg. iur. §. 2. mandat.

CONSOBRINI, cõſobrinæq; ſunt, ait Caius, qui quęve ex duabus ſororib. naſcuntur, quaſi Conſororini. l. 1. §. 1. l. ult. §. eod. D. de grad. & affin.

CONSOBRINI à patruelibus quid differant, uide Patrucles.

CONSOBRINI & Amitini ſic differunt: qui duobus ex fratribus naſcuntur, Patrueles: qui duabus ex ſororibus, Conſobrini: ex fratre & ſorore, Amitini inter ſe nominantur. l. ult. §. 4. D. de gradibus. Vbi Paulus ait hos omnes à pleriſq;, uelut à Trebatio, generali nomine Conſobrinos appellari. Nonius autem in extremo ſic ſcribit, Amitini fratrum maris & fœminæ filij, Conſobrini ex duabus editi. ſororibus, quaſi Conſororini. Quod autem Paulus illa l. ult. §. 8. ſcribit, ſororum fratrumque meorum nepotes neptesq; conſobrinos eſſe: obſcurum uidetur. nam illi non Conſobrini, ſed Sobrini appellantur. Reſpondetur autem Paulum ita ſenſiſſe, ut qui inter ſe ſobrini ſunt, leui abuſione dici inuicem poſsint Conſobrini: ueluti ſi qui inter ſe fratres ſunt, ſe Confratres appellarent.

CONSOCERI dicuntur, ait Theoph. quorum alterius filia, alterius filio nupſiſſet. §. 9. de nup. Vtitur Vlpia. l. 32. §. proinde, D. de donat. inter uir.

CONSOLIDATIO eſt proprietatis cum uſufructu coniunctio. Imp. §. 2. de uſufru. Vel ex contrario: ſi uſufructuarius proprietatẽ rei acquiſierit: quæ res conſolidatio appellatur. Hinc fructuarius proprietatem acquirens, conſolidare dicitur. l. 3. & l. 6. D. de uſuf. accreſ. Hinc apud Iauol. l. à libert. 35. D. de bon. libert. ſolida proprietas dicitur, in qua uſusfructus ineſt. Itemq; apud Paulum l. Sempronius, 26. §. 1. de uſuf. leg.

CONSORTIO, communio. Papin. l. 96. §. 3. D. de ſolut. Nec in arbitrio eius electio erit, quum debitor precium pignoris conſortioni ſubiecerit: id eſt, promiſcuè utriq; debito pignus ſubiecerit.

CONSPONSORES à Cicerone dicuntur, qui à Iuriſcõſultis correi debendi: id eſt, qui eiuſdem obligationis ſunt debito res. Cic. ad Attic. lib. 12. Tamẽ uelim des operam, ut inueſtiges ex conſponſorũ tabulis, ſit ne ita. Idem Leptæ, De tuo negocio ꝙ ſponſor es pro Pompeio, ſi Galba conſponſor tuus redierit.

CONSPONSOS antiqui dicebant fide mutua colligatos. Feſtus.

CONSTITVERE iudicium uel quæſtionem, in publicis duntaxat iudicijs, dicitur Quæſitor, qui iudicum reiectione utrinque facta, certos conſtituit iudices, qui ſibi iurati in conſilio adſint, & ſecum cognoſcant: in priuatis uerò iudicijs, quum Prætor urbanus iudici aut Recuperatoribus à litigatoribus acceptis, poteſtatem de cauſſa cognoſcẽdi & iudicandi facit. Cicero pro Cecina, Qui igitur conuenit, quæ cauſſa fuerit ad conſtituendum iudicium, eandem moram eſſe ad iudicandũ.

Vel ſic,

CONSTITVERE iudicium Prætor in priuatis cauſſis dicitur, quum agẽdi poteſtatem litigatoribus: iudicandi uerò iudicibus ſumptis permittebat.

CONSTITVERE, eſt creditori ſine ſtipulatione promittere, ſe pecuniam uel à ſe uel ab altero debitã, certo die ſoluturum: ueluti ſi tibi Calend. Iunijs debeã, & nudo pacto, id eſt, ſine ſtipulatione promittam, me Cal. Maij ſoluturum. Vel ſic,

CONSTITVERE, eſt quod iam debetur daturum facturumve ſe, uel pro ſemel ipſo, uel pro alio ſine ſtipulatione promittere. l. 1. & paſſ. D. de conſtit. pecun. Græci κατατετάξασθαι dicunt Demoſth. contra Theocrinem: ὡς ἂν καὶ παρ' αὐτῷ Θεοκρίνης ὁμολογεῖται τοῦτ' εἶναι τὸ ὄφλημα, καὶ κατετάξατο τοῖς φιλέταις ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ. Hinc

CONSTITVTORIA ſiue Conſtitutitia actio dicitur, quæ in eum qui ſe ſoluturum conſtituerit, datur, his ferè uerbis: Si appareat Mæuium Titio pecuniam conſtituiſſe, eamq; pecuniam cum conſtituebatur, debitam fuiſſe. neq; Mæuius aut ſoluat, aut faciat id quod conſtituit: ac per actorẽ non ſteterit quo minus fieret quod conſtitutum eſt, tũ Męuius damnetur. l. 16. 17. 18. D. de conſtit. pec.

CONSTITVTVM, uocabulum ad ius ciuile pertinẽs, Et ſignificat diem tempusq; communi conſenſu indictum, quo ſe aliqui in loco certo ac conſtituto ſiſtant. Cicero in Orat. pro Cælio, Quum ſit ijs confitendum, nunquam ſe ne congreſſu quidẽ & conſtituto cœpiſſe de tantis iniuriis experiri. Et in epiſt. ad Att. lib. 11. ep. 1. Atq; eo die cogitabam in Anagnino, poſtero autem die in Tuſculano, ibi unum diem v. Cal. Igitur ad conſtitutum. Et eleganter tranſtulit in epiſt. ad Mariũ, Si quod conſtitutum habes cum podagra, fac in alium diẽ differas. Varro De re ruſt. l. 2. Scrofam enim mane

ne ſalutaui, quum alius eum ſalutaſſet, alius conuitiatus eſſet, qui eam ſerò ueniſſet ad conſtitutũ:

CONSTITVTIONES principum generaliter omnia illorum placita dicuntur: hoc eſt, Reſcripta, Decreta, Edicta. l. 1. D. de conſtitu. princ. l. 5. §. conſtitutio. D. ut in poſſ. legat. l. 4. D. de manumiſſ.

CONSTITVTIONVM aliæ generales ſunt, aliæ perſonales. Generales ſunt, quæ ad omnes pertinent: Perſonales uero ſunt, in quibus propter certæ perſonæ rationem, a iure communi receſſum eſt: quæ & Priuilegia appellantur. Hæc ex d. l. 1. & 3. & l. 3. C. de legib. & §. quod Principi, de iur. natur.

CONSTITVI ſeruitutes tunc demum dicuntur, cùm ijs uti quis cœpit. conſtituuntur enim per patientiam, uel traditionem, l. 13. §. 1. D. de Publician. l. 3. D. de uſuf. l. 1. in fi. D. de ſeruit. ruſtic.

CONSVETVDO iuris pars eſt, quæ fortaſſe ita nó incommodè definietur: Ius quod uſu diuturno & maiorum morib. ſine ullis literis cóſtitutum, nó minus quàm quod ſcriptum eſt, uſurpatur. l. 32. & ſeq. D. de legib. Vſus enim diuturnitas eius iuris firmamentum eſt. Diuturnitas autem ex maiorum moribus repetenda eſt arg. l. more maiorum 15. D. de iuriſd. om. iud. l. 1. §. 1. de offic. ciua cui mandat. l. pœna, 9. D. de parricid. Quare cùm maiores propriè dicantur uſq; ad tritauum, l. 10. D. de affin. & gradib. ſequitur ut minimum centum annorum ſpacium requiratur: nimirum ut ſinguli gradus plena pubertate alios ſuperent. Itaq; apud Liuium lib. XXVII. Prætor contendebat Flamines ius in ſenatum introeundi non utendo amiſiſſe: quia nec patrum nec auorum memoria quiſquã id ius uſurpaſſet.

CONSVLI populus dicebatur Romæ, cùm lex rogabatur. Feſtus lib. Rogatio eſt, inquit, cùm populus conſulitur. Cic. de Legib. III. Qui agent, non plus quàm de ſingulis rebus conſulunto. Et in Miloniana, Nihil de eius morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. Et in ea pro Domo, Si populus de iſta re conſultus eſſet.

CONSVLI res dicitur, de qua ad ſenatũ relatũ eſt: ut patet ex lege operis faciundi, cuius partem adſcripſimus in uoce Duumuirat.

CONTESTARI litem dicuntur duo aut plures aduerſarij, quòd ordinato iudicio utraque pars dicere ſolet, Teſtes eſtote. Item alibi,

CONTESTARI, eſt quum uterq; reus dicit, Teſtes eſtote. Feſtus. uide Lis conteſtata.

CONTESTATO, teſtibus adhibitis. Vlpia. l. 1. §. 7. D. de agn. & al. lib. Si neq; conteſtatò dixerit eam ex ſe prægnantem non eſſe.

CONTEXTV uno fieri dicitur, quum actus alienus nullus intermixtus eſt. Vlpian. l. 21. §. 3. D. qui teſt. fac. poſſ. Vno contextu actus teſtari oportet. eſt autem uno contextu, nullum actum alienum teſtamento intermiſcere. l. 75. de legat. tertio.

CONTINVI dies, uide Dies.

CONTINVVS annus, uide Annus.

CONTRA legem facit, qui id facit quod lex prohibet. l. 28. D. de legib. ſenat.

CONTRAHERE, præcisè inter Iuriſconſultos quod ueteres plenè dixerunt, Res contrahere: cùm uidelicet ultrò citroq; aliquid dabatur: hoc eſt, cùm unus accipiebat, alter dabat. Liu. lib. XXII. Iam inde haud ſecus quàm in pace res inter ſe contrahere, uendendo, emendo, mutuum dando argentũ, creditumq; ſoluendo auderent. Hinc

CONTRACTVS eſt negociũ inter duos pluresve data opera geſtum, ut uel uterq; inuicem, uel alteruter obligetur. l. Labeo, 19. de uerb. ſigni. l. rogaſti. de præſcr. uerb. l. ſi in arca, de condict. indeb.

CONTRACTVVM autem duo ſumma genera ſunt. nã alij Nominati dicuntur, quib. certum nomen Latinæ linguæ conſuetudo impoſuit, ueluti emptio, locatio: alij uerò innominati: Do ut des, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias. qui propterea ſic appellantur: quia nullum ex Latinæ linguæ cóſuetudine certum ac proprium nomen habent. tametſi enim prima ſpecie ad nominatorum ſimilitudinem accedere uideantur, tamen propter iuris ciuilis ſubtilitatem ab ijs magnopere diſcrepant. l. 1. & paſſ. D. de præſcrip. uerb.

CONTRAHERE fiduciam, uel Fiducia.

CONTRAHERE alicui, pro Cum aliquo. Vlp. l. 8. §. 10. D. ad S.C. Vell. Si quum eſſem tibi contracturus, mulier interuenerit, ut cum ipſa potius contraham.

CONTRARIA iudicia, uide Actiones directæ.

CONTVBERNALIS, ſerui coniunx. nam Vxoris nomẽ in libera ponitur. Vlpianus. l. 12. §. 16. de inſt. uel inſtr. Contubernales quoq; ſeruorum, id eſt uxores, & natos inſtructo fundo contineri uerũ eſt. Scæuola l. 41. §. 14. D. de fid. lib. December diſpenſator meus, Seuerus uillicus, & Victorina uillica Seueri cõtubernalis in annos octo liberi ſunto. Paulus l. 81. D. de condit. & demonſtr. Stichus ſi rationes reddiderit, cum contubernali ſua liber eſto.

CONTVBERNALES dicuntur, inquit Feſtus, à tabernis, quæ fiebant ex tabulis, unde & Tabernacula ſunt dicta, licet ex tẽtorijs & pellibus fiant. Africanus l. 21. D. commod. In exercitu contubernalibus uaſa utenda communi periculo dedi. Et poſt, Habiturum me actionem cum contubernalibus conſtat pro cuiuſque parte. uide Tabernæ.

CONTVBERNIVM propriè ſeruile connubium. Paulus lib. Sent. 2. cap. 20. Inter ſeruos & liberos matrimonia contrahi non poſſunt, contuberniũ poteſt. Et ſic accipitur in l. 11. §. 1. D. de adult. l. 14. §. ſeruiles, D. de rit. nupt. l. 7. C. de liberal. cauſ. l. 9 C. de neceſſ. ſeru.

CONTVMAX eſt, ait Hermogenianus, qui tribus edictis propoſitis, uel uno pro trib. quod uulgò Peremptoriũ appellatur, literis euocatus præſentiam

ſui

ſui facere contemnit. l.53.§.1.D.de re iudic.l.5. D.de pœn.l.7.&.8.C.quō.& quā.Itē qui Prætoris imperio non obtēperat.l.1.§.propter.D.de poſt. l.19.D.de dol.l.3.§.condemna.D.de tab.exhib.

CONTVMELIA, inquit Vlp.à contemnendo dicta eſt l.1.D.de iniur. uide Iniuria. Similiter Seneca lib. De tranquil.uitæ.11. Contumelia,inquit,à contemptu dicta eſt: quia nemo, niſi quem contemnit,afficit tali iniuria. nemo autem meliorem maioremq́ue contemnit, etiam ſi facit aliquid quod contemnentes ſolent. uide Iniuria.

CONTVRBARE,uocabulū eſt ad rationes pertinens: & eſt, poſt habitis prioribus creditoribus, poſterioribus ſatiſfacere. Cice.pro Plancio, Verum fac me multis debere,& in his Plancio. Vtrum igitur me cōturbare oportet, an cæteris, quum cuiuſq; dies uenerit,hoc nomen quod urget, nunc quum petitur diſſoluere. Plerunque tamen Conturbare eſt creditori non ſatiſfacere,paria non facere. Vlpia.l.5.§.2.D.de inſtit.act.de ſeruulo piſtoris loquens, qui pecuniam præſentem à quopiam acceperat, ut per dies ſingulos ei panem præſtaret: Si cōturbauerit,inquit,tenebitur piſtor, ſi ei ita dari ſummas permiſit: id eſt,ſi eis à quibus panum precium acceperat,non ſatiſfecerit. Alfenus l.16.D. de in rem uerſ. Seruus boues uendiderat,alios redemerat, nūmos uenditori non ſoluerat, poſtea conturbauerat: id eſt, pecuniam diſsipårat.

CONVENIRE, propriè eſt debitorē appellare. & ſic interdum ſumitur. Caius l.41.D.de hær. petit. Si quo tpe conueniebatur poſſeſſor hæreditatis, pauciores res poſsidebat, deinde aliarū quoq; rerum poſſeſsionē adſumpſit, eas quoq; uictus reſtituere debebit: ſiue ante acceptum iudicium, ſiue poſtea acquiſierit poſſeſsionem. Hinc

CONVENIRE dicitur, etiam qui in ius uocat. Idem l.29.D. de procur. Si actor malit dominū potius conuenire, quam eum qui in rem ſuam procurator eſt. Sic in l.45.D.de rei uindic.l.7.C.de præſcript.30.ann.

CONVENIRE in manum.uide Vxor.item, Materfamilias.

CONVENIRE in matrimonium dicitur mulier quæ nubit. Papin.l.121.§.1.D.de uerb. oblig. Mulier ab eo in cuius matrimonium conueniebat, ſtipulata fuerat ducenta, ſi cōcubinæ tēpore matrimonij, conſuetudinē repetiſſet. Idem l.15.D.de ritu nupt. Nec in matrimoniū cōuenire nouercā eius, qui priuignæ maritus fuit. Gellius lib. 18. cap.7. Matronā eſſe quæ in matrimoniū cum uiro cōueniſſet:matremfa.quę nō in matrimonium tantùm, ſed etiam in manū mancipiumq; mariti ueniſſet. Paulus autem in l.134. D.de uerb. obli. Coire in matrimonium, pro Conuenire dixit.

CONVENTIONIS uerbū generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi, tranſigendiq; cauſſa conſentiunt qui inter ſe agunt. nam ſi uti cōuenire dicūtur,qui ex diuerſis locis in unū locum colliguntur & ueniunt,ita & qui ex diuerſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt in unam ſententiam decurrunt.l.1.§.1.D. De pact.

CONVENTIO publica eſt,quę fit per pacē,quoties inter ſe duces belli quędā paciſcūtur.l.5.D.de pact.

CONVENTIO legitima eſt, quæ lege aliqua confirmatur,l.6.D.de pact.

CONVENTVS uno modo intelligitur,quum à magiſtratibus iudicij cauſſa populus congregatur.Feſtus. uide Indicere forum.

CONVERSATIO, habitatio. Vlpia.l.12.§.1.D.de relig.& ſumpt.Senatuſconſulto cauetur, ne uſus ſepulcrorum permutationibus polluatur: id eſt,ne ſepulcrum aliæ conuerſationis uſum accipiat.hoc eſt,ne quis aliam ob cauſſam quàm ſepulcri & religionis ibi habitet, aut uerſetur: ut ex edicti uerbis intelligitur, quæ idem Vlp. refert in l.3.D.de ſepul.uiol.

CONVICIVM, eſt contumelia petulantius iactata. Cicero pro Cælio, Maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ, ſi petulantius iactętur,conuicium: ſi facetius,urbanitas nominatur.

CONVICIVM,inquit Vlpianus,dicitur,uel à concitatione,uel à cōuentu:hoc eſt,à collatione uocum. quum enim in unum cōplures uoces conferūtur, cōuicium appellatur, quaſi conuocium.l.15.§.3. D.de iniur. Rectè Vlpianus,etſi à Laurētio Valla reprehendatur, qui Conuicium à uitio non à uocibus deductum putat. nam Cicero in Orat. pro Sextio Vlpianum tuetur, cùm ita de P.Clodio loquitur: Et is qui antea cantorum conuicio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum uocibus eijciebatur. Clodij enim cantores per ridiculum appellat eos, quos ille data opera ad ſuas conciones euocabat, ut ſibi apud populum concionanti pro conſuetudine acclamarent: Benè & præclarè, bellè & feſtiuè.quem morem populi R. fuiſſe nemo ne ſcit ex lib.De orat.III. Ex Quintiliano,& nonnullis orationibus Ciceronis. Manutius autem doctiſsimus eius orationis interpres, Sextianæ locum ſic interpretatur, quaſi Clodius cantores adhibuiſſet, qui modulatis uocibus populi oblectandi cauſſa concionantis uocem ſubſequerentur. de quo more fateor me nihil adhuc legiſſe: tametſi Gracchi eburneolam fiſtulam meminerim, quam longè alio pertinuiſſe conſtat. Similiter.

CONVICIVM pro ſtrepitu & uocum multitudine Cice.uſurpat in ea pro Archia: Quia, inquit, ſuppeditat nobis ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuicio defeſſæ conquieſcant.

CONVICTVM aduerſus bonos mores accipimus, in unum collatam uociferationem,quę bonis moribus improbatur, & ad infamiam alicuius ſpectat. l.15.§.cui prætor,D.de iniur.

COPIAE, ſunt cibaria quæ publicè præbentur. Papinianus

pinianus l.ob negocium, 20. D. de compenſat. Ob negocium copiarum expeditionis tempore mandatum curatorem condemnatum, &c. Valerius lib.v.ca.1. Obuiam illi P.Cornelium Scipionem Quæſtorem Capuã miſit, cenſuitq; ut ei domus Romæ quamoptima conduceretur: & copiæ non ſolùm ipſi, ſed etiam comitibus eius publicè præberentur. Plin. in Panegyr. Emit fiſcus quicquid uidetur emere.inde copiæ, inde annona.

CORACINVS, παρὰ τοῦ κόρακος, quaſi dicas coruinus: color niger: ut ex Strabone intelligitur, qui lib. XII. de nigerrimo pecorum Laodicenſium colore loquens, τὴν κόραξιν χρόαν appellat. Paulus l.78. §.5.D.de legat.& fid.lib.32. Coccum quod proprio nomine appellatur, quin uerſicoloribus cederet, nemo dubitauit. quin minus porrò coracinũ, anthyſginum, aut melinũ ſuo nomine, quàm coccum, purpurave deſignatur.

CORAM aliquo. Florentinus l.209.D.de uerb. ſign. Coram Titio aliquid facere iuſſus non uidetur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat. Itaq; ſi furioſus aut infans ſit, aut dormiat: non uidetur coram eo feciſſe. ſcire autem, non etiam uelle is debet: nã & inuito eo rectè fit quod iuſſum eſt. Sic in l. 25. §.ſi coram.D.de acqui.hæredit.

CORBIS, uas uimine contextum. Vlpianus l.in inſtrumento, 8.D.de inſt.uel inſtru. Cogendi, quemadmodũ torcularia, corbes, falceſq; meſſoriæ. Hinc Per corbem uini menſuram facere, apud Vlpianum.in l.1. §.4. D. de peric. & commod. quum ſcilicet uinum ex dolijs uenditor effunderet, quia non intra tempus idoneum dolia exinaniret. Corbem igitur adhibebat, quæ ad effundendum erat aptiſsima, ut quantum eſſet effuſum, appareret.

CORNICVLARIVS, miniſter decurionis. Aſconius, Accenſus nomen eſt ordinis & promotionis in militia, ut nunc dicitur, princeps, uel Commentarienſis, aut Cornicularius. hæc enim nomina de legionaria militia ſumpta ſunt. Adiutores corniculariorum Tarruntinus inter immunes numerat, l.ult.D.de iur.immunit.

CORNICVM oculos configere, prouerbium eſt dè ijs dici ſolitum, qui acutos & ingenioſos & cautos homines tamen in fraudem inducunt. Sumptum à cornicibus quòd aues ſint cautiſsimæ, & facilè inſidias prouidentes. Hinc Cn.Flauius qui formulas cautis Iuriſconſultis ademit, cornicum oculos confixiſſe dicitur.

CORONARIVM aurum, uide Aurum coronarium.

CORPORALES res dicuntur quæ tangi demonſtrarique poſſunt.l.1.§.hæ autem.D.de rer.diui.ex quo intelligitur.ſola indiuidua rerum corporaliũ nomine contineri: quippe quæ ſola ſub ſenſus cadãt. quod cum ita ſit, perſpicuum eſt, cum Vlpianus illo loco hæc exempla ſubiungit: ueluti fundus, homo, ueſtis, aurum: ceteraque quæ ſpeciei nomine à Dialecticis, generis à Iuriſconſultis appellantur intelligendum eſſe, de hoc fundo, puta Tuſculano: hoc homine, puta Dauo. nam cum in genere fundum hominemve dicimus, rem uniuerſam ſignificamus. res autem uniuerſæ cadere ſub ſenſus non poſſunt, quippe à quibus ſint remotiſsimæ.

CORPORVM tria genera Paulus tradit in l. rerum, 30.D.de uſurp.&.l.in rem, 24. D. de rei uindic. Vnum quod continetur uno ſpiritu, & Græcè ἡνωμένον uocatur: ut homo, tignum, lapis, & ſimilia. alterum quod ex contingentibus, hoc eſt plurib. inter ſe cohærentib. conſtat: quod συνημμένον uocatur: ut ædificium, nauis armarium. tertium quod ex diſtantib. conſtat: ut corpora plura non ſoluta, ſed uni nomini ſubiecta, ueluti populus, legio, grex. In hanc ſententiam uide Plutarch. in Præcep.connub.& Sene.lib.Epiſt.XVII.

CORPORALITER iurare, uide iurare corporaliter.

CORPORATI, collegæ, qui eiuſdem ſocietatis ſunt & corporis. Impp.l. non plures, 4. C. de ſacroſ. eccl. Nulli alij corporatorum præter dictum numerũ per patrocinia immunitate conceſſa. Impp. in l.qui ſub.8.cod.tit. Collegatos eoſdẽ appellãt.

CORRADERE, eſt cum difficultate ſummam aliquã ex uenditione redigere. Vlpian.l.5.D. de admin. & peric.tut. Ita autem depoſitioni pecuniarũ locus eſt, ſi ea ſumma corradi, id eſt colligi poſsit, ut comparari ager poſsit.

COSTVM, Marcianus in l.ult. §.5.D.de publican. inter ſpecies ad uectigal pertinentes recenſet. de quo Plin.lib.12.cap.12. ſic ſcribit, Radix & foliũ Indis eſt maximo precio. Radix coſti guſtu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili. Et li. 22. cap.24. Odorum cauſſa unguentorumq; & deliciarum, ſi placet, etiam ſuperſtitionis gratia emantur, quoniam thure ſupplicamus & coſto. Quum autem hos Marciani & Plinij locos cum illo Pomponij confero, ubi odorum unguentorumq; meminit in l.21.§.1.D.de aur.arg. uenit in ſuſpicionem, pro Colum, cuius uerbi ſenſus eo quidem loco fortaſſe nullus eſt, reponendum eſſe Coſtum. De quo tamen iudicium doctioribus relinquo.

COTORIA, locus unde cotes excinduntur. Alfenus l. 15. D. de publican. Cæſar quum inſulæ Cretæ cotorias locaret, legem ita dixerat.

C. P. nota eſt Conſtantinopolim ſignificãs. ut in extremo Inſtitut. præfationis, D.C.P. id eſt, Datum Conſtantinopoli.& alibi frequenter.

CRABATTVS, κράβαττος, lectulus meridiãdo idoneus. Scæuola l.20.§.8.D.de inſt.uel.inſt. Inſtructis domibus legatis, crabattus argento inaurato tectus mortis Titiæ tempore in domibus non eſt repertus, ſed in horreis tantiſper conditus.

CRATITIVS paries, qui rectis cratibus infixis, tum alijs tranſuerſis illos preſſe circumplicantibus cõſtat. Vitruuius lib. 2. capitu. 8. Cratitii uerò uelim quidem ne inuenti eſſent. quantum enim celeritate & loci laxamento proſunt, tanto maiori & communi ſunt calamitati, quòd ad incendia,

incendia;uti faſces, ſunt parati. Vbi cur FACES à nonnullis legatur,non diſpicio:quum reuera faſciculorum exempti, adeoq; optimorum uicem obtineant:ut ex ſepibus,cuiuſmodi hac ætate per multę cratitiæ ſunt,cognoſci poteſt. Vlpian.l.52. §.2.D.pro ſocio,Si uicini ſemipedes inter ſe contulerunt,ut ibi cratitium parietem inter ſe ædificarent ad onera utriuſq; ſuſtinenda,&c.

CREDENDI appellatio generalis eſt: ait Vlpian. in l.1.D.de reb.cred.Nam cuicunq; rei aſſentiamur alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu,credere dicimur. Hæc ille. Siue ergo pecuniam aliaſq; res,quæ non in ſpecie, ſed in genere redduntur: ſiue quid aliud, cuius ſolutio ſpeciem, id eſt indiuiduum ipſum creditum exigae (ut in depoſito & pignore)alterius fidei committamus,rectè credere dicimur.quod ipſum intelligĩt ex l.ſequenti, §.3.& l.10.15.19.& alijs.Aliud autem eſſe credere,aliud in creditum ire,mihi quidem animaduertiſſe uideor ex eadem l. 2.ubi Paulus ait, Mutui dationem in iis rebus conſiſtere, quæ pondere,numero,menſura conſiſtunt: quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia functionem in ſuo genere recipiunt,In ceteris autem rebus ideo in creditum ire non poſſe, quia functionem in ſua ſpecie non recipiunt. Vt ſignificare uideatur Mutuum dare, idem eſſe quod in creditum ire:iiſdemq; in rebus poni hoc utrũque uerbum:in iis autem, in quibus Depoſitum, aut Pignus, aut Commodatum exercetur, Iri in creditum non poſſe. Quam differentiam qui unquam expoſuerit,inueni adhuc neminem.Sed profectò niſi uera eſſet, perridiculè Paulus dixiſſet, Credendi uerbum ad Commodatum aut Pignus non pertinere:quòd contra duobus poſt uerſibus ipſe idem affirmat,& in lege proxima Vlp. diſertè confirmarat.ut illud omittam, quòd ineptiſsimè alioqui ſuperius dixiſſet, Mutui dationem in pōdere, numero & mēſura conſiſtere,qm̃ creditũ in iiſdem conſiſtit. quod apertiſsimè cōtinuo per negans.Creditum, inquit, conſiſtit extra eas res. quæ pondere, numero, menſura continentur. ut duæ uidelicet ſpecies ſub credendi uerbo ſubijciantur, Mutui datio, ſiue in creditum itio: & altera quæ generis ſui nomen retinens, appellatur. Creditum.Et profectò ita eſt, ut Iuriſconſulti tũ demum hoc uerbum In creditum eundi uſurpẽt, quum res accipientis facta eſt.ueluti Alfenus qui ſine controuerſia omnium eorum,quorum ex ſcriptis Pandectarum libri maximè compoſiti ſunt, optimè ac latiniſsimè loquutus eſt. Is igitur in l. 31.D.locati,Rerum, inquit, locatarum duo ſunt genera: ut aut idem redderetur, ſicuti quũ ueſtimenta fulloni curanda locarentur:aut eiuſdẽ generis redderetur,ueluti quum argentum puſulatum fabro daretur,ut uaſa fierent: aut aurum, ut annuli:ex ſuperiore cauſſa,rem domini manere:ex poſteriore,in creditũ iri. Atq; hoc ipſum eſt quod Paulus dicebat,ijs rebus in creditum iri,quæ functionem in ſuo genere recipiunt. Africanus.l.19. in fin.ad s.c.Vell.An uerò,inquit, perinde habẽdũ ſit,ac ſi initio ego pecuniam mulieri credidiſſem,ac rurſus tu mihi in creditum iſſes. Vlpian.in l.5.§.8.De trib.act. Sed ſi dedi mercem meam uẽdendam,& extat,uideamus ne iniquum ſit in tributum me uocari & ſiquidẽ in creditum ei abijt, tributio locum habebit. enim uerò ſi non abijt, quia res uẽditæ nō deſinũt eſſe meæ,quáuis uendidero,niſi ære ſoluto,&c. Deniq; idẽ alijs locis obſeruatum reperies:ut apud Vlpian.l.3.§.1.ad s.c. Maced.& Mæcianum,l.65.§.ult.ad s.c.Trebell.

CREDITORES,inquit Vlp. accipiendos eſſe conſtat eos, quibus debetur ex quacunque actione, uel perſecutione, uel iure ciuili, ſine ulla exceptionis perpetuæ remotione,uel honorario, uel extraordinario,ſiue purè,ſiue in diem,ſiue ſub exceptione.l.10.D.de uerb.ſign. & Caius l. ſeq. Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, ſed omnes quibus ex qualibet cauſſa debetur.

CRETIO, eſt certorum dierum ſpacium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hæreditatem,nec ne. uelut, Titius hæres eſto:cernitoq; in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſq;: niſi ita creueris, exhæres eſto. Vlpia.cap.Inſt. XXII. Impp. l. 17.C.de iure delib. Cretionum ſcrupuloſam ſolennitatem hac lege penitus amputari decernimus. uide Cernere.

CRETIO aut uulgaris dicitur.aut continua. Vulgaris,in qua adijciuntur hæc uerba, Quibus ſcieris, poteriſq;. Continua,in qua non adijciuntur. Vlp. cap.Iuſtit.XXII.

CRIMEN, à delicto ſiue maleficio Iuriſconſulti perſpicuitatis ſtudio plerunq; ſic diſtinguunt,ut Criminis nomine capitalis fraus intelligatur, quibus Reſpublica.læditur,ueluti cædes,falſitas, adulterium. Delicti uerò, priuata noxia, qua priuatim quiſq; læditur,ueluti furtum,iniuria, &c. Vlpianus l.17.§.16.D.de ædilit.edict. Noxas accipere debemus priuatas,hoc eſt eas, quæcunq; committuntur ex delictis,non publicis criminibus. Hinc titulus eſt,De priuatis delictis,lib.Digeſt.47. & apud Iuſtin.tit.De obligat.quæ ex delict. & item quæ quaſi delicto naſcuntur,lib. Inſt.4. Nonnunquam tamen Crimina,eaq; priuata nominantur. Vlp.l.1.§.1. D. de pœn. Generaliter placet in legibus publicorum iudiciorum, uel priuatorum criminum qui extra ordinẽ cognoſcunt Præfecti uel Præſides, ut eis qui pœnã pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.

CRIMEN,pro criminatione. Vlpia.l.7.D. de accuſa. Cauent itaque ſinguli quod crimen obijciant, & præterea perſeueraturos ſe in crimine uſq; ad ſentẽtiã.Priori uerbo delictum, poſteriori accuſatio ſignificatur. Paulus l.109.D. de reg. iur. Nullum

crimen patitut is qui non prohibet, quum prohiberi non poteſt. Macer l. 2. D. de concuſſ. Sed ſi ideo pecuniam quis accepit, quòd crimen minatus ſit, &c. Sic l. 3. C. de calumniat. l. 109. D. de reg. iur. l. 2 t. D. de ſenat. Silan. Sic

CRIMEN ſuſpecti, id eſt criminatio, accuſatio. Vlpian. l. 1. §. t. D. de ſuſp. tut. Sciendum eſt ſuſpecti crimen ex lege x I t. tab. deſcendere. Cicero Verr. 3. Quærat non ſolum quemadmodum noſtro cri crimi, uerumetiam quo pacto ſuæ confeſsioni poſſit mederi.

CRIMINALIA iudicia, uide Indiciorum alia criminalia.

CRIMINA legitima, id eſt, quorum iudicium lege aliqua publicorum iudiciorum eſt conſtitutum Vlp. l. 3. §. t. D. de crim. ſtell. Pœna autẽ ſtellionatus nulla legitima eſt, quum nec legitimum crimen lit. ſit. ſolent autẽ ex hoc extra ordinẽ plecti.

CRINAM Pompon. in l. 2 t. §. t. D. de aur. argen. numerat intet ea unguenta, quæ ualetudinis cauſſa ſunt parata. niſi fortè

CRINONIA legendum ſit, ut ſit oleum ex lilio confectum, & odoramentis conditum. nam Crinonia Pli. li. 2 t. c. 5. meminit, quod liliũ rubẽs appellat.

CROCVPHANTIA, opinor eſſe ornamenta uilloſa, quæ ſub reticulis contexta per eorum plagulas apparent. id enim origo uocabuli κροκύφαντος, declarat. Vlpian. in l. 25. §. 4. D. de aur. arg. Ornamẽtorum hæc, inquit: uittæ, mitræ, ſemimitræ, reticula, crocuphantia. Alciatus autem & alii eruditi homines alio nocabulo conquirendo mirabiliter exercentur.

CVCVMELLA apud Alfenum l. ſi quoniam. Si ſerui. nind. genus uaſculi curui, quod, ut arbitror, à forma cucumeris nomẽ ſuũ inuenit, ad eundẽ uſum, ad quem & labra & crateres paratum. Cõnanus.

CVLLEVS, uas omnium capaciſsimum, urnas continens quadraginta. In eum inſuebatur parricida cum cane, gallo gallinacco, ſimia, & uipera. uti ſcribit Modeſtin. l. 9. D. de lege Pomp. Culleorũ quoque meminit Sceuola in l. ult. D. de pigno. act. & Vlpia. l. 3. in fin. D. de tric. uin. & ol.

CVLPA non idem eſt, quod negligentia, ſed eius conſequens: quemadmodum laus diligentiæ conſequens eſt. Triplex autem numeratur: Lata, leuis & leuiſsima. Culpa Lata eſt, quæ minimæ diligentiæ eſt (ut Latini Dialectici loquuntur) repugnans: ut Græci, μαχομένη: quippe quæ ſummæ diligentiæ, cui minima diligentia opponitur, ſit conſequens. Itaque qui minimam diligentiam debebat, eam ſi non adhibuit, in culpa lata eſſe dicitur: quæ doli finitima eſt. quod & Celſus in l. quod Nerua, D. depoſit. demonſttat: ubi ait, eũ qui mlnimam diligentiam non adhibet, fraude non carere. Atq; hoc nimirum illud eſt, quod ait Paulus in. l. 226. De ueibo. ſignifi. Magna negligentia, culpa eſt: magna culpa, dolus eſt. Quod ſic accipio, ut minima negligentia pro nulla numeretur: ſed magna negligentia duntaxat, quæ ſiue ſumma, ſiue mediocris, ſiue minima diligentia prætermiſſa ſit, culpa eſt, magna autem culpa, doli ſpeciem haheat: ut. l. t. D. ſi menſ. falſ. & l. ſi fideiuſſor, 29. D. mandati: ubi Vlp. ait, diſſolutam negligentiam propè dolum eſſe. Itemq; l. t. §. is quoque, 3. De obligat. & act. & l. quæſitum, 8. §. 3. D. de precat. ubi idem ſcribit, eum qui precariò rogauit, nullius culpæ nomine teneri, niſi eius quæ dolo proxima eſt: quod nemo non uidet ad latiſsimam culpam & minimam diligentiam pertinere. & item in. l. 223. De uerb. ſig. Lata culpa eſt non intelligere, id quod omnes intelligũt: ueluti, meũ frumentum aut uinum apud te depoſitum, corrũpi: niſi illud interdum moueatur, hoc repleatur. Si tamen ne hanc quidem diligentiam in tuo adhiberes, extra culpã eſſes. quoniam (ut Iuſtinianus ait) qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit, non ei, ſed ſuæ facilitati id imputare debet. §. pen. eod. infrà eõ. Item, ſi cum tibi mandaſſem, ut mihi certum hominem emeres, & tu gratia ductus, paſſus ſis alium emere. Vlpian. in. l. ſi procurator, 8. in fi. D. mand. ſcribit hanc latam eſſe culpã: aut cum fideiuſſor pto debitore ſoluiſſet, neq; eũ, cũ poſſet, certiorẽ redderet. l. ſi fideiuſſor, 29. D. eod.

Culpa leuis dicitur, cùm Is qui mediocrẽ diligentiã debebat, non eã præſtitit, ſed minimam duntaxat: l. mulier, 29. §. 3. D. ad Trebell. ubi Vlpianus apertiſsime leuẽ culpã ſctibit eſſe, cõſuetã cuiuſq; ſuis in rebus negligentiam. Itaq; intelligẽdus eſt idem in. l. cũ res, 47. §. 3. D. de legat. t. Item Caius in l. quod ſæpe, 35. §. 4. D. de lega. 1. Itẽ Caius in l. quod ſæpe, 35. §. 4. D. de cont. empt. ubi ait talem cuſtodiam à uenditore deſiderari, qualẽ bonus paterfa. ſuis rebus adhibet. & l. ea igitur, t4. & l. eleganter, 24. §. ult. D. de pignorat. act. Nã creditor in pignore mediocrẽ diligentiã debet: non autem exactiſsimam, ait Iuſtin. §. ult. quib. mod. re cont. hoc eſt, nõ qualẽ diligẽtiſsimus aliquis, & unus è multis: ſed qualem magna pars patrũfa. adhibere conſueuit. Itaq; ſic ſeruos aut mulos onerare ut debilitentur (dum tamẽ dolus abſit) Vlpian. illo in loco leuem culpã appellat. Similiter Paulus in l. ſi putator, 3 t. D. ad legem Aquil. eũ qui cũ in priuato putaret atborem, & ramũ deijceret, hominem occiderit, culpæ teneri: culpã aũt eſſe, quòd cum à diligẽti prouideri potuiſſet, nõ eſſet prouiſũ. Quare leuiſsima culpa eſt, cum is qui ſummam diligentiã debebat, non eã præſtitit, ſed mediocrẽ tantũ. Sũma aũt diligẽtia eſt, quã diligentiſsimus quiſq; & maximè frugalis atq; ĩduſtrius paterfa. reb. ſuis adhibet. de qua ſcribit in. l. ſocius, 72. D. pto ſocio. l. in lege, 44. ad leg. Aqui. & l. in rebus, 18. D. cõmod. ſed præcipuè in l. ſi merces, 25. §. qui col. D. loc. ubi ait tũ abeſſe culpã, ſi oĩa facta ſunt quę diligẽtiſsim' quiſq; obſeruaturus fuiſſet. itẽ. l. t. §. is quoq;. D. de obli. & act. ubi Caius ſcribit, cõmodatariũ exactiſsimã diligentiam commodatæ rei

debere:

debere:nec ſufficere, ſi talem diligentiam adhibeat,quam ſuis rebus adhibet, ſi alius diligentior cuſtodire potuerit.cui conſentit Paulus in l.3.D. de peric.& com.rei uend.

Cvm particula,ita coniungendi uim habet, ut tamen non ſemper indiuiduè ac neceſſariò coniungat. Itaque etſi cùm ita legatum eſt, Titio cum Scio do lego:utriſque legatum intelligitur: ſicut utrunq; legatū eſt, cùm fundus cū domo legatus eſt.l.ſi quis.112.§.1.D.de legat.1. tamen poterit alter ſine altero ad legatū admitti.l.ſi quis.21.eo. tit.argumento edicti, VENTREM cum liberis in poſſeſsionem eſſe iubebo: nam etſi non ſint liberi,uenter in poſſeſsionem mittetur.d. l.ſi quis, & l.ſi ita,13.in fi.D.de manu.teſt. Item ut in illo,Stichus cum rationes dederit cum contubernali ſua, liber eſto.l.ſi ſeruo,31.D.de ſtatulib.

Cvm quatuordecim annorum erit factus, & Si quatuordecim annorum erit factus,utrubique eadem conditionis uis eſt.niſi quod hac ſcriptura per cōditionem tempus demonſtratur:illa, per tempus conditio.l.ſi Titio,22.D.quand.dies legat.

Cvm imperio eſſe dicebantur apud antiquos,cui nominatim a populo dabatur imperium.Cum poteſtate eſſe dicebatur, de eo qui a populo alicui negocio præficiebatur. Feſtus. Ita diſtinguuntur imperium & poteſtas,l.7.& 10.D.de ui pub.

Cvm popvlo agere, eſt rogare quid populum quod ſuffragijs ſuis aut iubeat,aut uetet.Concionem autem habere, eſt uerba facere ad populum ſine ulla rogatione.Gell.lib.13.cap.14.

Cvm potestate,uide Cum imperio.

Cvm sacco adire,eſt poſtulare ut ſibi eueſtigiò, atque eodem temporis puncto pecunia ſoluatur. Paulus l.105.D.de ſolut.Quod dicimus in eo hærede qui fideiuſſori teſtatoris, id quod ante aditam hæreditatem ab eo ſolutum eſt, debere ſtatim ſoluere, cum aliquo ſcilicet temperamento temporis intelligendum eſt. nec enim cum ſacco adire debet.Alciatus autem, fortaſſe ut noui aliquid afferre uideretur, ad hæredem hoc refert, quaſi hæreditatem cum ſacco adire non debeat.

Cvppae, uaſa uinaria in quibus muſta coquuntur, & deferuntur.eorum meminit Vlp.l.15.§.4.D.de uſufr. & Scæuola in l.93.§.3.De legat.& fid.lib.32. Item uaſa uinaria,inquit, id eſt cuppæ & dolia,quæ in cella defixa ſunt. Alfenus autem in l.31.D.locati,pro uaſe frumentario poſuit: Quòd ſi ſeparatim,ait,tabulis,aut peronibus, aut in alia cuppa cluſum uniuſcuiuſque triticum fuiſſet.

Cvratio,ſiue Curatela, eſt poteſtas adminiſtrandi bona eius,qui uel ob ætatem,uel ob mentis corporisve uitium præeſſe rebus ſuis non poteſt. Inter Tutelam autē & Curationē hoc intereſt, quòd Tutela eſt poteſtas in capite libero, id eſt in perſona pupilli: Curatio uerò,niſi illa furioſi ſit, rei & cauſſæ datur. Tutor.inuito & ignoranti datur. Curator inuito adoleſcenti non datur. Tutela anno XIIII.finitur:Curatio anno XXV.

Cvrator alius eſt Legitimus, alius Honorarius. Legitimus dicitur,qui datus eſt ijs, quib. lex XII. tabularum dari iubet:nimirum furioſis & prodigis.Honorarius dicitur, qui a Prætore datur ei, qui nuper pubes factus, idoneè ſua negocia gerere non poteſt: item ſurdis, mutis, perpetuo morbo affectis.l.1.& paſſ.D.de curat.furioſ.l.48. De admi.tut.l.1.§.ult.D.de mun. & hon. l.14.§. pen.D.de ſolut.

Cvrator bonorum dicitur, qui a Prætore imponitur bonis eius qui uel abſens eſt, uel cui hæres, nō extat, uel qui apud hoſtes eſt: ut ea uel uēdat uel tueatur.l.1.& paſſ.D. de curat. bon. dād.l.90. D.de ſol.l.22.De minorib.l.22.De auctor. iud.l.1.De muneri.& hon.l.15.D.ex quib.cauſ.maior.

Cvrator uentris dicitur, qui uiduæ mulieri grauidæ relictæ cibum,potum,ueſtitum,tectum pro facultatibus defuncti, & pro dignitate eius atque mulieris ex defuncti bonis præbeat.l.1.§.14.& 15.D.de uent.in poſſ.mitt. l.pen.§.etſi, D. de rit. nupt.l.8.D.de cura.fur.l.48.De admi.tut.

Cvrax,pro diligenti & ſolicito. Caius l.18. D. de ædil.edict.Si conſtantem,aut laborioſum, aut curacem, uigilacem eſſe aut ex frugalitate ſua peculium acquirentem affirmauerit.

Cvriae, ſunt partes in quas Romulus populum diuiſit:ſic dictæ,quòd tūc Reip.curā per ſentētias partiū earū expediebat.l.2.D.de orig.iur. uel ſic:

Cvriae erant triginta urbis partes a Romulo Rege factæ,in quas totus populus ita diuiſus erat, ut unaquæq; curia propria ſacra ac proprios ſacerdotes haberet.

Cvriatae leges ſunt.quæ ad populi curias feruntur.l.2.D.de orig.iur.hoc eſt,quæ curiatis comitiis rogabantur: cum populus per curias ſuffragia inibat.Eæ de imperio magiſtratus ferebātur:deq; alijs nōnullis reb.uide cvriata in Indice legū.

Cvrialis,idem quod Decurio,id eſt,qui in oppido tanquam ſenator eſt.conſtat ex l. ſi quis curialis,12.C.de epiſc.& cler. ubi qui Curialis, idem poſtea Decurio nominatur.

Cvrothrophivm,κυροτροφεῖον, domus alendis pueris deſtinata.κῦρος enim puerum ſignificat. Vtitur Iuſtin.l.illud, 16.C.de ſacro.Differt autem a Brephotrophio, βρεφοτροφεῖον: quòd in hoc īfantes recētesq; partus aut expoſiti,aut parentibus egētibus nati alebantur.in illo, pueri grandiuſculi,qui nondum labore ſuo uictum ſibi parare poterant.

Cvrsvs exhibitio,pro rationū relatio, quaſi totius procurationis ac muneris ſui diſcurſus,ſiue διαδρομὴ edatur. Conſtantin.l.4. C.de epiſc.& cler.ubi quū initio dixiſſet,Officiales rationales,ſi exhibitione curſus, ſeu primipili neceſsitate neglecta: mox infert, Si uerò obnoxii ratiociniis uel neceſſitatibus non ſint.

Cvrvles magiſtratus dicebantur,quia curru uehebantur.Feſtus.

CVRVLIS ſella dicebatur, auctore C. Baſſo, ſuprà quam ſenatores qui magiſtratum curulem, id eſt maiorem geſsiſſent, conſidentes, in curru honoris gratia in curiam uehebantur. Gellius lib. 3. c. 18.

CVSTODES, obſeruatores, qui actiones notant, animaduertunt, quaſiq; ſpeculantur. Vlpian. l. 3. D. de admin. tut. de honorariis tutoribus loquens, Dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus eius & cuſtodes. Nam Cuſtodes erant propriè iuuenum, ut ex Cicerone Seruius declarat, quibus ad militiam euntibus anno primo Rectores darentur. Vnde & qui quempiam obſeruat, ne quid ſuffuretur, Cuſtos appellatur. Cic. Ver. 7. Quod ubi iſti nunciatum eſt (loquitur de Verre, & naue prædonum capta) ſtatim Quæſtori Legatoq; ſuo cuſtodes miſit complures, ut omnia ſibi integra quam primum exhiberentur. Hi ſi rationes quoq; perſcriberent atque conficerent, ἀντιγραφεῖς a Grecis dicebantur.

CVSTODIA, uide Vinculum.

CVSTODIAE nomine carcer tantùm publicus intelligitur. l. 9. D. ex quibus cauſ. ma.

CVSTODIAE, pro iis qui in cuſtodia ſunt. Modeſt. l. 12. D. de publ. iud. Cuſtodias auditurum, tam clariſsimos uiros, quàm patronos cauſſarum adhibere debere. Item l. 12. D. de cuſt. & exhib. l. 6. D. offic. proconſ. l. 18. §. penul. D. de quæſt. l. pen. D. de fer.

CYDONIVM, κυδώνιον, Plinius Cotoneum appellari Latinè ſcribit. Et Macrob. lib. 7. cap. 6. Nec hoc prætereo. inquit, quòd ex fructibus arborum illi ſunt frigidiores, quorum ſuccus imitatur uini ſaporem, ut mala ſeu ſimplicia, ſeu granata, ſeu cydonia, quæ cotonea uocat Cato. Vlpian. in l. 9. D. de tritic. uin. & ol. Cidonium uinum appellat ex malis cotoneis confectum: Cydonium, inquit, & ſi qua alia ſunt, quæ non ex uinea fiunt, uini appellatione non continebuntur.

CYLINDRI, lapilli teretes & oblongi, cylindrorum inſtar. de quibus Plinius lib. 38. cap. 5. Paulus in l. 32. §. ult. D. de aur. arg. Quum quædam ornamentum mamillarum ex cylindris trigintaquatuor legaſſet, &c.

CYMBIA, Seruius pocula eſſe ait ad cymbæ ſimilitudinem facta. de quibus Paulus in l. 32. §. 1. D. de aur. arg. Cymbia argentea cruſtis aureis illigata.

CYNVS Iuriſconſultus Piſtorii natus, Diui Muxellani auditor, Bononiæ ius ciuile profeſſus eſt, libroſq; de eo non paucos ita ſcripſit, ut ſemper à Pontificiis canonibus abhorreret. In interpretatione l. quoties, C. de iud. ſcribit. Canonicos Iuriſconſ. feciſſe ſibi iura pro libitu uoluntatis ſuæ, & leges ciuiles eos ſeruare ad commodum ſuum, non autem contra ſe, propter ambitum ſecularis iuriſdictionis uſurpandæ, & non popter aliud. Floruit circiter annum M.CCC.XX.

DE LITERA D.

D LITERA datum ſignificat, ut in extremà præfatione Inſtitut. D. C. P. id eſt, Datum Conſtantinopoli. & alibi frequenter. DACTYLIOTHECA, ãnulorũ capſula δακτύλιος enim annulus eſt, θήκη capſula, ſiue arcula, ubi quid recondit. Vlp. l. 52. §. 7. D. de leg. & fid. lib. 32. Idem Pompon. in dactyliotheca legata tractat: & an annulos quoque contineri, non ſolum thecam quæ annulorum cauſſa parata ſit. Et Paulus l. 53. Annulis legatis dactyliothecæ nõ cedunt. Plin. lib. 37. cap. 1. Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine Dactiliothecam, primus omnium habuit Romę priuignus Syllæ Scaurus. Celſus l. 67. D. de furt. Nec refert in digito habeat annulum, an dactyliotheca, quem quum depoſito teneret, habere pro ſuo deſtinauerit, id eſt, in digito, an in dactiliotheca.

DAMNAS, antiqui dicebant cum quaſi pœnæ cauſſa quempiam damnabant. ut in S. C. apud Frontinum lib. 11. de aqueduct. Si quis aduerſus ea commiſiſſet, ein ſingulas res in dena millia damnas eſſet. Et in lege, quam eodem loco profert: Reficere, reſtituere, damnas eſto. intem in lege Manilia: quam in Appendice recitauimus. Hinc

DAMNAS eſto, dicebat Teſtator, cùm hæredem dare alicui damnabat. quod legatum propterea Damnationis appellatur ab Vlpiano cap. Inſtitut. XXIIII. & Caio lib. Inſtitut. 2. cap. 3. & paſsim in Pandectis. Eaq; formula etiam multitudinis numero uſurpatur: Illi hæredes Mæuio darę damnas ſunto. l. ciuitatibus, 122. §. 1. De legat. 1. l. nomen, 34. §. 1. D. de leg. tertio. Hinc

DAMNATVS hæres dicitur, a quo ita per Damnationis formulam legatum eſt. l. 5. D. de act. empt. l. 7. §. 1. De annuis leg. l. 4. §. ult. l. 35. & l. 36. De legat. 1. l. 44. §. ſi duo, D. fam. erciſc.

DAMNVM & damnatio, ait Paulus, ab ademptione & quaſi diminntione patrimonii dicta ſunt. l. 3. D. de damn. infect.

DAMNVM, inquit, a demptione, quum minus re factum, quàm quanti conſtat. Sic Varro.

DAMNVM iniuria datum in lege Aquilia dicitur, quod cum damno iniuriam attulit. l. ſi quis, 49. D. ad leg. Aquil. hoc eſt cum propterea damnum illatum eſt, quod non eſt cautum, quod caueri & debuit & potuit. Hinc

DAMNI iniuria iudicium, ſiue Actio: præciſè, pro Actio nomine damni iniuria dati. Cicero pro Q. Roſcio: Lite conteſtata, iudicio damni iniuria conſtituto. Item: Cùm lis conteſtata cum Flauio damni iniuria eſſet.

DAMNVM infectum eſt, ait Caius, damnum nondum factum, quod futurum ueremur. l. 2. D. de dam. infect.

Damni infecti promiſsio eſt, quoties quis promittit ſi quod damnum uitio ſuo contigerit. ſua reſtitutione eſſe penſandum: ait Boetius in Topic.Cic.

Damni, ſiue Eius quod intereſt, tres ſunt ſpecies. prima eius quod neque a lege neque ex partium conuentione definitū, eſt ideoq; probandum, & quantumcunque erit(ex regula tamen l.un.C.ſententi.quæ pro eo quod)adiudicandum. quæ quidem prima ſpecies generis ſui nomen retinet, & appellatur Id quod intereſt. Altera autem ſpecies eius eſt, de cuius ſumma integra, & quantumcunque futura eſt, inter partes conuenit, quæ in Iure appellatur Pœna.l. ult. D. de prætor.ſtip.8.§.2. D. Ratam rem hab. Tertia ſpecies eius eſt, de cuius ſumma non integra, nec quantacunque ad extremum eſſe poteſt, ſed quanta ſit per ſingulos menſes, ipſo iure definitum eſt, ſic ut quamuis pluris uel minoris interſit, ſola tamen ea ſumma præſtetur.ut patet ex l.ult. D. de peric.& comm. rei uend. Et hæc a nobis quoniam ex uſus diuturnitate pēdet, Vſura, ſiue Inter uſurium appellatur.

ΔΑΝΕΙΖΕΣΘΑΙ, pro mutuo accipere, Scæuola.l. 34. §. 1. D. de pign.& hypoth. δανεισάμενος παρά σε δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλεσά σε, &c. Quum abs te quingentos denarios mutuatus eſſem, rogaui te, &c. Scæuola l.88.§.25.D.de leg. & fid. lib. 3 1. βούλομαι δὲ τὰς ἐμὰς οἰκίας μὴ πωλεῖσθαι ὑπὸ τῶν κληρονόμων μου, μήτε δανείσασθαι κατ' αὐτῶν. ἐὰν δέ τις βουληθῇ αὐτῶν τῷ πωλῆσαι τὸ μέρος αὐτοῦ, ἢ δανείσασθαι κατ' αὐτοῦ, &c. Volo autem ædes meas a meis hæredibus neque uendi, neque mutuam pecuniam ſub earum pignore accipi. quòd ſi quis eam quam in ipſis habet partem uelit uendere, aut ſub eius partis pignore mutuum accipere. Nam κατ' αὐτοῦ. ſignificat, quod uulgus dicit, Super eo. Quod iccirco admonui, ne quis hominis eruditi auctoritate permotus crederet hoc loco δανείζεσθαι poſitum pro pignori apponere. Sequitur enim: ἐξουσίαν ἐχέτω πωλῆσαι τῷ συγκληρονόμῳ αὐτοῦ, καὶ δανείζεσθαι περὶ αὐτοῦ. id eſt, Poteſtatem habeat uendendi ſuo cohęredi, aut mutuam pecuniam ab eodem ſumēdi.

Dardanarii dicuntur, qui annonam mercesve coemptas tantiſper ſupprimunt, dum carius eas uendendi occaſio ſe offerat: a Dardano, ut quidam aiunt, mago nominati. Vide Vlpian. l.6. D. de extraord.crimin.& l.37.D.de pœn. Iulius, Pollux ἀναπιπράσκοντας & ἀναπωλοῦντας, hoc genus hominum appellari ſcribit. nam Propolas eos nominat, quos Iuriſconſulti Proxenetas. Dardanarius autem non malè Thales ille ſapiens appellari potuiſſet, qui olearum inopiam prouidens, omnes coemit, & anno inſequenti uēdidit: ut ſcribit Ariſtoteles. ſiquidem eum quæſtum turpiſsimum factitare noluiſſet.

Dare, propriè eſt dominium tranſferre. §. ſic itaque, 14. De actionib. Itaque ſtipulationes de dando conceptæ hanc uim habent, ut dominium ſtipulatoris efficiatur. l. ubi autem, 75. in fi. D. de uerbo. oblig. l. ſi ita, 25. D. de cont. empt. neque enim uidentur data, quæ eo tempore quo dantur accipiētis non fiunt. l. non uidentur, 167. De reg. iur.

Dare facere, uetus fuit formula actionis in perſonam: qua id quod aliqua de cauſſa debebatur, peti ſolebat: ſiue id in dando ſiue in faciendo conſtaret. l. actionum 25. D. de oblig. & act. ſoluta enim pro ſeparatis in ea formula accipiuntur. l. ſæpe, 53. D. de uerb. ſignif. hoc eſt, ut alterutrum tantum debeatur. Vſurpatur in l. ult. D. commu. præd. l. 18. §. 1. D. de acceptil. l. 13. D. de inoff. teſt.

Dare uindicias Secundum ſeruitutem, ab libertate in ſeruitutem, Contra libertatem: locutiones ueteribus uſurpatæ pro Decernere eum quo de agitur tantiſper ſeruum eſſe. Liuius libro tertio, Iudicem te ab libertate in ſeruitutem uindicias non dediſſe. Item, Vindicias ne ab libertate in ſeruitutem dederit. Aſconius in Cornelianam, Quis fuerat ille ex Decemuiris, qui contra libertatem uindicias dederit. Contrà,

Dare uindicias ſecundum libertatem, a ſeruitute in libertatem, contraria loquendi geneta: quibus eodem loco Liuius eſt uſus.

Dativi tutores propriè ſunt, qui neque lege, neque teſtamento inſtituti, ſed a magiſtratu dati ſunt: Attiliani ſcilicet, & Iuliani, l. Datiuus, 7. D. rem pup. ſal. generaliter, 40. C. de epiſc. & cler. l. ult. C. de legit. tutoribus. Vlpianus tamen cap. Inſtit. 11. Datiuos appellat, qui teſtamēto dati ſunt.

Datviri, uetuſtè pro Datum iri. Vlpian. l. 38. §. 15. D. de uer. obligat. Si quis ſtipulatus a Mæuio fuerit fundum Titio daturi.

Debere, eſt iure aliquo teneri ad aliquid uel dandum, uel faciendum. Cicero in Paradoxis, Tu poſſe te dicito, quandoquidem potes: debere, ne dixeris. quoniam nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe non reddere.

Debitor intelligitur, a quo inuito exigi pecunia poteſt: ait Modeſt. l. 108. D. de uerb. ſig. l. 16. §. fideiuſſor, D. de fideiuſ. Itaque Debitor definit eſſe is, qui nactus eſt exceptionē iuſtam, nec ab ęquitate naturali abhorrentem l. Marcellus, 66. D. de uerb. ſignif. Hinc Debitor uſurarius, pro eo qui ſub uſura pecuniā debet Papinianus l. 7. D. de uſu. Debitor uſurarius creditori pecuniā obtulit & eā quum accipere noluiſſet, obſignauit ac depoſuit.

Debitviri, uetuſtè pro Debitum iri. Vlpianus l. 1. §. 3. De dot. præleg. Et mulierem agentem ex teſtamento cauere debere, defenſuiri hæredē aduerſus maritū. ergo maritus itē debebit cauere, aduerſus mulierem defenſuiri, ſi prior agat. Et §. ſequenti, non alias cum legatum conſecuturum, quàm ſi cauerit hæredes aduerſus mulierē defenſuiri. Item apud eundē l. 11. §. 17. D. de legat. & fid. lib. 32. & l. 14. De nox. act. & l. 10. & 38. De reb. cre.

Decaproti, & Decaprotia, Decemprimi & Decem-

Decemprimatus uide Decemprimi.

DECEMPRIMI, qui & δεκάπρωτοι plerunque nominantur, erant Decemuiri ex Decurionum ordine conſtituti, qni tributorum exactioni ita præerāt, ut ſi qua detrimenta fiſcus defunctorum culpa contraheret, ipſi ſuis ſumptibus reſarcirent. eorum nanq; adminiſtratio nequaquam in Reipu. gubernatione ciuitateq; regenda ac defendenda uerſabatur, ſed potius in ſumptibus Reipubl. cauſſa faciendis. Illa autem munera Iuriſconſulti Perſonarum, hæc uerò Patrimonij appellant. Hermogen. l. 1. D. de mun. & honor. Patrimonij ſunt munera rei uehicularis, item nauicularis, decemprimatus. Arcadius autem in l. 18. §. 3. eiuſd. tractat. Decaproti, & Icoſaproti tributa exigentes, & corporale miniſterium gerunt, & pro omnibus defunctorum fiſcalia detrimenta reſarciunt. Cicero pro Sex. Roſcio, Itaque Decurionum decretum ſtatim fit, ut Decemprimi proficiſcantur ad L. Syllam.

DECEMPRIMATVS, Decemprimorum munus. Hermogenianus l. 1. D. de mun. & hon. Patrimonij ſunt munera rei uehicularis, item nauicularis, Decemprimatus.

DECEMVIRI litibus iudicādis. uide ſub Magiſtrat.

DECESSOR ab Vlpiano dicitur, qui magiſtratu in prouincia fructus de ea accedente ſucceſſore deeedit. l. 4. §. 3. D. de offic. proconſ. Spartian. in Peſcennino: Peſcenninum mihi laudas: agnoſco. nā & deceſſor tuus manu ſtrenuum, uita graue dixit.

DECIDERE, uide Tranſigere.

DECIDERE damnum, pro tranſigere de damno. Vlpian. l. 46. §. 3. D. de furt. Si quis eorum pro fure damnum deciderit: dici oportet, ſolummodo actionem ſibi competentem amiſiſſe eum. Item, Si proponas communem ſeruum ſurreptum, & alium ex dominis pro fure damnum deciditſe, qui non decidit, habebit furti actionem. Item apud African. l. 61. §. 1. eod. l. 7. De condict. furt. l. 9. §. nunc uidendum, de minoribus.

DECIES, præciſa locutione, pro Decies centena millia: quod in Verrinas demonſtrauimus. Papinian. l. 77. §. 2. D. de cond. & demonſt. Quum uxori mādatum eſſet, ut moriens filiæ communi decies reſtitueret, &c.

DECOCTORES dicuntur, qui debitam pecuniam quum ſoluendo non ſint, auferunt. Impp. l. 40. D. de decurion. lib. Cod. 10. Quilibet principalium, uel decurionum, ſi uel decoctor pecuniæ publicę, uel fraudulentus in adſcriptionibus, &c.

D. C. S. De conſilij ſententia. Auctor Val. Probus, apud quem tamen Conſulis mendoſè legitur, pro CONSILII. Cicero Verrina 7. Cum conſilio cauſſam Mamertinorum cognoſcit, & de conſilij ſententia Mamertinis ſe frumentum non imperare pronunciat. Harum autem ignoratio notarum errorem apud Vlpianum peperit in l. un. D. de off. conſul. ubi ſic legitur, Cum ipſe ſit, qui ex ſenatuſconſulto conſilij cauſſam examinat: pro EX SENTENTIA CONSILII.

DECRETA principum dicuntur, quæ princeps cauſſa cum conſilio cognita, & utraque parte audita pronunciauit, ut in l. 3. Digeſt. de ijs quæ in teſt. del.

DECVMANI, uide Mancipes.

DECVRIONES, quidam dictos aiunt ex eo, quòd initio quum coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur conſilij publici gratia conſcribi ſolita ſit. l. 239. §. 5. D. de uerb. ſign. Vlpianus in l. 7. §. ſolet, D. de interd. & releg. Item poteſt alicui pœna iniungi, ne honores adipiſcatur: nec ea res facit, ut Decurio eſſe deſinat, cùm fieri poſsit, ut quis Decurio quidem ſit, ad honores autem non admittatur. nam & Senator quis eſſe poteſt, & tamen honores non petere.

DECVRIONES, Senatores erant coloniarum aut municipiorom. Iuriſconſulti in municipijs duos hoſce ordines quaſi contrarios numerant, Plebeios & Decuriones. Ex Decurionnm autem ordine, item ut Romæ ex Senatorum, Magiſtratus creabantur. Paulus l. 7. §. 2. D. de Decurion. & fil. Is qui non ſit Decurio Duumuiratu, uel alijs honoribus fungi non poteſt. quia Decurionum honoribus plebeij fungi prohibentur. Vlpian. l. 2. §. 1. D. eo. Et quidem quantum pertinet, ne fuſtibus caſtigetur, non nocet plebeio patre eſſe natum, ſi poſtea honor decurionis patri eorum acceſſerit.

DEDISSE, inquit Paulus, intelligendus eſt etiam is, qui permutauit, uel compenſauit. l. 76. D. de uerborum ſignific.

DEDITITII generaliter dicuntur omnes qui ſe dediderunt: ſed propriè

DEDITII dicebantur ij, qui cum a ſocietate populi R. defeciſſent, poſtea metu perterriti ſeſe ei debebant. Itaque Liuius lib. VII. Campanorum legationis principem in ſenatu Romano ita loquentem facit: Nos populum Campanum urbemq; Capuam, agros, delubra decem, diuina humanaq; omnia in ueſtram P. C. populiq; R. ditionem dedimus quicquid deinde patiemur, Dedititij ueſtri paſſuri. Et paulo pòſt, Peterent pro ſocietate amicitiaq; ut Dedititijs ſuis parcerent. Quoniam autem multo deteriore quàm ciues R. conditione ac iure erant: propterea factum ut Dedititij liberti, uel potius Dedititiorū numero liberti dicti ſint, qui pœnæ cauſſa uincti ſunt a dominis, quibus ueſtigia ſcripta fuerunt, qui propter noxam torti, nocenteſq; inuenti ſunt: quive traditi ſunt, ut ferro aut cum beſtiis depugnarent, uel in cuſtodiam coniecti fuerunt: deinde quoquo modo manumiſsi. uti ſcribit Vlpian. ca. Inſt. 1. Et Caius lib. primo. Dedititij ſunt, inquit, qui poſt admiſſa crimina ſupplicijs ſubditi, & publicè pro criminibus cæſi ſunt, aut in quo-

in quorum facie uel corpore quæcunque indicia aut igne aut ferro impreſſa ſint,ut deleri non poſ ſint. Vide.§.nlt.De libert.l.un.C.de lat. libert. & in tit.De dedítit. lib.toll.

D.E.R.I.C. notæ quibus in Senatuſconſultis ſcribē dis utebantur,pro De ea re ita cenſuerūt.Vt apud Gellium libro. 4.cap. 6. Quod C. Iulius L.filius Pontif.nuntiauit in ſacrario in regia haſtas Martias mouiſſe, D. E. R. I. C. ut M. Antonius Conſul hoſtijs maioribus Ioui & Marti procuraret.item apud Vlp.l. item, 20. §. Præter, 6.D.de hæred.pet.De qua re ita cenſuerunt.Idem in l. 2. D.ad Sen.Velleian. Quod M. Silanus, &c. uerba fecerunt, &c. quid de ea re fieri oporteret: de ea re ita cenſuerunt. ubi tamen CONSVLVERVNT imperiti librarij C. literam interpretati ſunt. Gell. lib. 15.cap.2.Quod uerba facta ſunt de Philoſophis & Rhetoribus, De ea re ita cenſuerunt. Sic in epiſtola Cælij ad Cic. lib. 8. Quod M. Marcellus Cos. V. F. de prouincijs Conſularibus D. E. R. I. C. uti L.Paulus,&c. Et eadem epiſtola rurſus aliquoties.Scribebatur etiam ita, D. E. R. V. I. C.De ea re uniuerſi ita cenſuerunt.

DEFECTAE ſenectutis homo,id eſt ſenectute confectus,exacta ætate. Vlp.l. 12.§.3.De uſuſ. Vt puta ægrotanti ſeruo uel infanti,uel defectæ ſenectutis homini. Sic

DEFECTVS ætate eadem ſignificatione dicitur l. 3. §.ignoſcatur, D.ad Silanian.

DEFENDERE, eſt eandem uicem quam reus ſubire. l.51.D.de procur.

DEFENDERE,eſt id facere quod dominus in litē faceret,& cauere idoneè.l.35.§.2.D.de procur.

DEFENDI rectè hoc eſt, iudicium accipere,uel per ſe,uel per alium,ſed cum ſatiſdatione: nec ille uidetur defendi,qui quod iudicatum eſt non ſoluit l.63.D.de iudic.

DEFENDI in maiorib. in int.reſtituendis,non is ui detur cuius ſe defenſor ingerit, ſed qui requiſitus ab actore,non eſt defenſioni defuturus.l.21. §.3. D.ex quibus cauſ. maior.

DEFERRE nomen, & accuſare differunt, nam deferre nomen dicitur, qui legibus interrogat apud Prætorem:ut ſi inter rogatus neget, eius nomen in reos referatur. deniq; deferre nomen idem eſt, quod Reum facere. Accuſare uero eſt,agere cauſ ſam & ſuum reum in iudicium adducere. Terent. l.10.D.de iur.patr. Qui nomen detulit, accuſaſſe intelligendus eſt. De pattono loquitur, qui ſi liberti nomen detulerit,non minus à bonorū poſſeſſione remouetur,quàm ſi accuſarit. Lex uetabat enim patronū qui libertum capitis accuſauit, ad eius hæreditatem uocari.patronus nomen detulit.quærebantur,an ex excludendus eſſet.

DEFERENDI autem nominis formula hæc fuit. L. Titius profeſſus eſt ſe Mæuiam lege Iulia de adulterijs ream deferre,quòd dicat eam cum C. Seio, &cet.adulterium commiſiſſe.l.3.D.de accuſat.ui de Reum facere. Hinc

DELATORES, qui crimina deferunt.l.1.§. pen. D. de iur.fiſc.

DEFERRI hæreditatem,& obuenire hæreditatem, differunt. Obuenit,quæ ipſo iure,& quaſi ſua ſpōte ad aliquem peruenit: nimirum, quæ legitimæ appellantur. Defertur uerò propriè, quæ teſtatoris noluntate in alienos tranſlata eſt. Abuſiuè tamen etiam teſtamenta delata, lege obuenire dicūtur.l.lege,130.D.de uerb.ſign.

DEFERRI legatum proprie dicitur, cum eius agnoſcendi poteſtas eſt:hoc eſt, poſteaquā adita eſt hæreditas:acquiritur enim tum demum, cum agnoſcitur.l.ei qui ita,13.D.De condi.inſti. l.cum uerò,26.D.de fideic.libert. Itaq; delatum repudiari poteſt:acquiſitum non poteſt.l.1.§.decretalis,D. de ſucceſſ.edict.

DEFENSORES ciuitatum, qui ad earum cauſſas agēdas lecti,qui & ſyndici appellantur.l.1.l.ult.§.defenſores,D.de mun.& honorib.l.1.§. tutores, D. quand.appell.ſit.l.10.D.de uacat.mun.

DEFICERE debitores dicuntur,quorum facultates ita imminutæ ſunt,ut iam ſoluendo non ſint. l.3. §.multa,D.de iur.fiſc.unde Defectus facultatibus apud Vlpia.l.ſi extraneus,33.D.De im.dot.

DEFICERE conditio dicitur, cum non exiſtit. l. 2. & paſſ.D.de cond.inſtitut.paſſ.ſub tit. De condi. & demonſt. Hinc

DEFECTVS & defici conditione dicitur,cui conditionis euentus non reſpondit.l. quæ ſub. 8. in fi. D.de condit.inſt.l.10.& l.mulieri,74.D. de cōd. & dèmonſt.l.ſi quis,13.De ſtatulib.

DEVICERE hæredes dicuntur, qui hæreditatē non agnoſcunt:& Deficientes partes, quarū nemo hæres extitit.l.5 .D.de nul.& pup.l.8. De ali. & cib.

DEFICERE dicuntur, qui ab his quorum ſub imperio ſunt deſiſtunt,& in hoſtium numerum ſe conferunt.ſed & hi quos Senatus hoſtes iudicauit,uel lege lata:utiq; uſq; eò ut ciuitatem amittant. l. 5. §.1.D.de cap.min.

DEFINITIO,regula,locus communis:quam Maximam uulgus uocat Iauol.l. 202. Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt.Harmenop.πᾶς νομικὸς κανὼν σαθρός ἐστιν.

DEFRVTVM, appellabant muſtum quod ex duabus partibus at tertiū redegerant, deferuefaciendo: inquit Varro de Vita P.R.apud Non. Vlpia.l.9. D.de tritic.Vini legato defrutum cōtineri negat, quòd potius conditura loco ſit. Proculus autem dulcis uini legato contineri,in l.ult.eiuſ.tit.l.12. §.ſi in aliqua,de Inſtruct.

DEFVNCTORIE facere dicimur,qđ nō ex animo,ſed quia uel cogimur,uel debemus,facimus: hoc nnū ſpectantes,ut officio noſtro defuncti dicamur. Vlpian.l.2.§.16.D.ad s.c.Tertyll.Non ſolum autē quæ non petijt,coercetur: ſed & quæ defunctoriè petijt.Impp. l. un. C. de num. tut. Si tres tutelas uel curas eodem tempore non defunctoriè ſuſceptas

ſceptas adminiſtras, onere quartæ tutelæ non grauaberis.

Deiectio duplex eſt: armata, & non armata. Qui armata deijcitur, quamuis non poſsideat, aut uitioſe poſsideat, reſtituitur. l. 14. D. de ui & ui arm. qui non armata, nequaquam, niſi poſsideat.

Delatores dicuntur, quales olim Quadruplatores ferè dicebantur: qui præmij & quæſtus cauſſa rem ad fiſcum pertinentem ultrò deferunt: ueluti qui crimina, aut caduca, uacantia commiſſaue bona, theſauriue inuentionem fiſco denunciant. l. 2. & paſſ. D. de iur. fiſci.

Delegare, ait Vlpianus, eſt uice ſua alium reum dare creditori, uel cui iuſſerit. l. 11. D. de nouat. Hinc.

Delegatio, alterius debitoris in ſuum locum ſubſtitutio. ueluti, cum debitorem meum creditori meo aſsigno, ut ab eo petat. paſſ. ſub titu. De nouat. & delegat. Seneca lib. de Benef. 5. Quamuis non interuenerint numi, ſed delegatione & uerbis perfecta ſolutio fit.

Delegare, demandare, committere, onus imponere. unde Delegati iudices dicuntur, quibus rei iudicandæ munus mandatũ eſt. l. 5. 11. 14. C. de iud.

Delictum à crimine quid differat, uide Crimen a delicto.

Delinquere minus eſt quàm peccare. unde obligationes ex delictis priuatis naſci dicuntur: accuſationes ex criminibus. Cic. De inuent. 2. Nam neceſſe eſt eum qui uelit peccare, aliquãdo primùm delinquere.

Delphicas apud Paulum in l. 3. D. de ſuppel. leg. interpretor tripodum cortinas ex ære factas: quæ inde dictæ ſunt, quoniam donis maximè Apollinis Delphici dicabantur: ut ſcribit Plin. libr. 34. capit. 3.

Demens ueteribus idem qui furioſus: ut Cic. Tuſc. III. teſtatur. Sed apud Iuriſconſ. noſtros Demẽs à Furioſo diſtinguitur, & is appellatur qui non uſquequaque, ſed ex parte tantum errore mentis affectus eſt, quem Cicero eodem loco ſtultũ appellat: uelut is fuit de quo D. Pius loquitur in l. his qui, 12. D. de tut. & curat. dat. Exempla extant in l. ſi furioſi, 25. C. de nup. l. 2. D. de inoff. teſt. l. tam dementis, 21. C. de epiſ. aud. l. 6. D. de curat. fu. l. ult. §. 1. C. de admin. tut.

Demonstratio, eſt quæ nominis uice fungitur. l. 6. D. ſi cer. pet. l. 6. De rei uindi. l. nominatim, 34. D. de cond. & demonſt. ubi Florentinus aſſcribit, Demonſtrationem a Conditione hoc differre, ꝗ illa rem factam oſtendit, hæc futuram: id eſt, illa rem certam, hæc in incerto futuri temporis euentu poſitam oſtendit. l. nuper. 85. D. de le. 3. Hinc, Stichus qui meus eſt, demõſtratio: Qui meus erit, conditio appellatur. l. 6. De leg. 1.

Deminutum de hæreditate intelligitur, ſi quid uſucaptum eſt, & ob id de hæreditate exijt. l. 21. D. de hæred. pet.

Deminutus capite appellatur (inquit Feſtus) qui ciuitate mutatus eſt: & ex alia familia in aliã adoptatus. & qui liber alteri mancipio datus eſt: & qui in hoſtium poteſtatem uenit: & cui aqua ignique interdictum eſt.

Depactus, inquit Vlpianus, dicitur turpiter pactus. l. 3. §. 1. D. de calumniat. quaſi uerò non & Depaciſci aliquis honeſtè poſsit. ſed edictum de Calumniatoribus Vlpianus interpretabatur. præterea, quod ad illius excuſationem plurimum ualet, Syrus, non Romanus erat. Depaciſci, eſt pactione tranſigere: inquit Donatus in illum Terentij locum Phorm. Iam depaciſci morte cupio. Cicero Verr. 5. Equidem Romanum ſcitote biduũ cibo tectoq; prohibitum: biduum Leontinis in foro cuſtodijs Apronij retentum atque ſeruatũ: neq; ante dimiſſum quàm ad conditiones eius depactus eſt. Idem pro S. Roſcio Amer. Cum illo contra hos inire conſilia, horum conſilia illi enũciare, cum illo partem ſuã depaciſci, hiſce aliqua fretum hora ſemper omnes aditus ad Syllam intercludere. Item de Inuẽtione lib. 2. Quidam Imperator cùm ab hoſtibus circumſideretur, neque effugere ullo mõ poſſet, depactus eſt cũ eo, ut arma & impedimẽta relinqueret, milites educeret.

Deperditum intelligitur, quod in rerum natura eſſe deſiit. l. 21. D. de hęr. pet.

De plano, id eſt, ex æquo loco: ueluti unde magiſtratus in tribunal, quod editiore in loco poſitũ erat, conſcendebant. Itaq; De plano & Pro tribunali opponuntur. Vlpianus. l. 3. §. 6. D. de bonor. poſſ. Si cauſſa cognita bonorum poſſeſsio detur, non alibi dabitur quàm pro tribunali. quia neq; decretum de plano interponi, neq; cauſſa cognita bonorum poſſeſsio alibi quàm pro tribunali dari poteſt. Item l. 2. §. 1. D. quis ord. in bon. Sed non ſeſsionum dies numerabuntur: ſi modò ea ſit bonorum poſſeſsio, quæ de plano peti potuit. quid ſi ea quæ cauſſæ cognitionem pro tribunali deſiderat, uel quæ decretum expoſcit? Similiter in l. 1. §. 4. D. ad s. c. Turpil. & l. 18. in fin. D. de quæſt. & l. 9. §. 3. D. de offi. proconſ. Huc autem alludẽs Seneca li. De Clem. 1. Hæc tamẽ, inquit, magnanimitas in bona fortuna latiorem locũ habet, meliusq; in tribunali quàm in plano cognoſcitur. Sueto. de Tiberio: Siquidem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat, iudicesq; aut è plano, aut è Quæſtoris tribunali legum, & religionis admonebat. Hinc illæ notæ, V. D. P. R. L. P. Vnde de plano rectè legi poſsit.

Deportatio, exilij ſpecies atrociſsima: cùm quis ita ciuitate ſua multabatur, ut uinctus neruo aut compedibus in nauim aliquam imponeretur, ſeruiſq; publicis ut eum in inſulam certam transferrent, traderetur. Teren. Phor. Tantane effectum hominem quenquam eſſe audacia? Nonne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier in ſolas terras. Sic in l. 1. §. 1. De legat. 3.

DEPORTATI dicuntur quibus Princeps inſulas ad-
notauit. Vnde plura in uoce EXILIVM.

DEPORTATIO in locum aquæ & ignis interdictio-
nis ſuceeſsit.l.2.§.1.D.de pœn. l. 3. D. ad leg. de
pecul.

DEPONERE, pro demoliri & diruere.l.3.§. ſed etſi,
D.fin.regund.l.2.§.ſi quis, D.ne quid in loc.pub.
Hine

DEPOSITIO ædificij apud Vlp. in l. metum, 9. §.
Idem, D.quod met.cauſſ.

DEPOSITVM eſt, quod cuſtodiendum alicui datum
eſt: dictum ex eo, quòd ponitur. præpoſitio enim
DE auget depoſitum: ut oſtendat totum fidei eius
commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet. l.1.
D.depoſiti.

DEPOSITVM eſt contractus quo res aliqua ea lege
apud alterum deponitur, ut is dolum tãtùm in ea
ipſa reddenda culpam præſtare debeat.

DAPOSITVM in ſequeſtre propriè dicitur, qđ à pluri
bus in ſolidum certa conditione cuſto diendũ red
dendumq; traditur.l.6.D.depoſiti.

DERALICTAE res, ſiue pro derelicto dicuntur, quo
rum dominium poſſeſsionemq; dominus ex ani-
mo ſuo abiecerit.l.1.&.2.D. pro derelict.ubi Iu-
lianus ait eas deſinere ſtatim eſſe domini, non fie-
ri autem alterius niſi poſſeſſæ fuerint.

DESERERE accuſationem dicuntur, qui inſtitutam
accuſationem non perſequuntur. Hinc

DASERTORES, qui S. C. Turpiliano libris quinque
multantur.l.1.& paſſ.D.illo tit.

DAPRECIATVS, uilior factus, cuius præcium immi
nutũ eſt. Paulus l.22.D.ad leg. Aquil. Sed & eius
ratio haberi debet, quo cætera corpora de precia-
ta ſunt.

DEPRIMARE uitem, dicitur qui eam in terram de-
ductam defodit, ut anno inſequenti renouetur.
Caro de re ruſt. cap. 32. Arbores facito uti bene
maritæ ſint, uiteſq; uti ſatis multæ aſſerantur, &
ſicubi opus erit, de arbore deijciantur, & in terrã
deprimantur, & biennio poſt præcidito ueteres.
Venuleius l.ſi uitem, 22.D. quod ui aut clàm, Si
uitem meam ex fundo meo in fundum tuum de-
preſſeris, eaq; in fundo tuo coaluerit, utile eſt in-
terdictum: Radices quæ in fundo meo ſint, tuas
fieri, quia his acceſsiones ſint. Sic autem locum re
ſtitui, quum omnibus in libris DEPREHENDE-
RIS legatur.

DERECTARII, qui domos alienas furãdi animo in-
troeunt. Vlpianus l.7. De extraord.crimin. Item,
Qui Derectarij appellantur, hoc eſt, hi qui in alie
na cœnacula ſe dirigunt furãdi animo, plus quàm
fures puniendi ſunt. Paulus libro Sent. 5. cap.4.
Quoties qui pulſatur, uel cuius domus introitur
ab ijs quis uulgò Derectarij appellantur. Vtitur &
Vlpian.in.l.1.D.de effractorib.

DEROGARE eſt propriè quum quid ex lege uetere
quo minus fiat, ſancitur lege noua. Derogare er-
go detrahere eſt. Feſtus.

DEROGATVR legi, quum pars detrahitur, ait Mode
ſtinus: abrogatur legi, quum prorſus tollitur. l.
102.D.de uerb.ſignific.

DESERTA promiſsio, contempta, non obſeruata. Vl
pian.l.4.§.2.D. Si quis cautionib. Quæſitum eſt
an poſsit conueniri, ne ulla exceptio in promiſsio
ne deſerta iudicio ſiſtendi cauſſa facta obiiciatur:
& ait Atilicinus conuentionem iſtam non ualere.
Paulus in l.ſeq. Contemptam appellat. Et ſenſus
eſt, An ualeat conuentio, ne ſi promiſsio facta
cauſa ſiſtendi iudicio deſeratur, & negligatur, ul
la exceptio excuſatioq; afferatur. Alciatus autem
in Parergis DISERTA emendat. ſanè quàm, ut ip
ſius utar uerbo. παρέργως. Doctioribus tamen iu
dicium relinquo.

DESERERE uadimoniũ, dicitur, qui ſe ad uadimo-
nium & condictum diem non ſiſtit, uide VAS.

DESERTOR eſt, ait Modeſt. qui per prolixum tem
pus uagatus, reducitur.l.3.l.4.§.pen.& l.5. D. de
re milit.l.ult.C.ex quib.cau.ſer.

DESIDERIA paſsim in libris noſtris, pro libellis,
quibus quid à Principe, magiſtratuve poſtulatur
ac deſideratur. Vulgus Requeſtas uocat. Sueton.
Auguſt. Promiſcuis ſalutationibus admittebat &
plebem, tanta comitate adeuntium deſideria exci
piens, ut quendam ioco corripuerit, quòd ſic ſibi
libellum porrigeret, quaſi elephanto ſtipem. Sic
in l.4.§.ingreſſus, l.9.§.obſeruare, D. de off. pro-
conſ.l.3. De appell.recept.l.3.C.de poſtul.

DESIGNATORES. Vlp.l.4.D.de his qui not.infa. De
ſignatores autem quos Græci βραβευτάς appellãt,
artem ludicram nõ facere Celſus probat. quia mi-
niſterium, non artem ludicram exerceant. & ſanè
locus iſte hodie à principe non pro modico be-
neficio datur. Ex hoc loco apparet Deſignatores
dictos fuiſſe Vlpiano, qui præmia uictoribus de-
cernerent: non qui quaſi uiatores eſſent. Donatus
in Adelph. Terentij: Deſignare, eſt rem nouam
facere. Nam deſignatores dicti, qui ludis funebri-
bus præſunt: credo, ob eam cauſſam quòd ipſis lu-
dis multa fiant noua, & ſpectanda. Sed uidea-
mus ne ex eo potius nomen inuenerint, quòd
præmia lictoribus deſignent, id eſt decernant, at-
que ut nunc loquimur, aſsignent: quæ poſtea ex
Deſignatorum decreto eis perſoluantur unde &
Deſignati Conſules dicuntur, quibus decretus eſt
Conſulatus. & locum ſepulchro pedes triginta de
ſignare dixit Cicero, pro eo quod dicimus Aſsi-
gnare. Horatius, Deſignatorem decorat lictori-
bus atris.

DESISTERE dicitur, non qui diſtulit, ſed qui perſe-
quendi inſtituti animũ ac uoluntatẽ abiecit. l.21.
D.de minoribus l.13.D.ad Turpill.l.6.§.ſi quis,
D.de munerib.& hon.l.10.D.de iudic.

DIAETA, δίαιτα, παρὰ τὸ διαιτᾶν id eſt, uiuere.
Locus in parte ædium ſuperiore, ubi cibus capi-
tur: cœnaculum. Vlp.l.13.§.7.D.de uſuf. Sed ne
que diætas transformare, uel coniungere ei per-
mittitur.

mittitur. ſic in l. 1. §. hoc autem, D. ad Silan. l. 32. D. de donat. Hinc

DIAETAE hypocauſtæ, quæ igne ſubiecto caleſiunt. l. 55. §. 2. De legat. 3.

DIAETA, pro manſione in hortis. l. penul. §. ult. D. de donat. int. uir. & ux. l. 13. D. de uſuf. l. ſenat. 43. §. 1. D. de lega. 1. Hinc

DIAETARII ſerui, qui in diætis ſeruiunt. l. 12. §. idem, D. de inſtruct. fund.

DESPONDERE & ſpondere hoc differũt, quòd puellæ pater eam ſpondere dicitur: adoleſcentis uerò, eandem deſpondere. Terent. Andria,

--hac forma impulſus Chremes
Vltrò ad me uenit, unicam gnatam ſuam,
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret:
Placuit deſpondi.

Item Adelphis,

Mitio, Quin iam uirginem
Deſpondi: res compoſita eſt: fiunt nuptiæ. ubi Donatus, Deſpondet puellam qui petit: ſpondet, à quo petitur. Rectè ergo ſocer futurus, Deſpondi, dixit. Similiter Cice. lib. De Orat. 1. Cum Aedilitatem P. Craſſus peteret, cumq; maior natu, & iam Conſularis Sergius Galba aſſectaretur, quòd Craſſi filiam C. filio ſuo deſpondiſſet. Hinc Sponſalia Florẽtinus ita definit in l. 1. De deſponſ. Spõſalia ſunt mentio & repromiſsio nuptiarum futurarum. Significat autem puellæ patrem ſpondere ſe daturum, adoleſcentis uerò, ſe accepturum. Et ſic uſurpatur à Marciano in l. 7. D. De adul. & l. miles, 11. §. 7. D. eod.

DESTINARE pro definire. Marcellu l. 94. De uerb. oblig. Alioquin ſi cum deſtinare genus & modum uellet, non fecit: nihil ſtipulatus uidetur.

DESTITVI teſtamentum dicitur, cum hæres ex eo nullus exiſtit. l. in quantitate, 73. D. ad leg. Falcid. §. 3. Inſtitut. eod. tit. quia non adita ex teſtamento hæreditate, nihil in teſtamento relictum ualet. l. eam quam, C. de teſtam.

DESVLTORES dicebantur qui in ſacris certaminibus binos agentes equos, altero relicto in alterũ facilè deſiliebant. Vlpianus l. 20. D. de præſcript. uerb. Si tibi equos uenales experiẽdos dedero, ut ſi in triduo diſplicuiſſent, redderes, tuq; deſultor in his cucurreris, & uiceris, & cetera.

DETESTARI, eſt abſenti denunciare: inquit Paulus in l. 39. §. 2. D. de uerbor. ſignificat.

DETESTATIO, inquit Vlpia. eſt denunciatio facta cum teſtatione. l. 40. D. de uerb. ſig.

DETESTATVM, eſt teſtatione denunciatum: ait Caius in l. 238. §. 1. D. de uerb. ſignificat.

DETRIMENTVM à detrito, quòd ea quæ trita minoris precij. ab eadem mente Intertrimentũ, ab eo quòd duo quæ inter ſe trita, & deminuta. Varro.

DEVNX, duæ partes è tribus cum quarta: hoc eſt, unciæ undecim. ait Theophraſt. §. 8. De hæred. inſtitu.

DEXTANS, duæ partes è tribus, cum ſexta: id eſt, unciæ decem. ait Theoph. §. 8. De hæred. inſtit.

DIACOPI, παρὰ τὸ διακόπτειν, inciſa, ſiue inciſia, id eſt aditus in aggeribus Nili patefacti, per quos in arua influere aqua poſſit. Vlpia. l. penult. D. de extr. crimin. Commata etiam & Diacopi, qui in aggeribus fiunt.

DIARIVM, quotidianus uictus. Vlpia. l. 21. D. de ſupp. leg. Diariis, inquit, uel cibarijs relictis, neq; habitationem, neq; ueſtiarium deberi palàm eſt.

DIATRETVS calix, διάτρητος, cælatus in tornatilis, ἀπὸ τοῦ διατρεῖν. Vlp. l. 27. §. 18. D. ad leg. Aquil. Si calicem diatretum faciendum dediſti, ſiquidem imperitia fregit, &cet.

DIATRETARIVS, cælator, qui tornata opera facit. eius mẽtio fit in l. 1. De excuſa. artifi. lib. Cod. 10.

DICA, δίκη, lis, actio. Terent. in Phormion. En unquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam? Et alibi, Et tibi ſcribam dicam. Cicero Verrina. 4. Scribitur Heraclio dica. Sed Paulo pòſt identidem δίκας dixit κατα χρηστικῶς, pro δικάσαι. ut, Interea dies aduenit, quo die ſeſe ex inſtituto ac lege Rupilia dicas ſortitur Syracuſis iſte edixerat: paratus ad hanc dicam ſortiendam uenerat. Item, Id ei poſtera die uenit in mentem, è lege Rupilia ſortiri dicas oportere. educit ex urna tres. ijs ut abſentem Heraclium condemnent, imperat.

DICERE de inofficioſo, pro inofficioſum teſtamentum dicere. Scæuola l. 20. D. de inoff. teſt. Qui de inofficioſo uult dicere, licet negetur filius, &c. uide Inofficioſum teſtamentum dicere.

DICERE dotem & promittere dotem, differunt. Dicere, eſt certis ac ſolennibus uerbis ſiue ſtipulatione polliceri: Promittere uerò, cum ſtipulatione. Vide Vlp. cap. Inſtitut. VI. & Caium inſtitut. 2. cap. 9. Hinc Dictio dotis à promiſsione ac ſtipulatione diſtinguit in. l. ult. C. Theo. De doti.

DICERE multam, pro imponere. l. 131. D. de uerb. ſignif. l. 2. §. ult. D. de iudic. uide Multam dicere.

DICERE uindicias, pro Dare, uel addicere, in l. 2. §. initiũ, D. de orig. iur. Liuius lib. III. Inuidiæ proximus, quòd in urbe fuerat, cùm iniuſtæ uindiciæ dicerentur.

DICERE ſententiam exiſtimatur arbiter, qui ea mẽte quid pronunciat, ut ſecundum id diſcedere eos à tota controuerſia uelit. l. 19. §. 1. D. de recept. qui arbit.

DICIS cauſſa, Varro antiquã eſſe locutionem ſcribit, & eadem ab origine deductã ut uerbũ Dico: indidemq; illud uetus manaſſe, In manipulia caſtrenſibus dicibus. Quod ſi ita eſt, coniecturam facere licebit DICIS caſum eſſe à recto DEX declinatum, ut ſit Dex, Dicis, ex Dico: item ut Iudex iudicis, à iudico, & Index indicis, ab indico: Lex legis, à lego: Dux ducis, à Duco. Nam ſi iuncto uerbo Iudex, auctore Varrone, dicitur qui ius dicit, ueriſimile eſt uoce ſimplici ſimiliter eum qui dicit, Dicem appellatum: Præterea idem Varro lib. De analog. tertio docet ex nu-

ex numero multitndinis uocem ſingularem cognoſci poſſe. Videmus enim, inquit, ex his uerbis Trabes. Duces: de extrema ſyllaba E literam excluſam: & ideo in ſingulari factum eſſe Trabs, Dux. Quare ſi Manipuli caſtrenſes dices quidam appellantur, perſpicuum eſt, opinor, nel Dix in ſingulari fuiſſe: uel(quod ueriſimilius uidetur) Dex. item ut Iudex & Index Hæc de uocis origine: quam ego Varronis auctoritate uictus, Latinam quàm Græcam eſſe malo: tametſi olim aliter ſenſerim. Nunc de locutionis ſententia, quæ ſanè coniecturam noſtrã adiuuat. Omnes enim uno ore conſentiunt, Dicis cauſſa id fieri quod alia nulla de cauſſa fit, niſi ut factum eſſe dicatur: ut quum ſcribit Caius in l.4.D. Commod. Sæpe enim ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia numerationis loco intercedant. ueluti in nexis ac mancipijs, quum ære libram percutiebat Manceps, idq; æs dabat ei a quo mancipiũ accipiebat quaſi precij loco, inqnit Caius: numus ille dicis tantùm cauſſa tradebatur, quum alibi pecunia numeraretur. itemq; in omnibus adumbratis ſiue imaginariis contractibus quibus uno numo emptio perficiebatur. nummus enim aliam nullam ob cauſſam tradebatur, niſi ut qui ei contractui quaſi teſtis ac ſpectator intereſſet, dicere ac teſtari poſſet pecuniam fuiſſe traditam. Sic quũ Vlpianus ſcribit in l.1.D. ad S.C. Syll. Excuſantur ſerui qui auxilium tulerunt ſine dolo malo. nam ſi finxerit quis, auxilium ferre, uel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum illi proderit: quum inquam ſic ſcribit Vlpiánus, hoc ſignificat, Si non animo domini defendendi, ſed tantum propter Dicem, id eſt, propter eum qui aderat ac dicere poterat ſeruum conatum eſſe ſunm dominũ defendere: hæc ſimulatio nihil illi proderit: utuntur Cicero Verrina VI. & Plin. lib. 22.

DICTARE actionem ſiue iudicium, locutio eſt Iuriſcõſultis familiaris, quæ uſurpat in l.13.§.1.D. iudic. ſol. l.3.§.1. De minorib. l. ult. pro dote. l.22. §.4. De nox. act. l.112. De uer. ob. Quid auté ea ſignificetur, patet ex Vlpiani nerbis quæ ſubiiciam ex. l.1.D. de edendo. Qua quiſque actione agere uolet, eá edere debet, ut proinde ſciat reus utrum cedere, an contendere ultrà debeat. Edere eſt etiam deſcribendi copiam facere, uel in libello complecti, & dare uel dictare. Eum quoq; edere Labeo ait, qui producat aduerſarium ſunm ad album, & demonſtrat quod dictaturus eſt, uel id dicendo quo uti uelit.

DICTIO dotis, uide Dicere dotem.

DICTIO teſtimonij, pro Ius dicendi teſtimonij: ut Factio teſtamenti, quod ſuo loco declaratum eſt. Terent. Phormione,

> Seruum hominem cauſam orare leges non ſinunt,
> Neque teſtimonij dictio eſt.

DICTVM à promiſſo ſic diſcernitur. Dictum accipimus quod uerbotenus pronnnciatum eſt, nudoq; ſermone finitur: Promiſſum autem poteſt referri & ad nudam promiſsionem ſiue pollicitationem, uel ad ſponſum. l.19. §.1. D. de ædil. edict.

DIC annua, bima, trima: uide ANNVA.

DIES partim naturalis eſt, partim ciuilis. naturalis, eſt tempus ab exoriente ſole ad ſolis occaſum: cuius contrarium tempus eſt nox, ab occaſu ſolis ad ortum. Ciuilis autem dies uocatur, tempus quod fit uno cœli circumactu, quo dies uerus & nox continetur, ut cùm dicimus aliquem dies triginta tantum uixiſſe. relinquitur enim etiam noctes intelligi. Huiuſmodi diem Romani a media nocte ad mediam noctem eſſe exiſtimarunt. indicio ſunt ſacra publica, & auſpicia etiam magiſtratuũ: quorum ſi quid ante medium noctis eſt actum, diei qui præteriit aſcribitur: ſi quid autem poſt mediam noctem, & ante lucem factum eſt, eo die geſtum dicitur, qui eam ſequitur noctem. In his horis quatuor & uiginti qui naſcuntur, eundem diem habẽt natalem. In horas duodecim diuiſum eſſe diem, noctemq; in totidem, uulgò notum eſt. ſed hoc credo Romæ poſt reperta ſolaria obſeruatum. Hæc Cenſorinus de die nat. lib. 19.

DIES more Romano a media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur. Itaq; quicquid in his uigintiquatuor horis, id eſt duabus dimidiatis noctibus & luce media actum eſt, perinde eſt, quaſi quauis hora lucis actum eſſet. hæc Paulns l.8.D. de feriis. Hinc quum horis duodenis tnm dies tnm noctes conſtarent, facilè intelligitur quid ſit quod Vlpianus ait diem ſupremum anni uiceſimi, pridie Cal. natalis diei poſt horam noctis ſextam agi. l.5.D. qui teſt. fac. poſſ. l.1. D. de manum. l.6. & 7.D. de uſurp. & uſucap.

DIES, aut feſti ſunt, aut profeſti, aut interciſi. Feſti diis dicati ſunt, Profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem priuatam publicamq; conceſsi: Interciſi deorũ hominumq; communes ſunt. Feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profeſtis, faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares. Interciſi, in ſe, non in alia diuiduntur. i. lorum enim dierum quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam fas non eſt ius dicere. Faſti dies ſunt, quibus licet fari Prætori tria uerba, Do, dico, addico. His contrarii ſunt Nefaſti. Comitiales ſunt, quibus cum populo agi licet. & faſtis quidem lege agi poteſt: cũ populo, non poteſt: comitialib. utrunque poteſt. Comperendini, quibus uadimonium licet dicere: Stati, qui iudicii cauſſa cum peregrino inſtituuntur. Macrobius lib. Sat. 1. cap. 15.

DIES alii Continui appellantur, alii Vtiles. Vtiles dicuntur, qui facti olim dicebantur: hoc eſt, quibus experiendi iuris poteſtas eſt l. prima. Digeſt. de diuerſ. tempo. præſcript. l. miles, §. quædam, Digeſt. de adulter. l. iure. C. eod. Continui uerò ſunt συνεχεῖς καὶ

H διηνεκεῖς

ciuile profeſſus eſt circiter annum M.CCC. Commentarios in eam diſciplinam complures ſcripſit, in quibus doctrinæ puritatem comprimis ſecutus traditur.

DIPLOMA παρὰ τὸ διπλοῦσθαι, id eſt, duplicari: literæ magiſtratuū, quibus alicunde exeundi poteſtas datur. Modeſt. l. 27. §. 2. D. ad leg. Cornel. de falſ. Qui ſe pro milite geſsit, uel illicitis inſignibus uſus eſt, uel falſo diplomate uias commeauit, pro admiſsi qualitate grauiſsimè puniendus eſt. Cicero ad Atticum libro decimo, De diplomate admiraris, quaſi neſcio cuius te flagitij inſimularem. Ego autem quia ſcripſeras te proficiſci cogitare (etenim audieram nemini aliter licere) eo te habere cenſebam, & quia pueris diploma ſumpſeras: id eſt literas a Magiſtratu aliquo; quibus tibi ac pueris M. & Q. Ciceronum filiis ex Italia diſcedendi poteſtas daretur.

DIPLOMA præterea ſumitur pro literis quæ a Principe impetratæ ſunt, ut equis publicis diſpoſitis uti liceat. Priuatis enim abſq; principis diplomate curſus publicus olim non permittebatur. l. nullis. C. de curſ. public. cuius moris meminit Plinius libro decimo Epiſt. ad Traianum, cum pleriſq; aliis. Venuleius l. 137. §. 2. D. de uerbor. obligat. Vt qui Epheſi datum iri ſpoponderit, neque diplomate diebus ac noctibus, & omni tēpeſtate contempta iter continuari cogatur. Et paulo poſt. Quod ſi diplomate uſus, aut felici nauigatione, maturius quàm quiſque peruenerit Epheſum id eſt, dupla, ſiue altera tanta celeritate uulgò utuntur. Vbiq; tamen DVPLOMATE uitioſè legitur. eſt enim originis Græcæ, a uerbo διπλόω, ut antè dixi. Plautus Syngraphum appellat. nam in Capteiueis Aegio ſic loquitur,

Sequere me, uiaticum ut dem à trapezita tibi:
Eadem opera à Prætore ſumas ſyngraphum.
TYTID. Quem ſyngraphum? AEGIO,
Quem hic ferat ſecum ad legionem, hinc ire
huic ut liceat domum.

DIOECETES, διοικήτης, moderator, gubernator. Vnde Diœcetæ ergaſticorum, meo iudicio, dicuntur in l. 5. C. De Epiſc. aud. qui operariis præſunt, ijsq; mercedem perſoluunt. Vide Archigerontes.

DIRECTA in iure dicuntur, quæ ſimplicia ſunt, atq; ita per ſe conſtāt, ut aliunde non adiuuētur. Hinc

DIRECTA in teſtamentis dicuntur, quæ rectà à teſtatore in eum quo de agitur, nulla alterius opera interpoſita, &, ut uulgus loquitur, immediatè tranſeunt. ueluti, ſi quis dicat, Dauus liber eſto: poſt eius mortem Dauus ui ſolius teſtamenti & ſine cuiuſquam alterius opera libertatem obtinebit, & mortui libertus habebitur. At ſi ita dicat, Rogo te hæres, ut Dauo libertatem impertias, quia Dauus hæredis opera in libertate conſequenda indiget, idcirco non directò, ſed per obliquum à teſtatore libertatem accepiſſe dicetur: & libertus non mortui, ſed hæredis habebitur. Hinc.

DIRECTA libertas dicitur, quæ à teſtatore ipſo datur, non autem per obliquam fideicommiſsi uiā, & quaſi per anfractum. Libertas enim fideicommiſſaria deflexiſſe uidetur à teſtatore ad legatariū, & à legatario in libertū. Imp. §. 3. De ſing. reb. per fid. Directa inquit, libertas tunc dari uidetur, quum non ab alio ſeruum manumitti rogat, ſed uelut ex ſuo teſtamento libertatem ei competere uult. Sic in l. 1. §. in quibus. D. ſi cui plus quàm. l. 2. §. 1. D. de iur. codicill. l. 12. D. ſi quis omiſſ. l. un. C. de leg. fuſ. Canin. Hinc

DIRECTA inſtitutio, & Precaria opponuntur in l. quærebatur, 19. D. de teſt. milit. item:

DIRECTO & per fideicommiſſum l. libertates, 16. D. de fideic. libert. Hinc actionum aliæ

DIRECTAE appellantur, quarum ſcilicet formulā is qui agit directò ac ſimpliciter ex uerbis legis uſurpare poteſt: aliæ utiles, quæ non ex ſimplicibus uerbis legis, ſed ex æquo & bono utilitatis cauſſa contra iuris ſummi ſeueritatem conceduntur. l. qua actionem. 7. §. 3. & l. item ſi, 9. §. 1. & 2. D. ad leg. Aquil. §. ceterùm, 9. Inſtit. eod. tit. l. actionis, 37. D. de oblig. & act. l. actio, 47. D. de neg. geſt. Hinc

DIRECTAE actiones contrarijs opponuntur: de quibus diximus ſub uoce ACTIO directa.

DIRECTARII, uide Derectarij.

DISCEPTATOR, qui iudicis arbitriue munere fungitur. Vlpianus. l. 3. §. 1. D. de arbitr. Quoniam non deberēt decipi, qui eum quaſi uirum bonum diſceptatorem inter ſe elegerunt. Cicero ad Sulpitium lib. 13. epiſt. 27. Vt omnibus in rebus, & quę in aliquam controuerſiam uocarentur, te arbitro: &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. Hinc diſceptatio pro cognitione & iudicio. Vlpianus l. cum hi, 8. §. Si cui, 16. D. de tranſact. Hæc omnia habent diſceptationē Pretoris, & pro utilitate alimentarij recipienda ſunt.

DISCIDIVM, diſsidium, diuortium. Paulus l. non à patre, 8. D. de captiuis. l. 11. §. ult. D. de adulter.

DISERTIONES, diuiſiones patrimoniorum inter conſortes. Feſtus.

DISIVNCTI dicuntur quibus ſeparatim res eadem legata eſt. uel ſic:

DISIVNCTIM legatum dicitur ijs, quorum ſinguli ſingulis enunciationibus ad rem eandem uocantur. l. un. C. de cad. toll. l. 1. §. interdum, D. de iur. accreſ. ueluti, Titio Dauum do lego: Mæuio Dauum do lego. §. ſi eadem, 8. Inſt. De leg. l. triplici, 142. D. de uerb. ſignif. l. re coniuncti, 89. D. de leg. tertio. ubi Re coniunctio hæc uocatur. Nam qui re coniungit, uerborum quidem & linguæ ſono diſiungit: mente uero atq; intelligentia coniūgit. quoniam unius eiuſdemque rei communionem inter illos inducit.

Disivnctivvm eſt,ueluti cum dicimus, Aut dies
eſt , aut nox eſt:quorum poſito altero neceſſe eſt
tolli alterum:item ſublato altero , neceſſe eſt tolli
alterum.l.hæc uerba,124.D.de uerb.ſig. Hinc

Disivnctivo modo,uel Diſiunctim legari dicun
tur,quæ ſub alternatione legantur.l.cum ilud,25.
D.quando dies legat.l.ſub diuerſis, 51.l.cũ pupil
lus,78.& de cond.& demonſt.

Disivncta autem pro coniunctis interdum acci
pi,docet Paulus in l.ſæpe,53.D.de uerb.ſig.

Dispendivm,ideo quòd in diſpendendo ſolet mi-
nus fieri. Varro.

Dispensator,ab ære impendendo. Varro.

Dispensatores dicti qui æs penſantes expende-
bant , non adnumerabant Hinc deducuntur expẽ
ſa,ſiue diſpenſata.uel compenſata Feſtus.

Dispensator,idem qui actor, ſeruus qui domini
rationes adminiſtrat , pecuniamq; diſpenſat. ut
Eros Ciceronis. diſpenſator in lib . ad Attic.xv.
Mecianus l.35.D.de fideicom. lib. Hæredi & le-
gatario remittendam interdũ proprii ſerui manu
mittendi neceſsitatem, ſi uel uſus tam neceſſarius
eſſet,ut eo carere non expediret:ueluti diſpenſato
ris,pædagogive liberorũ . Imp. §.5. Mandati , Si
debitores manumiſſo diſpenſatore Titii per igno
rantiam liberto ſoluerint,liberari eos. Vbi Theo
philus,Diſpenſator,ait,eſt ſeruus,qui fœnori dare
conſueuit pecuniam domini.Paulus l.51.D.de ſo
lut . Diſpenſatori qui ignorante debitore remo-
tus eſt ab actu, rectè ſoluitur . Iulianus l. 12 . D.
de inſtit . Et ideo utilis inſtitutoria aduerſus me
tibi competet.mihi uerò aduerſus te,uel de pecu-
lio diſpenſatoris,ſi ex conducto agere uelim : uel
de peculio uicarii , quòd ei mercem uendendam
mandauerim. Caius l.ult.§.3.D.de uerbor . obli
gat.Poteſt contingere , ut tam ſtipulator quàm
promiſſor ante aliquod tempus ſuo quiſq; diſpen
ſatori notum fecerit,in eum diem futuram ſtipu-
lationem, ac demandaſſet promiſſor quidem ſuo
diſpenſatori,ut daret:ſtipulator autem ſuo,ut ac-
ciperet.Paulus l.51. D.de ſolut. Diſpenſatori qui
ignorante debitore remotus eſt ab actu, rectè ſol
uitur . Is quas crediderat pecunias exigere ſole-
bat,ut patet ex l.62.eod.

Dispvngere inſtrumenta,inquit Vlpianus, eſt cõ
ferre accepta & data.l.56.D.de uerb . ſignif . Sic
in l.6.§.ult. D. de ſtatulib.Seneca lib . de Benef.
IIII . Apud me iſtæ acceptorum expenſorumq;
rationes diſpungentur.

Dissipare ædificium, diruere.l.3.§.pen.D.de in
cend.ruin.

Distrahere, pro uendere. Vlpianus l.3. D . de
cont.empt. Si res ita diſtracta ſit , ut ſi diſplicuiſ-
ſet,inempta eſſet,conſtat non eſſe ſub conditione
diſtractam. Origo uocabuli ex auctionibus nata
eſt,in quibus res propriè diuendi & diſtrahi di-
cuntur,quia non uni addicuntur , ſed pluribus ua
ria in loca res emptas aſportantibus.

Distrahere rationes,uide Actio tutelaris.

Districte,prorſus,omniuo. Et diſtrictè , pro Et
profectò ita eſt,ut:Et certè ſic ſe res habet, ut. Vl
pianus l.7.§.5 . D. de minorib. Et diſtrictè pro-
bandum eſt in rebus quæ ſortuitis caſibus ſubie-
ctæ ſunt,non eſſe minori aduerſus emptorem ſuc
currendum.

Districte,præciſè,præfactè , reſtrictè,religioſè
Vlpianus l.13.D.de procur. Hæc neque paſsim
admittenda ſunt,neque diſtrictè deneganda. Vl
pianus l.15.De recept.qui arb. Licet autem Præ-
tor diſtrictè edicat ſententiam,ſe arbitrum dice-
re coacturum.

Districtio,difficultas , anxietas,impedita ratio.
Paulus l.16.D.de recept.qui arb. Quod ſine ulla
diſtractione ipſius interdum futurum eſt.

Diversorivm Accurſius in l.3 .D. in quib. cauſſ.
pigno.rectè ſic interpretatur . Statio in qua diuer
ſi generis merces afferuntur.Aliis locis Diuerſo-
rium eſt mercenarium hoſpitium , quò ex itinere
aliquantiſper commorandi cauſſa diuertimus. un
de illud Ciceron . in Caton.Ex iſta uita ſic diſce-
do tanquam ex hoſpitio:non tanquam ex domo.
commorandi. enim natura diuerſorium nobis ,
non habitandi dedit.Et libro Famil. VI . Nam &
uilla & amœnitas illa commorationis eſt, non di
uerſorii.

Dividere ſententiam . Aſconius , Quum aliquis
in dicenda ſententia duas plurasve res complecti
tur,eæ ſi non omnes probantur , poſtulatur ut di-
uidat id eſt,ut de rebus ſingulis referatur. Sextus
Pompeius. Numera Senatum, ait qui uis Senator
Conſuli, quum impedimento uult eſſe quominus
faciat S . C . poſtulatq; ut aut res quæ afferantur,
diuidantur , aut ſimul conſulantur , aut ſi tot non
ſint ſenatoresquo numero liceat ſcribi S.C.expe
ctetur. Vide in Appendice cap. De ſenatu,& S.C.

Divinatio eſt iudicium,quo duo pluresve , qui
ſe præponi in accuſando nolunt, de accuſatione
ſibi deferenda contendunt . ex eo autem dedu-
ctum nomen putamus , quòd quum in hoc iudi-
cio iudices non de præterito , ſed de futuro ſta-
tuant , uter ſit rectius accuſaturus (quod totum
opinabile eſt , coniecturaq; nititur) diuinare di-
cantur , eorumq; iudicium opinabilis diui-
natio. Vlpianus l . 15 . D . de accuſat . Si plures
exiſtant.qui eundem in publicis iudiciis accuſare
uolunt , iudex eligere debet eum qui accuſet ,
cauſſa ſcilicet cognita , æſtimatis accuſatorum
perſonis,uel de dignitate,uel ex eo quod intereſt,
uel ætate , uel moribus , uel alia iuſta de cauſſa.
Hoc in publicis iudiciis . In popularibus autem
Prætor eligebat idoneiorem : inquit Paulus
in l.ſecunda. D . de popul.act. Vide Fab.libro 3.
capite 10.& libro 7.cap . 4 . Gellium libro 2.ca-
pite 4.

Divortivm,inquit Modeſtinus , inter uirum & u-
xorem fieri dicitur: repudiũ uerò ſponſæ remitti
uidetur.

uidetur: quod & in uxoris perſonam non abſurdè cadit, l. 101. §. 1. D. de uerb. ſig.

DIVORTIVM, uel a diuerſitate mẽtium dictum eſt: uel quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium l. 2. D. de diuort.

DIVORTIVM, inquit Paulus, & Repudium hoc differunt. quod repudiari etiam futurum matrimoniũ poteſt: non rectè autem ſponſa diuortiſſe dicitur, quòd Diuortium ex eo dictum eſt, quòd in diuerſas partes eunt, qui diſcedũt. l. 191. D. de uer. ſig.

DIXI. Aſconius, Moris fuit, quum ſatis uiſum eſſet fluxiſſe uerborum, hanc ſibi neceſsitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, dixi quod ẽt ab utraq; parte oratione conſumpta, ut in conſilium dimitterentur, Prætor ſoleret pronunciare Dixerunt. Hæc ille. Vbi tamen Præco corrigendum eſſe docui in Notis in Aſcon. quam meam ſententiam Fabius adiuuat, libro undecimo, Iudex in priuatis, Præco in publicis dicere de cauſſa iubet. Nam ut initiò pronunciabat Dicite, ſic in extremo Dixerunt.

DO, dico, addico: uerba, ſunt, quibus uniuerſa Prætoris Iuriſdictio continebatur. de quibus Ouidius libro Faſt. 11.

Ille nefaſtus erit, per quem tria uerba ſilentur:
Faſtus erit per quem, lege licebit agi.

Dabat. n. iudices, Recuperatores, arbitros: dabat iudicia, actiones, exceptiones: dabat poſſeſsionẽ. Dicebat ius, dicebat multam, dicebat uiam in uindiciarum litibus: Addicebat in ceſsionibus, in bonis controuerſis, in uindicijs. Itaq; in legib. antiquis finium regundorum apud Higynum ita legitur: Deq; ea re curatoris qui hac lege erit, iuriſdictio, recuperatorumq; datio, addictio eſto. Si curator hac lege non erit, tunc quicunq; magiſtratus in ea colonia iuridicundo præerit, de ea re iuriſdictio, iudicisq; datio, addictio eſto. Cicero Verrina 111. Domus erat plena noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur. mihi det poſſeſſionem, mihi ne adimat, in me iudicium ne det, mihi bona addicat. Item: Simul in iure dicendo bonorum poſſeſsionumq; contra omnium inſtituta addictio & condonatio. Varro libro De lingua v. Dies faſti, per quos Prætoribus omnia uerba ſine piaculo licet fari: contrarij horum nefaſti: per quos dies, nefas fari Prætorem: Do, dico, addico. itaq; non poteſt agi. neceſſe eſt enim aliquo eorum uti uerbo, cum lege quid peragitur:

DOLO, eſt aut flagellum, intra cuius uirgam latet pugio: aut, ſecundum Varronem, ingens contus cũ ferro breuiſsimo. Dolones autem a fallendo dicti ſunt: quòd decipiant ferro, cum ſpeciem præferant ligni. Hæc Seruius Aeneid. libro VII. Vtitur autem hac uoce Alfenus in l. ſi ex plagis. 52. §. 1. D. ad le. Aq. Ille flagello quod in manu habebat, in quo dolo inerat, uerberare tabernarium cœperat. Sic enim eum corrigendum eſſe locum, ubi antea DOLOR legebatur. iampridem eruditi uiri animaduerterunt. mihi quoque uideor ſimile mẽdum animaduertiſſe in l. 1. §. 2. D. ſi quadrup. ubi Vlpianus ſic ſcribit: Et generaliter hæc actio locum habet quoties cõtra naturam fera mota pauperiem dedit. ideoq; ſi equus dolore concitatus, calce petierit, ceſſare iſtam actionem, ſed eum qui equum percuſſerit, aut uulnerauerit, in factum magis quàm lege Aquilia teneri. nam DOLONE legendum eſſe, meo iudicio uerba hæc oſtendunt. Sueto. in Claudio: Reperti & equeſtris ordinis duo in publico, cum dolone, ac uenatorio cultro. Heſychius, Δόλωνες, inquit, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα

DODRANS, duæ partes è tribus cum duodecima, id ualet uncias nouem: ait Theoph. §. 8. D. de hæred. inſtit.

DOLIVM, uas cuiuſuis materiæ & menſuræ, rei præterea cuiuſuis capax. nam, ut ait Iulianus l. 206. D. de uerb. ſign. dolia tamdiu in uaſis uinarijs habentur, quamdiu uinum habent. quum ſine uino eſſe deſinunt, in eo numero non ſunt. Idem l. 26. D. de inſtitut. uel inſt. leg. Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgeſta eſt, & in his uiridaria poſita, ædium eſſe Labeo & Trebatius putant. Vlpian. l. 3. D. de trit. uin. In dolijs non puto uerum, ut uino legato & dolia debeantur. maximè ſi depreſſa in cella uinaria fuerint, aut ea ſint, quæ per magnitudinem difficile mouentur. Item l. 8. in fin. D. de inſt. uel inſtit. Conſeruandi, quaſi dolia licet defoſſa non ſint & cupæ. Item Paulus l. 76. De cont. empt. Dolia in horreo defoſſa, ſi non ſint excepta &c. & Proculus l. 15. D. de trit. & uin. dolia in uaſis uinariis non eſſe, ex Trebatii ſententia fatetur. Hinc

DOLIARIVM, non locus ubi dolia, ſed uas ipſum ampliſsimum & capaciſsimum: apud Caium in l. 35. §. 6. D. de cont. empt: Sed & ſi ex doliario pars uini uenierit, ueluti metretæ centum, uerißimum eſt antequam admetiatur, omne periculũ ad uenditorem pertinere. Hinc

DOLIARE uinum quod adhuc in dolio eſt, necdum diffuſum. cuius uendendi legem Cato in lib. De re ruſt. cap. 148. exponit. l. 1. §. ult. D. de peric. & com. Si doliare uinum emeris, nec de tradendo eo quicquam conuenerit, &c.

DOLVS alius bonus eſt, ueluti quo a medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius poeta teſtatur: inquit Donatus in Eunuchum. alius malus, qui decipiendi tantum cauſſa paratus eſt. Itaque Feſtus,

DOLI, inquit, uocabulo nunc tantum in malis utimur: apud antiquos autem in bonis rebus utebantur. Vnde adhuc dicimus, Sine dolo malo: nimirum quia ſolebat dici & bonus. Et Vlpianus in l. 1. D. de dolo mal. Veteres, inquit, dolum etiam bonum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant: maximè ſi aduerſus hoſtem latronemve quis machinaretur. Do-

lum malum C. Aquilius definiit, cum aliud ſimulatur: teſte Cicerone libro De offic. III. & in Topic. qui eam definitionem ſanè luculentam,& ab homine definiendi perito profectam ſcribit. Eamq; definitionem ſecutum eſſe Seruium Sulpitium argumento eſt, l. 1. D. de dolo malo. ubi Vlpian. ſic ſcribit:

DOLVM malum Seruius quidem ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi cauſſa, quum aliud ſimulatur,& aliud agitur. Labeo autem, poſſe & ſine ſimulatione id agi, ut quis circumueniatur: poſſe & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari: ſicuti faciunt qui per eiuſmodi diſsimulationem deſeruiunt, & tuentur uel ſua uel aliena. Itaque ipſe ſic definiit, dolum malum eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem,ad circumueniendum,fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio uera eſt. Hæc Vlpianus,cuius tamē diſputatio meo iudicio uerbis illis uel a Triboniano, uel a quopiam alio amplificata eſt: MACHINATIONEM quandam alterius decipiēdi cauſſa. Sumpta enim uideri ex l. 7. §. 4. D. de pact. diſputauimus in libro Obſeruat. primo, cap. 19.

DOMICILIVM non domus, aut habitatio facit: ſed ubi quis larem, rerumq́ue ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil auocet: unde cum profectus eſt, peregrinari uidetur. l. 7. C. de incol. libro 10. l. 5. §. 18. D. de iniur. & l. in lege, 203. D. de uerb. ſignifi. ubi Alfenus ſcribit, Domum eam unicuique noſtrum debere exiſtimari, ubi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarumq́ue rerum conſtitutionem feciſſet. Item Cic. pro Archia: At domicilium Romę non habuit: is qui tot annis ante ciuitatem datam, ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Romæ collocauit. Isq; Incola dicitur: a Græcis πάροικος, l. pupillus, 239. D. de uerb. ſignific. Senatores etiam ſi ubi uelint, commorandi arbitrium impetrauerint, domicilium Romæ retinent. Vidua mulier amiſſi mariti domicilium retinet: liberti, eorumq́ue filii, patroni manumiſſoris domicilium ſequuntur. l. 22. D. ad municip. miles uerò ibi domicilium habere uidetur, ubi meret, ſi nihil in patria poſsideat. l. 23. eod. Sine domicilio an eſſe quis poſsit, aut an duo domicilia habere poſsit: uide l. 27. eod.

DOMINIVM, eſt ius ac poteſtas re quapiam tum utendi, tum abutendi, quatenus iure ciuili permittitur. nam, ut ait Imperator, rei quiſque ſuæ eſt arbiter ac moderator. Atque hoc unum eſt, quo differt uſusfructus a ſolido dominio: tametſi Cicero ludens ad Curium ſcribat id cuiuſque eſſe proprium, quo quiſque utitur ac fruitur. Vſus enim in uſufructu eſt, non abuſus: ut ipſe idem in Topicis declarat. at uerò uſusfructus pars dominii eſt: ut ait Paulus l. 3. De uſufruct. Diximus autem, Quatenus iure ciuili permittitur, ut tum eos qui uſumfructum non habent, tum eos quibus alienare non licet exciperemus: de quibus titulus eſt lib. Inſtitut. ſecundo, tum etiam ſuperſiciarios,& emphyteutas: quibus non directa, ſed utilis actio iure ciuili datur. l. 1. D. Si ager uectig. & l. 1. D. de ſuperfic.

DOMINIVM aliud eſt naturale, aliud ciuile. Naturale eſt, quod gentium omnium commune eſt: hoc eſt, quod iis modis acquiritur, quibus gentes omnes in acquirendis rebus utuntur: ueluti occupatio, captiuitas, traditio. Ciuile eſt, quod ciuium Romanorum proprium eſt, qua de cauſa iuris Quiritium appellatur. Conſtat autem tribus modis: mancipatione, uſucapione, in iure ceſsione: uti docet Vlpian. cap. Inſt. 1. quanquam a Iuſtiniano ſublata illa differentia eſt. l. un. C. de nud. iur. Quirit. l. un. C. de uſucap. trāſf. uide IN BONIS.

DOMINIVM non modo corporalium, ſed & incorporalium rerum dicitur. nam uſusfr. dominium dicitur in l. 3. D. Si uſusfru. petat. & generaliter ſeruitutum in l. ſemper, 15. §. hoc interdicto, D. quod ui aut clam.

DOMINII ius impetrare dicuntur creditores, qui a principe impetrant ut pignora quorum emptor repertus eſt nullus, ſibi addicta dominii iure poſſidere liceat. l. 1. & paſſ. C. de iur. dom. impet. l. 5. §. ſi fundus, D. de reb. cor.

DOMVS propriè dicitur, ubi quiſque paterfam. ſuas ſedes ac tabulas habet: ſuarumq́ue rerum conſtitutionem fecit. l. in lege, 203. D. de uerb. ſign. Sed plerunque

DOMVS latius accipitur: pro quouis loco in quo quis habitat, ſiue proprio, ſiue alieno. ut l. 5. §. domum. D. de iniur. l. 8. in fi. l. 22. D. de adul. l. 1. §. domum, D. de aleæ luſ. l. 1. §. 1. & §. domum, D. de liber. agnoſc. l. 4. §. prætor ait, D. de damn. infect. Hinc

DOMVS pro familia, id eſt pro iis qui tum ex una gente, tum etiam in eiuſdem patrisfam. poteſtate ſunt. l. pronunciatio, §. communi, D. de uerb. ſig. l. pen. §. ult. D. de contr. tab. Hinc

DOMESTICVM funus, quod idem etiam familiare appellatur: in l. 2. D. de in ius uoc. l. 4. D. ſi quis caut. Hinc

DOMESTICA furta, quæ ſerui dominis, liberti patronis, uel mercenarii iis apud quos degunt, faciunt. l. 11. §. 1. D. de pœn. Hinc

DOMESTICVM teſtimoniū, l. 2. C. de teſtib. l. pen. D. eod. quale eſſet parentum, liberorum, fratrum, patruorum, item ſoceri, generi, uitrici, priuigni, ſobrini, patroni, liberti, &c. l. 4. D. eod.

DONARI uidetur, ait Papin. quod nullo iure cogente conceditur. l. 29. D. de donat.

DONATIO dicta eſt a dono, quaſi dono datum: rapta a Græco: nam hi dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι. Hęc Paulus l. Senatus, 35. D. de mort. cau. donat. ubi

ubi tũ uocē τοῦ uacare arbitror. Senſus eſt enim Donationem non Dationem eſſe: hoc enim uerbum omnibus modis conuenire, quib. res abalienantur: nam & mutuo dare dicimur, cum pecuniam abalienamus,& uenditor qui tradit,uel emptor qui numerat,dare dicitur.§.ſic itaq.De actionib.nimirum empto,uel uendito, uel ſoluto, uel doti, uel fœnori. ſed Donationis uerbum nunquam,niſi cùm dono aliquid, hoc eſt liberalitatis cauſſa datum eſt,uſurpatur.Donatio igitur,ut ait Paulus,a dono eſt:neque creditor donare dicitur qui mutuo dat: uel debitor,qui ſoluto:uel ſocer, qui doti.ſed quoties dono aliquid datum eſt,tum hoc nomen uſurpatur. uidenturq́; Latini ueterē hanc locutionem, Dono aliquem dare,uel donare a Græcis ſumpſiſſe , qui τινὰ δῶρον δωρεῖσθαι dicunt,cum liberalitatis & munificentiæ ſolius cauſſa rem alicui traditam ſignificant.

Donationis uerbum ſimpliciter loquendo, inquit Vlpianus, omnem donationem comprehendiſſe uidetur, ſiue mortis cauſſa, ſiue non mortis cauſſa fuerit.l.67.§.1.D. de uerb.ſig.

Donatio eſt modus ſolo iure gentiū inſtitutus, dominij gratis & ſine ulla præterquam liberalitatis cauſſa in aliquem transferendi.Sic enim & Legatum & Hæreditas ab hac definitione excludun tur:quoniam iure Quiritium confirmata ſunt. Donationum autem triplex eſt ſpecies: nam alia inter uiuos appellatur,alia mortis cauſſa,alia propter nuptias.

Donatio inter uiuos proprio nomine dicitur, quæ neque mortis neque nuptiarum, ſed a uiuēte in uiuentem ſolius liberalitatis cauſſa fit.l.1. D. de dona.l.ſenatus,35.De mort.cauſ.ſolaq́; uoluntatis teſtatione ſic perficitur, ut traditionis neceſſitatem afferat, publicis literis conſignari, niſi quingentos aureos ſuperet,non debeat:ab ingrato tamē repeti certis de cauſis poſsit. d.l.eo.l.35. & pen.C.eo.l.ult.C.de reuoc.donat.

Donatio mortis cauſſa eſt,quæ propter manifeſtū aliquod mortis periculum fit. l.1,2,& ſeq. D. de mort. cauſ. dona. Inter ſuperiorem autem & hanc illa differētia eſt, quòd hæc fit propter mortis periculum,illa ſine periculo: hæc fit ab eo qui ſe quàm donatarium habere mallet, illa ab eo qui donatarium, quàm ſe.l.ſena,35.D.de mort.cauſ. hæc incerta & ſuſpenſa eſt, facileq́; euaneſcit: illa certa & præſens,difficilimeq́; conuellitur.

Donatio propter nuptias dicitur, quæ tum ante tum poſt contractas nuptias a uiro in mulierem confertur:ait Imper.§.3.De donat. & l. 20.C.de donat.ant.nupt.

Donatio ante nuptias, quam eandem ſponſalitiā appellamus, olim fuit ea, quam ſponſi & ſponſæ inter ſe conferebant. tam enim à ſpōſa in ſpōſum quàm a ſponſo in ſponſam exercetur.Sed Iuſtiniani lege hæc donatio nomen mutauit, & propter nuptias appellata eſt;quoniam conſtante matrimonio tum fieri, tum augeri poteſt. l.ult.C.eo.ſi tamen ante nuptias conſtituatur, ſuum ac proprio nomen ac ius retinet, uocaturq́; ſponſalitia largitio.at ſi poſt nuptias,a Iuſtiniano propter nuptias appellatur.Græce autē ἀντίφερνα: propterea quòd a marito uiciſsim in gratiam dotis tribuitur: nec ſimplex donatio ſit, qualis eſt ea quæ inter uirum & uxorem prohibita eſt: ſed propter dotis donationem, & ipſarum nuptiarum affectionem , ut idem ſcribit.

Donatio honoris cauſſa,eſt quam uxor marito ad honorem ac dignitatem aliquam conſequendam facit.Caius l.42. D. de donat. int.uir. Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta eſt alia cauſa donationis,quam dicimus honoris cauſa.ut ecce ſi uxor uiro Laticlauij petendi gratia donet, uel ut equeſtris ordinis fiat, uel ludorum gratia.

Donatio inofficioſa:uide inofficiosa donatio.

Donativa ſunt,quæ militibus extra ordinem dantur.Paulus D.de re milit. Ex cauſſa deſertionis reſtitutus in militiam,non aliter medij temporis ſtipendium & donatiua accipit, niſi hoc liberalitas principalis ei ſpecialiter indulſerit.

Donvm & munus differre inter ſe, Vlpia.quidem & Marcianus ſcribunt in l.inter,194.& l.munus, 214.De uerb,ſig.ſed eorum differentiam ita obſcurè exponunt ut pugnantia loqui uideantur.nā Paulus donum eſſe genus ait,munus ſpeciem:contrà Marcianus in hoc genus:in illo ſpeciem conſtituit. Aliud ſanè eſſe donum, aliud munus,illud argumento eſt,quòd uetuſtiſsima lex Cincia non præciſè de donis aut de muneribus, ſed coniunctim de donis & muneribꝰ ſcripta eſt: Ne quis ob cauſſam orandam donum munusve caperet.Item lex Iulia repetundarum : Ne Vrbani magiſtratus plus doni,muneris in anno accipiant,quam quod ſit aureorum centum. l. 6. illo tit. item lex Iulia Pappia: Ne quis donum, munus, operas præter eas,&c.dare,facere,præſtare cogatur.l.qui libertinus,37.D.de oper.lib.l.ult.D.de lib.cenſ.d.l.ſæpe,53.de uerb.ſig. Item in mandatis Principum: Ne proconſules donum,munusve capiant. l. Solent.6. D. de offic. proconſ. Sic Plaut.in Ciſtell. Inde in amicitiam inſinuauit cum matre,& mecū ſimul blanditijs,muneribus,donis. Et Ci. in Cluētiana:Tantum donis datis muneribus perfecerat. Et pro Archia, Quod quaſi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe uideantur. Itē in l.plebiſcito, 18.D.de offic. præſid.& l.Cāpanus,47.D.de oper.lib. Videndum igitur remota aliorum auctoritate, quid inter donum ac munus interſit. nam Seruius quidem Virgilij interpres, donum propriè ſuperiorum deorum eſſe, ait:Munus uerò inferiorum. Donatus autem in Teren. Donum propriè deorum: Munus hominum,Quod cùm ita ſit,plus eſſe certè donum uoluerunt,quàm munus,qua de cauſſa etiam in ſuperioribus

rioribus exemplis ferè ſemper priore loco collocatur.ut non incommodè ſortaſſe dicere poſsimus: Donum eſſe maiorum rerum : munus uerò minorum nam Pompo. in l.ſed ſi,31. §. ſi uir.D. de dona.int.uir.Si uir,inquit,uxori munus immodicum Kalend.Martijs aut natali die dediſſet,donatio eſt.Itaque & regna & regiones & oppida & prædia ceteraſq; res immobiles dono dari,paſſim legimus:munera dari, legiſſe me non memini. quin & abſentes res donari rectè dicuntur:munera autem mitti,& præſentia offerri : l. munus, 18.D.de uer.ſig.qua de cauſſa fortaſſe Gallica lingua noſtra Præſentia nominamus, quæ præſenti in manus dantur. Rectè ergo Vlp. donum quaſi genus facit:munus,ſpeciem:propterea quòd quæ muneri dantur, dona omnia ſunt: at non contrà. Atque hæc quidem generatim de rebus omnibus dicta ſint. nam quod Vlp.eo loco ſcribit,ſane nõ uniuersè dictum arbitror:ſed propriè ac præcipuè de libertorum in patronos grati animi ſignificatione.Donum,inquit, genus eſt:munus autem domum cum cauſſa:ut puta natalitium, nuptalitium. Significat enim ea munera quæ liberti patronis eorumve liberis aut coniugibus,natali nuptiarumve die dabant. Nunc ad Marciani diſputationem accedendum eſt:qui in d. l. 214. munus a dono ita diſtinguit, ut illud dicat eſſe neceſſarium, hoc uero uoluntarium, ſiue ſpontaneum. quod quidem facilè intellectu eſt, ſi modò munera pro ijs oneribus intelligamus,a quibus qui liberi ſunt,immunes appellantur.d.l.munus,18.eod. tit.quanquam in eo genere diſputationis munera cum donis contendere,nulla ratio eſt. Sed quoquo modo ſe res habeat, quidnam tamẽ illud eſt, quod mox ſubiungit: Non quodcunq; munus,id & donum accipi:at quod donum fuerit,id munus rectè dicitur:namq; adeò inter ſe pugnant,ut alterum ſit,neceſſarium,alterum uoluntarium,difficile dicta eſt ea generis inter ſe ac ſpeciei uicera præſtare poſſe præſertim autem ſi id quod neceſſarium eſt, genus facere uelimus. Videndum igitur,num multo uerior & certios ſit Pauli ſententia,qui donum genus conſtituit, eiuſq; duas ſpecies facit:quarum altera in generis ſui nomine cõſiſtit,altera munus appellatur.Quod ſi ita eſt,conſiderandum etiam uidetur, ecquid particula NON ſuo loco mota ſit & in alienum translata,quaſi ita rectius legatur:Sed in ſumma,in hoc uentum eſt ut quodcunq; munus,id & donum accipiatur:at, non quod donum fuerit,id etiam munus rectè dicatur. De quo tamen nihil affirmo:ueteris codicis auctoritatem expecto:iudicium eruditioribus uiris integrum relinquo.

Dos,pecunia nuptiarum cauſſa data:ut ait Varro li. 11.uel ſic:

Dos eſt pecunia nuptiarum cauſa ita marito data, ut eam pro domino conſtante matrimonio penes ſe habeat:quippe quę propter onera matrimonij, id eſt ad alendam uxorem detur.

Dos aut profectitia eſt,aut aduentitia. Profectitia eſt, inquit Vlp. quam pater mulieris dedit.cap. Inſt.VI, uel:ſic: quæ a patre uel parente uirilis ſexus profecta eſt,de bonis uel facto eius. l.5.D.de iur.dot.l.un.§.& ut plenius, C. de rei ux.act.l.4. C.de collat.l.2.D.ſolut.mat. Aduentitia eſt, quæ a quouis alio.uel ex ipſius mulieris bonis data eſt. l.5.§ ſi pater,D.de iur.dot.

Dos caduca dicitur,quę confiſcata eſt.l.ſi quis,38. §.1.D.de rit.nupt.

Dos receptitia ſpecialiter dicitur, quam extraneus dans,ut ea ſibi redderetur ſtipulatus fuit. Vlp.tit. 6.Caius l.31.§.2.D.de mort.cau.don.Sed & dos quam quis in mortem mulieris a marito ſtipulatur,capitur ſane mortis cauſſa cuius generis dotes receptitiæ uocantur.

Dotalis fundus dicitur, qui uiro dotis nomine traditus eſt : ut eius dominium eatenus marito quæratur, dum eius impediatur alienatio.l. 1. & paſſ.D.de fund.dotal.l.5.D.ſolut.mat.

Dotes prædiorum dicuntur emolumenta quædã non ipſis innata,ſed aduentitia,& aliunde quęſita, eiſq; aſsignata. quæ inde appellationem ſumpſerunt,quòd prædiorum oneribus ac ſumptibus tolerandis attributa ſunt, ut dotes in matrimonijs.

Dotes prædiorum Papinianus uocat inſtrumenta,quæ prædijs ſic attribuuntur, ut dotes nuptis. Dotes prædiorum,inquit, quæ Græco uocabulo ἐνθῆκαι appellantur, quum nõ inſtructa legantur, legatario nõ pręſtãtur.l.2.§. 1.D.de inſt.uel inſt. Papinianus l.53.§.2.D. de fideiuſſ. Fideiuſſores à colonis datos etiam ob pecuniam dotis prædiorum teneri conuenit.Collumela lib.4.cap.30. Pedaminum iugorumq; & uiminum proſpiciendorum tradenda ratio eſt. hæc enim quaſi quædam dotes uineis ante præparantur. Eoq; pertinet illud Vlpian.in l.9.§.6.D.de uſufr. Nam etſi uſusfructus fundi fuerit legatus, & ſit ager unde palo in fundum cuius uſusfructus legatus eſt, ſolebat paterfam uti uel ſalice, uel harundine, puto fructuarium,&c. Mentio fit in l.20.§.1.& §.prædia. D. de fund. Inſt.l.34.De legat. ſecundo.l.67.§. ult. De legat.3.

Dromones, nauigia celerrima, quaſi curſoria, opinor a Iuſtiniano uocari In l.2. C. de off. præfect.præt.Afr.quos celoces latini appellant,a celeritate,ut ſcribit Nonius:Milites,inquit, conſtituas, qui poſsint & ipſum traiectum ſeruare, & omnia quecunq; in partibus Hiſpaniæ, uel Galliæ,ſiue Francorum aguntur, uiro ſpectabili duci denunciare. In quo traiecto etiam Dromones quantos prouideris,ordinari facias.

Dvcere, uerbum eſt proprium dominorum, qui ſua mancipia auducunt.Itaq;

Dvcas licet.dici ſolebat in ductionibus:cum licitatori addictum mancipium fuiſſet. Vnde illud lib. de Orat.III.Quanti addictus? mille numum.nihil

hil addo: ducas licet. Hine

Dvct ſerui dicebantur, qui noxæ nomine dediti, in aliorum dominium tranſibant. l. 2. D. ſi ex nox. cauſ. l. quod ait, 3 t. D. de noxal. l. uel in 36. D. de procur. Hinc

Dvct in cauſis liberalibus dicebantur ſerui, contra quos uindiciæ in ſeruitutem datę fuerant. l. duob. 30. D. de lib. cauſ. Hinc

Dvcendis de liberis, Prætoris interdictum. Si L. Titius i poteſtate L. Titii eſt, quo minus eũ L. Titio ducere liceat, uim fieri ueto. l. 3. D. de li. exhi. Itẽ in l. 1. D. Vtrub. Vtrubi hic homo quo de agitur, &c. quo minus is eum ducat, uim fieri ueto. Hinc

Dvci obærati dicebantur, qui addicti creditoribus in ſeruitutem fuerant. Terent. Ducent damnatum domum. & in xii. tab. A ſt qui ei endo iure addicit, ſecum ducito. Hinc

Dvct uxor dicebatur, quæ propter coemptionem in iure mariti erat: qua de re mox dicemus. Hinc

Dvci, producta uerbi uſurpatione dici conſuetum de ijs, qui in ius ducerentur: propterea quòd ad magiſtratum ita raperentur, ac ut abducerentur, quaſi poteſtas ex lege in eos eſſet. Vnde tit. in Edict. prætoris: QVI NEQVE DVCANTVR, NEQVE SEQVANTVR. Hine

Dvcere in carcerem, quia manus in eos qui ducuntur iniectione, quaſi poteſtas quædam adepta eſt. l. 2. D. de in ius uocat. l. 2. §. exactis, D. de origi. iur. Cicero in ſecunda Agraria, Ergone is conſul qui timeam ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi Tribunus pl. duci iuſsiſſet?

Dvcere pugnum, cædere pugno. Paulus l. 4. D. de iniur. Si cum ſeruo meo pugnum ducere uellem, in proximo teſtantem inuitus percuſſerim: iniuriarum non teneor.

Dvci uxor dicebatur, quæ ex patris domo, in mariti domum eo ritu, quem infrà deſcribam, deducebatur. Primùm augurijs, captatis, factiſq; ſacrificijs, ignem & aquam attingebant: uti Varro ſcribit, & Feſtus, & Plutarchus in Problem. quòd generationis cauſſa in calore & humore poſita ſit eiuſq; rei ueſtigium eſt in l. penult. D. de donat. inter uir. ubi Scæuola ſignificat aquæ & ignis adhibitione nuptias celebari. Tunc nuptam uir è ſinu matris dicis cauſſa rapiebat: aut ſi ea non erat, ex proxima neceſsitudine, quòd, ut ait Feſtus, ea res feliciter Romulo ceſſerat. pòſt flameo amiciebatur nuptę nouę caput, ominis boni cauſſa quòd eo aſsiduè utebatur Flaminica, id eſt Flaminis uxor, cui non licebat facere diuortium, Hinc nuptam & Varro & Seruius appellatam tradunt, quòd ei caput uelabatur. Ita deducebatur nupta à prætextatis tribus, quorum unus præibat facem tenens ſpineam. E ſpina autem ea fax erat, quoniã idem fecerant paſtores qui Sabinas rapuerant: uti Plinius libro xvi. ſtatur. & præibat fax. quòd nõ niſi ueſperis exortu nubentes in uiri deducebantur domum. Dno reliqui manu nuptæ brachia ſuſtinebant, puerorum que & puellarum cantibus inter ſe reſpondẽtium ea deductio celebrabatur: O hymen hymenæe, hymen, ò hymenææ. Plutarchus quinq; fuiſſe faces ſcribit, quòd is numerus maximè nuptijs conueniret. Cùm autem ad mariti limen uentum erat, tum poſtes oleo innungebat nupta, eoſque laneis uittis ornabat: unde uxorum nomen Varroni, & Seruio, & Feſto, quaſi Vnxores. Limẽ autem attingere, religio erat: ne, ut Varro putat, a ſacrilegio inchoarent, ſi de poſiturę uirginitatem calcarent rem Veſtæ, id eſt numini caſtiſsimo uiolatam. Ingrediente illa, Talaſio uoce magna clamabatur: ea de cauſſa, quæ ex primo Liuij omnibus nota eſt. Plautus, Senſim ſuper attolle limen pedes noua nupta. Catulus, Transfer omnine cum bono limen aureolos pedes, raſilemq; ſubi forem. Cùm autem in cubiculum deducta eſſet, prætextati brachia mittebant, ac diſcedebant: pronubæ, bonæ fœminæ, quæ ſemel nupſerant, eam in lecto geniali collocabant. ſic enim lectus uocabatur, qui nuptijs ſternebatur in honorem genii: unde & appellabatur. ut ait Feſtus. Tum maritus pueris nuces ſpargebat, ut Iouis omine (quod Varro ſcribit) matrimonium celebraretur, & nupta matrona eſſet ſicut Iuno: quia nuces in Iouis tutela erant. Rapi etiam ſolebat fax prætextati qui prælux erat, ab utrinſq; amicis, ne aut uxor eam ſub lecto uiri ea nocte poneret: aut uir in ſepulcro comburendam curaret: quo utroque mors propinqua alterius captari putabatur. Neque prætermittendum quod Feſtus ſcribit, Cingulo nouam nuptam præcingi, quod uir in lecto ſoluebat, factum ex lana ouis: ut ſicut illa in glomos ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic uir ſuus ſecum cinctus uinctuſq; eſſet. Hoc Herculano nodo uinctum uir ſoluit, ominis gratia, ut ſic ille felix ſit in ſuſcipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui ſeptuaginta liberos reliquit. & paulo infrà, Cinxiæ item Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis. quòd initio coniugii, ſolutio erat cinguli: quo noua nupta erat cincta. Hæc Feſtus. Atque hæc quidem antiqui. pòſt uerò inſtitutum eſt, ut etiam abſentis uiri domum duci uxor poſſet. Põponius l. mulierem, 5. D. de ritu nupt. mulierem abſenti per literas eius, uel per nuncium poſſe nubere placet, ſi in domum eius deduceretur. eam uerò quæ abeſſet, ex literis uel nuncio ſuo duci a marito ſuo non poſſe. deductione enim opus eſſe in mariti, non in uxoris domum. Quod eleganter Paulus libro Sentent. undecimo, ſic complexus eſt, Vir abſens uxorem ducere poteſt, fœmina abſens ducere non poteſt: quippe quæ deduci non poteſt deductione igitur omnino opus eſt. Domus enim uiri, matrimonij domicilium ait Pomponius dicta l. mulierem. & l. ceterùm. §. mulieri, D. de uſu & habitatio. l. cùm in te, C. de donat. inter uir. & uxor. Auguſtinus lib. De ciuit. Dei vi. ca. ix.

ca. IX. Sed domum ducenda eſt quæ nubit. adhibetur Deus Domiducus. ſic enim eum Deum qui ei ſolenni deductioni præerat, appellabant. Scæuola l. Scia, 66. de donat. inter uir. Seia Sempronio quum certa die nuptura eſſet, antequam domum deduceretur, donauit tot aureos. item, Virgini in hortos deductæ ante diem tertium quàm ibi nuptiæ fierent, quum in ſeparata diæta ab eo eſſent, die nuptiarum prius quàm ad eũ tranſiret, obtulit decem aureos dono.

DVLCIVM legato hæc continentur, mulſum, paſſum, defrutum, & ſimiles potiones: item, uuæ, fici, palmæ, cariceæ. l. ult. D. de trit. uin. Item Paulus libro Sentent. tertio, Dulcibus legatis ſapa, defrutum, mulſum, dulce etiam uinum, palmæ, caricæ, uuæ paſſæ debebuntur. Plautus Pſeudulo: Quid ſi opus ſiet, ut dulce promat, indidem, ecquid habet? Rogas? Murinam, paſſum, defrutum, melinã.

DVPLA, pro Duplum. unde Duplæ cautio: cùm emptor ſtipulabatur a uenditore duplum precium rei, ſi ea euinceretur. quod in precioſarum rerum uenditionibus fieri ſolebat. l. 48. l. 56. D. de euict. l. 31. §. quia, D. de act. empt. l. 20. in fine, D. de lib. cauſ. l. 48. ad leg. Falcid. Varro libro De re ruſt. ſecundo, capite decimo, Si res mãcipio non datur, dupla promitti ſolet: aut, ſi ita pacti, ſimpla. Vlpianus in l. qui erat, 49. D. fam. erciſcun. Hos demũ uenditores ad duplæ cautionem compelli ſcribit, qui ſponte ſua diſtrahunt. ceterùm qui officio diſtrahentis funguntur, non debere aſtringi: uide Euictio.

DVPLICIA interdicta appellãtur. in quibus ita par utriusq; litigatoris conditio eſt, ut uterque tam actoris, quàm rei partes obtineat: ueluti Vti poſſidetis, & Vtrubi: in quibus nõ unus ſolus poſtulat, ſed ambo copulati in ius ueniũt, & inuicem apud Prætorem aliquid poſtulãt. l. 2. D. de interd. §. penul. Inſtit. eodem tit.

DVPONDIVS, a duobus ponderibus: ideo quòd as erat libræ pondus. inquit Varro libro de Lingua IV. & ſic apud Vlpian. l. item ſi, 17. & ſeq. D. de hæred. inſtit. Vnde

DVPONDII iuris auditores primo anno quondam appellati, uerbo ridiculo: quaſi dicas, Iuriſconſultos Diobolares. Iuſtin. in præfat. Pandectarum.

DVVMVIRI in colonijs & municipiis ſummi magiſtratus, item ut Romæ conſules. Vlpianus l. 1, D. de albo ſcrib. Scribantur eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt: puta qui Duumuiratum geſſerunt, ſi hic honor præcellat. Cicero in Piſonem. Gabinium denique ſi uidiſſent Duumuirum (de Campanis loquitur & Gabinio Conſule, Conſulatum cum Duumuiratu conferens) ueſtri unguentarij citius agnouiſſent: Sic in l. un. D. ſi quis ius dic. non obtemp. l. 6. §. 1. quod cuiuſq. l. 1. §. ſi inter. de magiſtr. conueniend. l. ult. D. ad municip. l. ult. C. de iudic. l. 3. §. ultimo, D. de pecul. Hinc

DVVMVIRATVS, pro ipſo magiſtratu. l. 1. D. de alb. ſcri. l. 1. C. de tempor. appell. Hinc

DVVMVIRALIS, qui Duumuiratum geſsit, d. l. 1. de albo ſcrib.

DE LITEA E.

E CONTRARIO, pro uiciſsim, uice uerſa: apud Papian. l. 11. §. 1. D. de duobus reis conſt.

Ἐκτίνειν τὰ τῆς κηδεμονίας, curationis nomine ſatisfacere, rationes referre, reliqua ſoluere. Modeſt. l. 49. D. locat. οἱ ἐπίτροποι γενόμενοι πρὶν ἐκτῖσαι τὰ τῆς κηδεμονίας μισθοῦσθαι καίσαρος γένηθαι κωλύονται. Tutores facti prius quàm procurationis ſuæ nomine ſatis fecerint, prohibentur aliquid a Cæſare conductum habere.

Ἑκυρός, uide Socer.

EDERE ſub tit. De edendo, nihil aliud eſt, quàm proferre & exponere. Hinc

EDERE actionem eſt copiam deſcribendi facere, uel in libello complecti & dare, uel dictare. item aduerſarium noſtrum ad album producere. & demonſtrare quid dicturi ſimus, uel id dicendo quo uti uelimus. l. 1. D. de edendo.

EDERE & reddi rationes multum differunt, ait Põponius. nec is qui edere iuſſus ſit, reliquum reddere debet. nam & argentarius edere rationem uidetur etiam ſi quod reliquum ſit apud eum non ſoluat. l. 89. D. de uerb. ſign.

EDERE diem eſt uel dictare, uel tradere libellum, uel codicem proferre. l. 6. §. 6. D. de edendo.

EDERE, iudicium, ſiue actionem, eſt profiteri & enũciare qua actione uſuri ſimus Iulianus. l. 22. §. 4. D. rẽ ra. hab. Si procurator iudicium de hæreditate ediderit, deinde dominus fundum petierit. Sic l. 2. D. pro donat. l. 4. §. mandaui, D. de doli excep. l. accipientis. 15. D. de auct. tut.

EDERE nomen, eſt profiteri nomen ut in numerũ referatur. Vlpianus l. 1. D. de off. conſ. Conſules & ſeorſum & ſinguli manumittant. ſed non poteſt is qui apud alterum nomina ediderit, apud alterum manumittere.

EDERE operas dicitur libertus, pro dare, præſtare, præbere operas. Vlpianus l. 9. D. de oper. lib. Proprietas earum & in edentis perſona, & in eius cui eduntur, conſiſtit. Iauolenus l. 21. Operæ loco edi debent, ubi patronus moratur, ſumptu & uectura patroni

EDICERE, propriè denunciare eſt, ut quid fiat. aut non fiat: τὰ γὰρ ἐπιτάγματα καὶ τὰς διαγραφὰς τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων, ἔδικτα οἱ ῥωμαῖοι καλοῦσιν: ĩquit li. V. Dionyſ. hoc eſt: Præcepta enim ac præſcripta rerum iuſtarum atq; iniuſtarum, Edicta Romani appellant. Quanquam

EDICENDI uerbo in Prætoriis quidem legibus ſubeſſe uideatur uis prædicendi, & in poſterum denun

nunciandi.unde illud Cicer. in lib. de Finib. II. Eſt enim tibi Prætori deſignato edicendum, quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo.

EDICVNT autem non Prætores tantùm, ſed & magiſtratus omnes.

EDICIT Conſul Gabinius, in Sextiana orat. ut L. Lamia eques R. ab urbe abſit, millia paſſuum ducenta.

EDICVNT Piſo & Gabinius, ut Senatus qui ueſtem propter Ciceronem mutarat, ad ueſtitum rediret.

EDICVNT Cenſores apud Gellium lib. xv. cap. II. ſibi Latinorum Rhetorum ſcholas non placere.

EDICVNT Tribuni pl. apud Ciceronem Verrina IIII. ne quis Romæ eſſet, qui rei capitalis damnatus eſſet.

EDICTA, erant quæ Prætores antequam ius redderent, ſolebant proponere: ut ſcirent ciues, quod ius de quaq; re quiſq; dicturus eſſet, ſeq; præmuniret, l. 2. §. 5. D. de origine iur.

EDICTVM aliud eſt perpetuum, aliud têporale. Perpetuum eſt, quod Iuriſdictionis perpetuæ cauſſa proponi dicitur in l. 7. D. de iuriſdict. nimirum edictum illud quod Prætores magiſtratu inito proponebant, quo ciuibus denunciabant, quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent. Temporale uerò, quod etiam Peculiare dicere poſſumus, eſt quod certi negocij oborti cauſſa proponitur, ut illud Veris, ut Calendis Decem. adſit Sthenius Syracuſis. itI, Ne quis frumêtum ex area tolleret, &c. Exoritur, inquit Cicero, peculiare edictum repentinum, &c. item illud quod citatorium ac peremptorium appellamus, in l. 68. & aliquot inſequentibus. D. de iudic. De ſuperiore ſic loquitur Aſconius in Cornelianæ argumento: Aliam, inquit, legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamê inuitis tulit, ut Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent. quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus qui uariè ius dicere aſſueuerant, ſuſtulit. Sic enim locum interpretor, non quò in horas (ut quidam ſcribit, quem alij ſecuti ſunt uiri doctiſsimi) edicta ſua Prætores mutarent: ſed quòd ex edictis ſuis ius non dicerent. Cuius rei Verres à Cicerone quoq; libro Acc. primo accuſatur: Tum uerò, inquit, in magiſtratu cõtra illud edictum ſuũ ſine ulla religione decernebat. Neq; enim id factum uſquam reperietur, ut quis plura edicta perpetua propoſuerit.

EDICTVM perpetuum etiam alia ſignificatione dicitur, quod unum ac ſimplex in omnes annos, atque in perpetuum compoſitum eſt. Nam Prætores olim arbitratu ſuo edicta, quæ leges erant annuæ, ſcribebant. id eorum honori tribuebatur, ut in annum ſuum ius conſtituerent. Itaq; quo edicto ſuperioris anni Prætor uſus erat, inſequens ferè nõ utebatur. alioqui e'Is edictum Translatitium dicebatur. Sed poſtea diminuta cum illa populi Rom. magiſtratuum quoq; poteſtate: conſtitutũ eſt, ut Edictum unum componeretur, ex quo Edicto omnes in poſterum tempus Prætores perpetuò ius dicerent: quod iccirco perpetuum eſt appellatum. Huius rei auctorem fuiſſe D. Adrianũ Iuſtinianus in l. 2. C. de uet. iure enucl. teſtatur. Edicti uerò ſcriptorem C. Saluium Iulianum. Quum & ipſe Iulianus, ait, legum & edicti perpetui ſubtiliſsimus conditor, & cetera. item, Et hoc non ipſe ſolus, ſed & Diuus Adrianus in compoſitione edicti, & cetera. idem tradit præterea in l. 10. C. de cond. indeb. Eutropius libro nono, Poſt eum Saluius Iulianus Rempublicam inuaſit, uir nobilis & peritiſsimus, nepos Salnij Iuliani, qui ſub diuo Adriano perpetuum compoſuit edictũ. Ex his igitur, quæ inter illud ſuperius edictum perpetuum, & hoc poſterius differentia ſit, facile intellectu eſt. quum illud ob eam cauſſam ſic dicatur, quòd in uniuerſum Præturæ unius tempus ualeat: quum temporalia, in partem duntaxat, ueluti menſem unum aut alterum uim habeant: hoc uerò, ad omnes, omnium Prætorum iuriſdictiones pertineat: quum antea quotannis noua ferè edicta proponerentur. Ac de hoc ipſo intelligendum eſt quod Hermogenianus ſcribit l. 2. D. de ſtatu hom. De ceteris poſt, Edicti perpetui ordinem ſecuti, & his proximos atque coniunctos applicantes titulos, ut res patitur, dicemus. Item in l. ult. in. fi. D. de appell. recip. l. 5. D. de extraord. crimin. l. 21. D. de lib. cou.

EDICTA principum dicuntur, quibus non ad certã aliquam controuerſiam de qua conſulti ſint, reſpondent, ſed generaliter de re quapiam, quaſi nouam aliquam legem conſtituunt, ut l. hac edictali, 6. C. de inceſt nup.

EDICTALES dicebantur, & hoc nomine decorabãtur, qui annum unum in legũ ſtudio uerſati, alterum etiam adiungebant: ducta ſcilicet appellatione ab Edicto, cui cognoſcendo tum operam nauant. Imp. in epiſt. ad Anteceſſores, §. 3. In ſecũdo autem anno, per quem ex edicto eis nomen antea poſitum, & à nobis probatur, &c.

EDICTALES bonorum poſſeſsiones dicebantur, quæ ex Prætoris edicto ſine cauſſæ cognitione de plano dabantur: cum aliæ quæ Decretales uocabantur, cauſſa cum conſilio cognita pro tribunali decernerentur, l. 1. §. 1. D. ſi tab. teſtam. l. cùm quidam, 30. §. 1. D. de acquir. hæred.

EDITIO, pro natiuitate, ortu. Vlpianus l. 2. §. 1. D. de decurion. Si cõceptus ſit à plebeio, mox ante editionem pater eius decurionatum adeptus, ante editionem amiſerit, &c.

EDITITIVS iudex dicitur, quem una pars eligit: inquit Seruius Egl. III. Cicero pro Plã. Neq; enim quicquam aliud in hac lege, niſi editios iudices es ſecutus.

EDITVS, tus, tui, pro ſtercus quod ab armentis editur, id eſt egeritur. Vlpianus in l. 55. §. 4. D. de leg. & fid. libro 32. In quibuſdam prouincijs & editu

editu bubum ad hanc rem utuntur. Non enim ab Edo quod ueſci ſignificat (ut Accurſius putauit) ſed ab Edo quod priorem productã habet, id eſt ἐκδῦναι deducitur: ut ſint reliquiæ cibi quas natura deiicit ac reſpuit.

Effectu, re ipſa, &(ut uulgus loquitur) de facto. Paulus l. is qui, 15. D. de legat. præſtand. quia effectu fratris aufert partem dimidiam. & l. 5. in fi. D. commod. Verùm in uehiculo commodato pro parte quidem effectu me uſum habere. item l. 5. §. 1. D. quod cum eo. l. 1. §. qui minorem. D. ut legat. nom. cau. l. ſi habitatio, 10. D. de uſu & habit. l. decimaquarta, in fin. D. comm. diuid.

Effractores, plerunque dicuntur, qui ui fores parietesve diripiendi expilandiq; cauſſa perſtringunt. interdum etiam, qui ut è carcere effugiant, parietes eius perfodiunt. ut ſub tit. de effract. & expil. item l. 3. §. 1. D. de offi. præf. uigil. l. aut facta, 16. §. tempus. D. de pœn. Cicero in Vatin. Licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, uicinos compilaris.

Εἰνατέρες (ait Modeſt.) apud Græcos dicuntur, duorum fratrum uxores: quod uno uerſu, ait Modeſtinus, idem Homerus ſignificat,

Ηε, τεῦ ἐς γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων: Siue alicubi in glorium, aut inaterum ſpecioſis peplis. l. 4. §. 4. D. de grad. & adfin.

Εἰσιέναι δίκην, cauſſam agere. Paulus l. 48. de iudic. τοὺς ἄρχοντας ἐν ᾧ ἄρχουσι ἐνιαυτῷ μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων. Magiſtratus quo anno cum imperio ſunt, neque propriam agere cauſſam ſiue agendo, ſiue defendendo, &c. Demoſth. περὶ στεφάνου· καὶ γραφεὶς, τὸν ἀγῶνα τοῦτον παρανόμων εἰς ὑμᾶς εἰσῆλθον, καὶ ἀπέφυγον: id eſt, & Reus factus, cauſſam hanc uiolatarum legum apud uos dixi: & ſum abſolutus.

Eiicere, pro abortire, & immaturum partum abigere: quum Edere ſit maturum parere. Vlpianus l. 27. §. 14. D. ad leg. Aquil. Si mulier pugno uel equa ictu a te percuſſa eiecerit, Brutus ait Aquilia teneri, quaſi rupto. Plinius libro 11. Vulua eiectitio partu melior, quàm edito. Græci ἐκβάλλειν, dicũt: & partus eiectitios tum ἐκτρώματα τε ἐξαμβλώματα.

Ἐλαιῶνες, curator oleo coemendo. Arcad. l. ult. D. de mun. & hon. Cura quoque emendi frumenti, olei. nam harum ſpecierũ curatores quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant, creari moris eſt.

Electrum, aurum argento mixtum: quod fit de tribus partibus auri & una argenti: ut ait ex Plinio Seruius Grammat. quanquam aliæ ſunt electri ſpecies: ſed hæc ſola (ut opinor) celebratur in iure noſtro. ut l. 7. §. uoluntas. D. de acquir. rer. dom. l. 4. D. de legat. primo. §. 4. Inſtit. de rer. diuiſ.

Elenchi, margaritæ. Eos, inquit Plinius libro 9. cap. 35. appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes. hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. Ex quibus Pauli locus intelligitur in l. 32. §. ult. D. de aur. arg. Item, inquit, quũ inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi, & ſmaragdi duo, legaſſet, & poſtea elenchos eiſdem detraxiſſet: & quæreretur an nihilominus detractis elenchis inaures deberentur: reſpondit deberi, ſi maneant inaures, quamuis margarita eis detracta ſint.

Eleporia, elęemporia, olei coemendi cura. Arcad. l. ult. §. 2. D. de mun. & hon. Elemporia & oſpratura apud Alexandrinos patrimonij munus exiſtimatur

Elices, ſulci aquarij, qui in ſegetibus fiunt, ut per eos aqua pluuia educatur. Vlpianus l. 1. §. Labeo. D. de aqua & aq. pl. Sulcos tamen aquarios qui Elices appellantur, ſi quis faciat, aquæ pluuiæ arcendæ eos teneti ait. Columella libro. 2. ca. 8. Sed quamuis tempeſtiuè ſementis confecta erit. cauebitur tamen, ut patentes liras, crebrosq; ſulcos aquarios. quos nonnulli Elices uocant, faciamus. Item lib. 11. ca. 8. Eodem tempore foſſas riuosq; purgare, & Elices ſulcosq; aquarios conuenit facere.

Elogium, teſtificatio de certo homine: ut de inquiſitione criminum alicuius rei, quæ ad magiſtratum cuius ea de re notio eſt, mitti ſolet. Modeſtinus l. tertia. D. de re mili. Deſertorem auditum ad ſuum ducem cum elogio præſes mittit. Marcianus l. 6. D. de cuſt. rer. Non omnes ex fide bona elogia ſcribere compertum eſt. item, Irenarchæ quum apprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis & receptatoribus, & interrogationes literis incluſas atque obſignatas ad cognitionem magiſtratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi ſunt.

Elogium, oratio de re quapiam data opera, id eſt ob nullam aliam rem, perſcripta, Vlpianus l. 38. §. 2. D. de ædil. edict. Idcirco elogium huic edicto ſubiectum eſt, cuius uerba hæc ſunt, & cetera. id eſt de induſtria, ut de pecore nominatim caueretur, hæc clauſula ſubiecta eſt. Vlpianus propriè uſurpauit. nam Elogium cùm in bonam partem accipitur, eſt teſtificatio de homine certo, ei uni propria, neque alteri conueniens ut illud de Attilio Calatino, Vno ore cui plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe uirum.

Elogium in malam partem notatio quædam (ſic enim notationes Cenſoriæ dicebantur) exhæredationis cauſſam perſtringens. Africanus l. 14. §. 2. D. de lib. & poſth. Non enim uideri quaſi filium exhæredatum eſſe, quum elogium pater quum filium exhæredaret, propoſuiſſet. id eſt exhæredationis cauſſam. Sic in l. 1. §. idem ait. D. de Carbo. edi. l. 9. C. de ſuis & legi. Cice. in Cluentiana: Vnũ eſt etiam quod maximè me conturbat: quòd elogium recitaſti de teſtamento Cn. Egnatii patris hominis honeſtiſs. iccirco ſe exhæredaſſe filium

quòd

quòd is ob Oppianici damnationem pecuniā accepiſſet. Quint.li.VII.cap.IIII.Sed nonnunquā etiam reus hic totius ſummam conſtituit, ſi exhæredatum à ſe filium pater teſtatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amauerit.

Emancipatio, eſt imaginaria liberorum uenditio, quæ ad ſimilitudinem eius excogitata eſt, quam olim Romulus inſtituerat.nam is cauerat, ut ſi pater filium ter mancipaſſet, id eſt uendidiſſet, filiam autem ſemel: ij ſui iuris efficerentur. poſtea uerò ad ſpeciem atque uſurpationem uetuſtatis inſtitutum eſt. ut pater apud Prætorem alicui cuius fidem ſequebatur, & qui ob eam cauſſam Fiduciarius pater dicebatur, filium ſuum dicis cauſſa ter, filiam ſemel uendens, eos hac ratione de manu ac poteſtate ſua dimitteret. Quid autem ab Emancipatione Abdicatio differat, ex ijs quæ ſub eo uerbo dicta ſunt, facilè eſt intelligi.

Emancipati duobus modis intelliguntur: aut ij qui ex patris iure exierunt, aut ij qui aliorū fiunt domini. quorum utrunq; fit mancipatione. Feſtus lib.5.apud quem Dominii in genitiuo legēdum non dubito: ut ij ſignificentur, qui uerè ac non ſimulatè uenditi ſunt. Nam(ut multis ex locis conſtat.)

Emancipare ueteres dicebant, pro alienare & uendere, ut in Catone Maiore, Senectus ita honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi ius ſuum retinet, ſi nemini emancipata eſt. Et apud Plautum in Bacchidib.Nunc mulier tibi me emancupo: tuus ſum, tibi operam do. Et Philip.ſecunda, Tum iſte uenditum atque emancipatum Tribunatum conſilijs ueſtris oppoſuit. Et in libro primo de Finibus: quid L. Torquatus cùm illam ſeueritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipauerat.

Emanere, eſt diutius extra caſtra uagari.l. 3.§.is qui.D.de re milit. Hinc

Emanſor, qui diu extra caſtra uagatus, tandem reuertitur.d.l.3.§.emanſor.l.4.& l.5.D.eodē.Differunt autem emanſores a deſertoribus eo, quo Errones à Fugitiuis.

Embamma, à Græco ἐμβάπτειν, id eſt intingere. unde intinctum Plinius appellat.& eſt condimentū ex aceto intingendis obſoniis paratum. Vlpianus l.9.§.1.de contrahen. empt. Ceterùm ſi uinū non acuit, ſed ab initio acetum fuit, ut embāma, aliud pro alio ueniſſe uidetur. Idem l. 9. §. 1. de tritic. uin. Si acetum quis legauerit, embamma continebitur: quia aceti numero fuit. Ergo ſimile quiddā eſt, ut quod Roſaceum, aut Hyacinthinum, aut Sambuceum appellamus.

Ἐμβατευτικὸν ius, Alciatus lib.Parerg. 1.cap.36.id interpretatur, quod & quandam detentationem reſpicit, & rei poſſidendæ facultatem: tametſi proprietas uera ad alium pertineat. quale eſt ius ſuperficiarii, uel eius qui fundum uectigalem poſſideat. ἀπὸ τοῦ ἐμβατεύειν, quod eſt ingredi, & intrò pedem ferre. Vlpian.l. 3.§.4.de reb. eor. qui ſub. Si ius ἐμφυτευτικὸν, uel ἐμβατευτικὸν habeat pupillus; uideamus an diſtrahi hoc à tutoribus poſsit. Hæc Alciatus, cui aſſentior. etenim de poſſeſsione à Prætore impetrata locum interpretari, quemadmodum nonnulli faciunt, nulla ratio eſt: nam quo id exemplo uenderetur?

Emblemata, ἐμβλήματα, παρὰ τὸ ἐμβάλλειν. dicuntur cruſtæ & ornamenta exemptilia, quæ ſcyphis, ubi commodum eſt, apponi, adimiq; poſſunt. Vlpianus l.7.D.ad exhib. Idem & ſi armario uel naui tabulam meam, uel anſam ſcypho iunxeris, uel emblemata phialæ, uel purpuram ueſtimento intexeris, &c. Idem l.17.& Paulus l.32.§.1. D. de auro, argent.mund.& apud Ciceronem Verrina 7. frequentiſsimè.Item l.3.§.1.D.de trit.uin.

Embola, ἐμβολὴ, ī l.iubemus, 10. C.de ſacroſ.eccleſ. pro tranſuectione annonæ ſumitur. Iubemus nullam nauem ante felicem embolam, uel publicarū ſpecierum tranſuectionē publicis utilitatibus ſubtractā excuſari poſſe.Hoc autem in l.inſequēti ſic extulit, Cū ad feliciſsimam expeditionē noſtri numinis debeant ſolita nobis miniſteria exhiberi.

Emere, inquit Feſtus, quod nunc eſt mercari antiqui accipiebant pro ſumere.uide Emptio.

Emere antiqui pro conducere ponebant. uide Redemptores.

Emeritum, emolumentum quod ueteranis emeritis ſtipendiis obuenit. Modeſt.l.3.§.3.D.de re milit. Qui militiæ tempus in deſertione impleuit, emerito priuatur, & paulo poſt, Et ſi expleto militiæ tempore redeat, ut ueteranus reſtituetur, & emerita accipiet.

Emplaſtrum, ἔμπλαστρον, παρὰ τὸ ἐμπλάττειν, Cornelius Celſus li.5.c.17. definit medicamentū quod liquati aliquid accipit, ita ut ex multis cōponatur quæ in unum poſtea miſcetur. Imp.§.22.De rer. diuiſ. Aut ex ſuis & alienis medicamentis, emplaſtrum aut collyrium. Paulus l.18.§. 6. de inſt. uel inſt. In inſtrumento medici eſſe collyria & emplaſtra, &c. eius generis Caſsius ſcribit.

Emphyteusis, contractus eſt à Zenone Imp. primum nominatus, cùm ager ea lege fruendus datur, ut quandiu merces ſoluatur, nunquam ad dominium redeat.l.1.C.de im.emphyt. ubi Zeno ait ius emphyteuticarium neque conductionis, neq; alienationis eſſe titulis adiiciendum: ſed hoc ius tertium eſſe ab utriuſq; memoratorū contractuū ſocietate ſeparatum, cōceptionemq; ac definitionem habere propriam. Huius autem originem cōtractus uocabulū ipſum demonſtrat. nā ἐμφυτεύειν cōſerere eſt: ut facilè appareat, tū illū uſurpari cœptum, cum agri deſerti atq; inculti nō facilè colonum reperiebant: qui cùm impendium magnum in illorum culturā & conſitionem, atq; (ut nūc loquimur) meliorationem feciſſent, ab iis diſcedere cogerentur. Inſtitutum igitur, ut non ad tem-

pus, ſed in perpetuum, uel certè ad tempus longiſsimum illi agri locarentur: ea lege ut quandiu merces ſolueretur, tandiu uel certè uſque ad longiſsimum illud tempus retinerentur. Ex quo facilè intellectu eſt, quid ab Emptione, quid item à Conductione contractus hic differat. nam cùm omnium iſtorum ſex ſint partes, in duarum quidem perſonarum & rei tradendæ ratione nihil à ſuperioribus differt. in mercede autem, locationi quidem ſimilis eſt: emptioni uerò diſsimilis, in qua non pluribus & incertis ſummis, ſed una & certa precium perſoluitur. In conſenſu autem à locatione hoc differt, quòd illic res ad tempus, hic ferè in perpetuum traditur. à uenditione uerò, quod per eam res ſemel tradita purè alienatur: hic uerò ſub conditione, ſi merces perpetuò ſoluatur. In iure rurſus ab utraque ita diſcrepat, quod in locatione rei periculum ad ſolū locatorem pertinet: in uenditione, ad ſolum emptorem. hic uerò permiſtè ad utrunque pertinet. nam ſi res tota intereat, periculum ad dominū ſpectat: ſin ex parte, tantùm ad colonum.

Emphyteusis, ἐμφύτευσις: παρὰ τὸ ἐμφυτεύειν, quod inſerere eſt: genus eſt locationis, quo inculti ac deſerti agri colono alicui ea lege in perpetuum locantur, ut quandiu præſtituta merces ſoluatur, nunquam ad dominum reuertatur, & niſi quid aliud conuenerit, totius rei interitus ad dominū pertineat, partis uerò ad ipſum colonum. l. 1. C. de iure emphyteut. Imp. autē hoc ius modò Emphyteuticarium, modò Perpetuarium appellant: ut. §. 2. de loc. & cond. & l. 1. C. de offic. conſ. ſacr. palat.

Emptio eſt contractus iuriſgentium de quantitate cum corpore commutanda, ſola inter ſe pactione contrahentes obligans. Vel ſic:

Emptio & uenditio eſt contractus bonæ fidei, inter quos iure ciuili licet factus, de re certa certo precio, in perpetuum domini iure obtinenda. Ita ratio hæc rerum acquirendarum à Mancipatione diſcernitur: quæ non contractus eſt, ſed actus, ut uulgò loquimur, id eſt legis actio. Rurſus à locatione diſtinguitur, quia res conducta neque iure domini, neque in perpetuum obtinetur.

Emptio & permutatio ſic differunt. I. in emptione res pro numis datur. in permutatione, res pro re, uel numus pro numo, uel, ut certius loquamur, precium pro precio: ut equus cum boue, uel numus Gallicus cum Italico. II. In emptione ex ſola conuentione naſcitur obligatio: in permutatione ex rei traditione tantùm. III. In illa uenditor tenetur tantùm ad poſſeſsionem præſtādam: in hac rei dominium transfertur. IIII. Illa rei alienæ traditione poteſt conſiſtere: hæc uerò nequaquam. V. Ex illa uenditor una tenetur actione, nimirum eius quod intereſt: in hac, qui rem accepit duabus tenetur actionibus: aut condictione, aut petitione eius quod intereſt. l. 1. D. de rer. permut.

Emptionis uerbo lex XII. tabularum alienationē omnem complexa eſt, ait Pompon. l. ſtatuliberi, 29. in fin. D. de ſtatulib. Ego uerò animaduerti Varronem in lib. De re ruſtic. plerunque hac in re uerbum illud uſurpaſſe. ut libro II. cap. X. In emptionibus dominum legitimum ſex ferè res perficiunt. pro In aquiſitionibus. Idem cap. VIII. Sequitur quartum de emptione. Fit alterius, cùm à priore domino ſecundo traditum eſt.

Emptionis & uenditionis uerbis ueteres promiſcuè utebantur: ait Caius in l. 19. D. de act. empt. & uend. Quod ego interpretor in locationibus & conductionibus. quia hæc Caius ſcribit ad Titulum de publicanis: quod magnopere attendendum puto. nunquam enim reperietur, opinor, eum qui pecuniam pro re ſibi uendita numerat, uenditorem ab antiquis eſſe dictum. Conductores autem operum aut uectigalium, Redemptores ab antiquis appellatos eſſe, nemo eſt qui neſciat. Itaq; eundem Caium ſcripſiſſe in lege inſequenti facilè mihi perſuadeo: ubi non IDEM EST ſed ID EST, legendum puto: ut quod in Commentario ſuo ſcripſerat, planius interpretaretur: id eſt, in locatione & conductione. Venditionis autem & emptionis exemplum ex Verrina tertia proferemus. Vbi illa conſuetudo in bonis (prædibus prædijsq;) uendendis, omnium Conſulum, Cenſorum, Quæſtorum denique ut optima conditione ſit is, cuia res ſit, cuium periculum: id eſt, Vbi eſt conſuetudo illa uetus in operibus locandis, ut is qui conduxit, alijs omnibus anteponatur? Sic enim locum illum in commentarijs explicauimus. aliter atque Aſconius, aut Budæus, aut alii: fateor. ſed lector locum animaduertat, & in hac controuerſia ſuum iudicium interponat. nam adhuc qui meam cauſam improbaret, reperi neminem.

Emptum & paratum hoc differunt: quòd in empto paratum ineſt: in parato, non continuò emptum continetur. l. 47. §. 1. D. de leg. & fid. lib. 32 Paratum ergo generis nomen eſt: Emptū ſpeciei l. 45. 46. 47 49. 78. eod.

Endo procinctu, in procinctu. ſignificat autem quum ex caſtris in prælium exitum eſt: procinctos quaſi præcinctos, atque expeditos. nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur. Feſtus.

Enthecae, ἐνθῆκαι, impoſita inſtrumenta, ſiue dotes prædiorū. Papin. l. 2. §. 1. D. de inſtr., uel inſt. Dotes prædiorum, quæ Græco uocabulo ἐνθῆκαι appellantur, quum non inſtructa legantur, legatario non præſtātur. Vlpianus l. 68. §. 3. D. de legat. & fid. Prædiis cum his enthecis, quæ in ea poſſeſſione ſunt, relictis, &c. uide Dotes prædiorum.

Ἐν πλάτει, locutio eſt Iuriſconſultis familiaris, idem ſignificans quod laxè, non anguſtè, neque preſsè. nam ut ait Heſychius, πλατεῖα, τὰ ἐν πλάτει νεμόμενα μεγάλα. id eſt, πλατεῖα dicuntur paſcua longè lateque patentia. Ex quibus patet deductam locutionem ex ijs qui non in aliquo angulo & anguſto loco, ſed in campis latè patentibus uerſantur. Labeo l. 28. D. de probat. Num aliquis meminerit quo die aut quo Conſule factum ſit, ſed num hoc aliquo modo probari poſsit, quando id opus factum ſit. & hoc ita quod Græci dicere ſolent ἐν πλάτει poteſt enim hoc memoria non teneri intra annum puta L. aut LX. factum. Sic enim eum legendum eſſe locum in Obſeruationibus demonſtraui. Iulianus l. 13. D. de ſolut. Ratum autem habere dominus debet, quum primùm certior factus eſt ſed hoc ἐν πλάτει & cum quodam ſpacio temporis accipi debet. Vlpianus l. 12. §. 2. D. ratam rem hab. Hoc autem ἐν πλάτει accipiendum, & cum quodam ſpacio temporis nec minimo nec maximo. Et rurſus l. 3. D. de cond. tritic. Vt ſi quis diceret, Hoc tempus accipiendum eſt in campo, non in angulo: id eſt longum, non breue. Eſt enim à tempore ad locum tranſlatio. Et ſimillima locutio eſt apud eoſdem Iuriſconſultos Παρασατικῶς, de qua ſuo loco dicturi ſumus.

Ἐπιβάτηγοι naues eædem quæ uectoriæ, id eſt uectorum ductrices: iuncto nomine ex Ἐπιβάτης, id eſt uector, & ἄγω duco. Vlpianus l. 1. §. 5. D. de exercit. act. Quædam enim naues onerariæ: quædam, ut ipſi dicunt, ἐπιβάτηγοι ſunt: & pleroſque mandare ſcio ne uectores recipiant, & ſic ut certa regione & certo mari negocietur.

Ἐπιδημίαι, uiæ tritæ & peruulgatæ, per quas plerunque ad urbem aditur, ex δῆμος, id eſt populus confi cto nomine Vlpianus l. quarta. §. 4. D. de offic. proconſ. Ingreſſum etiam hoc eum obſeruare oportet, ut per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris eſt. & quas Græcia ἐπιδημίας appellat, ſiue κατάπλουν obſeruare.

Ἐπιμελῆται, curatores. Vlpianus l. 46. §. 1. de adminiſtra. tut. Sempronij bona Reſpub. iuſſu præſidis poſſedit. quorum bonorum magiſtratus Reipublicæ tres curatores conſtituerunt, qui apud Græcos ἐπιμελῆται uocantur.

Ἐπὶ πάσης ἐξουσίας, uſurpatum eſt, apud Paulum in l. 29. D. qui teſt. fac. pro Quacunque ratione & modo fieri poterit. ſcribit enim Paulus, ſcripturã ad teſtamentum paratam, uim teſtamenti non habere: niſi hæc ei uerba defunctus ſubſcripſerit, Hoc teſtamentum quacunque ratione poterit, ratum eſſe uolo.

Episcopvs ἐπίσκοπος, propriè ſpeculator. hinc ad eos qui alijs quibuſdam obſeruandis & cuſtodiẽdis præfecti ſunt, ad quos ſumma negocij pertinet, hoc nomen tranſlatum. ut patet ex epiſt. Cicer. 10. lib. ad Att. 7. Arcad. l. 18. §. 1. D. de mun. & honor. Item epiſcopi, qui præſunt pani, & ceteris uenalibus rebus quæ ciuitatum populis ad quotidianum uictum uſui ſunt, perſonalibus muneribus funguntur.

Epistola, pro cautione. Scæuola l. ulti. D. de pecun. conſtit. L. Titius Seiorum debitor deceſsit: hi perſuaſerunt P. Mæuio quòd hæreditas ad eũ pertineret: & fecerunt, ut epiſtolam in eos exponat debitorem ſe eſſe quaſi hæredem patrui ſui confitentem. qui & addidit epiſtolæ ſuæ, quod in rationes ſuas, & cetera. Marcellus l. 34. D. de pig. act. Petijt à creditore, ut fundum certo precio emptum haberet: & quum impetraſſet, epiſtolam qua ſe uendidiſſe fundum creditori ſignificaret, emiſit. Sic l. emptor, 47. D. de pact. l. ult. D. de inſtit. l. 24. l. 26. l. 28. D. depoſ. l. 34. D. de pign. act.

Epistolae Principum, quæ & Reſcripta Principum appellantur, dicebantur quibus illi uel ad poſtulata præſentium, uel ad magiſtratuum abſentium conſultationes reſpondebant. l. 1. D. de conſtitut. prin. Exemplum extat in l. ſed addes. 19. §. 8. D. locat. l. Diui fratres, 17. D. de Iur. patron. l. 3. D. de teſtibus. l. debitoribus, 17. D. de re iudic.

Epistomia, ἐπιστόμια, non ſunt foramina per quæ aqua effluit, ut Alexandrinus putauit: nam ab ἐπιστομίζειν confictum uocabulũ apparet, quod ſignificat os claudere, ſiue obturare. unde ἐπιστόμια clauſtra ſiue obturamenta canalium. Paulus libro Sentent. 3. cap. 9. Inſtrumento balneatorio legato, balneator ipſe & ſcamna, & podia, fiſtulæ, miliaria, epiſtomia, rotæ aquariæ continentur. Vbi tamen aut Aqviminalia legendum putarem: aut Familiaria Epistomia, id eſt fiſtulis applũbata: ut de Epitonijs in l. 17. §. quinto. D. de act. empt.

Epitonia, ἐπιτόνια, ab ἐπιτείνεσθαι, id eſt intendi, ſunt inſtrumenta quibus funes intenduntur. qualia pleriſque in Germaniæ locis cernuntur, rota inſtructa, & puteis applumbata eo ordine ut terni & quaterni ſimul aquam eodem ex puteo haurire poſsint, funiculo per rotam demiſſo. Vlpianus l. 17. §. 5. D. de act. empt. Caſtella plumbea, putea, opercula puteorum, epitonia fiſtulis applumbata, aut quæ terra continentur, quamuis non ſint affixa, ædium eſſe conſtat.

Epvlvm, conuiuium plebi datum. Paulus l. 122. D. de legat. & fideicomm. libro 30. Ciuitatibus legari poteſt etiam quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet. ad ornatum, puta quod ad inſtruendum forum, theatrum, ſtadium legatũ fuerit. ad honorem, puta quod ad munus edendũ uenationemve, ludos ſcenicos, ludos Circenſes: aut quod ad diuiſionem ſingulorum ciuium, uel epulum relictum fuerit.

Eqvitivm, armentum equorum. apud Vlpia. l. 70. D. de uſuf. & l. 12. §. 3. D. de uſu & habit.

Erectvm patrimonium, nondum diuiſum.

Feſtus libro v. Erectum, quod ſit inter conſortes, ut in libris legum Romanarum legitur. Erectum à coercendo dictum: unde & Erciſcundæ, & Erciſei. Citum autem uocatum eſt à ciendo. Ad hunc locum illud Seruij pertinet lib. Aeneid. VIII. Donatus, inquit, hoc loco contra metrum ſentit dicens, Citæ, diuiſæ: ut eſt in iure, Erecto, non cito: id eſt patrimonio uel hæreditate non diuiſa. Hæc illi. mirum autem uidetur mihi, niſi apud utrunq; ERCTVM non ERECTVM legendum ſit. ut Erctum dicatur, quia cùm hæreditas diuiſa eſt, alter ab alterius parte ercetur.

Hinc

ERCISCVNDAE familiæ actio ex XII. tabul. de qua ſub tit. D. famil. erciſc. Cicero in I. de Orat. Nec ſi parui nauigij & magni eadem eſt in gubernando ſcientia, iccirco qui quibus uerbis erciſci, oporteat, neſciat, idem erciſcundæ familiæ cauſſam agere non poſsit. uide Actio famil. erciſc.

EREMODICIVM, ἐρημοδίκιον, deſertum iudicium: ut origo uocabuli demonſtrat. Itaque ἐρήμην Heſychius μονομερῆ ἀγωγὴν interpretatur, id eſt iudicium ex uno litigatore conſtans. ſed quod idem addit cùm reus abſens damnatur, ad noſtrum eremodicinm non pertinet: quod non modò ad rei, ſed & ad actoris abſentiam Iuriſconſulti referūt. nam de actoris abſentia locus eſt apertiſsimus in l. ſeptima, in fin. D. de minoribus. Item & in eremodicijs minori ſubuenitur, inquit Vlpianus. conſtat autem omnis ætatis hominibus reſtaurationem eremodicij præſtari, ſi ſe doceant ex iuſta cauſſa abfuiſſe. De rei uerò abſentia idem ſic loquitur in l. 13. D. iudic. ſol. Quum quærebatur, ſi interpoſita iudicatum ſolui ſtipulatione, quum quis rem non defenderet, poſtea ex eremodicio ſnīam eſſet paſſus, an ob rem iudicata clauſula committatur. Et Imper. in l. 11. D. de iudic. Sin autem reus adfuerit, & ſimilis eius proceſſerit requiſitio, quemadmodum pro perſona actoris diximus: etiam abſente eo eremodicium contrahatur. Item aliquanto pòſt, Quum autem eremodicium uentilatur, ſiue pro actore, ſiue pro reo, examinatio cauſſę ſinę ullo obſtaculo celebratur.

EREMODICII exemplum, Paulus in l. ultima, D. ad S.C. Trebell. proponit, ubi Polycrates, quū eius aduerſarius Phœbus μονομερῶς egiſſet, uictus eſt Nam ut ſcribit Heſychius, Ἐρήμη. μονομερὴς δίκη: ὅταν μὴ ἀπαντήσας ὁ διωκόμενος ἐπὶ τὴν κρίσιν ἡττηθῇ: Ereme, inquit, eſt iudiciū una ex parte conſtās, quum reus qui ſe non ſtitit in iudicio, condemnatur.

ERGASTERIA, ἐργαστήρια, officinæ fabrorum atque opificum: itemq; tabernæ in quibus merces uenduntur. Imper. l. ſi cohortalis, 12. C. de cohort. Qui diuerſarum rerum negociationibus detinentur, trapezitas ſcilicet, uel gemmarum, argentiq; & ueſtium uenditores, apothecarios etiam, ceteroſq; inſtitores aliarum mercium, quibuſcunque ergaſterijs adhærentes. Sic l. 2. C. de epiſcop. & cleric. l. ſecunda, C. de met. & epidim. l. nona, C. de operibus publ. l. uigeſimaſexta. §. illos. C. de uſur.

ERIPERE, eſt de manibus auferre per raptum. l. 4. D. ne quis eum qui in.

ERRO propriè ſic definitur, qui non quidem fugit, ſed frequenter ſine cauſſa uagatur, & temporibus in res nugatorias conſumptis ſerius domum redit. l. 17. §. 13. D. de ædil. edict. l. 1. §. ult. D. de ſer. corrup. l. fugitiuus, 225. D. de uerb. ſign.

ERROR calculi dicitur, cùm in ratione ſubducenda per imprudentiam erratum eſt: ſic, ut tranſactio falſa ſuper eo errore facta ſit. l. 1. C. de err. calcul.

ERROR uel facti, uel iuris eſt. Facti eſt, cū aut quod factum eſt, neſcitur factum: aut quod non factum eſt, factum putatur: ueluti ſi quis eum cuius bonorum poſſeſsio ipſi deſerebatur, deceſsiſſe ignoret: aut alterum bonorum poſſeſsionem accepiſſe putat. l. prima. D. de iur. & fact. ignor. Iuris error eſt, cùm id quod certi & conſtituti iuris eſt, ignoratur. d. l. prima, & l. nona. §. 3. D. eodem, l. ſecunda, §. ſi à pupillo, D. pro empt. l. ſi fur, trigeſimaſecunda, §. primo, D. de uſurpat.

ESCALE argentum, pro Eſcario apud Modeſtia. l. 8. D. de ſupp. leg.

EVERTERE patrimonium, diſperdere. Vlpianus l. 1. D. ſi fam. furt. feciſ. Ne quum plures furtum admiſerint, euertant domini patrimonium, ſi omnes dedere, aut pro ſingulis æſtimationem litis offerre cogatur. Sic apud Cicer. pro Sex. Roſc. Hunc funditus euertit bonis. & Verrin. 3. Euertere aliquem omnibus fortunis.

Hinc

EVERSOR, pro prodigo, nepote, diſſoluto, qui patrimonium ſuum profundit. Caius libro Inſtit. 1. tit. 8. Sub curatore ſunt minores ætate, maiores euerſores, inſani qui euerſores aut inſani ſunt, omni tempore uitæ ſuæ ſub curatore eſſe iubentur.

EVICTIO, eſt eius rei quam aduerſarius legitimo iure acquiſierat, per iudicem recuperatio. l. non tamen, 24. D. de euict. quòd ut intelligamus, illud ſcire oportet, olim moris fuiſſe, ut ſi res non Quiritium, ſed gentium iure abalienaretur, is qui eam acquirebat, duplam, aut ſimplam ſtipularetur ſibi ab auctore dari, ſi ea ſibi iudicio adimeretur. quemadmodum Varro lib. De re ruſt. ſecundo, cap. decimo, ſignificat. cùm autē mancipio res uenerat, tum iudicij periculum præſtabat is qui eam uendiderat: uti poſterius in uoce Mancipiū ex Cicerone & Plauto docebimus. Itaq; Varronis locus intelligendus eſt, cum ait, Si mācipio nō datur: id eſt, ſi res nō acquiratur per ius Quiritium, hoc eſt per mancipationem & nexum. nam ſi mancipio res erat data, aut uſucapta, aut in iure ceſſa,

ceſſa, nunquam euinci poterat, id eſt iudicio à poſſeſſore auferri.

Evictionis autem nomine uel ex conſuetudine regionis caueri oportebat, l. ſi fundus, 6. eod. uel ſecundum id quod inter partes conuenerat. l. 4. & l. emptori, 37. Plerunque autem per ſtipulationem ſimplæ cauetur: hoc eſt, ut euictæ ſimplum uenditor emptori reſtituat. l. euicta 6. & l. euicta. 70. eod. ubi Paulus ait, euicta re, ex empto actio non ad precium duntaxat recipiendum, ſed ad id quod intereſt, competit. aut uerò cauetur per ſtipulationem duplæ, hoc eſt ut euicta re uenditor ad duplum præſtandum obligetur. l. uindicantem. 17. quæ ſtipulatio duplæ non de quauis re, ſed de ea quæ alicuius precij ſit inter ponitur: ſi margarita fortè, aut ornamenta precioſa, uel ueſtis ſerica, uel quid aliud non contemptibile ueniat. l. emptori, 37. eod. quinetiam & triplum & quadruplum ſtipulari poſſumus. l. ſi dictum, 56. eod. at in dubio ſemper ſimplæ ſtipulatio interpoſita iudicatur. l. 60. eod. ubi Iauol. ait ſi in uenditione dictum non ſit, quantum uenditorem pro euictione præſtare oporteat, nihil uenditor præſtabit præter ſimplam, euictionis nomine: & ex natura ex empto actionis, hoc quod intereſt. Commiſſa autem ſtipulatio dicitur, cùm aut res petitori reſtituta eſt, aut damnatus eſt litis æſtimatione, aut poſſeſſor ab emptore conuentus, abſolutus eſt. l. euicta. 16. §. 1. l. ſi ſerues, 21. eod. ſed perpetuò neceſſe eſt, ut maturè uenditori denuncietur dictatum eſſe iudicium, cuicuimodi illud ſit. l. ſi mancipium. 34. §. 1. & l. ſi rem quam, 29. §. 2. l. emptori, 37. Iam uerò aduerſus uenditorem triplex datur actio: ex empto, ex duplæ ſtipulatu, & ſimplæ. l. hoc iure, 27. neq; intereſt, utrum emptor ex ſtipulatione, aut empto aduerſus auctorē primùm agat. l. ſed etſi. 18. ubicunque autem ex ſtipulatione agi poteſt, ibi tum empti, tum etiam præſcriptis uerbis rectè agitur: at non ex contrario. Illud inſuper addendum eſt, Duplam hoc in loco non bonitatis rei, ſed precij conuenti accipiendam eſſe. l. cùm fundus, 48. l. ſi fundo, 53. D. eod. ad eamq; non ſatiſdationem exigi, ſed ſimplicem repromiſſionem ſufficere. l. ſi dictum, 56. eod.

Evnvchi, uide Spado.

Evocare ſacra. Vlpianus l. 9. D. de diuiſ. rerum Solent, inquit, qui liberare eum locum religione uolunt, ſacra inde euocare. Quibus uerbis euocari ſacra ex hoſtium urbibus ſolerent, cognoſce ex Macrobio, li. Satur. III. cap. IX. Eſt autem Euocare ſacra, religionem ex loco quopiam eximere.

Ex animi ſententia iurare ueteres dicebant, pro ſyncerè, liquidò & ex animo, ac ſine dolo malo. Liuius lib. XXII. Ex animi mei ſententia iuro, ut ego Remp. non deſeram, neque alium ciuem deſerere patiar. Cicero Academ. II. Quam rationem etiam maiorum comprobat diligentia, qui primùm iurare ex animi ſui ſententia quenque uoluerunt, deinde ita teneri ſi ſciens falleret.

Ex bonis, & in bonis differūt. nam in bonis eſſe propriè dicuntur ea, quæ ſitu & poſitione intra rem aliquam noſtram continentur: ex bonis uerò, quæ ἔξω, id eſt naturaliter ſunt extra rem: ſed tamen ad eam pertinent. ut aliud eſt annulum eſſe in dactyliotheca, aliud ex dactyliotheca. Itaque decem quæ in arca mea ſunt, in bonis meis eſſe dicuntur at quæ Titio dedi mutuo, ex bonis. item uſusfructus quem alieno in prædio habeo, in bonis meis non eſt: ſed ex bonis. Paulus l. D. de uſufr. leg. Nec uſus, nec uſusfructus itineris, actus, uiæ, aquæductus, legari poteſt: quia ſeruitus ſeruitutis eſſe non poteſt. nec erit utile ex ſenatuſconſulto, quo cauetur, ut omnium quæ in bonis ſint, uſusfructus legari poſſit: quia id neque ex bonis, neque extra bona ſit. Iuſtinianus. §. 2. de ui bon. rapt. Sanè in hac actione non utique expectatur, rem in bonis actoris eſſe. nam ſiue in bonis ſit, ſiue non ſit tamen ex bonis ſit, locum hæc actio habebit. Quæ igitur quaſi manu non tenentur, ſed conſequi per actionem poſſumus, ea ex bonis noſtris dicuntur: at quæ iam intra ditionem ac fines noſtros ſunt, in bonis. unde ſeruus iuſſu Prætoris abductus, in bonis noſtris eſſe dicitur. l. 2. in fine. D. ſi ex nox. cau. & l. 26. in ſi. de nox. act. Atque hæc quidem, uti ſuperius dicebamus, propria huius uocis ratio eſt. Impropriè autem in bonis noſtris omnia dicuntur eſſe quæ in patrimonio noſtro ſunt. l. 1. D. de rer. diuiſ. l. ult. §. non ſolùm. D. quæ in fraud. cred. & generaliter rem in bonis noſtris habere intelligimur, quoties poſſidentes exceptionem aut amittentes, ad recuperandam eam actionem habemus. l. 52. D. de acquiren. rer. domin. unde & res per uim alienata in bonis eius eſt qui ui paſſus eſt. l. 9. §. 6. D. quod met. cauſ. & uendita res in bonis uenditoris eſſe dicitur uſque dum emptori tradita ſit. l. ſicut. 8. §. ſi debitor, D. quib. mod. pign. uel hypot. Denique quicquid in actionibus, petitionibus, perſecutionibusq; eſt, bonis adnumeratur. l. bonorum 49. D. de uerb. ſignif.

Examinatio ciuilis, pro iudicium priuatum, ac pecuniarium. Vlpianus l. 1. §. 3. D. de abig. Qui pecora de quorum proprietate faciebat controuerſiam, abegit, ad examinationem ciuilem remittendus eſt.

Exarare, delere: ductum ex more aratri ducendi, dirutis urbibus. de quo ſuo loco diximus. Paulus l. 4. §. 4. D. fin. regund. Si dicantur termini deiecti uel exarati, iudex qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt. Cicer. libro de Legib. ſecundo, Quum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt.

Exarchiatri, qui archiatri dignitate functi ſunt in l.6.C.de profeſ.& med.lib.10.

Exarmare nauis dicitur, quũ quid ex ſuis armamẽtis perdidit. Paulus l.2.§.1.D.de leg.Rhodia, ſi eõ ſeruatis mercibus deterior ſacta ſit nauis, aut ſi quid exarmauerit, nulla facienda eſt collatio.

Exauctorare, inſignia militaria detrahere.l.4.§. non omnis.D.de re milit.l.29.D.de lib.cauſ. Vlpianus l.2.§.2.D. de his qui not. infam. Sed & ſi eum exauctorauerit, id eſt inſignia militaria extraxerit, inter infames efficit, licet non addidiſſet ignominiæ cauſſa ſe eum exauctoraſſe. hæc ille. Auctorare milites, eſt ſacramento ac ſtipendio adſtringere: opinor, quòd quas res quis auctione emiſſet (qui Auctor, ut alibi diximus, appellabatur) eæ Auctoratæ dicerentur, quaſi auctori addictæ atque obligatæ. Liuius eleganter tranſtulit libro 37. Nec fides antè Piſiſtrato facta eſt, quàm coram nuncio eius Polyxenidas ſua manu ſcripſit, ſe ea quæ pollicitus erat ſacturum: ſignoq; ſuo impreſſas tabulas miſit. Eo uerò pignore uelut auctoratum ſibi proditorem ratus eſt. neque enim eum qui ſub Rege uiueret, commiſſurum fuiſſe, ut aduerſus ſemetipſum indicia manu ſua teſtata daret. Auctoratum puto dictum quaſi addictum & planè obligatum. hinc Auctoramentum, non ipſa Auctoratio, ſed finis auctorationis: id eſt obligatio. Cicero lib. De offic.1. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emũtur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. id eſt, ut numus in auctione datus rem auctoris facit: ſic merces operario promiſſa, ipſum conductoris quodammodo ſeruum ac mancipium efficit. Sic Auctorati gladiatores dicũtur, cùm mercede conducti ſunt. Aſinius libro Epiſtol. decimo: Ob Fadium quendam militem Põpeianum, quia cùm depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctorari ſeſe nolebat, & ad populũ confugerat, &c.

Ex continenti, pro Continuò, & ut alibi, incontinenti, ſine ulla intermiſſione. Vlpianus l.7.§.1.D. de pact. Solemus enim dicere pacta conuenta ineſſe bonæ fidei iudicijs. ſed hoc ſic accipiendum eſt, ut ſiquidem ex continenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint: ex interuallo, nõ inerunt. Sic l.1.D. ſi is qui teſt. lib.

Ex uicini, pro Ex fundo uicini: figura nota Grammaticis, & è Græcis ſontibus deriuata. Vlpianus l.1.§.10. de aq.& aq. Aquam ſuperficientem ex uicini in ſuum deriuare.

Ἐξεβράσθη, Vlpianus in l.3.§.5.D. de incend. nauf. & ruin. dici teſtatur de naue eiecta, à uerbo ἐκβράζω, quòd eijcere & expellere ſignificat: Hinc Heſychius Ἐξεβρασθεὶν, inquit, ἐκβληθεὶν, ἀποῤῥιφεὶν.

Exceptio (ait Vlp.) dicta eſt quaſi quædã, excluſio, quæ interponi actioni cuiuſq; rei ſolet ad excludendum id quod in intentionem condemnationẽve deductum eſt. l.2.D. de except. Excludendum autem dixit, pro Eijciendum, & amputandum. nã Excipere propriè detrahere eſt: indeq; dicta Exceptio eſt, quòd partẽ aliquam de uniuerſo actoris iure detrahat. Quapropter eius formula uſitata hæc erat, Extra qvam: uel Nisi Si: uel Si Non. quaſi defenſor aliqua ex parte ueram eſſe actoris intentionem fateretur, ſed tamen cum exceptione. Qua de cauſſa Paulus in l. exceptio, 22. D. eod. formulam hanc Si non, quæ tota conditionalis eſt, ſignificans, ita ſcribit:

Exceptio eſt conditio, quæ modò eximit reum damnatione: modò minuit damnationem. uide Præſcriptio.

Exceptio eſt ea rei defenſio, quæ non omnem actoris intentionem excludit, ſed eius partem dũtaxat. nam exceptiones earum duntaxat rerum dari ſolebant, quæ facti erant, non iuris: id eſt, quæ actionem ipſo iure non extinguerẽt. quippe, quæ non erant à iure ciuili inſtitutæ ad actiones tollẽdas & perimendas.

Exceptionvm aliæ perpetuæ & peremptoriæ dicuntur: quæ ſemper agentibus obſtant, & ſemper rem de qua agitur, perimunt. ait Imper. §.6. de except. uel ſic: quæ ſemper locum habent, nec euitari poſſunt. l. 3. D. eod. titu. Aliæ uerò temporales & dilatoriæ: quæ non ſemper locum habent, ſed euitari poſſunt. dicta. l. tertia, uel ſic:

Exceptiones perpetuę & peremptoriæ ſunt, quę & obijci ſemper poſſunt, quippe quæ nec ullo tẽporis ſpacio, nec rei ullius mutatione amittuntur: & ſemel obiectæ ita extergunt obligationem, ut ea repeti poſtea non poſſit: cuiuſmodi eſt de dolo malo, de metu, de pacto, de iureiurando.

Exceptiones temporales & dilatoriæ ſunt, quæ & ad tempus tantùm obijci poſſunt, & obiectæ actionem tantùm differunt, atq; aliud in tempus reijciunt.

Exceptio doli mali conceditur ei, qui cùm dolo malo inductus, ſtipulanti promiſiſſet, iure ciuili obligatus erat. Eius formula hæc erat, Nisi dolo malo inductum eum ſtipulanti promiſiſſe appareat. l. prima, & paſſ. D. de doli & met. except.

Exceptio in factum conceditur ei qui errore inductus ſtipulanti promiſerat, & iure ciuili contra æquũ & bonũ obligatus fuerat. Extra Qvam Evm ivsto Errore inductum ſtipulanti ſpondiſſe appareat. ut l. Iulianus, 7. D. de doli except.

Exceptio Iuriſiurandi permittitur ei qui actore Iuſiurandum deferente iurauit ei ſe nihil debere Nisi appareat eum deferente actore iuraſſe, ſe nihil debere. l.3.& 4.D. de iureiuran. Item

ei

ei datur, qui petitore deferente, ſuam eſſe rē qua de in iure agebatur, iurauit.l.ſed & ſi poſſeſſori, D.eod. NISI APPAREAT eum petitore deferēte, rem ſuam eſſe iuraſſe.

EXCEPTIO non numeratæ pecuniæ, conceditur ei qui quaſi ſtatim credituro ſtipulanti ſpopondit, iureq́ue ciuili obligatus eſt. NISI NON NVMERATAM FVISSE PECVNIAM appareat. Eſt autem inſtituto Iuſtiniani biennis facta.l. in contractibus.C. de non numera.pecun.

EXCEPTIO pacti conuenti, eſt quæ aduerſus actionem opponitur, per quam aliquid a nobis petitur, quod nos quidem præſtaturos promiſimus: ſed poſtea inter nos ne id peteretur conueniſſe affirmamus. uti docet Imper.§.ſecundo, de excep.

EXCEPTIO pacti conuenti conceditur ei debitori, quo cum creditor de non petendo pactus erat, & qui tamen nihilominus iure ciui obligatus manebat.l.iuriſgentium, D. de pact. NISI CREDITOREM de non petendo pactum fuiſſe appareat.

EXCEPTIO procuratoria, inquit Vlpia. eſt exceptio qua reus dicit non licere procuratorio nomine agi: nec prorſus litem inficiatur, ſed perſonam euitat.l.2.§.3.D.de except.

EXCEPTIO quod metus cauſſa datur ei, qui cum metu adductus ſtipulanti promiſiſſet, iure quidē ciuili obligatus erat, prætori tamen propter iniquitatem & aſperitatem iuris ciuilis, dignus hoc pręſidio uidetur.l.1.& paſſ.D.de dol.mal.& met. SI NON METV inductum ſtipulanti promiſiſſe appareat.

EXCEPTIO rei iudicatæ conceditur ei, qui cùm in iudicio eiuſdem rei quę nunc ab ſe iterum petitur cauſſam obtinuerit, denuò tamen in ius uocatus eſt. NISI REM illam qua de agitur iudicatam eſſe appareat.l.1.& paſſ.D. de except. rei iud.

EXCONSVLE, conſularis, qui Conſulatu functus eſt.Imper. ad Anteceſſores, Tum per Tribonianum uirum magnificum, magiſtrum & exquæſtore ſacri palatij noſtri, & exconſule.

EXCVBICVLARII, qui cubicularij munere functi ſunt. Impp. l. 13.de excuſat.lib.Cod.x.Maximarum culmina dignitatum conſiſtoriani quoq; comites, notarij etiam noſtri, & cubicularij omnes atque excubicularij ab omnibus ſordidis muneribus uindicentur.

EXCVTERE aliquem, eſt in alicuius facultates inquirere, & uidere utrum ſoluendo ſit, necne.l.1.§. ſi inter.D.de magiſt.conuen.l.prima, C.de reuo. his quæ in fraud. Hinc

EXCVSSATVS pro Excuſſus. Paulus l.46.§.6.D. de admin.tut. Non prius ad eos reuerti pupillus poteſt, quàm omnes tutores excuſſati fuerint.

EXECVTOR, qui a Prætore rei iudicatæ exequendæ cauſſa mittitur.uel ſic:

EXECVTOR eſt, qui poſt ſententiam inter partes audita omni & diſc ſſalite prolatam, rei iudicatæ uigorem ad effectum perducit.l.penul.C.de execut.rei iudic.l.tertia.§.ſi executor, D. de negot. geſt.l.4.D.de appellat.

EXECVTORES negociorum dicuntur, ut opinor, uiatores, qui quæ ad iudicium conſtituendum, exercendum & exequendum pertinebant, agebāt l.ult. D.de teſtib.l. 13.& l.ult.D. de iudic.l. 15. C.de teſtib.l.cum clericis, 25.C.de epiſ.& cleric. §.tripli.de actionib.

EXERCITVI præeſſe dicimus eum qui legionē uel legiones cum ſuis auxilijs ab Imperatote commiſſas adminiſtrat.l.2.§.2.D.de his qui not. inf.

EXERCITOREM eum dicimus, ad quem obuentiones & reditus omnes perueniunt: ſiue is dominus nauis ſit, ſiue a domino nauem per auerſionem conduxit uel ad tempus, uel in perpetuum.l. 1.§.7.D.de exercit.act.

EXHEDRA, ἐξέδρα, propriè conclaue, in quo ſellæ poſitæ ſunt complures colloquendi cauſſa. Vlpian. l.5.§.2.D.de his qui deie.uel effud. Oportebit Prætorem æquitate motum in eum potius dare actionem, ex cuius cubiculo uel exhedra deiectum eſt: licet plures in eodem cœnaculo habitent. Cicero libro quinto de Finibus, & in Orat. de prouin.Conſ.pro conclaui ubi philoſophi ſedentes diſputarent, uſurpat.in lib. de Ora. tertio, Craſſum lectulo in exhedra poſitum dormientem facit.

EXHAEREDARE propriè eſt, eum qui ipſo iure hæres deſignatus erat, ab hæreditate remouere. Itaq́ue uerbum hoc in ſuis tantum hæredib. uſurpatur: in extraneis, res inepta eſt: inquit Paulus in l. quidam, 132.D.de uerb.obl. Animaduerti tamē impropriè & abuſiuè uerbum hoc etiam ad eos transferri qui præteriti ſunt: non tantum filios, uerum etiam agnatos: in eo loco lib. 1.de Orat. quē olim aliorum quorundam auctoritate adductus, corruptum arbitrabar. Res delata eſt ad Centum uiros, cùm miles domum reueniſſet, egiſſetq́ue lege in hæreditatem paternam teſtamento exhæres filius: id eſt, præteritus. Sic in Philip. orat. 11. fratrem ad quem, utpote proximum agnatum hæreditas pertinebat, exhæredatum legimus, pro ſilentio prætermiſſum: & eo ſilentio quaſi excluſum ac deiectum de ſpe certa & explorata quam habebat. Igitur, inquit, fratrem exhæredans, te faciebat hæredem. Sic Cornificius lib.ad Herennium IIII. Hæreditas aliqua obuenit? non poteſt dici: ſed etiam a neceſſariis omnibus exhæredatus eſt. Sic in Cluentiana: P.Aelij teſtamento propinquus exhæredatus cùm eſſet, hæres hic alienior inſtitutus eſt.

EXHAEREDATIONIS formula duplex eſt: aut enim nominatim liberi exhęredantur, aut inter ceteros. uide Nominatim: &, Inter ceteros.

EXHIBERE, eſt in eadem cauſſa præſtare, in qua fuit quum iudicium acciperetur, ut quis copiam rei habens poſsit exequi: actione quam deſtinauit in nullo caſu quem intendit, læſa.l. nona.§.4.

D.ad.

D.ad exhib. uel ſic:

Exhibfre, eſt facere in publico poteſtatem, ut ei qni agat, experiundi ſit copia.l.2.D.ad exhib.

Exhibere minus eſt quàm Reſtituere, inquit Gaius. Nam Exhibere eſt præſentiam corporis præbere: Reſtituere, eſt etiam poſſeſſorem facere, fructusq́ue reddere. pleraque præterea reſtitutionis uerbo continentur.l. 22. D. de uerborum ſignification.

Exhibet, inquit Labeo, qui præſtat eius de quo agitur præſentiam. nam etiam qui ſiſtit, præſtat eius de quo agitur præſentiam, nec tamen eum exhibet.& qui mutum, aut furioſum, aut infantẽ exhibet, non poteſt uideri eius præſtare præſentiam: nemo enim ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poteſt.l.246 D.de uerb.ſigniſ.

Exhibere in interdicto De lib.ho.exhib.eſt, ut ait Vlp.in publicum producere, & uidendi tangendiq́ue hominis ſacultatem præbere. propriè autem exhibere eſt extra ſecretum habere.l.3.§.7.D.de hom.lib.exhib.

Exhibere in tratactu de tabulis exhibẽdis, hoc eſt, inquit Vlpian. materiæ ipſius apprehendendæ copiam facere.l.3.§.5.D.de tab.exhib.

Exhibere, pro alere & educare. Vlpianus l.prima D.de offic.præſe.urb.Scd & patronos agentes de ſuis libertis querentes audiet, maximè ſi ægros ſe eſſe dicant, deſiderentq́ue, a libertis exhiberi. Sic l.prima, §.ſi pupillus.D.de tut.& rat.diſtrah.l. 5. D.de lib.agnoſc.l.ult.de in rem uerſ.

Exilium, ab ex & ſolum fictum eſſe uerbum, Feſtus, Nonius & Seruius ſignificant his uerbis: Solum ſignificat locum. hinc exules dicuntur, ſolo patriæ ſuæ pulſi. Item, Exules dicuntur extra ſolum. Item, Exul, quaſi trans ſolum miſſus, aut extra ſolum uagus. Item, Exulat, id eſt extra ſolum ſuum habitat. Quicunque ergo ſiue ſua ſponte, ſiue pœnæ ignominięve cauſſa extra ſolum ſuũ habitant, Exules dicuntur. quorum tamen tria genera reperio. nam alij Interdicti, alij Relegati, alij Deportati nominantur: quod illa inſcriptio declarat in lib. Pandect.48. De interdictis, relegatis & deportatis. Interdicti dicuntur, quibus interdictum eſt certi loci aditu commercioque. ueluti ſi quis Roma abeſſe iubeatur a conſule: ut L. Lamia eques Rom. quem (ut ſcribit Cicero in Orat.pro Sextio) P. Gabinius conſul iuſſerat ab urbe abeſſe millia paſſuum ducenta. Item ſi cui a præſide prouinciæ, ueluti Siciliæ, aditu ſuæ prouinciæ interdicatur. Cuius rei exempla ſuppeditant in l.ſeptima, §.4.5.& 6.D.eodem. Releuatorum autem duo genera ſunt. alij namque propriè Relegati dicuntur, cùm in locum aliquem ab hominibus amicis, & notis remotum amandantur: ut Ouid. qui in Pontum abire iuſſus eſt: qua de cauſſa ita ſcribit,

Arua relegatum iuſsiſti uiſere Ponti.

Cic.lib.de Offi.3. Criminabatur etiam quòd Titum filium qui poſtea eſt Torquatus appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſsiſſet. Alii uerò impropriè relegati dicuntur, qui nõ modò non amãdantur aliò, ſed certum in locum quodammodo includuntur: & quaſi circumſcribuntur. ut cùm præſes damnat aliquem ne domo ſua prodeat: in l.ult.D.eo. quod feciſſe Verres dicitur a Cicerone, Verrina 4. qui iudicem illum qui ſecundum Heraclium iudicarat, in ſenatu eſſe, lociſq́ue & commodis publicis uti uetuit. Itẽ cùm quis patria excedere uetatur, iubeturve certis in uicis morari: qua de re loquitur Vlp.ĩ l.7.§. ſolet. eod. eaq́ue eſt, meo iudicio, quam Marcianus latam fugam appellat in l.5.eod. Vbi ait latam fugam eſſe cum omnibus locis interdicitur præter certum locum. Nam latam fugam Græcus homo dixit, non facultatem liberè ubique uagandi, uno loco excepto, ſignificans: ſed φυγὴν potius demonſtrans, id eſt exilium ab omnibus locis præterquam ab uno: quaſi dicas, hominem ab omnibus locis præterquam ab uno aliquo fugatum. ſic enim Græcè nonnũquam noſtri loquuntur, ut notauimus in l. 1. D. de ſponſal. Sponſalia eſſe mentionem, pro μνηστείας. Apparet igitur neque corruptum illum eſſe locum, ut Budæus & alij exiſtimant, & hãc latam fugam ex aduerſo reſpondere Interdictioni. ſiquidem Interdictio dicitur, quum quis certi loci aditu, lata fuga uerò eum certi loci exitu prohibitus eſt. quod paucis hiſce annis apud Allobroges uſurpari uidi. cum decreto Senatus piſtor quidam urbe ſua exire per uniuerſum uitæ ſuæ tempus eſt prohibitus. quam multam Exilij nomine rectè a Iuriſconſultis appellari, locus quem ex orat. Cicer. pro Sextio ſubijciã oſtendit: Idemq́ue tu, cum his atque huiuſmodi conſilijs, ac facinoribus nomine C. Cæſaris clementiſsimi, atque optimi uiri, ſcelere uerò atque audacia tua M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expuliſſes, incluſum domi contineres: cumq; non maieſtate imperij, non iure legum, ſed ianuæ præſidio, & parietum cuſtodiis conſulis uita tegeretur, miſeriſne uiatorem, qui M. Bibulum domo ui extraheret, ut id quod in priuatis ſemper eſt ſeruatum, id te Tribuno pl. Conſuli domus exilium eſſe non poſſet. Deportati porrò dicebãtur, qui ciuitate ſua multati, uincti (ut ueriſimile eſt) neruo, aut compedibus, in nauim aliquam imponebantur, ſeruiſq́ue publicis ut eum in inſulam transferrent, tradebantur: idq́; atrociſsimum exilij genus erat, quod (ut modò dixi) ius omne ciuitatis & agnationis adimebat .l. 6.D.eod.l.4.D.de gradib.l.ſunt quidam, 17. D. de pœn.& l.1.D.de hæred.inſt. Itaq; neque capere quicquam ex teſtamento ciuis R. deportati poterant, neque ius ullum in ſua priſtina ciuitate retinebant.l.eius qui, 8.D.de teſtam.l. ſi pater, 9. C.de ſent.paſſ. Denique mortuorum loco habebantur .§.Cum autem. Quibus mod. ius. pat. l.

Gallus,

Gallns, D.de lib.& poſth. Hine illud Iulij Cæſaris edictum apud Suetonium : Deſinant, inquit, ultrà quærere, mihique, qui compertum habeo, eredant:aut quidem uetuſtiſsimaſ naui impoſitos quocunque uento in quaſcunque terras iubebo auehi. Sic Terent.in Phormione, Tantane affectum hominem qnenquam eſſe audacia? Nonne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier in ſolas terras? id eſt, in ſolitudinem, ut ait Donatus. Triplex igitur inter Deportationem & Relegationem differentia eſt. Deportati ciuitatem amittunt. d.l.6. de interdict. Relegati uerò retinent. l.7.§.1. eod. ubi Vlp. ait, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuũ quis fuerit relegatus, & ciuitatem Romanam retinet, & teſtamenti factionem non amittit: quod idem traditur in d.l.8. De teſtamen. & l.4. De interdic. ubi Vlp. ait, relegatum in poteſtate ſua liberos retinere: quia & alia iura ſua omnia retinet. Altera differentia eſt quod Deportati perpetuo exilio dãnantur: Relegati uerò, ſæpe ad tempus, d.l.7.§.1. De interdict. Tertia, quod deportati, ut uerbis declarat, ſeruis publicis traduntur ninćti, ut eos in nauim impoſitos in ſolas terras transferãt: ut loquitur Terentius. Relegati uerò exire iubẽtur his uerbis, ILLVM prouincia illa, inſulisque eis relego, excedereque debebit intra illum diem. d.l.7.§.his qui, eod. Atque hæc quidem ita propriè ac ſubtiliter diſputantur. Verùm intelligendum eſt, pinguius plerunque nos iſtis nti uerbis, ut qui interdicti propriè ſunt, relegati dicantur. Itaque Gallus Aelius Relegatos apud Feſtum ita definit, quibus ignominiæ, aut pœnæ cauſſa neceſſe eſt ab urbe Roma, aliove quo loco abeſſe, lege, ſenatusve conſulto, aut edicto magiſtratuum. Sic Vlp. in d.l.7.§.his qui, ſcribit eis qui relegantur, ita magiſtratus fari ſolitos, Te illa prouincia exire iubeo. Sic de L. Lamia Cicero loquens in ea pro Sextio, Eum, inquit, in concione relegauit, edixitque ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducẽta. Maximè uero uerbum exilij confunditur atque permiſcetur. Cum enim generale ſit (ut ſuprà diximus) tamen ad deportationis ſpeciem plerunque & quaſi propriè reuocatur, & a Relegatione remouetur. ut in l.2. D. de pœn. Capitalia, inquit, iudicia ſunt, in quibus pœna mors, aut exilium eſt: hoc eſt aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cætera, non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur: tunc enim ciuitas retinetur. In eandem ſententiam Ouid. li. Triſt. 2.

Adde quòd edictum quamuis immite minaxque,
Attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exul, dicor in illo:
Parcaque fortunæ ſunt tibi uerba meæ.

Item, Nec mea conceſſa eſt alijs fortuna, nec exul
Edicti uerbis nominor ipſe tui.
Arua relegatum iuſsiſti uiſere Ponti,
Et Scythicum profuga findere puppe fretum.

Item Triſt. v.

Ipſe relegati, non exulis utitur in me
Nomine: tuta ſuo iudice cauſſa mea eſt.

Nomen igitur exilij, quod generale eſt, plerunque ad ſpeciem Deportationis ita contrahitur, ut de ea ſola intelligatur. Marcianus autem in d.l.5. De interdict. ad ſolam interdictionem & relegationem contraxit. Vbi cum dixiſſet, exilium eſſe triplex, tamen duplex duntaxat ponit: ſpeciemq; pro genere conſtituit. quemadmodum ex ijs quę ſuperius dicta ſunt, facile intellectu eſt. Atque hæc quidem de exilio: cuius in Pandectis mentio fit. ſatis multa. nunc illud ſcire oportet, ſtantè Repub. diſsimillimam fuiſſe rationem exilij, quàm poſtremis temporibus fuerit. Nam (nt Cicero ſcribit in Orat. pro Cæcina) exilium non ſupplicium erat, ſed perfugium, portusque ſupplicij: nam qui uolebant pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, ſolum uertebant: hoc eſt ſedem ac locum mutabant. Itaque nulla, inquit, in lege noſtra reperietur, ut apud ceteras ciuitates, maleficium ullum exilio eſſe multatum. ſed cũ homines uincula ignominiasque uitant, quæ ſunt legib. conſtitutæ, confugiunt quaſi ad aram, in exilium: qui ſi in ciuitate legis uim ſubire uellent, nõ prius ciuitatem quàm uitam amitterent, quia nolnnt, non adimitur his ciuitas, ſed ab his relinquitur atque deponitur. Sic Cæſar in oratione de coniuratis apud Salluſtium, Eodem illo tempore maiores noſtri Græciæ morem imitati, uerberibus animaduertebant in ciues: de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſt autem lex Porcia, aliæque leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt. Et paulo ſuperius, An quia lex Porcia, ac aliæ item leges cõdemnatis ciuibus non animam eripi, ſed exilium permitti iubent? Et Polyb. in eandem ſententiam, libro 6. itemque Cic. in orat. pro Domo ſua. Scire autem illud oportet, moris tũ fuiſſe, ut quibus ciuitas lege adimeretur, ijs non exilium nominatim irrogaretur, ſed aqua & igni interdiceretur: quod in Commentarijs orationis, pro Cæcina iã pridem docuimus: & ſuperius ſub uerbo, Aqua & igni, nt dubitare nemo poſsit, quin cùm exilio damnatum aliquem per id tempus legimus, de aquæ & ignis interdictione intelligendum id ſit. Sed quæri uideo de C. Verre, de Fabricio & alijs, qui cum rei lege aliqua publicorum iudiciorum facti eſſent, ſeſeque damnatum iri uiderent, ſua ſponte ciuitatem relinquebant, utrumne exilium illud appellandum ſit: & ſi exilium eſſet, utrum legitimum, an uoluntarium? Reſpondemus autem noſtra quidem ſententia, nerißimum iſtud exilium fuiſſe, nec noluntarium appellandum, ſed & legitimum, & coactum, & neceſſarinm. legitimũ, quia leges quibus erant rei facti, ciuitatem ijs adimebant.

mebant. itaque abſentes condemnabantur: ut in Verrinam II. iampridem docuimus. Coactum autem ac neceſſarium, quia non ſponte ac libenter diſcedebant, ſed quoniam fore uidebant, ut paucis poſt diebus dānati ciuitatē relinquere cogerentur. Malebant igitur abſentes, quàm præſentes eam infamiam ſubire.

Eximere & Eripere in tractatu Ne quis in ius uocatum ui eximat, hoc differunt, quòd Eripere eſt de manibus auferre per raptum: Eximere, quoquo modo auferre l. quarta, D. ne quis eum qui in ius.

Eximi de reis dicitur, cuius nomen cùm ipſe in reos relatus eſſet, deletum eſt. l. hi tamen, II. in fine, D. de accuſat. l. ſi interueniente, 12. D. ad S.C. Turpill. ubi Vlpianus abolitione interueniente de reis exim. aliquem ſcribit. Cicero etiam Verrina IIII. ſignificat accuſatore abſente id fieri: Quo tempore, inquit, omnis illa mea feſtinatio fuit cum periculo capitis, ob eā cauſſam, ne tu ex reis eximerere, ſi ego ad diem non affuiſſem. Et Pedianus in Cornelian. Poſtero die cum P. Caſsius aſſediſſet, & citati accuſatores nō adeſſent exemptum nomen eſt de reis Cornelij.

Exempta actio dicitur quæ peremta eſt, cum deſijt quis agere poſſe. l. I. & l. 26. §. actio, D. ex quibus cauſ. maior.

Existimatio eſt, inquit Calliſtratus, dignitatis illæſæ ſtatus, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur, aut conſumitur. l. 5. D. de extraor. cognit.

Exorcisare. Vlpianus l. I. D. de extraor. cogni. Non tamen ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi, ut vulgari uerbo impoſtorum utar, exorciſauit. nō ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſint qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment. hæc ille ἐξορκίζειν eſt abiurare, & execrari. Talium imprecationum quibus morbi expelli credebantur, meminit Plinius lib. 28. cap. 2. Lucas etiam in Actionibus Apoſto. cap. 19. de præſtigiatoribus quibuſdam commemorat, qui ſe dæmonas poſſe pronunciato Chriſti nomine profligare profitebantur, quos ἐξορκιστάς appellat. Mentio fit in l. 6. C. de epiſ. & cler.

Expeditio, propriè profectio cum expeditis militibus. Salluſt. Iugurth. Marius interea exercitu in hybernaculis compoſito, cum expeditis cohortibus & parte equitatus proficiſcitur in loca ſola. Et paulo poſt, de eodem loquens, Pauidi ſine decore ad Syllam profugiunt, quem Conſul in expeditionem proficiſcens Proprætorem reliquerat. Imp. tamen pro caſtris poſuit in princ. tit. De mili. teſt. ubi teſtamentorum leges non exigit ab ijs qui in expeditionibus occupati ſunt. nam in §. 4. Quatenus, inquit, militant, & in caſtris degunt.

Experiri, uel Experiri ius (utrunque enim dicitur) lege agere eſt. inde deducto uerbo, quòd qui rem aliquam iudicio petunt, ij quod iuris ſe habere ad eam rem petendam arbitrantur, id ad iudices tentandi & experiundi cauſſa exponunt. Liui. l. 50. Prætor, īquit, L. Petilio dixit, ſeſe eos libros in ignem coniecturum eſſe. prius quàm id faceret, ſe ei permittere, uti, ſi quod ſeu ius, ſeu auxilium ſe habere ad eos libros repetendos exiſtimaret, experiretur: id integra ſua gratia facturum. Paulus l. I. D. de in ius uoc. In ius uocare, eſt iuris experiundi cauſſa uocare. Vlpia. ex Prætoris edicto in l. 4. D. ui bon. rapt. In eum in anno, quo primùm de ea re experiūdi poteſtas fuerit, in duplum, &c. Sic l. 3. §. hæc pœna, D. quod quiſq; iur. l. I. de diuerſ. temp. act.

Expatritius, qui patritiatum depoſuit. Zeno l. 3. C. de ſenat. uel patrit. Quoties uiro fortè patritio, uel expatritio, uel ei quem Prætorianæ, &c.

Expilatores, qui ſunt atrociores fures: hoc eſt enim expilatores, inquit Vlpianus l. I. §. I. D. de effract. l. aut facta, 16. D. de pœn.

Explicare pecuniam: quod Græci πορίζεσθαι, Latini Curare. Calliſtratus l. 31. D. de re iudi. Si qui tamen per contumaciam magis, quàm quia non poſsint explicare pecuniam, differāt ſolutionem. id eſt, in promptu non habeant.

Expressim, diſertè, nominatim. Paulus l. 98. §. 5. D. de ſolut. Quod ita poteſt admitti, ſi hoc ipſum expreſsim agebatur.

Expromissor dicitur, qui pro alio nouandi animo promittit. l. ult. D. ad Macedō. l. ſi mulier, 22. D. ad Velleian. l. 7. §. 4. D. de dol. mal. l. quarta, §. primo, D. de re iud. l. quarta, D. de condict. cauſſ. dat. l. qui libertinus, 37. D. de oper. libert. Itaque differt Expromiſſor a Fideiuſſore, ſiue Adpromiſſore. nam ille ſolus obligatur: hic cum alio. ille reus principalis eſt: hic acceſſorius. Illum qui dat, liberatur: hunc uerò qui dat, obligatus manet. l. uteres, quinquageſima tertia, D. de contrahen. empt. l. quod ſi, 10. D. de pign. act. l. quod ſeruus, 56. D. de pecul. l. 5. §. ſi pater, D. de iur. dot.

Extranei hæredes, uide Hæredes extranei.

Extrarii hæredes, iidem qui extranei.

Extraneus poſthumus, idem qui alienus. uide Poſthumus alienus.

Exquaestor, Quæſtorius, qui Quæſtura eſt functus. Hoc ex Iuſtiniani Præfatione Græca cum Latina collata intelligitur. quarum in hac ſic legitur, Quæ omnia confecta ſunt, per uirum excelſum necnon prudentiſsimum magiſtrum, Exquæſtore & exconſule Tribonianum: in altera uerò hoc modo, ἅπερ ἅπαντα συντέθειται καὶ ἐκπεπόνηται καλῶς τε καὶ τῆς παρ' ἡμῶν κελεύσεως ἀξίως παρά τε Τριβωνιανοῦ τοῦ ἐνδοξοτάτου καὶ σοφωτάτου μαγίστρου καὶ ἀπὸ κυαιστόρων τῶν ἡμετέρων βασιλείων, καὶ ὑπάτων.

Exrogare, eſt ex lege uetere aliquid eximere per nouam legem. Feſtus.

Extrahere iudicium, producere, prorogare, proferre. Paulus l. 10. D. ad exhib. Si optione intrà certum tempus data, iudicium in id tempus extra

ctum

ctum eſt,quo fruſtra exhibetur , &c.

Extra ordinem fieri dicnntur,quæ legitimo & uſi
tato ordine non obſeruato fiunt. Hinc

Extraordinariae cognitiones dicebantur ,
quas Prætores Præſideſque præter uſitatam of-
ficij ſui conſuetudinem ſuſcipiebant.l. 1. & paſſ.
D.de extraord.cogni.l.2.D.ex quib.cauſ. maior.
l.1.§. eſt autem,D.de exerc.act. Hinc

Extraordinariae perſecutiones:apud Vlp.in
l.pecuniæ,178.D.de uerb.ſignif.ueluti fideicom
miſſorum,& ſi quæ aliæ ſunt quæ non habent iu-
ris ordinarij executionem,id eſt,in quib. formula
rum conceptio non uſurpatur.l.actio.D. de neg.
geſt.& apud Vlp Inſti.cap.25. Hinc

Extraordinarium auxilium reſtitutionis in in
tegrum appellatur.l.in cauſſæ,16.D. de minorib.
propterea quòd tota ex Prætoris cognitione pen
debat,neque ulla certa actione poſtulari poterat.
l.quod ſi,24.in fi.D.eod. Hinc

Extraordinaria actio ea dicitur, quæ loco in
terdicti datur,propterea quòd interdictis agendi
ritus ſublatus eſt . tot tit.de interdict.ſiue extra-
ord.act.quæ pro his compet. Hinc

Extraordinaria pœna in §.in ſumma,9.de in-
iur.cuius arbitrium officio iudicis permittitur .l.
ult.C.eod.l.qui iniuriarum,43.l.ult.D. eod.

Extraordinaria crimina dicuntur , quæ non
lege aliqua publicorum iudiciorum,ſed extra or-
dinem magiſtratus imperio ac poteſtate exercen
tur . Vnde legitima crimina extraordinarijs op-
ponuntur ab Vlpiano l.3.D. de crim. ſtell. Idem
in l.ulr.D.de priu.delic. Si quis actionem quæ ex
maleficijs oritur,uelit exequi : ſiquidem pecunia
riter agere uelit, ad ius ordinarium remittendus
erit,nec cogẽdus erit in crimen ſubſcribere. enim
uero ſi extra ordinem eius rei pœnam exerceri ue
lit,tunc ſubſcribere eum in crimen oportebit.Idẽ
in l.ult.D.de furt.Meminiſſe oportebit,tunc fur-
ti plerunque crimine aliter agi,& eum qui agit in
crimen ſubſcribere : non quaſi publicum ſit iudi-
cium, ſed quia uiſum eſt temeritatem agentium
etiam extraordinaria animaduerſione coercen-
dam . Et in eandem ſententiam Paul.l.9. §.3.D.
de publi.uectig.Vlpian.l.1.in princ.D.de incend.
nauf.& rui.l.3.§.1.de crim.ſtell.& alibi per ſæpe.
Hinc titulus lib.Pand.XLVII.De extraord.crimi
nib. Hinc illa extraordinaria quæſtio nobilis in
Milonem conſtituta:cuius rei quæ ratio fuerit,ex
plicandum hoc loco uidetur . Nam quum eſſent
leges,eſſent quæſtiones ordinariæ de cæde,uel de
ui,quibus ſui Prætores,ſiue Quæſitores præerãt,
quibuſque reus poſtulari Milo poterat : Põpeius
tamen Conſul creatus legem de ui promulgauit,
qua nominatim cædem in Appia uia factam com
prehendit:in qua id quoq; ſcriptum erat,ut Quæ
ſitor ſuffragio Populi crearetur:creatuſq; eſt Cn.
Domitius Ahenobarbus,apud quẽ Milonis cauſ-
ſa extra ordinem acta dicitur , quod non ueteri-
bus legibus apud ſuum Prætorem, ſed noua lege
data opera perlata,apud certum Prætorem, id eſt
de induſtria creatum,acta ſit. quæ quidem lex pœ
nam grauiorem , & formam iudiciorum breuio-
rem damnato conſtituebat,quam illa uetus & uſi
tata: ſicuti docet Aſconius.quinetiam quas tabel
las alijs legibus Quæſitores ipſi ſuis iudicibus da-
bant, eas non Domitius Quæſitor, ſed Pompeius
Conſul diſtribuit . Itaque nouum iudicium Ci-
cero illud appellat,& obſcurè Pompeij factum ac
cuſans,Quantum,inquit,luctum in hac urbe fuiſ-
ſe a noſtris patribus accepimus,quum P. Africa-
no domi ſuæ quieſcenti illa nocturna uis eſſet al-
lata? quis tum non gemuit ? quis non arſit dolo-
re ? Num igitur ulla quæſtio de Africani morte
lata eſt ? certè nulla.quid ita?quia non alio facino
re clari homines,alio obſcuri necãtur.id eſt, Qua
lege pœna conſtituta eſt in eos qui cædem fece-
rint,ea lege quicunque ſiue clarum , ſiue obſcurũ
hominem interfecerit, tenetur : neque noua lex,
nouum iudicium,noua pœna extra ordinem ſta-
tuenda eſt . Sua enim cuique crimini ordinaria
perpetuaque quæſtio lege conſtituta erat , ut ait
idem in Bruto:perpetuæque ob eam cauſſam quę
ſtiones dicebantur,quia forma ijs per leges publi
corum iudiciorum præſcripta atque conſtituta
perpetuò ſeruabatur : nec quemadmodum antea
fiebat, ut quodque crimen admittebatur,Quæſi-
tor nouus nouaque iudicij forma conſtituebatur.
Quod ſiquando tamen contingeret, tum uerò ex
tra ordinem dicebantur agi iudicia , quia ſcilicet
contra uſitatum iudiciorum ordinem ac rationẽ
exercebantur:ut tum in Milonis cauſſa factum eſ
ſe conſtat . Nam ſi Milo apud eum Prætorem,
qui de ui iudicium eo anno exercebat , accuſatus
fuiſſet,neque nouus Quæſitor conſtitutus:utrum
tandem ordinarium,an extraordinarium illud iu
dicium fuiſſet ? Quare aſſentiri doctiſsimo uiro
non poſſum,qui Milonis iudicium, iccirco quòd
erat de ui,extra ordinem factum fuiſſe tradit : &
illud Tuccij de quo ſcribit ad Ciceronem Cęlius
l.8.epiſ.8.propterea extra ordinẽ habitum fuiſſe,
quia de ui reus eſſet factus. Ordinariam enim fuiſ
ſe de ui quæſtionem,ſuumq́ue,item ut alias,Præ-
torem certum habuiſſe,conſtat ex locis innume-
ris . Cauſſam tamen cur hoc Tuccij iudicium ex
tra ordinem exerceretur,aliam a Milonis iudicio
fuiſſe,locus epiſtolę perſpicuè demonſtrat,quum
id iudicium prætermiſsis alijs de ui reis omnibus,
quamuis prius factis,primo quoque tempore fa-
ctum eſſe teſtatur : neq; de Quæſtore nouo crea-
to mentionem ullam faciat. Cuius rei quæ ratio
fuerit , ut uerè dicam,coniectura aſſequi non poſ
ſum . neque enim Lutatia lege,quæ quotidie , fe-
ſtis etiam(ut ait Cicero pro Cælio) ludorumq́ue
diebus de ui iudiciũ exerceri iubebat, ſed & Plau
tia,& poſt ludorum dies acta cauſſa eſt . niſi fortè
dicamus,quemadmodum in quęſtione inter ſica-

rios

rios parricidij crimen extra ordinem ac primo quoque tempore in iudicinm uocabatur, ut conſtat ex libro de Inuent. 2. (parricidij enim crimen iudicij de ſicarijs partem fuiſſe, Roſciana oratio declarat) eodem modo in quæſtione de ui Plautia lege conſtituta, crimina quædam fuiſſe, de quibus propter atrocitatem ordine reorum neglecto ſtatim iudicandum eſſet. In quibus, ſi ſuſpicioni locus eſt, uis ingenuis allata non poſtrema fuit. Quare quum Sempronium hominem & cognomento & calore Rufum, εἰρωνικῶς Cælius mel ac delicias Ciceronis appellet (quo uerbo, ut ſatis conſtat, obſcœnitas plerunqne continetur) ſi Veſtorio Tuccium uim attuliſſe diceremus, ob eamque cauſſam lege Plautia extraordinema Sempronio eſſe accuſatum, totum illum locum hoc modo interpretari non incommodè poſſemus: ut Cælius Tuccij patronus, uerbum de crimine Tuccij, quod inficiari fortaſſe non poterat, nullum faceret: ſed ipſius Sempronij notam infamiam in iudicio commemoraret, exponeretque eum ipſum aliquando id pro beneficio dediſſe, quod in maximi flagitij loco Tuccio poneret: quodque Veſtorius in maximis iniurijs numeraret. Et quoniam rumor quoque aliquis, falſus fortaſſe, in ore tamen hominum uerſatus erat (qua de cauſſa ueterem fabulam appellat) Rufum hunc Ciceroni aliquando in delicijs fuiſſe, iocans Cælius ſubiungit, ſe quoque Ciceronis & illius fabulæ ueteris apud iudices mentionem feciſſe: ut iſto modo eluſus Sempronius, calumniã magno plauſu tulerit, qui non animo flagitij uindicandi, ſed ut præſentis anni Prætorem effugeret, auſus eſſet accuſatorem ſuum eius criminis reum facere, cuius ipſe iampridem omnium hominum ſermone damnatus eſſet.

EXTRICARE, propriè ex tricis eximere. Hinc Extricatæ margaritæ, perpurgatæ, mundatæ, expolitæ. Vlpia. l. 27. §. 19. D. ad leg. Aquil. Si quum maritus uxori margaritas extricatas dediſſet, eaq; in uito marito perforaſſet, &c. Contrarium eſt Intricare, unde Intricare peculium: de quo ſuo dicetur loco.

EXVLES appelantur omnes, quibus aqua & igni interdictum eſt: ait auctor ad Heren. libro ſecundo, uide ſuprà Exul.

DE LITERA F

FABIANA actio, uide Actio Fabiana.

FABRILES operæ libertorum dicuntur, quæ operoſæ ſunt, & ſub Artificialium uerbo continentur. l. fabriles, 6. D. de oper. lib. uide Operæ libertorum.

FACERE uerbũ, omnẽ omnino faciẽdi cauſſam cõplectitur: dandi, ſoluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi. l. uerbum, 218. D. de uerb. ſignif. item reddendi l. 175. eod. tit. Hinc Facere poſſe uel non poſſe, paſsim in iure ciuili, pro Soluendo eſſe uel non eſſe. §. penult. de actionib. l. 3. De conſtitut. pec. l. 24. §. 1. & paſſ. D. de re indic. l. 21. §. 1. D. rer. amot.

FACERE oportere, & hanc ſignificationem habet, ut abſtineat quis ab eo facto, quod contra conuentionem fieret, & curaret ne fiat. l. facere, 189. de uerbor. ſignif.

FACERE iudicatum, iudicis ſententiæ parere. Verbum eſt XII. tab. Ni iudicatum faxit, ſecum ducito. Celſus l. 42. D. ſi cert. petat. At ſi iudicatum fecerit Titius, nihil ultrà Seius tenebitur. Cicero pro Flacco, Itaque Recuperatores contra iſtum rem minimè dubiam prima actione iudicauerũt. quum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus eſt. Scæuola l. 45. D. de fideiuſſ. An cum hærede uenditoris ante diem quo iudicatum facere compelleretur, agere poſsit.

FACERE nomen, eſt in tabulas referre aliquid alicui deberi. Vlpianus l. 2. D. de proxen. Si proxeneta interuenerit faciendi nominis, quaſi mãdator nõ tenetur. quia hic monſtrat magis nomen quàm mandat, tametſi laudet nomen. Seneca in principio libri primi, Non eligimus dignos quibus tribuamus: ſed nomina facturi, diligenter in patrimonium & uaſa debitoris inquirimus. Idem libro ſecundo, Quidam uolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nec chirographum dari. Item libro tertio, Vtinam nulla ſtipulatio emptorem uenditori obligaret: nec pacta conuentaque impreſsis ſignis cuſtodirentur, fides potius illa ſeruaret, & æquum colens animus. Adhibentur ab utraque parte teſtes. Ille per tabulas plurium nomina interpoſitis pararijs facit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem humani generis fraudis ac nequitiæ publicæ confeſsionem: annulis noſtris plus quàm animis creditur. in quid iſti uiri ornati adhibiti ſunt? In quid imprimunt ſigna? uide Nomen, & Nomina facere.

FACERE totum, pro uim omnem habere. Vlpianus l. 35. §. 3. D. de hæred. inſtit. Rerum autem Italicarum uel prouincialium ſignificatione quæ res accipiendæ ſint, uidendum eſt. & facit quidem totum uoluntas defuncti. nam quid ſenſerit ſpectandum eſt.

FACTI alia eſſe dicuntur, alia iuris.

FACTI eſſe dicuntur, quæ non in iure aliquo ciuili, id eſt aliquo ex Iuris Quiritium inuentis atque inſtitutis, ſed in facto duntaxat poſita ſunt. Iuris ciuilis inſtituta dico, ueluti, Capitis diminutionem, poſtliminium, tutorum curatorumve auctoritatem, & quæ ſunt in eodẽ genere, exempli cauſſa, Poſſeſsio dicitur eſſe facti, non iuris: ac propterea poſſeſsio interrupta negatur poſtliminio reſtitui poſſe: quippe cùm poſſeſsio in facto conſiſtat. l. denique, decimanona, D. ex quibus cauſ.

maior.

maior. Hac ēt de cauſſa Hæreditas negatur poſſeſ
ſionē habere, in l. 1. §. Scæuola, D. ſi quis teſt. lib.
quia. ſ. Hæreditas ius eſt, neq; facere quicquam in
telligitur. Itē poſſeſsio dicitur poſſe à pupillo in-
telligēte ēt ſine tutoris auctoritate acquiri, atque
adeò amitti. l. 1. §. 1. & l. poſſeſsionē. 29. D. de acq.
poſſ. Similiter Habitatio dicitur eſſe facti, ī l. pen.
D. de cap. min. atq; ob eā cauſſam Habitationis le
gatū per capitis diminutionē nō perimi. ac nimi-
rum hoc illud eſt, quod ait Paulus in d. l. 1. §. 2. de
acq. poſſ. res facti infirmari iure ciuili non poſſe.
quemadmodum. n. ex eo iure non cōſtant, ſic nec
ab eo euerti, neque reſtitui poſſunt. Similiter ſolu
tio, uenditio, traditio, facti magis eſſe dicuntur,
quàm iuris, l. 7. D. de curat. furt.

FACTI aut iuris error, uide Error.

FACTI aut iuris quæſtio, uide Quæſtio.

FACTIO, ius faciēdi. Cic. in Top. Si ſtatuiſſemus ex
ædicto Prætoris ſcd̄m eas tabulas poſſeſsionē da-
ri, quas is inſtituiſſet, cui teſtamēti factio nulla eſ-
ſet, id eſt teſtādi facultas. Teſtamēti aūt factio nō
modò teſtamēti faciēdi, ſed ēt capiēdi ex teſtamē
to facultatem ſignifica. l. filiusfa. 16. D. de teſtam.

FACTORES, pro criminum auctores. Macer. l. 7. D.
de cuſt. & exhib. Solent præſides prouinciarū in
quibus delictum eſt, ſcribere ad collegas ſuos, ubi
factores agere dicuntur.

FACTVM & geſtum, uide Geſta & Facta.

FAENS, uide Fenus.

FALCIATVS, uide Calciatus, & Hama.

FALCIDIA lex quæ fuerit. cognoſce ex Indice legū
Romanarū. uſurpatur aūt Falcidię uerbū perſępe
pro quadrāte, quem ea lex hæredi attribuebat. ut
ſub tit. ad leg. Fal. itē pro quarta S. C. Trebell. l. 1.
§. Neratius. l. 51. 55. 58. & paſſ. D. ad Trebell. itē
ꝑ portione liberis debita, quia & ea 4. eſt. l. Papi.
8. §. unde. D. de inoff. teſt. l. quæ nuper. 31. C. eod.

FAMILIAE appellatio quā uariè accipitur, docet
copioſè Vlpianus in l. 195. D. de uerb. ſignif.

FAMILIARES olim dicebantur, qui ſerui erant. Ma-
crob. lib. Sat. 1. c. 11. Nā & noſtri maiores omnē
dominis inuidiam, omnem ſeruis contumeliam
detrahentes, dominū, Patremfamiliàs: ſeruos, Fa-
miliares uocauerunt. Seneca lib. Epiſt. v1. ep. 47.
Ne illud quidē uidetis, quàm omnē inuidiā maio
res noſtri dominis, omnē contumeliā ſeruis detra
xerint? Dominū, Patrēfamiliæ appellauerūt: ſer-
uos (quod ēt in mimis adhuc durat) Familiares. In
ſtituerūt diē feſtū, nō quo ſolum cū dominis ſer-
uiueſcerentur, ſed quo utiq; honores illis in do-
mo gerere, ac ius dicere permiſerunt: & domum
Rempub. puſillam eſſe iudicauerunt.

FAMILIAE appellatione, īquit Vlpianus, liberi quo
que continētur. Vnicus ſeruus familiæ appellatio
ne, non cōtinetur, ne duo quidē familiam faciunt
l. 40. §. 2. D. de uerb. ſignif. Cicero eodē modo in
Ora. pro Cæcin. Quid. n. facilius eſt, quàm proba
ri ijs, qui Latinè ſciāt, in uno ſeruulo Familiæ no
mē nō ualere? & paulo poſt, Neq; dubiū eſt, quin
ſi ad rem iudicandam uerbo ducimur, non re fa-
miliam intelligamus quæ conſtat ex ſeruis pluri-
bus: quin unus homo familia non ſit.

FAMILIAE erciſcundæ iudicium eſt, quod inter co
hæredes ideo redditur, ut & hæreditas diuidatur,
& ꝙ eo nomine alterū alteri dare facere oporte-
bit, præſtetur. qua igitur ex parte diuiſio poſtula-
tur, ea ex parte in rem actio eſt: alia uerò ex parte
perſonalis actio eſt aduerſus eū qui nobis ad dan
dum faciendū perinde obligatus eſt, ac ſi conuen
tum pactumq; inter nos fuiſſet, ut nobis obliga-
tus eſſet. l. 1. & paſſ. D. famil. erciſc.

FAMOSA in iure dicuntur, quæ famam & exiſtima-
tionem lædunt, infamiamq; afferunt. Hinc

FAMOSA iudicia, quorum damnatio infamiam affert
l. 7. D. de iniur. l. ult. D. ſi lib. ingen. l. 1. §. denique
D. de dol. mal.

FAMOSI libelli, qui dolo malo ad infamiam alicui
conciliandā parati ſunt. l. aut facta, 16. D. de pœ.
&. l. un. C. de famoſ. lib.

FAMOSVM carmen quod ad alterius ignominiam fa-
ctum eſt. l. is cui, decimaoctaua, D. de teſtam. l. ob
carmen, 21. D. de teſtib.

FAMOSI autem homines dicuntur, ijdem qui infa-
mes. l. 2. §. ult. D. de his qui infam. not. l. mulierē,
13. D. de accuſa. l. 2. §. ſi mater, D. ad Tertyll.

FANATICI, propriè ſacerdotes, qui furore correpti
inſanis oracula fundebāt. ut apud Vergi. li. Aenei.
6. & Lucan. lib. 5. Iuuen. Sat. 2.

Et crine ſenex fanaticus albo,
Sacrorum antiſtes.

Ii porrò furore illo affecti caput iactare, & co-
mas excutientes rotare ſolebant: ut ait Fabius li.
11. c. 3. ex quo qui atræ bilis abundantia caput ia
ctant. Fanatici quoque appellantur ab Vlpiano,
in l. 1. §. 5. D. de ædil. edict. Si ſeruus, inquit, iter fa
naticos non ſemper caput iactaret, & aliqua pro-
fatus eſſet, an nihilominus ſanus uideretur. Quod
paulo poſt appellat. Circa fana bacchari. Lāprid.
in Heliogab. Iactauit autem caput inter præciſos
fanaticos, & genitalia ſibi deuinxit.

FATALE damnū, Vlpianus in l. 3. §. 1. D. naut. caup.
appellat, quod hominis prudentia præcaueri ac
prouideri non poterat: quale eſt naufragij, latroci
nij, aut piratarum. Idem l. 2. §. 2. D. pro ſocio. Dā
na quæ imprudentibus accidunt, hoc eſt damna
fatalia, ſocij non cogentur præſtare. Sic l. 3. D. de
inſtr. uel inſt. l. 2. C. de condict. furt. l. 5. §. quod
uerò, D. commod.

FATALES dies Impp. appellant, qui peragendis ap-
pellationib præſtituti ſunt. l. 2. C. de temp. appel.
l. 32. C. de appell. l. ult. C. ubi ſenat.

FAVIANA actio, uide Actio Fauiana. Eadem qui
buſdam locis Fabiana dicitur.

FECIALES a Numa primùm inſtituti ſunt, è nobi-
liſsimis familijs delecti, qui eo munere per omne
uitæ tempus fungerentur. Dionyſius libro 11. eo
rum procurationem ſeptem in partes deſcribit.
1. Vt uiderent ne populus R. ulli fœderatæ ciui-

tati bellum inferret. II. Vt ab exteris nationibus res iniuria ademptas,repeterent. III. Vt poſtula ta facere recuſantibus bellum indicerent .IV. De iniuria contra fœdus illata cognoſcerent , & qui noxam nocuiſſet,dederent .V. De legatorum iniurijs cognoſcerent, & ut fœderum conditiones ſeruarentur,uiderent . VI. Pacem facerent : eam quæ minus rectè facta eſſet, reſcinderent . VII. De eo quod Imperator contra iuſiurandum feciſſet,cognoſcerent . Varro De uita populi Ro. Itaq; bella & tardè & nulla licentia ſuſcipiebant: quòd bellum,nullum niſi piū,putabant geri oportere:& prius quàm indicerent bellum ijs ,a quibus iniurias facta ſciebant,Feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores uocabant . Si cuius legati uiolati eſſent,quid feciſſent, quamuis nobiles eſſent,ut dederentur ciuitati ſtatuerunt:Fectialesq;xx.qui de his rebus cognoſcerent , iudicaret & ſtatuerent,conſtituerunt.

FELINVS Iuriſconſultus,Ferrariæ natus , ius ciuile tum in patria tum etiam Piſis cōplures annos magna auditorum celebritate docuit:monimentiſque ingenij ſui compluribus relictis, circiter annum D. uita exceſsit.

FENVS ab eo dictum eſt,quod pecuniam pariat increſcenti tempore,quaſi fetus,aut fetura. nam & Græcè τόκοι dicitur,ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod eſt parere . Varro libro tertio de Latino ſermone. Fenus autem dictum a fetu,& quaſi fetura quadam pecuniæ:nam & Catonem & ceteros antiquiores ſine O litera Fenus pronunciaſſe contendit, ut Fetus & Fecunditas. Hæc Nonius.

FENVS & feneratores,& lex de credita pecunia fenebris,a fetu dicta,quod crediti numi alios pariant, ut apud Græcos eadem res τόκοι dicitur. Feſtus

FENVS appellatur naturalis terræ fetus , ob quam cauſſam & numorum fetus fenus eſt uocatum, & de eare leges fenebres.Feſtus.

FENERARE pecuniam dicimur,quum eam ita collocamus,ut quaſi a re fecunda, ita ab ea aliquam inſuper pecuniam,quaſi fetum eius exigamus.

FENERATIO eſt occupatio pecuniæ , ad quæſtum aliquem ex numis creditis, ſine ullo creditoris uel impendio, uel labore , uel periculo exigendum,inſtituta : quæ ob eam cauſſam a Platone, Ariſtotele , ceteriſque magnis uiris damnata eſt, quia fructus quæritur ex re quæ natura ſua ſterilis eſt . neque enim numi ſua ſponte & ſine hominis induſtria fructum ferunt . Præterea Iuris ciuilis axióma eſt, non alteri quamque rem quæſtui eſſe debere , quàm cuius periculo eſt .l. ſi is qui,13.§.1.D.cōmod.Credita autem pecunia nō feneratoris,ſed ſolius debitoris periculo eſt . Inter uſuram autem propriè & ſpeciatim ſumptā, & fœnerationem hoc intereſt, quod illa non ad quæſtum faciendum,ſed ad id quod intereſt compenſandum inſtituta eſt : quoniam ut Paulus ſcribit, uſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur .l. cum quidam,§.ſi pupil lo,D. de uſur. At fœneratio ad lucrum ex nudis numorum corporibus ſine ullo labore & periculo faciēdū excogitata eſt.

FENERATOR , ſicut M.Varro in lib.3.De ſermo. Latino ſcripſit,a fenore eſt nominatus . Fenus autem dictum a fetu, & quaſi a fetura quadam pecuniæ parientis atq; increſcentis.Gel.li.16.c.12.

FENVS nauticum eſt,quod pro pecunia traiectitia, id eſt,quæ trans mare creditoris periculo deportatur,ſoluitur.ut patet ex tit.de naut.fen.li.Pand. 2.Vnde etiam maritima uſura nominatur in l. 6. eo.tit.uide Nautica pecunia.

FERAE dicuntur in iure noſtro,non præciſè , quæ natura feroces ſunt:quales ſunt urſi,leones, pantheræ:quæ propriè Beſtiæ appellantur,l.1.§. beſtias.D.de poſtul.& l.2.D.ad leg.Aquil.ſed generaliter omnes quibus immenſa atque infinita liberè uagandi uis a natura inſita eſt:quales ſunt lepores,damæ,cerui:quorum feram eſſe naturam nemo negat;inquit Caius in l.5.D.de acq.rer.dom. l.3.§.item feras,de acq.poſſ. Itaq; apes , pauones,columbæq; agreſtes Feræ appellantur , d.l. 5.de acq.rer.dom.Generaliter autem Feris manſuetæ opponuntur,quibus ſcilicet illa liberè & infinitè uagandi uis inſita non eſt:quales ſunt quæ gregatim paſcuntur : ut oues,capræ,boues,equi, muli,aſini.d.l.ſecunda,ad leg.Aquil.item gallinę, anſeresve chortales,l.5.de acq.rer. domin.

FERIAE aliæ ſunt repentinæ,aliæ ſolennes, l. tertia,C.de dilationibus.Repentinæ ſunt, quas re feliciter geſta Principes indicūt l.1.C.de ferijs. Solēnes uerò,quæ ſunt anniuerſariæ ac legitimæ.Itaq; feriæ ſolennes ferijs extra ordinē indictis opponūtur.in l.26.§.5.D.ex qui.cau. maior. ueluti ob res proſperè geſtas,& in honorem principis . l.1.C.de ferijs.

FERIARVM publicarū genera ſunt quatuor.aut.n. ſtatiuæ ſunt,aut cōceptiuæ , aut imperatiuæ , aut nūdinæ.Et ſunt ſtatiuæ uniuerſi populi cōes,certis & cōſtitutis diebus,ac mēſibus:& in faſtis,ſtatis obſeruationib.adnotatæ.Cōceptiuæ ſunt,quę quotānis a magiſtratibus uel ſacerdotibus cōcipiunt,in dies uel certos,uel ēt incertos:ut sūt Latinæ,Paganalia,Semētiuæ,Cōpitalia.Imperatiuæ ſunt,quas Cōſules uel Prętores pro arbitrio poteſtatis indicūt.Nūdinæ ſunt paganorū,id eſt ruſticorū,quibus conueniūt negocijs proprijs,uel mercibus prouiſuri.Sunt præterea propriæ feriæ familiarum,ut Claudiæ,uel Aemiliæ:ſeu Iuliæ, ſiue Corneliæ::& ſi quas ferias proprias quæque familia ex uſu domeſticæ celebritatis obſeruat.Ex Macrob.libr.primo,cap.16.

FERIATICI dies,pro Feriati, uel feſti.Vlpia. l. 2. D.de ferijs,Diuus Marcus effecit,de alijs ſpeciebus Prætorē adiri ēt diebus feriaticis. Appellanē aūt ſub eo tit.Feriæ,dies oēs quibus magiſtratus pp uacationē publicā ius nō dicit,ueluti pp meſſem,aut uindemias,aut depoſitū magiſtratum:ut cū in l.5.Vlp.ſcribit, Pridie Calendas Ianuarias magiſtratus

magiſtratus neque ins dicere, nec ſui poteſtatem facere conſueuerint.

FERRE iudicem alicui, pro iudicio aliquem laceſſere, & iudicem offerre. Cicero pro Q. Roſoio, Quem ego ſi ferrem iudicem, refugere non deberet: cum teſtem producam, reprehendere audebit. Liuius libro tertio, Proinde ut ille iterum ac ſæpius prouocet, ſic ſe iterum ac ſæpius iudicē illi ferre, ni uindicias in ſeruitutē dederit.

FERRI, inquit Caius, propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore baiulat: portari ea quæ quis iumento ſecum ducit: agi ea quæ animalia ſunt. l. 235. D. de uerb. ſignif.

FERRO damnati, uel Ad ferrum damnati dicuntur apud Vlp. cap. Inſt. 1. & l. 8. D. de teſtam. non qui ad beſtias damnantur: nam in l. 8. perſpicuè hæc ſeparantur: ſed qui ut cum gladiatorib. pugnent, damnantur. Itaque Suetonius de munere gladiatorum loquens in Nerone: Exhibuit, inquit, ad ferrum etiam quadriugentos Senatores.

FERRVMINATTO, eſt conglutinatio ex ea materia, cuius ex res ſunt, quæ conglutinantur. Paul. l. 23. §. 4. D. de rei uind. Si ſtatuæ ſuæ ferruminatione iunctum brachium ſit, unitate maioris partis conſumi. Item, Non idem in eo quod adplūbatum ſit: quia ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem: plumbatura non idem efficit. Pomp. l. 27. D. de acq. rer. dom. Quicquid in facto argento alieni argenti addideris, nō eſſe tuum totum argentū fatendū eſt. at contra ſi tuū ſcyphū alieno plumbo plumbaueris, alienove argento ferruminaueris: non dubitatur ſcyphum tuum eſſe.

FEVDVM genus eſt clientelæ, quo uel dignitas, uel uectigal, uel prædium aliquod ea lege alicui datur, ut & ipſe, & ipſius poſteri atq; hæredes, beneficij auctorem perpetuò agnoſcant, & quaſi pro patrono colāt: eiusq; caput, exiſtimationē, & fortunas tueantur. Illius. n. cauſſa & origo hæc fuit, ut uictores cùm gratiam ſuis ducibus, præfectis, ac militibus pro opera in bellis ac prælijs egregiè nauata referrent, honoribus & fortunis Italorum in illos transferendis: tum etiā certos ſibi deuinctos, & tanquam deuotos clientes haberent, quorum opera, bello partam regionem, in poſterum, ſi opus eſſet, tueri poſſent: quos ſua lingua modò Valuaſores, modò Vaſſalos appellarūt. Vnde tres Feudorū gradus facti ſunt, ſummus, medius, infimus. Summus ordo eſt principum ac procerum, qui lingua illorum Capitauei regni, Duces, Marchiones, & Comites appellati ſunt: & a Rege tū illis honoribus afficiebātur, tum etiā Italiæ oppidis ac uicis, locupletum etiam uictorum arcibus ac uillis donabantur. Quæ Feuda quia partē aliquam Regiæ dignitatis obtinebant (qui. n. Duces & Marchiones nunc appellantur, Reguli olim fuerunt) iccircò Regalia dicta ſunt. Itaque poteſtas eis data eſt cudendæ pecuniæ, creandorum magiſtratuum, ſalinarum & fodinarum exercendarum, caducorum, confiſcationum, earumq; functionum quæ Angariæ & Parangariæ appellantur: quæ iura vulgò iura Regaliæ (corruptæ, ut opinor, pro Regalia) nominātur. Medius ordo eorum fuit feudorum, quæ principis illius ordinis proceres, Regis conceſſu, ea lege alijs inferioris dignitatis hominibus dabant, ut Vaſſali ipſos ſecundum regem eius beneficij auctores ac patronos agnoſcerent, & pro capite ac fortunis ipſorū, ſi uſus ferret, pugnarent. Quo in numero ij qui vulgò illorū lingua Barones, ac Maiores Valuaſores, ſiue Vaſſali appellantur, fuerunt: qui patronos quidem illos agnoſcebant, ſed tamen, ut iam dixi, ſecundum Regem. Infimus ordo eorū fuit, quæ a ſecundi ordinis Vaſſalis in priuatos conferebantur: ſiue illi nobiles eſſent, quam nobilitatē armis pepererant: ſiue ignobiles: nam utriq; eadē qua ſuperiores iuriſiurandi formula obligabantur, quæ ab Oborto neſcio quo, in eo libro, qui vulgò uſus Feudorū inſcribitur, barbarè & fœdè perſcripta, ſolam hanc habet, quam antea dixi, ſententiā: ut cliens patroni ſui caput, exiſtimationē, ac fortunas, quoquo modo poterit, cōtra quēcūq; aduerſariū, ſolius Regis maieſtate excepta, tueatur. Hæc ex 11. noſtrarum Obſeruationum lib.

FIDE alterius pecuniam mutuam ſumere eſt, dato fideiuſſore ſumere. Cicer. pro Flacco, Hic hercule cornici oculum, ut dicitur: nam hunc Hermippum, hominem eruditū, percuſsit: eius enim fide ſumpſit a Fuſijs. Securus Hermippus Teunum proficiſcitur, cùm iſte ſeſe pecuniam, quam huius fide ſumpſerat, a diſcipulis ſuis diceret Fuſijs perſoluturum. Item in ead. Pecuniam ſumpſit mutuam a Sex. Schola, qui tamē reddidit P. Veratij lectiſsimi hominis fide. Vulgò tamen mendosè ſcriptum eſt FIDEI.

FIDE aliena, uel ſua, iubera ut e promittere: uide, Fideiuſſor.

FIDESCOMMSSSA ideò appellata ſunt, quia nullo uinculo iuris, ſed tantum pudore eorum qui rogabantur, continebantur. ait Imp. ti. De fid. liber. in princ.

FIDEICOMMSSSVM, eſt quod non ciuilib. uerbis, ſed precatiuè relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiſcitur, ſed ex uoluntate datur relinquentis. Vlp. tit. 25.

FIDEICOMMISSORVM alia ſingularia ſunt, alia uniuerſalia. Singularia ſunt, quæ ſingularum rerum fiunt: ueluti, Rogo te hæres ut Sempronio fundum illum reddas, reſtituas. Vniuerſalia uerò, totius hæreditatis: ueluti, Peto a te ut hæreditatē illi meam reſtituas.

FIDEICOMMSSSARIVS dicitur, is cui hæres rogatus eſt hæreditatem reſtituere. &

FIDEICOMMISSARIA hæreditas, quā hæres rogatus eſt alteri reſtituere.

FIDEIVSSOR dicitur, qui fide ac periculo ſuo

ſuadet,nt id de quo agitur, fiat: quoniam eius euentum præſtat. ut l.Lucius,24.D. de fideiuſſ. Peto des ei numos fide ac periculo meo. Itaque cum has paſsim formulas legimus, Stichum aut decem fide tua iubes? Quantam pecuniam eredidero,fide tua eſſe iubes? Mille modios tritici fide tua eſſe iubes? Si reus quadraginta non ſoluerit,fide tua eſſe iubes? cum inquam has formulas legimus,ſubauditur perpetuò,iſti eredita.nam Iubere,pro uelle,ſuadere,eupere, hic uſurpatur: ut ueteres in his locutionibus annotarunt, Iubeo te ſaluere, Iubeo te bono animo eſſe. Aliud autem eſt Fide ſua inbere, aliud Fide ſua promittere. F.de ſua reus principalis promittit, cum ipſe ſua ſponte ſpondet:ut medicus apud Plautum in Menahemis, Sanum futurum mea ego id promitto fide. Fide aliena promittit, cum fideiuſſorem, aut uadem, ant prædem præbet. At fide ſua iubet,qui auctor ac ſuaſor eſt, ut alteri quid credatur. Vnde Fideiuſſorem Donatus definit,auctorem credendi. Ergo Fideiuſſor & fide ſua iubet, & fide ſua,non aũt aliena promittit:at reus & ſua & aliena promittit. Fideiuſſorem autem ueteres Sponſorem appellabant.uti nominatur etiam in l.fideiuſſores,68.D.eod. Varro, Spondet qui dicit ſua ſponte Spondeo.ſpõdet etiam ſpõſor qui idem ut faciat obligatur. Itaq; a Cicerone perpetuò appellatur. Scæuola l.creditor:60.§.1. Mandati, Quamuis idoneè repromiſſuram tibi Titiã matrem puellæ dotem ſciam, tamẽ, & ipſe quo magis eoncilíem animũ tuum domui meæ,fidem meam interponere nõ dubito. Quare ſcias quodcunq; ab ea ex hac cauſſa ſtipulatus fueris, id me mea fide eſſe iuſsiſſe ſalunm te habiturum.

FIDES eſt, (nt ait Cic. lib.de Offic. 1.) dictorum conuentorumq́; conſtantia & ueritas: inde dicti,quòd fiat,quod dictum eſt. Et in lib. de Repub.ut Nonius auctor eſt: Fides nomen ipſum mihi nidetur habere,cum fit,quod dicitur. Hinc Vlp.in l.ex empto,11.D.de act. emp. Nihil magis,inquit,bonæ fidei eongruit,quàm id præſtari,quod inter contrahentes actum eſt. Ergo

FIDES bona eſt,eũ id quod dictũ ac promiſſum eſt, bene ac rectè fit.l.eũ uenderem,21.D.locat. unde illud Auguſti apud Sueto.qui populo promiſſum congiarium repoſcenti, Bonæ fidei ſe eſſe reſpondit.Sic Plaut.in Moſtell. TR. De uicino hoc proximo tuus emit ædes filius. TE. Bona fide? TR. Siquidem es argentum redditurus,tum bona:Si redditurus non es,non emit bona.

FIDEM ſuam liberare fideiuſſor dicitur,cum ereditoribus ſatisfacit: uel cautione ſcilicet,uel fideiuſſoribus datis. Cicero pro Flacco, Hermippus tamen Fuſijs abſentibus ſatisfacit, & fidem ſuam liberat.

FIDVCIA, eſt contractus quo fidem alterius ſecuti, rem ei aliquam ſimulandi tantum cauſſa mancipamus: inde ducta appellatione, quòd nulla alia re,quàm fide ac probitate emptoris freti eã uenditionem interponimus. unde Fiduciarius emptor ille rectè appellabitur: quemadmodum hæres fiduciarius dicitur,cuius fidei ſuam hæreditatem teſtator ad tempus tantùm credit. Hoc cùm ita ſit,illud iam ſcire oportet, olim formulam emancipationis hãc fuiſſe,ut pater filiũ ſuum alicui dicis cauſſa uẽderet,ab eoq́, numos aliquot acciperet:ac tum emptor hominem illũ ſibi uenditum manumitteret.quòd cum iterum ac tertio factum eſſet,eueniebat ut ex lege Romuli filius è poteſtate patris exiret.is autem qui eum manumiſerat,patronus eius efficeretur,ac proinde patronatus iure,ipſius inteſtatò mortui, quaſi liberti hæres eſſet.Cautio igitur a Iuriſconſultis inuenta eſt hæc,ut poſt duas uenditiones,totidẽq; manumiſsiones,pater ita iã tertiò filiũ uẽderet,ut ſibi nicisſim ab emptore reuẽderetur: ac tũ eũ ipſe manumitteret,ut eius inteſtatò morientis hæres eſſet.quo demũ caſu eontracta fiducia dicebatur, quia uicisſim a patre accepta fuerat, quaſi ultrò citroq́; facta.Cõtrahendi.n. uerbum reciprocationem in ſe quandam habere teſtis eſt Labeo, l.19.D.de uerb.ſig.Differunt igitur Fiduciã contrahere,& Fiduciam interponere.nam fiducia interponitur,eum ſemel tantum atq; ab uno accipitur.ueluti(inquit Boetius) ſi quis tempus dubiũ timens,amico potẽtiori fundũ mancipet, ut ei cum tẽpus ſuſpectũ præterierit,reddat.uel eũ pater ille filiũ ſuum emptori adumbrato uendit, cõfiſus ab eo cõtinuò filium ſuum manumiſſum iri: uel cum teſtator ſuam hæreditatem alicui ad tempus credit,cõfiſus illam ab eo alteri nominato reſtitutum iri.At contrahi fiducia dicitur, eum uiciſsim ac mntuò interponitur.ueluti eũ poſt tertiam uenditionem adumbratus emptor ita patri ſuum filium reuendit,ut eum pater eontinuò manumittat.ut l.2.§.obijcitur,D.ad Tertull. nam ſi contrahere fiduciam nihil aliud eſſet, quàm interponere:ſemper eontrahenda fiducia emãcipatio celebrata fuiſſet.nunc Iuſtinia.apertè teſtatur in Inſtitutionibus,emancipationes nõ eõtracta fiducia fieri poſſe:& ſi factæ olim fuiſſent,patrẽ filio ſuo inteſtato ſuceeſſurum non fuiſſe.§.ult. De legit. agn. ſucceſſ. Nonnulli autem Fiduciam interpretantur legem reuendendi uenditioni adhibitam.a quibus iccirco diſſentio, primùm quia Fiducia non pactum,ſed uerus principaliſq; contractus eſt:deinde quia iſta ratione nunquã emancipatio non contracta fiducia facta fuiſſet.

FIDVCIARIA hæreditas,id eſt fidei eius cui relicta eſt eommiſſa,ut eam alteri reſtituat. Vlpian.l.9. De reb.cred.Sed etſi ex ſenatuſconſulto agetur, competit hæc actio,ueluti ſi is cui fiduciaria hæreditas reſtituta eſt.agere nolet.

FIDVCIARIVS dicitur is, in quẽ ſimulatè aliquid ad tempus ea lege alienaſ,ut uel nobis ipſis,uel ei quẽ nominauimus reſtituat.Hic fiduciarius hęres apud

apud Iauol.l.Seius,46.& l.67.D.ad S.C.Trebel. is qui hæres ſimulatè & ad tempus ſcriptus eſt,dũ eam hæreditatem alteri uero ac perpetuo hæredi reſtituat. Hinc Fiduciaria hæreditas eodem loco, quæ fidei illius credita & commiſſa eſt. Hinc Fiduciariam operam legatus Imperatori ſuo præſtare dicitur à C. Cæſare, cui imperium ad tempus commiſſum eſt,ut eo exacto Imperatori ſuo illud reſtituat. Hinc Fiduciarius pater dicitur is à Caio in Inſtit. cui pater uerus filium ſuum ſimulatò mancipat. Quæ cum ita ſe habeant, dubiũ nemini eſt,quin Fiduciaria tutela dici deberet ea, quæ alicui ad tempus commiſſa eſſet,atq; concredita: & Fiduciariua tutor is, cuius fidem in ea tutela ipſi ad tempus credenda ſecuti eſſemus. Verùm cõſuetudine ſermonis à recta uia nominis pauliſper deflexum eſt:ut in commen. Inſtit. expoſuimus.

FIDVCIARIVS ſeruus, pro Oppigneratus. Paulus lib.Sent.2.c.12. Quicquid creditor per fiduciariũ ſeruum quæſiuit,ſortem debiti minuit.

FIGLINA, officina figuli. Iauolenus l.25.§.2.De inſtru.& inſt. Quidam quũ in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus ruſticum utebatur.

FIGLINVM opus,arte figuli perfectum. Paulus l.19. §.1.D.de ſeruit.urb.præd. Iuxta communem parietem cameram ex figlino opere factam iure haberi licet.

FILIABVS in teſtamentis ob diſcrimen ſexus, ait Plinius dici conſueuiſſe: cùm his tantùm nominibus adijci ſoleat, quæ numero plurali s s literis terminantur: ut cupiditates, dignitates, uel quæ v s, ut anus, manus, ſenatus, fluctus. Hæc Chariſius lib.1.

FILII appellatione omnes liberos intelligimus.ait Paul.in l.84.D.de uer.ſig.

FILII FA.& filiæ dicuntur, quæ ſunt in aliena poteſtate. nam qui ex me & uxore mea naſcitur, in mea poteſtate eſt.l.4.D.de his qui ſunt. uel ſic:

FILIIFAMILIAS dicuntur, qui ex iuſto matrimonio procreati ſunt (nam alij S.P.id eſt,ſine patre, & ſpurij nominantur) uel pro eo ac ſinati ſic eſſent, habentur, & in eum locum adoptantur.

FILIVM, eum definimus, qui ex uiro & uxore eius naſcitur: ait Vlp.l.6.De his qui ſunt ſui uel al.

FILIVM ſenatoris accipere debemus, non tantùm eum qui naturalis eſt, uerùm adoptiuum quoq;. neque intererit à quo uel qualiter adoptatus fuerit: nec intereſt an in ſenatoria dignitate conſtitutus eum ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam. Senatoris filius eſt & is, quem in adoptionem accepit: quamdiu tamen in familia eius manet.l.5.& 6.D.de ſenator.

FINALIS quæſtio,quæſtio de finibus,finium regundorum iudicium. Papin. l.11.D.fin. reg. In finalibus quæſtionibus,uetera monumenta,cenſus auctoritas ſequenda eſt.

FINI, ablatiuus apud noſtros uſitatus, pro uſq; ad finem, aut uſq; ad modum & quantitatẽ. Papin.l.1.D.De pign. Pacto placuit,ut ad diẽ uſuris nõ ſolutis,fructus hypothecarũ uſuris cõpẽſaret fini legitimæ uſuræ. Sic i l.15.D.ad leg.Fal.l.19.D. de cõpenſ.l.5.De collat.dot.l.4.§.ult. De naut. fen.

FINIVM regundorum actio: uide, Actio fin.reg.

FINES regi dicũtur,(inquit Boetius in Topic.) quoties unuſquiſq; ager proprijs finibus terminatur.

FISCI, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartea ſunt utenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas. unde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ quàm priuatæ, ut pro cenſu priuato loculos & arcã & ſacellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærarij, dicitur Fiſcus. Hæc Aſconius: quæ Ciceronis locus confirmat, quẽ ſubijciam ex Verrina 5. Quatuor H-S. quos mihi ſenatus decreuit,& ex ærario dedit, ego habebo,& in ciſtam transferam ex fiſco.

FISCI, fiſcellæ iunceæ, in quibus incluſæ oleæ torcularis prælo ſubijciũtur. Vlpia.l.19.§.1.D.locati, Fiſcos autẽ,quib. ad premendã oleam utimur, colonum ſibi parare debere Neratius ſcribit. Itẽ Columella lib.12.cap.48.& 49.

FISCVS, principis: Aerarium, populi. Spartianus in Adriano, Dãnatorũ bona in fiſcũ priuatũ redigi uetuit, omni sũma in ærario publico recepta. Plinius in Panegyrico, At fortaſſe nõ eadẽ ſeueritate fiſcũ,qua ærariũ cohibes: imò tãto maiore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis. Vide Aerarium.

FISTVLAE, tubuli per quos aqua ducitur. Vlp.l.15. D.de act.emp. Lines & labra, ſaliẽtes, fiſtulæ quoque quæ ſaliẽtibus iũgũtur. Idẽ l.12.§.14.D. de inſt.uel inſt. Fiſtulæ autẽ & canales,& crateres,& ſi qua ſunt alia ad aquas ſaliẽtes neceſſaria,&c. Sic in l.13.D. ſi ſeruit. uind.l. 47.& 49.& 78.D. de cont.empt.l.17.De ſeruit.urb.

FLAVISSAE ab antiquis Latinis dicebanť,quos theſauros Græco nomine appellamus: quòd in eos non rudes æs argentumq;, ſed flata ſignataq; pecunia conderetur. Gellius lib.2.cap.10.

FLVMEN, inquit Varro, ꝙ fluat. à quo lege urbanorũ prædiorũ ſcribitur, Stillicidia fluminaq; ut ita fluãt,cadãtq;. inter hæc hoc intereſt, ꝙ ſtillicidiũ eo quòd ſtillatim cadat: flumen quòd fluat continuè. Hæc ille libro De lingua IIII. Itaq; intelligẽda eſt ea ſeruitus, quæ Fluminis immittẽdi appellatũ: de qua in l.ſeruitutes.20.§. Stillicidiũ, De ſeruit.urb.& Põp.l.cũ in lege.33.De cõt.empt.l.15.D.ſi ſeruit. uind.l.1.§. ſciendum, D. de aqua & aq. plu.

FLVMINVM, ait Vlp. quædã ſunt perẽnia, quædam torrẽtia. perẽne eſt.quòd ſemper fluat, ἀέναος: torrens, ὁ χειμάῤῥους (id eſt, hyeme fluens) ſi tamen aliqua æſtate exaruerit, ꝙ alioquin penne fluebat, nõ ideo minus penne eſt. Fluminũ quædã publica ſunt, quædã nõ. Publicũ flumẽ eſſe Caſſius definit, ꝙ perenne ſit. hęc ex l.1.§.1.D.de fluminib.

FLVMEN, uide Aqua profluens.

FOCARII, mediaſtini qui foeum eurant.l. 1. §. caupones, D.naut.caup.ſtab.l.quæſitum, 12. §. Trebatius, & §.ſeq.& l.ſi ita, 15.D.de inſt.& inſt.

FOCARIA dieitur pro concubina, in l.3.C. de dona. int uir.& l.3.C.de condict.inſer.

FOLLIS pro marſupio & ſacculo pecuniæ:in l. 82. D.de cond.& demonſt.uide In ſolle afferre.

FOEDVS (ut Grammatici putant)ex eo dictum eſt. quòd in paciſcendo uictimæ fœdè & crudeliter necabautur: eiusq; murs optabatur ei, qui à paee reſiliſſet.unde Virgil.Aeneid. 1x.

Et cæſa iungebant fœdera porca. Eſt autem

FOEDVS pactio quædam ſocietatis populi R. iuſſu ritè per Fecialem certis legib. facta & iureiurando firmata.

FOEDERIS autem duo tantùm facio genera, Proculum ſecutus in l.7.D.de capt.& poſtlim.qui alterum appellat æquum amicitiæ cauſſa factum. alterum iniquum, ſiue impar, cum pactio ſit, ut is populus alterius populi maieſtatem comiter tueatur quod adijcitur(inquit)ut intelligatur, non pari iure utrunq; populum eſſe, ſed hunc altero ſuperiorem. quod etiam Cicero pluribus uerbis in Orat. pro Balbo confirmat. Liuius autem li. 34. eadem ponit genera:& illud prius ſcribit eſſe, cum pares bello æquo fœdere, in pacem atq; amicitiã uenirent. tunc enim repeti reddiq; per conuentionem res. alterum uerò genus eſſe, ait cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiã ſociali ſœdere iungendam eoeunt:eos neq; dicere, neq; accipere leges:id enim uictoris & uicti eſſe. Hæc Liuius:qui tamen præter illa duo genera tertium etiam addit, quo bello uictis leges dicuntur. ubi enim omnia ei qui armis plus poſſet, dedita eſſent, quæ ex ijs habere uictos, quib. multari eos uelit, ipſius ius atq; arbitrium eſſe. Sed uideamus, ne pinguior Liuij partitio ſit, illa Proculi limatior atq; ſubtilior: quippe cum Dedititij nõ propriè in fœdere, ſed in ditione eſſe dicantur. unde illud Latinorum de Campanis apud Liuium: Campanorum aliã conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionẽ in fidem ueniſſent. Item de Apulis: Ita in ſocietatem eos eſſe acceptos, ut non æquo fœdere, ſed ut in ditione populi R. eſſent.

FOEDVS pro Fœditas, Paulus l.3.D.de rit.nup. Nec enim honos ei ſeruatur, quæ ſe in tantum fœdus deduxit. Vulgati codices, SCELVS. ſed hoc modo ſcripſiſſe Paulum, ſacile crederem.

FURENSES actiones, quæ alibi ciuiles, ſiue rei familiaris, priuatæ, aut pecuniariæ dicuntur. Vlp. l. 1. D.de incend.nauf. Et quanquam ſint de his facinoribus etiam criminum executiones, attamen rectè Prætor ſecit, qui forenſes quoq; actiones criminibus iſtis præpoſuit. Item in l.1.C.

FORMA, modus, lex, conditio. Modeſtinus l.10.D. de pollicit. Quo caſu certaminis editio licita eſt, forma pollicitationi data ſeruanda eſt. Vlpianus l.2.§.2. Ad municip. Is qui ultra commeatum abeſt, uel ultra formam commeatui datam ad munera uocari poteſt. Idem l.52. De uerb.oblig. In cõuentionalibus ſtipulationibus contractui formã contrahentes dant. Sequitur enim, Prætoriæ ſtipulationes legem accipiant de mente Prætoris.

FORMA iuriſdictionis, pro modo, ſiue poteſtate qua ius alicui dicere permittitur. Calliſtratus l. 31.D.de falſ. Aut ſi plus meruiſſe uideatur, quàm ex forma iuriſdictionis pati poſsint, ut Imperatori deſcribatur, æſtimaturo quatenus coercei debeat.

FORMVLAE, quæ & Actiones dicebantur, ut ſuo loco demonſtrauimus, erant ſolennium uerborum conceptiones, quibus eadem in re populus R. uti conſueuerat. Vulgus hodie ſtylum, formulariumve appellat. Earum autem Iuriſconſultos principes & tanquam architectos fuiſſe, nemo neſcit. quare quas ex diuturna obſeruatione ueterũ ſcriptorum collegimus, in appendicem reſerendas putauimus: unde aſſumi poterũt, quæ cuiq; ad uſum ſuum accommodata uidebuntur.

FORNACARIVS ſeruus, & Fornacator: qui ignis in forno ſiue fornace accendendi curam habet. Nonius, Furnum & Fornaces dicũtur a ſorno, quod eſt calido. unde Forcipes, quòd candens teneant ferrum. Varro De uita populi R. Cocula, quæ coquebat panem primùm ſub cinere, poſtea in forno: cuius utriuſq; uocabulum à Forno ductum, id eſt, à calure. Vlpia. l. 27.§.5.D.ád leg. Aquil. Si fornacarius ſeruus coloni ad fornacem obdormiſſet, & uilla fuerit exuſta. Paulus l.13.& 14. D. de inſt. uel inſtr. Inſtrumento balneario legato continetur & Fornacator. Vtrobique tamen Fornicarius & Fornicator legitur, non rectè: quum à Fornice Fornicator, à Fornace Fornacator declinetur.

FORNICARII, uenalitij & mercatores qui ſub fornicibus tabernas habent, & merces expoſitas: FORICARII tamen apud Paulum legitur l. 17.§. 5.D.de uſur.

FORTVNA, ſingulari numero pro facultatibus & opibus. Scæuola l. 40. §. 5. D. ſtatulib. Argentarius coactur quum penè totam fortunam in nominibus haberet, ſeruis actoribus libertatem ita dedit.

FORO cedere, uide Cedere foro.

FORVM, inquit Varro, antiqui, quò conſerrent ſuas controuerſias, & quę uendere uellent, quò ferrẽt, appellarunt.

FORVM agere qui prouinciæ præeſt dicitur, quum ciuitates uocat, & de controuerſiis eorum cognoſcit. Feſtus.

FOSSA eſt, ait Vlpianus, receptaculum aquæ, manu ſacta. l. 1. §. 1. D. ut in flum. pub. l. uñ. in fi.D.de rip.mun.

FOSSATVM, pro foſſa. Modeſtinus l.3.§.2. D. de re.milit. Is qui exploratione emanet, hoſtibus inſiſtentibus, aut qui à foſſato recedit, capite puniẽdus

dus eſt. Plin lib. 17. cap. 21. Foſſatum purgari & extendi, ne crudum relinquatur. Sic apud Veget. lib. 4. cap. 16.

Fran. Accvrsivs Iuriſconſultos, Florentiæ natus, Ius ciuilæ Bononiæ, ann. à Chriſto nato M. CC. XXV. magna cum ingenij atq; induſtriæ laude profeſſus eſt. Gloſſas in omnes Iuris ciuilis libros ſcripſit, magnopere adiutus iis, quas ſuperiores Iuriſperiti Irnerius, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes, Azo multifariam adſcripſerãt. Præceptorib. uſus eſt Ioanne, qui Gloſſator uulgò nominatur, & Azone, & filio erudito Fran. Accurſio, qui eodem in loco Ius ciuile interpretatus eſt, patriſq; gloſſas locupletauit, relicto, ibidẽ uita eſt functus.

Fratrvm duo genera Iuriſconſulti faciũt: nã alios Conſanguineos appellant, qui ex eodem patre nati ſunt, quamuis non ex eadem matre: alios Vterinos, qui ex eadem matre tantum geniti ſunt. l. pe. & ult. C. de legit. hæred. l. 27. C. de inoffi. l. 21. C. de excuſ. tut.

Fratres patrueles, uide Patrueles.

Fravs apud ueteres pro pœna ponebatur: ait Vlpianus l. 23. §. 2. D. de ædil. edict. at in l. aliud, 131. D. de uerbor. ſignif. Fraudem genus conſtituit: Pœnam uerò, ſpeciem. Fraudis enim uerbo & noxam ſiue delictum contineri, & quaſi pœnæ quandam præparationem: id eſt. (ut ego arbitror) noxę imputationem, & pœnæ periculum.

Fravdem igitur pro noxa legimus in edicto Aedilitio l. 1. Si Qvod mancipium capitalem fraudem admiſerit. quod Vlp. interpretans in d. l. 23. Capitalem fraudem admittere, inquit, eſt tale aliquid delinquere propter quod capite puniendus ſit. Itaq; uſurpatur à Cicerone in orat. pro C. Rabirio, & 1. de Orator.

Fravdem autem pro imputatione noxæ, & pœnæ periculo legimus in l. 1. D. ad leg. Falc. Eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto. & in l. 25. D. de adulter. Viro adulterum in uxore ſua deprehenſum retinere horas uiginti teſtandæ eius rei cauſſa, ſine fraude ſuo iure liceto. & in l. 8. D. de accuſat. l. 23. D. de iniur. Hinc

Fravs pro incommodo, damno, periculo. ut in fœdere antiquo apud Liuium li. 1. Rex, facisne me tu Regium nuncium popul. R. Quiritium? Quod ſine fraude mea populiq; R. Q. fiat, facio. Et paſſim Ne Sit ea res fraudi.

Fravs legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non uetuit, id fit: & quod diſtat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc diſtat fraus ab eo quod contra legem fit. l. 30. D. de legib.

Fribvscvlvm, diſceſsiuncula coniugum non diuturna. Vlpian. l. 32. §. 8. De dona. int. uir. & uxor. Quòd ſi diuortium non interceſſerit, ſed fribuſculum, profectò ualebit donatio, ſi fribuſculum quieuit.

Frivola, inquit Feſtus; uaſa ſunt propriè fictilia caſſa. Vlpian l. 11. §. 4. D. de pigner. act. Nõ enim credibile eſt hoc conueniſſe, ut ad uniuerſam penſionem inſulæ friuola mea teneantur. Poſitum uidetur pro ſuppellectili hominis tenuis & inopis. Seneca lib. Controu. 111. Ego illos in friuola inuitaui noſtra.

Frvctvs generis nomen eſt, quo ea omnia quæ terra gignuntur, propriè comprehendimus. eius duę ſunt ſpecies, quarum altera Frugum nomine appellatur: nimirum quæ minutæ fruges dicuntur, hoc eſt, quæ ariſta aut ſiliqua continentur. l. frugem, 77. D. de uerb. ſig. altera uerò generis ſui nomen obtinet, & quicquid præterea ex terra natũ ad hominum alimentum pertinet, complectitur: ueluti uinum. oleum, & arborum baccæ, item fœnum, arundo cædua, ſylua. l. 48. D. uſufruct. l. 40. De cont. empt. Hæc, ut dixi, propria huius uerbi ſedes eſt: poſtea uerò longius tranſlatum fuit. nã primum Fructus nomine appellata ſunt omnia, quæ non tantum ex terra, uerumetiam ex animalibus naſcuntur: ueluti fœtus, lac, pilus, lana. l. 48. §. ult. D. de acq. rer. dom. l. 28. D. de uſur. l. uaccæ, 43. D. de euict. & paſsim apud Catonem, Varronem, & alios. Itaq; plerunq; in iure noſtro obſeruatur, ut Fructus nomine illa ſola contineantur: ſepareturq; à cæteris obuentionibus & emolumẽtis quæ alijs ex rebus percipiuntur. ueluti uſuris, mercedibus, uicturis iumentorum, &c. unde tit. De fructib. & uſur. &c. ſic l. 34. illo tit. l. 11. D. de donat. l. 29. D. de hær. petit. l. 39. §. fructus, De legat. 1. Tandem uerò.

Frvctvs nomen etiam ad hæc omnia tranſlatũ eſt, ut eo res omnes ſignificentur, ex quibus emolumentum aliquod percipitur: quæ tamen non tam fructus eſſe, quàm fructuum uocem obtinere dicuntur. l. 34. D. de uſur. l. 62. D. de rei uind. l. 83. D. de lega. 111. l. uſura, 121. D. de uerb. ſig. l. 88. §. ult. D. ad leg. Falcid. l. ult. D. de uſur. l. 8. §. 1. D. de reb. auct. iud. l. un. §. cum autẽ, C. de rei ux. act.

Frvctvs alij naturales dicuntur, alij expreſsi ſiue induſtriales. Naturales dicuntur, qui ſua ſponte, ſolius naturæ beneficio ac ſine hominis opera naſcuntur: quales ſunt glandes & baccæ arborum, & oleæ, & ſyluæ cæduæ, & fœnum. Expreſsi ſiue induſtriales ſunt, qui opera & cultura hominũ, proueniunt: ut fruges quæ ſationem requirunt, uites quæ culturam.

Frvctvs alii pendentes dicuntur, qui terra adhuc continentur. l. 27. D. de uſufr. l. 44. De rei uindic. alij percepti, qui iam à ſolo ſeparati ſunt. §. is uerò, De rer. diuiſ.

Frvctvs, pro uſufructu crebrò in libris noſtris uſurpatur. & hoc eſt quod ait Iulian. in l. uaccæ 43. D. de euict. Fructus nomine & ius & corpus ſignificari. Itaq; Vſusfructus an uſus legetur, nihil intereſt. nam & fructui uſus ineſt. l. per ſeruum 14. §. 1. D. de uſu & habit. Hinc

Frvctvarivs plerunque pro Vſufructuarius. unde

de Fructuarius ſerui qui uſumfructum habet in ſeruo.l.63.D.de ſolur. Interdum tamen Fructuarius ſernus, aut fundus dicitur, in quo uſumfructum quis habet.l.22.D.de uſufr.l.27.D.de ſtip. ſeru.l.1.D.ſi nſuſf.petat.

FRVCTVS & uſus hoc differũt, quòd fructui & nſus ineſt: uſui fructus deeſt. & fructus quidem ſine nſu eſſe non poteſt: uſus ſine fructu poteſt. ut ſi tibi fructus deducto uſu legatus ſit, inutile ſit legatum.& ſi uſufructu legato fructus adimatur, totũ ademptum ſit.ſed ſi fructus ſine uſu, uideatur conſtitutus qui & ab initio conſtitui poteſt.ſed ſi fructu legato uſus adimatur, nulla ſit ademptio.l.14 §.1.D.de uſu & habit.uide VSVS, à fructu.

FRVCTVS in hæreditatis petitione intelliguntur, deductis impenſis quæ quærendorum, cogendorũ, conſeruandorumq́; eorum gratia fiunt.l. 36. §.5. D.de hære.pet.

FRVGES, Varrone, Donato & Seruio auctorib.inde dictæ. quòd his fruamur. Earum autem duo genera prima Plin.facit.lib.18.cap.7. Frumenta, ut triticum, hordeũ:& legumina, ut faba, & cicer. Itaq; Paulus lib.Sen.111. Frugibus legatis, inquit, tam legumina, quàm triticum & hordeum continentur. Atq; hæc quidem antiquiſsima & maximè propria eſt huius uocis ſignificatio: quæ finibus illis ita reſtrictè circunſcripta eſt, nt ab alijs rebus omnibus quæ terra gignuntur, diſtingueretur.nã hæ non Fruges, ſed Fructus appellati ſunt: ueluti uinum, oleum, & baccę glandeſq́; arborum. Hinc illud Ciceronis Verrina v. Senatus Conſulibus permiſit, ut uini & olei decumas, & frugum minutarum Romæ uenderent: legemq́; his rebus, quæ ipſis uideretur, edicerent. Item lib. Offi.11. Neq; enim frugum fructuumq́; reliquorum perceptio ſine opera hominum ulla eſſe potuiſſet. Hinc Paulus ſcribit in l.frugem, 77. D.de uerb.ſig. à Iuliano eos reprehendi qui dicerent, Fruges omnes eſſe quib.homo ueſcatur: neq; enim poma fruges dici, nt nec carnem aut aues. ferasve. Poſtea uerò conſuetudo loquendi eò progreſſa eſt, ur etiam ad omnes fructus terræ quos in alimoniam uertimus, hoc nomen pertineret: unde Frugiferæ arbores dictæ, ut Priſcian.ſcribit: unde Frugum copia & inopia, pro ijs omnib.quæ terra gignũtur. Atq; hæc quidem ita ſe habent. Quod autem Paulus in d.l.77.ſcribit, Frugem pro reditu appellari, non ſolùm quod frumentis aut leguminibus, uerum & quod ex uino, ſyluis cæduis, cretiſodinis, lapidicinis capitur: hoc ego, ut uerè dicam, nuſquã me alibi legiſſe memini: ac planè cuiuſmodi ſit, ſatis exiſtimare non poſſum.

FRVMENTATIO, labor militum in frumento intra caſtra pręſidiave congerendo. Macer l.12.§.2.D. de re milit. Officium Tribunorum eſt, nel eorum qui exercitui præſunt, frumentationib. commilitonum intereſſe.

FVCINVM, uide Buccinum.

FVGAM uendere, eſt ſeruum qui in fuga eſt uendere l.2.D.de plagiar.& l.is, C.eod. quod propterea s.c.uetitum uidetur, ne ſerui ad fugã inuitentur.

FVGIENS pro Reus: figura dicendi Græca uſurpatur à Iuſtin.in l.2.C. de iuram. propter cal. Non aliter neq; actorem, neq; fugientem in primo exordio litis, exercere certamina, id eſt φεύγοντα. Itẽ eadem l.§. ſed quia, minimè pati tale ſacramentũ remitti, ſed omnimodo hoc & ab actore, & à fugienre exigi. Item in l. properandum, 11. C. de iudic.

FVGITIVVS eſt, ait Triphoninus, non is qui ſolum conſilium fugiendi à domino ſuſcepit, licet id ſe facturum iactanerit: ſed qui ipſo facto fugæ initium mente deduxerit.l.225.D.de.uerb.ſig.

FVGITIVVS pro perfuga. Saturninus in l.aut facta, 16. D. de pœn. Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, & effracto rem uel furem diurnum à nocturno.

FVGITIVVS, qui definiendus ſit, copioſè diſputat Vlp.in l.17.D.de ædil.edi.

FVGITIVARIVS, qui fugitiuum mercede reducturus erat. Vlp.l.18.D.de præſcr. uerb. Non enim ambo pecuniam ego & fugitiuarius depoſuimus.

FVLLO eſt, qui lauanda, polienda, curanda ueſtimenta mercede accipit.l.13.§.fullo, D.locat. l. 12. & 82.D.de furt.l.2.D.de condict.ſin.cauſſ.

FVMVM immittere, uide Caſcaria taberna.

FVNCTIO, pro penſione debita, & ſolutione. Cicer. Verrina v. Ita decumas lege Hieronica ſemper uẽdendas cenſuerunt, ut ijs iucundior eſſet muneris illius functio, &c. Et apud Paulum l.2.D. Si cert. petat. Quia in ſuo genere functionem recipiunt, quam ſpecie, id eſt ſolutionem. Item apud Impp. in l.6.C.de uectig. & com. In publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio. Et l.10.eod. Vectigalia curialium ordinũ functionibus profutura.

FVNDVS in iure dicitur propriè ager cum ædificio. nam omnino fundus integrum aliquid eſt: ait Vlpia.in l.locus.60.D.de uerb.ſig.ſed in uſu, urbana ædificia, ædes: ruſtica, uillæ dicuntur. Locus uerò ſine ædificio, in urbe area: rure autem, ager appellatur.l.211.D.eod. Itaq; paſsim legimus Fũdum duobus conſtare: agro, & uilla.l.9.D.de ſeruitut.l.35.D.de uſuf.lega.l.81.§.qui fundum. D. de lega.1.& uilla fundi pars appellatur: l.15.D.de inſt.uel inſt.l.8.D.quib.mod.uſuf.amitt.

FVNDVS à poſſeſsione, uel agro, uel prædio ſic diſtat, inquit Iauolenns. Fũdus eſt omne, quicquid ſolo tenetur: Ager eſt, ſi ſpecies fundi ad uſum hominis cõparatur: Poſſeſsio ab agro iuris proprietate diſtat. quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſsionem appellamus. poſſeſsio ergo uſus, ager proprietas loci eſt. Prædiũ utriuſque ſupraſcriptæ generale nomẽ eſt. nam & Ager, & Poſſeſsio huius appellationis ſpecies ſunt. l. 115.D.de uerb.ſig.

Fvndi appellatione plena proprietas, id eſt cum uſufructu, ſignificatur. l. cum qui, 56. §. ſi à te, D. de uerb. ſig. eſt enim fundus nomen iuris. l. cogi, 16. §. inde quæritur, D. ad Trebell.

Fvndvs dicitur populus eſſe rei quam alienat: hoc eſt auctor, inquit Feſtus. quibus ex uerbis intelligitur, Fundum fieri populum aliquem tum dici, cùm in re quapiam ſua abalienanda eſt auctor, id eſt approbator. quod genus dicendi crebrò Cic. uſurpat in orat. pro Balbo. Neq; uerò ad populos duntaxat, uerumetiam ad quemuis auctorem referri ſolitum, argumento eſt illud Lyſitelis adoleſcentis apud Plautum, qui cum Charmidis abſentis filiam à Lesbonico uirginis fratre in uxorem ſibi dari pactus eſſet, ubi reuerſum patrem audiuit, ita loquitur: Nunc mihi is properè conueniendus eſt, ut quæ cũ eius filio egi, ei rei fundus pater ſit, potior eo. Vide noſtrarum Obſeruat lib. 2. cap. 5.

Fvneraria ſiue Funeratitia actio dicitur, quæ ob impenſas funeris cauſſa factas conceditur. l. 20. & 21. & paſſ. D. de relig. & ſumpt. fun.

Fvnero, pro funeror, funeri operando, iuſta perſoluo. Vlpian. l. 14. §. 12. D. de relig. Si prohibente hærede funeraueris teſtatorem. item, Ergo pietatis gratia funeraſti. Item, Ego tamen nihilominus funeraui. Et §. 14. Qui mandatu alterius funerauit.

Fvnesta familia dicebatur tantiſper dum neq; cadaueri iuſta feciſſet, neq; ipſum humaſſet: nam his confectis pura dicebatur. Caius l. 28. in fi. D. de ſtip. ſeru. Quæ ratio illo argumento commendatur, quòd hæredis familia ex mortis tempore funeſta facta intelligitur, licet poſt aliquod tempus hæres extiterit.

Fvngi, pro id quod debetur dare. nam propriè fungi ſtipendiarij aut uectigales dicuntur, qui quod debebant pendebant. Cicer. Verrina v. Quis non maximo ſe affectum beneficio putauit, quum tribus decumis pro una defungeretur. Et eo lib. Tamen hoc uobis eſt ſtatuendum, quid aratorem ipſum arationis nomine muneris in Remp. fungi ac ſuſtinere uelitis. Hinc ad alias ad res tranſlatũ. ut apud Vlp. in l. 3. D. de dot. collar. Dotis collatione fungi. Et l. 7. D. de prætor. ſtip. fungi pignoris, & auri atq; argenti depoſitione. Et apud Paulum, fungi omnibus patrimonij intributionibus, l. 12. in fin. D. ad munic. Et apud eundem Vlp. in Inſtit. tit. de dotib. Dos quæ ſemel functa eſt, amplius fungi non poteſt. Hinc

Fvngi, pro ſtatui. Paulus l. 63. D. ad leg. Falcid. Præcia rerum non affectu nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. & l. 33. D. ad le. Aquil. Pedius ait, Precia rerum non ex affectione nec utilitate ſingulorum, ſed communiter fungi: id eſt, ſtatui, æſtimari, definiri. Vſurpatum eſt autem pro pendi: quod qui uectigalibus funguntur, pendunt.

Fvr ex eo dictus, ut Varro putat, quòd ueteres Romani Furuum atrum appellauerint, & fures per noctem quæ atra ſit, facilius furentur. Gellius lib. 1. cap. 18. reprehendit. nam quòd à Grecis, inquit nunc κλέπτης dicitur, antiquiore Græca lingua φὼρ eſt dictum: hinc per affinitatem literarũ, quæ φὼρ Græce eſt, Latinè fur. Hæc Gell.

Fvr ex eo dictus quòd furuum atrum appellauerint, & fures per obſcuras noctes atque atras facilius furentur. Homerus, κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω. Hæc nonius ex Varronis libro rerum Diuin. XIIII.

Fvriosvm Iuriſconſulti appellant, qui mentis ad omnia lumine, id eſt, ſenſu communi caret: quales non modò Athamantem, Alcmeonem, Aiacẽ, Oreſtem fabulæ memorant: uerumetiam Margitem, Melitidem, Corœbum, Becceſclenum, Morychum. Dementem uero, qui non uſquequaque, ſed ex parte tantum mentis errore ducitur, uelut is de quo D. Pius loquitur in l. his qui, 12. D. de tut. & curat. dat. Itaq; Furioſus à Demente paſſim diſtinguitur: ut l. 2. D. de inoff. teſtam. l. 6. De curat. fur. l. 8. §. 1. D. de tut. dat. ab his. l. ult. C. de admin. tut. l. 27. §. coram, D. de arbit. Sed Cic. Tuſcull. diſput. III. Dementes, amentes, & furioſos, eoſdem nominat: Stultos uerò, quos Iuriſconſulti dementes aut mente captos appellant: Inſanos uerò tanquam utrorunque genus conſtituit. Sanitatem, inquit, animorum poſitam in tranquilitate quadam, conſtantiaq; cenſebant: his rebus mẽtem uacuam appellarunt inſaniam. nec minus illud acutè quòd animi affectionem lumine mentis carẽtẽ nominarunt amentiam, eandemq; dementiam. Et aliquanto poſt, Furorem eſſe rati ſunt mentis ad omnia cæcitatem. Ex quibus apparet eandem eſſe furoris quæ dementiæ definitionem: ac propterea eandem utranq; rem eſſe. At de ſtultitia ſic loquitur, Stultitiam enim cenſuerunt, id eſt inconſtantiam ſanitate uacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & uitæ communem cultum atq; uſitatum.

Fvriosorvm duo genera in libris noſtris leguntur: unum eorum qui in perpetuo furore ſunt, qui (ut ait Macer in l. 14. D. de off. præſid.) continua mentis alienatione omni intellectu carent. l. 22. §. ſi maritus, D. ſolut. mat. l. 12. §. natura, D. de iudic. alterum eorum quorum furor intermiſſus eſt, & (ut noſtri loquuntur) dilucida habet interualla, ſiue inducias. d. §. ſi maritus. & l. 20. §. nec furioſus, D. de teſt. l. 6. C. de curat. furioſ. l. 9. C. qui teſt. fac. poſſ.

Fvrnarivs, qui furno exercendo, & coquendo quæſtum facit. Vlpia. l. 24. §. 6. D. de damn. inf. Si furni nomine damni infecti fuerit cautum, deinde furnarij culpa damnum datum fuerit.

Fvrtvm à furuo, id eſt nigro dictum Labeo ait, quòd clàm & obſcurò fiat, & plerunq; nocte. uel à fraude, ut Sabinus ait. uel à ferendo, & auferendo:

ferendo: uel à Græco ſermone, qui φῶρες appellant fures, imò & Græci ἀπὸ τοῦ φαίνειν φῶρας dixerunt.

Frutum eſt contrectatio rei fraudulosa, lucri faciẽdi gratia, uel ipſius rei, uel etiam uſus eius, poſſeſſionisve: quod lege naturali prohibitũ eſt admittere. in l. 1. D. de furt.

Furtum manifeſtum eſt, ut ait Maſſurius, quod deprehenditur dum fit: faciendi finis eſt, quum perlatum eſt, quò fieri cœperat. Hæc Gell. lib. 11. cap. ult.

Furtum manifeſtum eſt, cum res in manibus furis antequam deſtinatum in locum perlata ſit, deprehenſa eſt. itaque ſiue ἐπ' αὐτῷ φώρᾳ, id eſt in actione ipſa, ſiue in loco ubi ſurrepta eſt, ſiue antequam res conſtitutum in locum perferatur, deprehendatur, manifeſtum furtum appellatur. l. 3. D. de furt.

Furtum nec manifeſtum eſt, cùm ſur in faciendo quidem deprehenſus non eſt, ſed eum furtum feciſſe, negari non poteſt. l. 8. D. eod.

Furti corrupti, oblati, prohibiti, & non exhibiti actiones erãt, de quibus cognoſce ex §. 4. De obl. ex delict. & Pauli Sent. lib. 11.

Furtum per lancem & licium conceptum cuiuſmodi fuerit, opinor me tandem aliquando comperiſſe ex Platonis libro XII. de Legib. & Feſti loco in libr. x. qua de re dixi in §. 4. Inſtitut. De oblig. ex delict.

Furta domeſtica uocantur, quæ ſerui dominis, uel liberti patronis, uel mercenarij apud quos degunt, ſubripiunt: ait Marcian. l. 11. §. 1. D. de pœn.

Furto noxaque ſolutus dicitur, qui nemini furti obligatus eſt: ait Vlpianus l. 174. D. de uerbor. ſignificat.

Fusio legitur apud Vlpianum in l. 27. §. 3. D. de uſuf. in libris quidem Florentinis: in alijs autem Functio. & animaduerſum eſt ex l. 5. C. Th. de indulgent. debet utrunq; pro eodem, id eſt pro publicis illationibus uſurpari.

Fustibus cædi, pro faſcibus bacillorum: cuiuſmodi olim ciuitate libera Magiſtratibus præferebantur, Iuriſconſulti, opinor, dixerunt. Itaque liberorum hæc hominum pœna poſteriorum Imperatorum tempore fuit: quum ſerui flagellis cæderentur. Macer l. 10. D. de pœn. Ex quibus cauſsis liber fuſtibus cæditur, ex his ſeruus flagellis cædi & domino reddi iubetur. Calliſtratus l. 28. §. 1. D. eo. Non omnes fruſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat qui liberi ſunt. Quibus ex locis apparet, minus turpe fuiſſe fuſtibus quàm flagellis cædi l. 7. D. de pœn. l. ultim. D. de iniur.

DE LITERA G

Gallinarum Iuſtinian. duo facit genera: ut aliæ mãſuetæ ſint aliæ autem natura feræ. §. gallinarum, 12. De rer. diuiſ. & l. 5. in fi. D. de acquir. rer. dom. Varro autem tria lib. III. cap. IX. conſtituit, uillaticas, ruſticas, & Africanas. Columella libro VIII. cap. II. chortales, ruſticas & Africanas. Villaticas uterq; & chortales appellat, quas ali tum ubiq;, tum in uilla uidemus. Ruſticas autem & ſyueſtres eas uocant, quas Iuſtinianus feras nominat: quæ ab aucupibus capiuntur, & in ſeruitute non fœtant.

Gemmae, lapilli, margaritæ ita diſtinguuntur in l. cum aurum, 19. in fi. D. de aur. & arg. Gẽmæ ſunt pellucidæ materiæ, uelut ſmaragdi, chryſolithi, amethyſti. Lapilli autem contrariæ ſuperioribus naturæ: ut Obſiani, Venientani (fortaſſe Obſiani, Veientani.) Margaritæ autem nec gemmis, nec lapillis continentur, quia concha apud rubrum mare & creſcit & coaleſcit. Ita diſtinguuntur in §. item gemmæ, De rer. diuiſ. l. 3. D. eod. l. 1. D. de acq. poſſeſſ. l. argumento, 25. §. pen. D. de auro & arg. legat.

Genuinus. genitalis, ab antiquo uerbo Geno, Vlp. l. 3. §. 3. D. de homin. lib. exhib. Si cum quis retineat filium, quem non habet in poteſtate: pie, rũq; ſine dolo malo facere uidebitur. pietas enim genuina efficit ſine dolo malo retineri. id eſt Charitas parentibus ingenita & inſita natura. Alciatus in parerg. Gemina legendum putat: quo modo Cicero dixit, Memoriam literaturæ geminam: id eſt ſimillimam. ſed quo ſenſu, nõ diſpicio.

Gener, eſt filiæ uir: ait Modeſt. in l. 4. §. 4. D. de grad. & affin.

Gener, inquit Seruius, dicitur & qui eſt, & qui eſſe uult: ſicut etiam maritus. unde eſt, Quos ego ſim toties iam dedignata maritos. itẽ, Et gener auxilium Priamo, Phrygibusq; ferebat Infelix, qui nõ ſponſæ præcepta furentis, Audierat. Et hoc eſt, quod dicitur in l. 8. D. de gradib. Generi appellationem etiam ex ſponſalibus contrahi. tametſi cũ ad ius diſputatio reuocatur, aliud obſeruatur. l. 1. & l. 8. D. de his qui not. inf.

Generi appellatione & neptis & proneptis, tam ex filio, quàm ex filia editarum ceterarumq; maritos contineri, manifeſtum eſt ait Vlp. l. generi, de uerb. ſing.

Genera, pro frugibus. Vlpian. l. 8. §. 16. D. de tranſact. Si cui non numus ad alimenta, ſed frumentũ atq; oleum & cetera, quæ ad uictum neceſſaria ſunt, fuerint relicta. & paulo poſt, Et neq; diem neq; modum permutauit, ſed tantum genus: uel ex contrario, ſi pactus fuerit ut in generibus alimenta reciperet, quæ in numis ei relicta fuiſſent.

Genere

GENERE quodam, obſeruatum eſt uſitatā eſſe noſtris locutionem. pro quodammodo: ut in l. quod ſeruus, 36. D. de ſtip. ſeru. Nā & hæc genere quodam donatio eſt. Item in l. Pompo. 44. D. de acq. rer. dom. Nam genere quodam uenandi id erant nacti. Item in l. quorundam, 51. D. de acquir. poſ. Vtrubiq; animi quodā genere poſſeſsio erit æſtimanda. Sic in l. 10. D. pro empt. l. 29. §. qui quæſtum. D. de adulter.

GENIVS principis, qui eius ſaluti præeſſe credebatur. itaq; per eum tanquam per Principis ſalutem iurabant: uti patet ex l. 13. §. ult. D. de iureiur. l. 2. C. de reb. cred. l. ſi quis, 41. C. de tranſact. quaſi dicerent, Ita Principi noſtro ſuus genius ſit propitius. Tertullia. in Apologet. Citius denique apud uos per omnes deos, quàm unum genium Cæſaris peieratur. Item, Sacra faciebant pro ſalute Imperatoris, & genium eius deierabant.

GENO pro Gigno. Vlpianus l. 17. §. 1. D. de lega. & fid. primo: Si qua filia mihi genitur, ei hæres meus centum dato. Idem l. 13. §. ult. D. de reb. dub. Si quis mihi filius aut filia genitur, hæres mihi eſto. Priſcianus lib. x. Gigno, genui, pro quo Geno uetuſtiſsimi protulerunt. Varro in Andabata, Sed quod hæc loca aliquid genunt.

GENS & Genus, ſi uim ac naturam uerborum ſpectemus, idem ualent, neq; quicquam differunt. utrunq; enim ab antiquo uerbo Geno ductum uidetur. Quod autem in l. 1. D. de probat. ita legitur: Cùm quæritur, gentem uel genus quis haberet, necne: in eo particulam VEL pro SIVE poſitam arbitror. nam Vlpiani tempore differentiam obſeruatam aliquam fuiſſe, mihi non ſit ueriſimile. Itaq; qua ſententia ſcripſit Liuius lib. 38. P. Scipio Naſica orationem habuit plenam ueris decoribus, non communiter Corneliæ gentis, ſed propriè familiæ ſuæ: eadem ſententia Cicero in Bruto ita locutus eſt, Funebres orationes ipſæ familiæ quaſi ornamēta ſeruabant ad uſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet. Et Sueton. in Galba: Imagines uniuerſi generis exequi longum eſt: familiæ breuiter attingam. Quibus ex locis intelligi poteſt, Gentis & Generis nomina promiſcuè uſurpari. Quòd ſi non uerborum naturā, ſed antiquiſſimum priſcorum Romanorum uſum cuius his in rebus ſumma poteſtas eſt, conſideremus: differentiam fortaſſe aliquam reperiemus: ut Gens ad patritios propriè, Genus autem generaliter quidem & ad illos & ad plebeios, ſpeciatim uerò ad hos duntaxat pertineat. unde illud P. Decij apud Liuium: Semper iſta audita ſunt, eadem uos ſolos gentem habere. Et illud Ciceronis in 1. de Orat. Cum Marcelli à liberti filio, ſtirpe: Claudij patritij eiuſdem hominis hæreditatem gente ad ſe rediјſſe dicerent. Indidem quoq; Patres maiorum, &c. minorum gentium appellati ſunt, qui à Romulo, & Tarquiſsio Priſco è patrititiorum numero lecti in ſenatum fuerant: quemadmodum Liuius lib. 1. teſtatur. Hinc

GENTILES dicti, primùm ut opinor, propriè patritij inter ſe, qui eodē ex genere prognati eſſent: unde etiam Gentilitia ſacra, & Gentilitia ſepulcra. poſtea tamen Gentiles generaliter ita definiti ſunt, Scæuola in Ciceronis Topicis auctore: Qui inter ſe eodem nomine ſunt, ab ingenuis oriundi: quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit: qui capite non ſunt deminuti. Hinc

GENTILITAS, dictum ius, quod inter ſe patritij habebant: quod ab agnationū iure diuerſum fuiſſe, & à Centumuiris, diſceptari ſolitum, Cic. in 1. de Orat. & Topicis teſtatur. Hoc enim Agnati à Gentilibus differebant, primùm quòd Agnati & de patritijs & de plebeis, & uerò etiam de libertorum poſteris dicebantur: Gentiles uerò de patritijs tantum, aut certè nunquam de libertorum poſteris. deinde Agnati dicuntur, qui eiuſdem ſunt ſtirpis: Gentiles uerò generaliter, qui eodem ex fonte & capite primum manarunt: quamuis ſtirpem, & (ut uulgò loquimur) ramum diuerſum habeant. unde illa inter Claudios patritios, & Claudios Marcellos plebeios controuerſia, Cum Marcelli (inquit Cicero) à liberti filio ſtirpe, Claudij patritij eiuſdem hominis hæreditatem gente ad ſe rediјſſe dicerent. nonne in ea cauſſa fuit Oratoribus de toto ſtirpis & gentilitatis iure dicendū? Quibus ex uerbis patet, idem omnino Stirpem & Agnationem eſſe: quippe cum paulo antè, quam nunc ſtirpem appellant, eam agnationem nominarit. item ut libr. 1. De legib. Quod in ciuitatibus, agnationibus, familiarum diſtinguuntur ſtatus: id in rerum natura tanto eſt magnificētius, ut homines. Deorum agnatione & gente teneantur. Illam autem Claudiorum controuerſiam ſic interpretor: quia cùm eius, qui Marcelli alicuius libertus erat, filius inteſtatò deceſsiſſet, neq; aut filios aut agnatos ullos haberet, agnati patroni demortui uniuerſorum bonorū poſſeſsionem ad ſe pertinere dicebant. Claudij uerò patritij in capita eā hæreditatem inter omnes qui eiuſdem gentis eſſent, diuidendam eſſe contendebant, ut ipſi quoq; in partem uenirent: propterea quòd Marcelli nihilomagis quàm ipſi, eius qui mortuus erat, agnati eſſent. Scriptum autem in XII. tab. fuiſſe, Si paterfa. moritur, familia pecuniaq; eius agnatorum gentiliumq; eſto. Gētiles enim eos ex illa Scæuolæ definitione interpretabantur, qui eodem nomine eſſent.

GENVS id Iuriſconſulti appellant, quod Dialectici ſecundam ſubſtantiam, id eſt id quod de ſubiecto dicitur, nec tamen in eo ineſt: ut ait Ariſtoteles. ueluti equus, homo. hinc ſtipulatio uel legatum generis.

GENVS ergo eſt, quod communi quadam notione plures res ſingulas complectitur. ueluti, Homo, genus eſt hominum ſingulorum: ut Daui, Stichi, Pam-

Pamphili. Singulas res appello, quas Dialectici in diuiduas, Iuriſconſulti ſpecies uocant. l. cum res, D. de legat. 1. Itaq; ſinguli homines, ſingulæ ſpecies ſunt, quæ communi hominis notione comprehenduntur. nam Species, ſenſu, Genus notione percipitur. Species cerni tangiq; poteſt: Genus non poteſt. Species ſunt de quibus contrahi res dicuntur, quæ abalienantur, quæ præſtantur: Genera autem ſolui & præſtari non poſſunt. inutiliter itaq; fundus generaliter legatur. l. cũ poſt, §. gener, D. de iur. dot. l. ita ſtipulatus, 115. D. de uerb. oblig. Quod cùm ita ſit, meritò dubitari poteſt, quamobrem Paulus in l. 2. D. ſi cert. pet. ſcribat, eas res quibus mutuum conſtat, functionem, id eſt ſolutionem recipere in genere potius quàm in ſpecie. quomodo enim genus, quod intelligentia ſola conſtat, ſolueretur? Quare uideamus, ne Paulus impropriè & audaci locutione ſic dixerit, cum nerius dicere potuiſſet, In eiuſdem generis ſpeciebus. quoniam qui nummos pro nummis, aut oleum pro oleo, ſoluit, neq; genus ſoluit, neq; eaſdem ſpecies reddit, ſed eiuſdem generis ſpecies.

Gerere, facere, agere, ſubtili quadam differentia interdum diſtinguuntur: l. licet. 58. D. de uerb. ſignif. l. 2. D. de curat. bon. plerunque autem καταχρηστικῶς confundũtur. d. l. licet. l. Labeo, 19. D. de uerbor. ſignif. l. 2. §. geſtum D. ad municip. l. 7. D. de minorib.

Geri negocium dicitur, actu quodam ad comparandam obligationem interpoſito. l. 1. §. qui mortis, D de donat. l. 17. §. ſicut. D. commod. l. 33. D. de cond. indeb.

Gerere pro hærede dicitur, qui animo agnoſcit ſucceſsionem, licet nihil attingat hæreditarium. l. gerit, D. de acq. hæred. Exempla autem ſubijciã, ueluti ſi quis res hæreditarias uendiderit, creditoribus pecuniam diſſoluerit, prædia coluerit, uel in habitarit, uel locarit, & dubium ſit utrum fecerit tanquam hæres, an ut extraneus, uel inquilinus, uel animo gerendi negocium alterius hæredis. nã hæc omnia argumẽta ſunt gerere ſe aliquem pro hærede, niſi contrarium probetur. l. Iulianus. §. ſi ſeruum, D. de acquir. hæred. l. 2. C. de poſthu. hæred. inſtit. item ſi quis unà cum filio hæres erat inſtitutus, & filium adire iuſsit, at ſi pater prius adiſſet, neceſſe eſt ut poſtea filium adire iubeat. l. ſi ergo. l. ſeruus, l. ſi ex ſua, D. eod. præterea ſi qui bonis ſe patris abſtinuit, per interpoſitam perſonam patris bona mercatus ſit, uidetur enim per ſimulationem repudiaſſe, ob eamque cauſſam à creditoribus conuenitur, non minus quàm ſi bonis ſe paternis immiſcuiſſet. l. ſi is qui bonis eod.

Gerere non pro hærede dicitur, qui ea geſsit quę propria hæredis non ſunt: uelut ſi egit ſepulcri uiolati, uel pecuniam à ſtatulibero implendæ cõditionis cauſſa accepit cũ haberet cohæredẽ, etenim ſi hæredem haberet, pro hærede geſſiſſe uideretur: quoniam aliter hæreditas ualere non poſſet pro cuius implenda conditione pecuniam accepit. Cùm enim pecuniam acceperit, uidetur hæres eſſe uoluiſſe. l. pro hærede, 8. Papinianus & §. ult. D. de acquir. hæred. Eadem ratio eſt, ſi quis è liberis mortuum intulit in ſepulcrum hæreditarium. d. l. pro hærede, & l. ſi quis non quaſi. item ſi à parentis liberto uel alimenta, uel operas petierit, quæ ad hæredem extraneum non pertinent: ut quia defunctus operas liberis ſuis ſtipulatus erat. nam eas operas, non tanquam extranei, ſed tã quam ſui hæredes poſtulant.

Geritio, pro Geſtio. Vlp. l. 14. D. de relig. Licet ex hoc ipſo neque pro hærede geritio, neq; aditio præſumitur.

Gerontocomium γεροντοκομεῖον. locus curandis ſenibus paratus. γέρων enim ſenex Latinè dicitur, & κομέω curo. Locum oportet fuiſſe, quo tenues homines qui affecta ætate uictum ſibi ſuis operis parare amplius non poterant, recipiebantur, & ad reliquum ætatis tempus alebantur. Vtitur Iuſtin. l. illud, 16. & l. ſancimus, 18. C. de ſacr. eccleſ.

Geſsiſſe tutelam uidetur tutor, qui quid omnino pupillare attigit, etiam ſi modicum. l. ita autẽ, D. de admin. tut.

Geſta & facta. uide Gerere.

Geſtationes, loci per quos ueteres ualetudinis cauſa geſtabantur. Vlpianus l. 13. §. 4. D. de uſufr. Et ſi fortè uoluptate fuit prædium, uiridaria uel geſtationes, uel deambulationes arboribus infructuoſis opacas atq; amœnas habens. Vbi tamen Volvptati aut, ut alijs in libris, Volvptarivm legendum puto. Vlpianus l. 12. §. 1. D. de uſu & hab. Pręter habitationem quam habet cui uſus datus eſt, deambulandi quoq; & geſtãdi ius habebit. Et de hac geſtatione locus hic intelligendus eſt apud Imp. §. 5. de oblig. quæ ex del. Aut ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi lõgius aliquò duxerit. quod ueteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum perduxiſſet.

Geſtvm, inquit Labeo, ſignificat rem ſine uerbis factam. leg. 19. De uerb. ſig. Itaq; quicquid priuatus agit ad rem familiarem pertinens, nec agere, nec contrahere dicitur: ſed gerere, ueluti cum pro hærede aliquid facit, aut pro tutore, aut pro domino. Varro libr. De lingua Latina quinto, Contrà Imperator qui dicitur res gerere: in eo neq; agit, neq; facit: ſed gerit, id eſt ſuſtinet. tranſlatum ab his qui onera gerunt, id eſt ſuſtinent. Sic gerere negocium dicitur, qui res abſentis curat. Itaque negocia geſsiſſe, pro codicem accepti & expenſi conſcripſiſſe, legimus apud Paulum in l. quædam, 9. D. de edend.

Geſtvm in republica municipium accipere debemus, pecuniam publicam tractare, ſiue erogandã decernere. l. 2. D. ad municip.

Gibberoſus,

GIBEROSVS, pro gibber, ſiue gibboſus. apud Gaium in l. 3. D. de ędil. edict.

GLADII poteſtas dicitur, ius animaduertendi in facinoroſos homines. l. 3. D. de iuriſdict. l. 6. §. qui uniuerſas, D. de offi. preſid. Aliud autem fuiſſe gladio, aliud ſecuri animaduertere: patet ex l. 7. §. 1. D. de pœn. & ex eo quod Spartianus ſcribit, Antoninum ei, qui ſecuri Papinianum percuſſerat, dixiſſe: Gladio te meum iuſſum exequi oportuit.

Hinc

GLADII pœna in l. 1. §. quanquam, D. de oblig.

Sed

AD GLADIVM damnari, aliud eſt: ualet enim idē, quod illud ſuperius AD ferrum: id eſt, ad ludum gladiatorium. l. 6. §. irritum, D. de iniuſt. rupt. l. 25. §. ſi quis, D. de acq. hæred.

GLANDIS appellatione, inquit Caius, omnis fructus continetur, ut Iabolenus ait: exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborū ſpecies ἀκρόδρυα appellantur. l. 236. §. 1. D. de uerb. ſignific.

GLANS caduca eſt, ait Gaius, quæ ex arbore cecidit. l. 30. §. 3. D. de uerb. ſignifi.

GLAVCINAM Pomponius in l. 21. §. 1. D. de aur. ar. numerat inter ea unguēta quæ ualetudinis cauſſa parata ſunt. Confectū oportet ex Glaucio, herba quam Plin. lib. 20. cap. 19. ſylueſtrem & erraticam appellat: & in afflatu maris naſci ſolitam tradit. Niſi fortè GLEVCINA potius legendum ſit. nam Gleucini olei factitij Plinius meminit, eiusq; cōficiendi rationem Columella lib. 12. cap. 51. demonſtrat. Eſt autem oleum muſtum, ut Græci uocabuli origo declarat, quod prius quàm oliuæ premantur exprimitur, & ſimul odoramenta miſcentur.

GLOS, uiri ſoror dicitur. apud Græcos γάλως: ait Modeſt. l. 4. §. 4. D. de grad. & adfin.

GRABATVS, uide Grabatus.

GRADVS cognationis, inquit Paulus, dicti ſunt à ſimilitudine ſcalarum, locorumq; procliuiū, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id eſt in eum qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus. l. ult. §. gradus, D. de gradibus. Sic Ouid. Metamorph. XIII. noſtri quoq; ſanguinis autor Iuppiter eſt, totidemque gradus diſtamus ab illo. item Faſt. II. Et generis dinumerare gradus. Item, Sic Venerem gradibus multis in gente receptam.

GRADVS etiam in hæredum inſtitutionibus & ſubſtitutionibus uocatur locus ex ordine, quo neque hæreditas defertur. uelut cum primo, ſecundo, tertioue gradu ſcripti hæredes dicuntur: l. 3. §. filius, D. de lib. & poſt. l. 3. §. ult. & l. 5. D. de iniuſt. rup. l. 2. §. defertur, D. de bon. poſſ. ſecund. tab. l. 37. D. De hæred. inſtit. Modeſtinus in l. 1. D. de uulg. & pupill. Heredes aut inſtituti dicuntur, aut ſubſtituti. Inſtituti, primo gradu: ſubſtituti, ſecundo, uel tertio. Gradus autem aliud eſt, aliud locus. nam inſtituti omnes primo gradu ſunt, locū autem ſinguli obtinent pro ordine ſcripturæ primum, ſecundum, tertium. Gradus igitur ex ordine ſucceſſionis: locus ex ordine ſcripturæ numeratur. l. ſi is qui, 55. D. de hæred. inſtit.

GRASSATORES, prædones qui ex inſidijs uiatores adoriuntur, ac ſpoliant. hinc graſſaturæ apud Saturninum l. 16. § 4. D. de pœn. Qualitate, cum factum uel atrocius. uel leuius eſt: ut rixę à graſſaturis, expilationes à furtis. Cicero de Fato, Hoc enim modo uiator quoque bene ueſtitus cauſſa graſſatoris fuiſſe dicitur, cur ab eo ſpoliaretur.

GRATIOSE expunctæ rationes dicuntur in l. 9. D. de admin. rer. ad ciuit. quæ bona utriuſque partis gratia. & ſine ulla contentione expunctæ ſunt.

GREMIA, ſurculi aridi & minuti. Vlpian. l. 55. §. 2. De legat. & fid lib. 32. Sed ſi uoluntas non refragatur, & uirgulæ, & gremia, & ſarmenta, & ſuperamenta materiarum continebuntur.

Hinc

GREMIALES arbores, quæ ſurculos illos ſuppeditant, & unde faſciculi componuntur. apud eundem l. 7. §. 9. Sol. mat. Puto autem ſi arbores cæduæ fuerint, uel gremiales, dici oportet in fructu cedere. Columella lib. XII. cap. XIX. Muſtum in uaſa defrutaria deferemus, leuique primum igne ex tenuibus admodum lignis, quæ Gremia ruſtici appellant, fornacem incendemus. Hermolaus legendum putat CREMIA, quaſi à cremando.

GREX eſt quorumlibet animalium congregatio. Sic Cicero in Philipp. Fudit apothecas, cæcidit greges armentorum: Vergil. egloga VI. Aut aliquam in magno ſequitur grege. ubi Seruius, Notandum, inquit, Gregem eum, de bobus dixiſſe: cùm Armenta dicamus. Eadem ratione Iuriſconſulti gregatim paſci dicunt oues, capras, boues, equos, mulos, aſinos. l. 2. D. ad leg. Aquil. Vlpianus tamen gregem, armenta & equitia diſtinguit in l. 1. §. per hanc, D. de rei uindic. Per hanc, inquit, actionem non ſolùm ſingulæ res uindicabuntur, ſed & grex uindicari poteſt. idem & de armento, & de equitio, ceteriſque quæ gregatim habentur dicendum eſt.

GYMNASIARCHIAS Modeſtinus ſub tit. de excuſat. appellat, gymnaſiorum præfecturas. erant autem gymnaſia ſpacia, in quibus nudi adoleſcentes exercebantur.

DE LITERA H.

HABENA cędi impuberes ſeruos pro quæſtione, teſtatur Vlp. in l. 1. §. impuberi, D. ad s. c. Silan. & Horat. lib. epiſt. 11. de puero ſeruulo ad Iulium Florum ſcribens, In ſcalis, inquit, latuit, metuens pendentis habenæ.

L HABERE,

HABERE, inquit Vlpian. dupliciter accipitur. nam & cum habere dicimus, qui rei dominus eſt: & cum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. deniq; habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere. l. 38. §. 6. D. de uerb. oblig.

HABERE, inquit Paulus, duobus modis dicitur: altero, iure dominij: altero, obtinere ſine interpellatione id quod quis emerit. l. 188. D. de uerb. ſignifi.

HABERE, tenere, poſsidere: diſtinguũtur in Aquiliana formula. l. 18. D. de acceptil. Habere igitur propriè ad ius pertinet: Tenere ad ſactum Poſsidere ad utrunq;. arg. l. poſſeſsio, 49. §. 1. D. de acquir. poſſ. Nam Habere eſt, iure dominij poſsidere. l. ſtipula. 38. §. habere, D. de uerb. oblig. l. 188. De uerb. ſign. qua de cauſſa ſeruus ibi tenere poſſe dicitur: habere & poſsidere, non poſſe. Hinc SIBI HABETO, ſolenne uerbum fuit in legatis per uindicationem. Itaq; ſi ſeruus ſtipuletur, ſibi habere licere, quia ius his uerbis ſignificatur, ſtipulatio in ſerui perſona non conſiſtet: ſed domino ſtipulatus uidebitur. l. qđ dicitur, 130. D. de uerb. obli. §. ſed cum factũ, Inſt. de ſtipul. ſer. Itẽ,

HABERE ad res incorporales, tenere ad corporales, poſsidere ad utraq; pertinet. quapropter,.

HABERE & poſsidere ciuilis poſſeſsionis ſunt: tenere, naturalis. unde SIBI habere poſsidere ſępe coniunctè legimus: ut l. pater, 38. §. quindecim, D. de legat. 3.

HABERE licere ſtipulatio, eſt hæc: Per te non fieri, quo minus mihi fundum habere liceat: qua quis obligatur, ne res euincatur & auferatur, uel æſtimatio eius. l. ſi ſeruus, 21. l. habere, 57. D. de euict. l. ſtipulatio, 38. D. de uerb. oblig.

HABERI dicitur quod iure quocunq; poſsidetur: uti docet Vlpian. l. 38. §. 6. D. de uerb. oblig.

HABILITER, aptè, cõmodè. Paulus l. 20. D. de aur. arg. mund. Si ut habiliter gemmæ geri poſsint, incluſæ auro fuerint, tum aurum gemmis dicimus cedere.

HABITATIO, eſt facultas ædes alienas inhabitandi, quæ tamen non iure, ſed in facto conſiſtit: id eſt, non tam uidetur eſſe ius, quàm aut ipſa domus, aut inhabitatio.

HABITATIO genus eſt ſeruitutis, ab uſu & uſufructu differens. primùm quia uſus in iure, habitatio in facto cõſiſtit. l. pen. D. de cap. min. deinde quia ille commodari non poteſt, habitatio poteſt. l. 1. D. commod. ille ex perſona æſtimatur, habitatio non tam ex perſona, quàm ex re ipſa quæ habetur. uſus non utendo, & capitis minutione extinguitur: habitatio uerò nequaquam, d. l. pen. & l. ſi habitatio, 10, D. de uſu & hab. ubi tamen Vlpia. ait effectu eadem eſſe.

HABITATOR & Hoſpes tantum inter ſe differunt, quantum intereſt inter domicilium habentem, & peregrinantem. l. 1. §. 7. D. de his qui effud. uel deiec. Ergo habitator eſt qui reſidendi animo ſiue in ſuo, ſiue in cõducto, ſiue in gratuito conſiſtit: hoſpes uerò qui temporis cauſſa tãtiſper dum in uiam redeat, aut quieſcendi, aut negocij expediendi gratia diuertit & commoratur. Cic. de Senect. Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi dedit.

HAMA, ἄμη, ferramentum aduncum, coercendis incendijs paratum. Paulus l. 3. §. 3. D. de offi. pref. uigil. Sciẽdum eſt autem, præfectum uigilum per totam noctem uigilare debere, & coerrare calciatum cum hamis & dolabris. Vbi tamen corrigendum putarem FALCIATVM, id eſt falcibus muralibus inſtructum: quarum Cęſar & alij meminere. Falciatũ enim, opinor, nõ minus Latinè dicimus, quam Falcatum, ut ſit ſenſus, perfectũ uigilum debere comitatum per urbis uias oberrare, cũ falcibus muralibus, hamis & dolabris: quæ omnia inſtrumenta ſunt diruendis ædificijs quæ fortè inflammata eſſent, parata. Vlpianus quoq; in l. 12. §. 12. D. de fund. inſt. hamas inter incendiorum remedia bis annumerat.

HARENARII, qui in harena cum beſtiis gladiatoribusve pugnãt. l. 38. D. de op. li. l. 5. D. ad Trebel. l. 21. §. ſi ea, D. de teſtib.

HARPAGONES, adunca ferramenta quibus quid extrahitur: ut ſi quid in puteum deciderit. Vlpianus l. 12. §. 12. D. de inſt. uel inſt. Canales aũt & harpagones, & amas inſtrumento contineri conſtat.

HARVNDINETVM, unde harundo uitibus fulciendis, ſumitur. nam aliorum pedamentorum inopia ſubſidio harundo capitur: ut ait Varro lib. De re ruſt. 1. ca. 8. Eius fit mentio apud Vlp. l. 9. §. 6. D. de uſufr. & l. 12. §. 7. D. de inſtruct. uel inſtr.

HASTAE (ut ait Feſtus) ſubijciebant, ea quæ publicè uenundabant, quia ſignum præcipuum eſt haſta. nam & Carthaginenſes quum bellum uellent, Romam haſtã miſerunt, & Romani fortes uiros ſępe haſta donarũt. Hinc Sub haſta diſtrahere in l. ult. C. ſi propt. pub. pẽſit. & Subhaſtatæ res in l. 3. C. de execut. rei iudic. Itẽ Subhaſtatio, l. 16. C. de reſcin. uendit. Cic. 1. de Offi. Sic par eſt agere cum ciuibus, non (ut bis iam uidimus) haſtam in foro ponere, & bona ciuium uoci ſubijcere præconis.

HELIOCAMINVS, ἀπὸ τοῦ ἡλίου καὶ καμίνου, id eſt ſole & camino: quaſi dicas ſolaris caminus, quo ueteres hyeme ſolis excipiendi cauſſa utebantur. Vlpia. l. 17. D. de ſeruit. urb. præd. Sin uerò heliocamino uel ſolario, diendum erit quia umbram facit in loco cui ſol fuit neceſſarius, contra ſeruitutem impoſitam fieri.

HERCISCI, uide Erciſci.

HAERES, inquit Feſtus, apud antiquos pro domino ponebantur. Sic Iuſtin. §. ult. De hære. qualit. & diff. Pro hęrede, inquit, gerere eſt, pro domino gerere. ueteres enim hæredes pro dominis appellabant. Vtriuſque Plautus auctoritatem comprobat in Menahemis, cùm Menahemum peregrinũ de palla loquentem facit: Pranſi, potaui: atque

abſtuli

abſtuli hanc, cuius hæres nunquam erit poſt hunc diem. Vnde autem hoc nerbum manarit, nõ facilè dixerim. nam eos qui ab Herus ductum putant, ſyllabæ prioris ratio refellit. Et potius ab Era quod terrã ſignificat, dictum putarem: unde Heredium apud Varronẽ, agellus qui hæredem ſequebatur. uel cũ diphthongo ab Hęreo: quia proprium hoc nomen eſt, non extraneorũ, ſed ſuorum. quod uel hinc licet intelligatur, quia hi ſoli exhęredantur. optima ratione: cùm filiusfa. eadem in familia & domo hæreat. itaq; non Hæredare dicimus, quia ſuo iuri filius adhæreſcit: ſed exhæredare, quaſi conuellere, & dimouere. hæres aũt ipſo iure filius eſt, & plurimũ relinqui ſolet. nnde ſuus hæres in iure appellatur, quia non alienã, ſed iam quodammodo ſuã hæreditatem accipit. l. in ſuis, 11. D. de lib. & poſt. ubi Paulus multa in hanc ſententiam præclarè: item ut in l. ult. D. de bon. damnat. qnibus ex locis perſpicuũ eſt, legem XII. tabularũ filiisfa. etiam uiuis patribus paternã hæreditatẽ addixiſſe, ſic ut hęredes deſignati meritò nominari poſsint. ac proinde mortuis parentibus non alienã, ſed propriã ſuamq; hęreditatẽ adipiſcãtur. nam Vlpia. quoq; ſic loquitur in l. 1. §. largius D. de ſucceſſ. ed. ubi ait, & liberos parentibus, & parentes liberis ſuccedẽres penè ad propria bona uenire. Itaq; Iuſtinianus domeſticos eo quẽ antè diximus titulo appellat, quaſi Vernas hæredes, qui non aliunde acciti, ſed domi ſint nati. Et Plin. in Panegyr. domeſticos hæredes extraneis opponit: illosq; ait bona, non ut aliena & ſperanda, ſed ut ſua ſemperq; poſſeſſa capere. quapropter non adire, ſed retinere hæreditatem dicuntur. ut l. ſi patronus, 12. in fi. D. de bon. libert. quippe qui ſine aditione ulla, ipſo iure hæredes ſint, uerumetiam eos quorũ in poteſtate ſunt, ſine aditione hæredes faciãt: ut l. qui in aliena, 6. §. 3. D. de acq. hęre.

Haeredvm autem tria ſunt genera: nam alij dicũtur ſui & neceſſarij, alij neceſſarij, alij noluntarij ſiue extranei.

Haeredes ſui & neceſſarij dicuntur liberi, qui in familia proximum à patrefa. gradnm obtinent: ſui, quia hæreditatem tanquam ſuam: neceſſarij, quia iure antiquo retinere cogebantur. l. 11. D. de lib. & poſt. l. 57. D. de acq. hæred. uide Sui & neceſſarij.

Haeres neceſſarius dicitur is ſeruus, qui hæreditatem quidem cum libertate accipere, non tamen quod ſibi acquiret, creditoribus cedere cogitur. l. 1. C. de neceſſ. ſer. Is autem propter præmium libertatis, hæreditatem adire cogitur.

Haeredes extranei dicuntur, quicunque teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt. Itaq; liberi quoq; noſtri qui in poteſtate noſtra non ſunt, hęredes à nobis inſtituti extranei hæredes nobis uidẽtur. ait Imp. §. 3. De hęred. qualit. Vel ſic,

Haeredes extranei dicuntur, qui in poteſtate teſtatoris non ſunt: quo in numero patribus quidẽ, emancipati liberi: matribus uero, quilibet: patronis autem, ſerui poſt inſtitutionem manumiſſi. l. ceteri, De hæred. qualit. & diff. Dicuntur autẽ hi etiam Hęredes uoluntarij: nam cùm teſtatoris iuri ſubiecti non ſint, arbitrio eorum adeuudi repudiandive poteſtas permittitur.

Haeres primus dicitur, qui primo gradu inſtitutus eſt: ſecundus, qui ſubſtitutus. l. 8. D. de lib. & poſt. l. 1. is qui, 25. D. de teſtam.

Pro haerede gerere, uide ſuo loco Pro hęrede.

Haereditas eſt ſucceſsio in uniuerſum ius, quod defunctus habuit. l. 62. De reg. iur. l. 24. De uerb. ſig. nam Hæreditatis appellatio uniuerſitatẽ quãdam ac ius ſucceſsionis, ac non ſingulares res demõſtrat. l. bonorũ, 208. D. de uerb. ſig. Itaq; Vlp. Hęreditatem iuris nomẽ eſſe, ſcribit in l. pecunię, 178. D. eod. l. 3. D. de bon. poſſ. ac propterea & abſq; ullo corpore, iuris intellectũ habere. l. hæreditas, 50. D. de hære. petit. & non minus damna atq; onera, quã emolumenta continere. l. hæreditatis, 119. D. de nerb. ſig. Quod cũ ita ſit, nõ rectè Cicero uideri poteſt Hæreditatem ita in Topicis definiſſe:

Haereditas eſt pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. nam (ut ait Iuſtin. ſub tit. de rebus corporal.) aliud eſt hæreditas, aliud res quę per eam acquiruntur. Hę corpora ſunt, illa uerò ius hę certa ſunt, illa incerta eſt: hæ per ſe ſemper utiles ſunt, illa nonnunquam damnoſa. Quod Seneca nõ animaduertens lib. De benef. VI. Iuriſcõſultorum, inquit, iſtæ argutæ ineptiæ ſunt, qui hæreditatem negant uſucapi poſſe: ſed ea quæ in hęreditate ſunt. tanquam quicquam aliud ſit hæreditas, quàm ea quæ in hæreditate ſunt.

Haereditas alia Teſtamentaria eſt, alia Legitima: ideſt, quæ ſine teſtamento lege XII. tab. alicui defertur. l. quod autẽ, 6. D. quæ in frand. cred. Interdum tamen etiam teſtamentaria hæreditas lege deferri dicitur: ut l. 1. D. hæred. pet. l. lege, 130. D. de uerb. ſig.

Haereditas iacens dicitur, quæ nondum adita eſt. l. 1. D. de ſucceſſ. edict. l. deniq;, 13. §. quæſitum, D. quod ui aut clàm. l. 5. D. ut in poſſ. legat.

Haereditas defertur, quæ teſtamento alicui relicta eſt. l. lege, 130. D. de uerb. ſig.

Haereditas aditur, cum hæres eam ſe accipere uel dicto, uel facto teſtatur. §. 6. Inſtit. de hæred. qual.

Haereditas omittitur, cùm hęres excludi ſe ab ea tempore paſſus eſt.

Haereditas repudiatur, cùm is ad quem delata eſt, adire recuſat. repudiantur enim ea tantum quæ iam delata ſunt. l. 1. §. decretalis, D. de ſucceſſ. edict.

Haereditas adimitur, cum hæres inſtitutus exhæres poſtea ſcribitur: quod non modò in alio, ſed & eodem in teſtamento fieri poteſt. l. 1. §. pen. D. de his quæ in teſt. del. ueluti. Titius hęres

 eſto,

eſto, Titius quem ſuprà ſcripſi, exhæres eſto. l. paterfa. D. de hęred. inſtit. l. Seius, D. ad leg. Falci. l. uxorem. §. hæres, D. de legat. 3.

HAEREDITARIAE actiones dicuntur, quæ cùm defuncto competerent, ad ſucceſſorem unà cum hæreditate deuolutæ ſunt. l. 1. §. hæc actio, D. ſi quid in fraud. pat. l. item ueniunt, 20. §. 4. D. de hæred. petit.

HAEREDITARIVS creditor, aut debitor etiam dicitur, cui hæreditas obſtricta eſt, quive hæreditati debet, quamuis defuncto obligatus non fuerit. l. 14. 15. 16. D. de hæred. petit.

HAEREDITARIVM æs alienum intelligitur (inquit Caius) etiam id de quo cum defuncto agi non potuit: ueluti quod is cum moreretur, daturum ſe promiſiſſet: item quod is qui pro defuncto fideiuſsit, poſt mortem eius ſoluit. l. 7. D. de rebus auct. ind.

HAEREDITARIA ſepulcra dicuntur, quæ quis ſibi hęredibusque ſuis conſtituit: uel quod paterfa. iure hæreditario acquiſiuit. l. 5. & 6. D. de relig. & ſumpt.

HAEREDIVM prædium paruulum, inquit Feſtus. Varro in. 1. De re ruſtic. ſcribit Romulum bina iugera uiritim diuiſiſſe, quæ quòd hæredem ſequerentur, Hæredium appellarunt.

HAEREDITATEM Tullius definit à rebus, quæ ſucceſsione habentur, dum eam dicit eſſe pecuniam, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſsione retenta. quod poſtremũ adiectum eſt (inquit Boetius) quia ſi ſit noſtra proprietas, & eius qui deceſſerit, uſusfructus, ad me res illa reuertitur hic, quæ in meo dominio proprietatis iure tenebatur. Res hæreditarias pro ipſa hęreditate poſuit: quod Galli ſimiliter faciunt, quum res ſuas immobiles, id eſt fundos, & prædia, hæreditagium uocant. At Iuriſconſulti qui ſubtilius iſta quæ ſierunt, hæreditatem ſeparant à rebus hæreditarijs: eamque uolunt iuris nomen eſſe, ut eius qui nihil habeat in bonis, hæres eſſe poſsit. Pomp. de uerb. ſignific. Hæreditatis appellatio, ſine dubio cõtinet & dãnoſam hæreditatem. Iuris enim nomen eſt, ſicuti bonorum poſſeſsio. Et Caius ibidem, Nihil aliud eſt hæreditas, quàm ſucceſsio in uniuerſum ius, quod defunctus habuit. Itaque hæredi & in hæredem ex dantur actiones, quæ defuncto & in defunctum competebant: quòd huius perſonam hęres quaſi induit, ut omnia eius dicta & facta præſtare compellatur, & quidem in ſolidum, etiam ſi non ſit ſoluendo hæreditas: adeò ut qui non habet factionem teſtamenti, ne ab eo quidem inſtitui poſsit, qui ſoluendo non eſt: & ſi nihil inde bonorum conſecutus ſit, præter inane hæredis nomen. Hæc ex Connano.

HERI ſeruus, hodie liber, ſpeciem habet prouerbij: in eo liberto qui aduerſus patronum arrogantius & inſolentius ſeſe gerit. Vlpia. l. 7. §. 2. D. de iniur. Nec enim ferre prætor debet heri ſeruum, hodie liberum conquerentem quòd dominus ei conuicium dixerit, uel quòd leuiter pulſauerit.

HERMAPHRODITVS, ἑρμαφρόδιτος, Mercurij & Veneris filius, particeps utriuſque ſexus. Ex quo qui tales natura editi ſunt, hoc nomine appellantur. Vlpia. l. 10. De ſtat. hom. Quæritur Hermaphroditum cui comparamus: & magis puto eius ſexus eſtimandum, qui in eo præualeat. Paulus l. 15. De teſtib. Hermaphroditus an ad teſtamentum adhiberi poſsit, qualitas ſexus incaleſcentis oſtendit.

HERONTEVS, uide Pero.

HIEROPHILAX, ἱερόφυλαξ, ſacrorum cuſtos, æditu*u*s. Scæuola l. 20. §. 1. D. de ann. leg. Quiſquis mihi hæres erit, fidei eius committo uti det ſacerdoti & hierophylaci, qui in illo templo erunt, denaria decem. In Florẽtino lib. HIEROPHYLACO.

HOC amplius, locutio eſt ea etiam quæ ſuperius dicta ſunt complectens: uti docet Pomp. l. 54. D. de legat. & fid. tertio. Si purè, inquit, tibi legauero, deinde ſcripſero ita, Hoc amplius ſi nauis ex Aſia uenerit, hæres meus ei fundum dato: uerius eſt eo uerbo Amplius ſuperiora repeti. Quod quidem ita eſt: ſed conditionem ad ſuperiora referri, exempla ſubiecta non probant.

HOMINIS appellatione tam fœminam, quam maſculum contineri, non dubitatur: ait Caius in l. 152. D. de uerb. ſignifi.

HONESTOS uetuſtè dici interdum pro diuitibus, Aſconius in Verrin. tertiæ commentarijs teſtatur. Vlpia. l. 52. §. 15. D. de furt. Quum Titio honeſto uiro pecuniam credere uellem, ſubieciſti mihi alium Titium egenum, quaſi ille eſſet locuples.

HONOS, inquit Varro, ab honeſto onere, itaque Honeſtus dicitur, quòd oneratus. & dictum onus eſt ut honos, qui ſuſtinet Remp. hæc ille. Honos igitur, magiſtratus eſt: quod idem Iuſti. in §. 7. De iure natur. demonſtrat. Hoc etiam ius Honorarium ſolemus appellare, inquit: quòd qui honores gerunt, id eſt magiſtratus auctoritatem huic iuri dederunt.

HONOR municipalis, eſt adminiſtratio Reipubli. cum dignitatis gradu, ſiue cum ſumptu, ſiue ſine erogatione contingens: ait Calliſtratus l. 14. D. de mun. & hon.

HONOR pro honorarium apud Vlp. in l. 6. D. mandati. Si remunerandi gratia honor interuenerit, erit mandati actio: id eſt, etſi honorarium aliquod datum fuerit, aut promiſſum, tamen non locatio erit, ſed mandatum: & ex eo mandati actio naſcetur. Cice. pro Roſcio Amerino; Si nihil, inquit, aliud fecerunt, niſi rem detulerunt, nonne ſatisfacit, iis gratias agi? denique ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? Cur tria prædia tantæ pecuniæ ſtatim Capitoni dantur. Hinc

HONORARIVM dicitur, quod mercedis nomine Iuriſcon-

Iuriſconſultis, medicis, liberalium artium profeſſoribus, menſoribus datur: quaſi cum ijs locario & conductio contraheretur. l. 1. D. de extraord. cognit. l. 3. C. de poſtul. l. 1. D. ſi menſ. falſ. l. 13. C. de iudic.

HONORARIVM ius appellamus, quod à Prætoribus conſtitutum eſt: quòd (inquit Iuſtinianus) qui honores gerunt, id eſt magiſtratus, auctoritatē huic iuri dederunt. §. prætorum, Inſt. De iur. nat. l. 7. D. de inſt. & iur. l. 2. §. 5. D. de orig. iur. Hinc

HONORARIAE actiones dicūtur, quę prætoris edicto conſtitutæ ſunt. l. 39. D. de nox. act. l. 11. D. de fideiuſſ.

HONORARIE obligationes, quas Prętor edicto ſuo inſtituit. l. obligamur, 52. D. de obligat. ubi Modeſtinus ait, iure honorario nos obligari, ex his quæ edicto perpetuo uel magiſtratu fieri præcipiuntur, uel uetantur.

HONORARII ſucceſſores dicuntur, qui & bonorū poſſeſſores. Iuſtin. §. 1. De bónor. poſſ. Quos autē ſolus uocat prætor ad hæreditatem, hæredes quidem iure non fiunt: nam præter hæredem facere non poteſt. per legem enim tantùm, uel ſimilem iuris conſtitutionē hæredes fiunt, ueluti per Senatuſcō. & cōſtiiutiones Principales. ſed quum eis prætor dat bonorum poſſeſsionem, loco hæredū conſtituuntur, & uocantur bonorum poſſeſſores. Vlpian. l. 9. §. 5. D. de interr. act. Quæ obtinere debent non ſolùm in hæredibus, ſed etiam in honorarijs ſucceſſoribus. Sic in l. 1. §. non ſolùm, D. ut legat. nom. l. 10. D. ad Velleian. l. 7. D. de public.

HONORARIVS tutor curatorve dicitur, quem teſtator adminiſtratione alijs delata tutorem tamē aut curatorem eſſe uoluit. Vlpian. l. 3. §. 1. D. de adminiſt. tut. Si parens declarauit quem uelit tutelam adminiſtrare, ille ſolus adminiſtret. ceteri igitur tutores nō adminiſtrabunt, ſed erunt hi quod uulgò Honorarios appellamus: nec quiſquam putet ad hos periculum nullum redundare. conſtar enim hos quoque excuſsis prius facultatibus eius qui geſſerit, conueniri oportere. Dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus eius, & cuſtodes. imputabitur eis quandoque cur ſi malè eum conuerſari uidebant, ſuſpectum non fecerunt: Papin. l. 26. §. 1. D. de teſt. tut.

HONORIS cauſſa tutor datus non uidetur, quem pater à ceteris tutoribus quibus negocia gerenda mandauit, rationes accipere uoluit. Vlpi. l. 14. §. 1. D. de ſolut. Sunt quidam tutores qui honorarij appellantur: ſunt qui rei notitię gratia dantur: ſunt qui ad hoc dantur, ut gerant. & hoc uel pater adijcit, ut unus, puta, gerat: uel uoluntate tutorum uni committitur geſtus: uel prætor ita decernit.

HONORARIVS arbiter dicitur, qui à Prætore datur: quòd ab eo qui honorem, id eſt magiſtratum gerit, detur, nam ut Proculus ſcribit l. 76. D. pro ſocio, Arbitrorū genera duo ſunt, unum eiuſmodi ut ſiue æquum ſit, ſiue iniquum, parere debeamus. quod obſeruatur, quum ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt, &c.

HONORARIA pœna, id eſt quam prætor introduxit atque conſtituit. Iuſti. §. 6. De iniur. Sed pœna quidem iniuriæ, quæ à lege XII. tab. introducta eſt, in deſuetudinem abijt: quam autem Prætores introduxerunt, quæ etiam Honoraria appellatur, in iudicijs frequentatur.

HOSPITIA olim publicè dari ſolebant: erantque quibus hoſpites recipiendi munus à Repub. imponebatur. l. 3. §. eos milites, l. ult. §. pen. & ult. D. de mun. & hon. l. 10. §. angariarum, D. de uacat. mun.

HOSTES quos nos appellamus, eos, inquit Caius, ueteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet l. 234. D. de uerb. ſign.

HOSTES hi ſunt, ait Pompon. qui nobis aut quibus nos publicè bellum decreuimus. ceteri latrones, aut prædones ſunt. l. 118. D. de uerb. ſig.

HOSTES ſunt, ait Vlp. quibus bellum publicè populus R. decreuit, uel ipſi populo R. ceteri latrunculi uel prædones appellantur. l. 24. D. de cap. & poſtl.

HOSTICOLO in libris Florentinis reperio pro Hoſtico, id eſt (ut Varro ait) hoſtili agro. Vlp. l. un. D. de bo. poſ. ex teſt. milit. non dubium eſt quin debeant ratæ uoluntates eſſe eorum, qui in hoſticolo ſuprema iudicia ſua quóquo modo ordinaſſent. Item ſi in hoſticolo deprehendantur, & illic decedent.

HOSTIENSIS iuriſconſultus, nomen habuit Henrici Seguſiani: ſed cùm iuris ſcientia floreret, & Bononiæ circiter annum M. CC. LV. profeſſus, cōplures de ea re libros ſcripſiſſet, tandem Cardinalis Hoſtienſis factus nomen hoc retinuit.

HOSTIS apud antiquos peregrinus dicebatur: & qui nunc hoſtis, perduellis. Feſt.

HOSTIVM potitus, in hoſtium poteſtatem redactus. Vlpian. l. 15. D. Ex quib. cau. maior. Ego autem etiam nomine eius qui hoſtium potitus eſt, ſi curator bonis fuerit conſtitutus, &c. Idem l. 10. De teſt. mil. Tryphonius l. 12. De capt. & Iulianus cap. 22. eod.

HVGOLINVS iuriſconſultus, homo Italus, inter antiquiſsimos iuris interpretes floruit circiter annum M. C. XC. gloſſulasq; ad librorum iuris marginem adiecit, quib. magnopere Accurſius, qui plerunque honorificam eius mentionem facit, adiutus fuiſſe creditur.

HVMANITAS, pro imbecillitas, & naturę communis fragilitas. Vlp. l. 38. §. 1. D. ex quibus cau. maior. Planè ſi infirmitate impeditus cōtinuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis.

HYACINTHVS, lapillus precioſus, Plin. lib. 37. cap. 9. Hinc legatū apud Marcellū l. 6. D. de aur. arg. unionem cum hyacinthis: & deinceps aliquoties.

HYDROMELI, ὑδρομέλι, aqua mellita, ut uerbi notatio declarat. Vlp.l.9.D.de tritic.uin.& ol. Hydromeli legato uini contineri negat.

HYPEROCHA, ὑπεροχὴ, exuperantia. Scæuola l. pen. D. Qui pot. in pig. Si poſt primum contractum tuum, antequam aliam pecuniam tu crederes, eidem debitori Seius credidiſſet quinquaginta,& hyperocham huius rei quæ tibi pignori data eſſet, debitor obligaſſet. Et infrà, Vtrum tibi cederet pignoris hyperocha. id eſt, Quãti pluris eſt pignus, quàm debiti ſumma: quatenus precium pignòris debiti ſummam exuperat.

HYPAETHRA, ὕπαιθρα, uerbum è uerbo, ſubdialia. de quibus cognoſce ex Vitruuij lib.3.cap.1. Loci aperti,& ſub dio, aeris fruendi cauſa ornati. Vlpianus l.12.§.12. De inſt.uel inſt. De uelis quę in hypæthris extenduntur, magis ſuppellectili adnumeranda. Vitruuius libro.6.cap.10. Noſtri autẽ hypæthras ambulationes, Xyſtos appellant: quas Græci περιδρομίδας dicunt.

HYPOCAVSTVM, ὑπόκαυστον: proprie locus ſub cuius pauimẽto ignis ſuccenditur: παρὰ τὸ ὑποκαίειν, id eſt ſuccendere. Vlp.l.16.D.mandati. Quietus hoſpiti ſuo medico mandaſſe diceretur, ut in hortis eius ſphæriſterium & hypocauſta,& quædã ipſius ualetudini apta, ſua impenſa faceret. Idem l. 55.§.2.D. de legat. & fid. lib.32. Lignis legatis, quod comburendi cauſſa paratum eſt continetur: ſiue ad balnei calefactionem,ſiue diætarum hypocauſtarum ſolebat uti. Hinc conclauia & cellæ in quibus ſunt opera fornacata, ubi frigoris uitandi cauſa ignis accenditur, Hypocauſta nominantur.

HYPOTHECA, ὑποθήκη, à uerbo ὑποτίθεσθαι: quaſi dicas ſuppoſita, ſubiecta obligationi, & obſtricta. nam (ut ait Marcianus) inter pignus & hypothecam tantum nominis ſonus differt. l.5. in fi. D.de pignoribus. quippe, cùm alterum Græcũ, alterum Latinum ſit. Iuriſconſulti autem docendi cauſſa,& ut ſuis quæque res uocabulis demonſtretur, pignoris appellationem ad res mobiles, hypothecæ uerò ad immobiles referunt. l.ſi rem. 9.§.2.D. de pign.act.§. item Seruiana,7. Inſt.De actionib.l. 1. D. de pign. act.l.4.D. de pignorib. ubi traditur Hypothecã propriè dici eius rei,quæ nuda cõuentione obligatur. Reperio etiam hanc alteram inter Pignus & Hypothecã differentiam: quòd illud & pro rebus obligatis, & pro ipſo obligationis contractu ſæpe uſurpatur: hęc uerò tantũ pro rebus ſuppoſitis. Cice. Epiſ.lib. XIII. Præterea Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluuio dedit: hæ commiſſæ ſunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, easq; procuratoribus Cluuij tradat, aut pecuniam ſoluat.

HYPOTHECARIA actio, eadem quę Quaſi ſeruiana, dicitur quæ cuiuis creditori ſui pignoris perſequendi cauſſa conceditur. l.3. D. ad exhib. d.§.7. De actionibus.

HYPOTHECARIA formula, formula eius pacti, quo de pignore nuda conuentione obligando, agebatur. l.3.4.11.& alibi perſæpe, D.de pignorib.

HYPOTHECARIVS creditor, qui ſub hypotheca pecuniam credidit. l.1.§. ſciendum. D. de ſeparat. l. 1.C. de his qui in prior.

HYSGINVM, Hermolaus exiſtimat idem eſſe quod uaticinium: ideſt rubi humilis morum. Paulus l. 78.§.5.D.de legat.& fid.lib.32. Quin minus porrò coracinum, aut hyſginum, aut melinum ſuo nomine, quàm coccum purpurave deſignatur? Florentinus liber ISGINVM.

DE LITERA I.

IACENS hæreditas dicitur, antequam adita ſit. l. 1.D. de ſucceſ. edict. l. deniq; 13. §. quæſitum, D. quod ui aut clam. l.5.D. ut in poſſ.leg. l.1. D.de bo.poſſ.fur.

IACENS dicitur ea res cuius dominus ignoratur. Vlpian. l.43.§.4. D. de furt. Qui alienum quid iacens lucri faciendi cauſſa ſuſtulit, furti obſtringitur.

IACTVS paſsim pro iactura, quæ nauium exonerandarum cauſſa fit. unde tit. Ad legem Rhodiam de iactu. dicitur uerò etiam Iactura in l. 2. & 4. eod. tit.

IANTHINVS, ἰάνθινος, uiolaceus. nam ἴον uiolam, ἄνθος florem ſignificat. Vide Plin. lib. 21. cap.6. & 8. Vlp.l.70.§.5. D. de legat. & fid.lib.32. Purpuræ autem appellatione omnis generis purpurã contineri puto. ſed coccum non continebitur. fucinum, & ianthinum continebitur.

IASON Maynus Iuriſconſultus, Mediolani natus, Catonis Saccipapienſis auditor fuit. Papię ius ciuile annos amplius uiginti publicè interpretatus eſt: magnosq; in eo iure ſcriptis ſuis copioſè illuſtrando labores ſuſtulit. Obijt ibidem anno. M.D. XIX. menſe Aprili.

ID EST, pro ueluti. Vlpia. l. iuriſgentium, 7.§. ait Prætor, 3.D.de pact. Pacta in perſonam ſunt, quoties paciſcor ne à perſona petam, id eſt, ne à L. Titio petam. Idem l. ſi ex cauſſa, 9.D de minoribus. Et puto interdum permittendum, id eſt, ſi grande damnum ſit minoris. Idem l. qui liberis, 8. D.de uulg. & pup. Sub conditione autem inſtitutum ſi ſubſtituat, id eſt, Si mihi hæres eris: non aliàs,&c.

IDONEVS paſsim dicitur is, qui ſoluendo eſt: unde Idoneus debitor, fideiuſſor, tutor: & Idonea nomina, quæ Latinè Bona dicuntur. l. 89. D.ad leg. Falc. l.19.§. deniq;. D.ad Velleian.

IDONEA cautio non uidetur, ſi neque fideiuſſor, neque pignora interceſſerint. l. ſi mandatu, 59. in fi. D.mandat.

IDONEVS alienæ litis defenſor, alienæve rei expromiſſor nemo ſine ſatiſdatione intelligitur. l. qui proprio, 46.D.de procur. l.in eo. 101.D.de reg. iuris.

IDONEI

IDONEI promiſſores plerunqne non tam patrimonio, quàm fide quoque æſtimantur.l.ſi quis, 112. D. de uerb.oblig.

IDONIOR, aptior, accommodatior. Calliſtratus l. 18. De teſt. tut. Quòd ſi plures ſatiſdare parati ſint, tunc idonior præferendus erit. Paulus l. 2. De pop.act.Si plures ſimul agant populi actione, Prætor eliget idoniorem.

IGNIS & aqua, uide Aqua & ignis: item Interdicere aqua & igni. Et hac ipſa de re Lactantius lib. De orig.error.2.cap.20.Subſtantia ignis, calor eſt, inquit: aquæ, humor. Rectè igitur Ouid. Quippe, ubi temperiem ſumpſere humorque calorq;, Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus: Cumque ſit ignis aquæ pugnax, uapor humidus omnes Res creat: & diſcors concordia fœtibus apta eſt. Alterum enim quaſi maſculinum elementum eſt, alterum quaſi fœmininum: alterum actiuum, alterum patibile. ideoque à ueteribus inſtitutum eſt,ut ſacramento ignis, & aquæ nuptiarũ fœdera ſanciantur: quòd fœtus animantium calore, & humore corporentur, atque animentur ad uitam. Cùm enim conſtet omne animal ex anima & corpore, materia corporis in humore eſt, animæ in calore. quod ex ouium fœtibus datur ſcire: quos craſsi humoris plenos, niſi opifex calor fouerit, nec humor poteſt corporare, nec corpus animare. Exulibus quoque ignis & aqua interdici ſolebat.adhuc enim uidebatur nefas quamuis malos, tamen homines ſupplicio capitis afficere. Interdicto gitur uſu earum rerum, quibus uita conſtat hominum, perinde habebatur, ac ſi eſſet, qui eam ſententiam exceperat, morte multatus: adeò iſta duo elementa prima ſunt habita, ut nec ortus hominis, nec ſine his uitam crediderint poſſe conſtare. Hæc Lactantius.

IGNOMINIA eſt nominis nota. M.Tullius de Rep. lib.4. Cenſoris iudiciũ nihil ferè damnato affert, niſi ruborem. Itaque quòd omnis ea iudicatio uerſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa Ignominia dicta eſt. Nonius.

IGNOMINIOSA miſsio eſt, quoties is qui militem è caſtris mittit, addit nominatim ignominiæ cauſſa ſe mittere.l.2. D. qui not. infam.

IGNORANTIA facti, aut iuris: uide ERROR facti.

ILICET, per συγκοπὴν dicitur. Sic Iudices de conſilio dimittebantur,ſuprema dicta quũ præco pronunciaſſet, Ilicet: quod ſignificat Ire licet. Hæc Don.in Adel.Ter.Dicebatur etiã in funerib. conſumpto cadauere,& collectis cineribus.unde Vergili. lib.6. Dixitq; nouiſsima uerba: id eſt Ilicet: inquit Seruius. nam Vale dicebatur poſt tumuli quoque peracta ſolennia. Idem, Varro dicit pyras ideo cupreſſo circũdari propter grauem uſtrinæ odorem: ne offendatur populi circunſtantis corona, quæ tamdiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ,id eſt principi planctuum, quamdiu conſumpto cadauere, & collectis cineribus diceretur nouiſsimum uerbum Ilicet, quod Ire licet ſignificat.

ILLOTIS manib. negocium aggredi, eſt imperatũ ac non ſatis inſtructum accedere. deducta locutione ex Deorum ſacris, ad quæ ſine præparatione (cuius pars erat manuum ablutio) nefas fuiſſet accedere. Heſiodo. in lib. cui tit. eſt ἔργα καὶ ἡμέραι, Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν. Caius l. 1. D. de orig. iur. Deinde ſi in foro cauſſas dicentib. nefas, ut ita dixerim, uidetur eſſe, nulla præfatione facta iudici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit omiſsis initijs atque origine non reperita, atque illotis, ut ita dixerim, manib. protinus materiam interpretationis tractare. id eſt, ſine præparatione, & præmunitione, atque anticipata quadam earum rerum cognitione, quæ aditum ad iuris cognitionem patefaciunt, uiamq; muniunt.

ILLVSTRES, uide Dignitatum.

IMAGINARIA dicuntur in iure, quæ non uerè, ſed ſimulatò & dicis cauſſa fiunt. Hinc Vlpianus in l.16. De reg.iur.Imaginaria,inquit, uenditio non eſt precio accedente. Idem l.4.§.1.D. de manũ. Si ſeruus ab ignoto emptus ſit, poſtea autem precium ſuum obtulerit, dicendum erit non eſſe audiendum. ab initio enim hoc agi debet, ut imaginaria fieret uenditio, & per fidem contractus inter emptorem & ſeruum agatur. Hinc Modeſtinus l.contractus, 54. D. de oblig.& act. Contractus imaginarij etiam in emptionibus iuris uinculum non obtinent, cùm fides facti ſimulatur, non intercedente ueritate. Sic l. 55. D. de cont. empt.l.1.D.de quæſtion.l.46.D.locat.l.10.in fi. D.de acquir.poſſ.l.4.D. de manumiſſ.l.49. D.de act. empt.

IMMISCERE, uerbum eſt proprium eorum hæredũ, qui ſui ſunt: cùm hæreditatem ſuam amplectuntur. Cum enim non aliunde accedant, ſed in familia ſint, Adire non dicuntur: ſed Immiſcere.l. impuberibus, 11.& l.cum bonis,87.D.de acquir. hæred.l.3.§.ſuo,l.7.§.non ſolum. D.de minorib. l.8.& l.10.C.de iur.delib.

IMMISCERE igitur ſuorum hæredum eſt Adire extraneorum: eaque ſententia diſtinguuntur in l.6. §. ſi filius, D. de bon. lib. l. 7.§. reſtitutus, D.de minorib.

IMMITTI dicuntur ea quæ in alienum immittuntur. Itaque

IMMITTVNTVR tigna, quæ in alienum ſic prouehuntur, ut aliquo loco requieſcant: id eſt imponantur.l.malum, 242.D.de uerb.ſignif. unde

IMMITTENDI tigni ſeruitus, & præciſè immittendi.l.1.& 2.D.ſer.urb.l.8.§.1.D. ſi ſeruit.uindic.

IMMITTVNTVR etiam quæ non imponuntur: ut cloca,ſtillicidium, aqua, flumen,l.1.D.de cloac.l. 1.§. item ſciendum, D.de aqu. & aqu. plu.l.8.D. quemad. ſeruit. amitt.

IMMISSVM,

IMMISSVM, uide Proiectum.

IMMITTERE fumum, uide Caſearia taberna.

IMMOLITVS, inædificatus. Verbum hoc uſurpatur in lege Peducea de Limitibus, Ne quis eos limites decumanos obſepito, neve quid in eis immolitũ, neve quid ibi poſitum habeto. Item apud Liuiũ lib. 39. Aquã publicam omnem in priuatum ædificium aut agrum fluentem ademerunt, & quæ in loca publica inædificata, immolitave priuati habebant, intra dies triginta demoliti ſunt.

IMMVNITAS, uide Munus. Munẽ, inquit Feſtus, ſignificat certum & officioſum. unde ex contrario Immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.

IMOLENSIS, uide Ioannes Imolenſis.

IMPENDIVM, Varro De lingua IV. ſic exponit: Cõpendium, quod cum compenditur, una ſit. à quo uſura quòd in ſortem accedebat, impendium appellatũ: quæ cum accederet ad ſortem, ex uſu uſura dicta, ut ſors quod ſuum ſit ſorte. Et lib. 5. Ad hoc pecunia, quę in fœnore, ſors eſt, impendium quod inter ſe iungat. Apparet ex his, impendium eſſe pecuniam quę impenditur alicui ut fructũ afferat. Cice. ad Attic. VI. Itaq; ut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scęuola, fœnus & impendiũ recuſare. Sic Impendium dicitur quod in agro ſeritur. Idem in Bruto, Seremus igitur aliquid, tanquã in inculto & derelicto ſolo: quod ita diligenter colemus, ut impendijs etiam augere poſsimus largitatem tui muneris: modò idem noſter animus efficere poſsit quod ager, qui cũ multos annos quieuit, uberiores afferre fruges ſolet. Quę cùm ita ſint, uidendum in illo loco libri De ſenectute, ecquid aptius legeretur IMPENDIVM, quàm IMPERIVM. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium: nec unquam ſine uſura reddit quod accedit. Impendiũ autem Zeno Imp. Græcus. Ἐμφυτεύειν in Iure ciuili appellauit.

IMPENSAE neceſſariæ ſunt, inquit Paulus, quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit. Vtiles impenſas eſſe Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, non deteriorem eſſe non ſinant: ex quibus reditus mulieri acquiratur. Voluptuariæ ſunt, quæ ſpeciem duntaxat ornant, nõ etiam fructum augent: ut ſunt uiridia, & aquæ ſalientes, l. 79. D. de uerb. ſignif. l. 1. & l. 14. D. de impen. in res dot.

IMPENSAE neceſſariæ ſunt, quibus non factis dos deterior futura eſt: ueluti ſi quis ruinoſas ædes refecerit. Vtiles ſunt, quibus non factis quidem, deterior dos non fuerit: factis autem, fructuoſior dos effecta eſt: ueluti ſi uineta & olivueta fecerit. Voluptuoſæ ſunt, quibus neque omiſsis deterior dos fieret, neque factis fructuoſior effecta eſt: quod euenit in uiridarijs, & pictorijs, ſimilibusq; rebus. Vlpian. cap. Inſt. VI.

IMPERANTES pro parentes, paſsiua ſignificatione Alfenũ dixiſſe Alciatus putat in l. 26. D. de oper. lib. Medicus libertus, quòd putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturũ, poſtulabat ut ſequerentur ſe, neque opus facerent. Sed non eſt nouum medicis ueteres imperaſſe: quum ſerui pleriq; (ut ſatis conſtat) medicinam facerent: & Facere medicinam propriè Pharmacopolæ dicantur, quorum etiam tabernæ Romæ medicinæ (ut ex Plauto conſtat) appellabantur.

IMPERATORIS nomen ſtante Repu. ijs ſolis tribuebatur, qui, cùm ſuis auſpicijs exercitũ ducerent, aliquot hoſtiũ millia in acie ceciderant. tum enim repentè acclamatione militũ eo nomine decorabantur, laureamq; tum in faſcibus, tum in literis quas Romã mittebant, uſurpabant. Vt aũt perpetuum Imperatoris nomen alicui tribueretur, primùm Iulij Cæſaris exemplo factũ eſt, quem Suetonius ſcribit Imperatoris prænomen perpetuũ, & cognomen Patris patriæ à Senatu accepiſſe. Ex quo intelligi poteſt, ueterũ conſuetudinem eo immutatã fuiſſe, quòd cùm illi cognominis loco Imperatoris titulũ aſcriberẽt, ueluti Cn. Pompeius Imper. C. Cæſar primo loco, tanquam prænomẽ illud ſic uſurpauit: IMP. C. IVLIVS CAESAR. Qua de re ſcripſi copioſè in tit. Inſtitut.

IMPERIVM, eſt poteſtas à populo, ſtante Republi. pòſt uero ab Imperatore, nominatim alicui ſic data, ut ipſe pro ſuo iure ſi cõmiſſum quid ſit animaduertat. Itaq; Imperiũ habere magiſtratus dicuntur, qui & coercere aliquem poſsint, & iubere in carcerem duci: quales ſunt Conſules, Pręfecti, Prętores, Procõſules. l. 2. D. de inius uoc. minores enim magiſtratus dicũtur, qui nec imperium nec poteſtatẽ habẽt. l. nec magiſtratib. 32. D. de iniur.

IMPERIVM autem aut merũ eſt, aut mixtum. Merum eſt imperiũ, habere gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quod etiam Poteſtas appellatur. Mixtum eſt imperiũ, cui etiam Iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſsione conſiſtit. Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia. l. 3. D. de Iuriſd. quem locum ſic interpretor:

IMPERIVM aliud merum dicitur, aliud mixtũ. Merum Vlp. appellat, quod ad publica iudicia pertinet, ac proinde proprium eorũ eſt, qui ea iudicia exercere poſſunt, ſiue in urbe, ſiue in prouincia: ut Quæſitorum, in urbe, & Pręfecti urbi, ac Pręfecti prætorio: in prouincijs Pręſidum, Proconſulum, Proprætorũ. Merum aũt idcirco nominatur, q̃ à iuriſdictione ſecretũ, purũ, & uacuũ ſit: non quo nemo qui merum imperium habeat, Iuris etiam dicendi poteſtatem habere poſsit. nam in prouincijs quicunq; merum habet imperium, is etiam iuriſdictionem habet: in urbe uerò Quæſitores rerum capitalium merum habẽt duntaxat, omniſq; iuriſdictionis expers. Sed cùm de imperio diſputatur, ſiue de uno aliquo magiſtratu agatur, ſiue de diuerſis, id quod ad capitalium rerum admini-

ſtrationem

ſtrationem pertinet, ab eo quod rerum priuatarũ proprium eſt, ſecernendum eſt. Mixtum autem dicitur, quod ad utraſque res & capitales ſcilicet, & priuatas pertinet. hinc Vlpia. Mixtum eſt, inquit, cui etiam iuriſdictio in eſt: quæ, ut in l. 1. dixerat, ad bonorum poſſeſsiones dandas, tutores pupillis, iudices litigatoribus conſtituendos pertinet. Quapropter intelligit uſqueadeò aliud eſſe imperium, aliud Iuriſdictionem, ut neque quicunque imperium habet, Iuriſdictionem habeat, neque rurſus quicunque iuriſdictionem habet, imperium habeat. nam Quæſitores qui merum in urbe imperium habent, id eſt rerum capitalium quæſtiones exercent, ius de priuatis rebus non dicunt. Quæſtores autem, Magiſtratuum in prouincijs comites (de quorum officio Vlp. in l. imperium diſputat, ut ex inſcriptione licet intelligere) item legati Proconſulum, iuriſdictionem rerum priuatarum habent, imperium autem propriè non habent, cùm enim quid imperant, ueluti cùm poſsideri iubent, aut pignora capi, alieni potius, quàm ſui imperij ui ac poteſtate hoc faciunt: nimirum eius cui ſummum imperium in prouincia tributum eſt. Atque hæc quidem ita ſe habent. Verùm illud ſimul intelligendum eſt, Iuriſdictionis uerbum, ab Vlpiano in d. l. imperium, ſtrictè & anguſtè uſurpari, pro ea quæ ad priuatas res duntaxat pertinet: cùm ſatis conſtet, etiam ad rerum capitalium iudicia, & omnia denique Magiſtratuum acta ac decreta pertinere. quod ex uno Aſconij loco licebit intelligi. nam ubi de Scauri iudicio repetundarum loquitur, ita ſcribit: Cato Prætor iudicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus, in forum quoque ſic deſcenderat, iusque dicebat. Item Colum. lib. 12. Quod nunc ſcilicet faciunt magiſtratus, aſsidua iuriſdictione uim legũ cuſtodientes.

Impetigines, puſtulæ pruritu corpus infeſtantes: quarum genera quatuor Corn. Celſ. lib. 5. de ſcribit. Hinc Impetiginoſus, impetigine affectus. Vlp. l. 6. §. 1. D. de ædil. edict. Trebat. ait, impetiginoſum morbum non eſſe, ſi eo membro ubi impetigo eſſet, æquè rectè utatur.

Impilia leguntur apud Vlp. in l. 25. §. 1. D. de aut. arg. opinor, pro faſciolis quibus mulierum crines alligantur, quaſi ad pilos pertinentes. Faſciæ, inquit, crurales, pedaleſque, & impilia ueſtis loco ſunt: quia partem corporis ueſtiunt. Varro Teſtam hanc faſciolam appellat.

Implere intentionem ſiue petitionem Iuriſconſulti dicuntur, pro id quod intenditur probare, ac planum facere. itemque Implere exceptionem. l. penul. §. 1. D. de except. rei iudic. l. 19. D. de excep. l. 21. C. de rei uindic. Dicitur & Implere, præciſè pro id quod poſitum eſt, probare. l. 1. l. 23. C. de probat. l. 3. C. de non num. pecun.

Impoſsibilis. iſ abeo & Iulianus uitaſſe uidetur, quum Græcum uerbum uſurparunt. hic quidem in l. 104. §. 1. D. de leg. & fideic. lib. 30. ἀδύνατος conditio pro non ſcripta habetur. ille in l. 20. D. de cond. Inſtit. ἀδύνατος conditio, inquit, pro nõ ſcripta accipienda eſt.

Impoſsibilis conditio habetur, ait Imp. cui natura impedimento eſt, quo minus exiſtat. ueluti ſi quis ita dixerit, Si digito cœlum attigero, dare ſpondes? §. 14. De inutil. ſtip.

Impubes dicitur mas minor annis XIIII. fœmina uerò minor XII. l. ult. C. quand. tut. eſſe deſin. §. 1. Quib. mod. tut. fin. Macro. lib. Satur. 1. cap. VI. Poſt annos bis ſeptem, ipſa ætas neceſsitate pubeſcit. tunc enim moueri incipit uis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Tertull. lib. De uirgin. ueland. Tempus etiam Ethnici obſeruant, ut ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. nam fœminas quidem à XII. annis: maſculũ uerò à duobus amplius ad negocia mittunt: pubertatẽ in annis, non ſponſalibus aut nuptijs decernẽtes.

In acceptum ferre opus publicum faciendum, apud Macrũ in l. 7. D. de leg. Iul. repet. eſt perſcribere in codice operũ locatorũ, opus illud eſſe ex lege, id eſt ex pactione redemptionis locationisq́; perfectum. Id quod lex Iulia fieri prius uetabat, quã opus perfectum ac probatum eſſet.

In aſſem uendere, idem quod in ſolidum uendere. Modeſt. l. 9. D. quib. mod. pig. Titius Sempronio fundum pignori dedit, & eũdem fundum poſtea C. Seio pignori dedit: atq; ita idem Titins Sempronio & Seio fundum eundem in aſſem uẽdidit, quibus pignori antè dederat in ſolidum ſingulis. Sic rem ſoli ex aſſe poſsidere, cui opponitur Pro parte, apud Macrum in l. pen. D. qui ſatiſd. cog. Et in aſſem creditoribus ſatisfacere, cui opponitur In aliquid, l. 1. D. de ſeparat.

In bonis tãtùm alicuius ſeruus eſt, uelut hoc modo, Si ciuis Romanus à ciue R. ſeruum emerit, iſque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure ceſſus, neq; ab ipſo anno poſſeſſus ſit. nam quandiu horũ quid fiat, is ſeruus in bonis quidem emptoris eſt, ex iure Quiritium autem uenditoris eſt. Vlpian. tit. 1.

In bonis, uide Ex bonis.

In capita, aut In ſtirpes diuiſionem fieri plerunque in iure legimus. ut in l. 2. & 3. C. de ſuis & legit. l. Papinia. 8. D. de inoffi. teſt. In capita autem diuidi dicitur hæreditas, quæ tot in partes quot ſuecedentium capita ſunt (id eſt, perſonæ) diuiditur: ut ſingulis perſonis ſingulæ partes attribuantur. In ſtirpes uerò, cum tot in partes diuiditur, quot ſuorum naturalium, ex quibus ſuccedanei extant, capita fuere.

In Capitolium aſcendere, formula eſt conditionis apud Iuris noſtri conſultos peruulgata, quam ex triumphantium more deductam arbitror: quaſi quis dicat, Si triumphans in Capitolium aſcenderit. Cicero Verrina 7. At etiam qui triumphant, eoq;

eoq; diutius uiuos hoſtium duces ſeruant, ut his per triumphum ductis polcherrimum ſpectaculum fructumq; uictorię populus R. percipere poſſit: tamen, quũ de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos doci in carcerẽ iubent, idemque dies & uictoribus imperij, & uictis uitæ fioẽ facit. Atq; hæc quidem olim ſic ſcripſeram. Nunc audio me à quibuſdam bonis uiris hac de re accuſari, quaſi condirionem illam quæ libera & poreſtatiua eſt, fortuitam ſaciam. Lepidos homines: qua ſi uerò qua quicq; ſententia primum dictum ſit, eadem ſemper uſurpetur, neque alias ad res trãsferri poſsit: ur quod de Capitolio, triumphi reſpectu quondam dictum ſit, id poſtcà ad quotidianam Capitolij aſcenſionem traduci nequeat.

In caput alterius torqueri, eſt in alterius diſcrimẽ, uel alterius periculo torqueri. Vlpianus in l. 1. D. de quæſtionib, Neq; ſerui in dominorum, neq; liberti in patronorum caput torqueri debẽt. quod idem ſcribit in l. 2. 3. & 10. §. poteſt. Cicero autẽ planè in dominum dixit & in Milooiana, & Cæliana, & io Parrit. De noſtrorum, ioquit, maiorum inſtitutis: qui cùm de ſeruis in dominos quæri noluiſſent, &cet.

In cootinenti, locutio eſt Iuriſconſultis familiaris: idem ſignificans, quod ſine ulla temporis intermiſsiooe, è ueſtigio, extemplò, cõtinuò. Vlp. l. 23. §. 2. Quod ait lex, In continenti filiam occidat, ſic erit accipieodum, &cet. Scæuola l. 135. §. 2. D. de uerbo. oblig. Deinde in continenti inter utrunq; conuenit, ut intra Calend. &cet.

In creditum ire, quid à Credere differat, uide Credendi appellatio.

In duplum ire, Cicero in ea pro Flacco dixit, opinor, pro ſponſiooem facere alterius tanti, quanti lis eſſet: Frater meus, inquit, decreuit, ut, ſi iudicatum negaret, in duplum iret.

In facili, & In difficili eſſe, pro facile uel difficile cognitu atque explicatu. Tryphon. l in confirmãdo, 8. D. de conſ. tut. Quod in facili eſt, ſi pater proximo mortis tempore non iure tutores ſcripſerit. Scęuola l. Gallus, 29. §. ult. D. de lib. & poſth. Ille caſus in difficili eſt, ſi filium habeas & nepotem, &c.

In folle offerri pecunia dicitur, quæ ſine numeratione & ulla ratiocinatiooe tanquam in marſupiò incluſa offertur. Calliſtratus l. 82. D. de cond. & demonſt. Qui ſi reliqua reddiderit, liber eſſe iuſſus eſt, oon utiq; ſi io folle reliqua obtulerit, liber erit. non enim teſtator hoc ſenſit: ſed illud, ut rationes reddat quomodo ſeruus reddere ſolet.

In fraudem legis facir, qui ſaluis uerbis legis, ſententiam eius circumuenit. l. 28. D. de leg. ſenat.

In Iulij, pro Io ædib. Iulij figura è Græci ſermonis conſuetudine deriuata. Vlp. l. 8. in fi. D. ſi ſeruit. uind. Quum Quintilla cuniculum per gentem in Vrſi Iulij ioſtruxiſſet, id eſt, in hortos Iulij. ut alijs in libris legitur.

In libertate eſſe, & liberum eſſe differunt: item ut, In ſeruitute, & ſeruum eſſe. Nam io libertate aut ſeruitute eſſe dicitur, qui ſe pro libero ſeruove gerit, pota quia ſe liberum ſeruumve eſſe credit: cùm aliter ſe res habeat. l. 7. & l. 10. & 12. & paſſ. D. de liber. cauſ.

In poſſeſsionem mitti, uide Poſsidere iuberi.

In poteſtate habere, & Alienare, tanquam aduerſa opponuntur. Liuios li. VIII. Minutia Veſtalis cùm decreto Pontificum iuſſa eſſet ſacris abſtinere, ſamiliamq; io poteſtate habere: facto indicio uiua deſoſſa eſt.

In poteſtare, manu, mancipiove. Vlp. tit. 24. Ei qni in poteſtate, maou, mancipiove eſt ſcripti hæredis, ſub conditione legari poteſt. Item, Ei cuius in poteſtate, manu, mancipiove eſt hęres ſcriptus, legari non poteſt. Poteſtatem de filiofa. Manum de matrefa. quæ in manum conoenit, Mancipiũ de ſertio intelligit.

In procinctu factum reſtamentum dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat pręſentibus commilitonibus. Feſtus. uide Endo procincto.

In re præſenti, pro In præſentia. Vlp. l. t. D. de ſolut. Sed conſtituere in re pręſenti hoc eſt, ſtatim atque ſolutum eſt.

In rem & in perſonam, locutiones ſunt Iuriſcooſultis familiares, quarum illa tum otuntur, quum indefinitè ac ſine perſonæ ullius notatione aliquid factum eſſe ſignificaot: hac uerò, quum certa perſona definita. oeluti in l. 5. §. 2. D. de conſtitut. pec. Quod exigimus, ut ſit debitum quod cõſtituitur, in rem exactum eſt: oon utiq; ut is cui conſtituitur, creditor fir. Item quum Vlpianus ait, actionem metus cauſſa in rem eſſe ſcriptam, nec perſonam uim facientis coercere, ſed aduerſus omnes reſtitui, l. 9. in fi. D. quod met. cau. & alibi, hoc eſt in l. 7. §. 3. D. de pact. Pactorum quædam in rem eſſe, quædam in perſonam: illa, quoties quis generaliter paciſcitur ne petat: hęc, quoties ne à perſona petat. Itẽ io l. 10. D. de op. nou. nunc. Operis noui nunciationem io rem fieri, nõ in perſonam. Cicero lib. de Inuent. 11. Sio autem non in hominem certũ, ſed in rem aliquam cauſſa dimouebitur, ut in hac eadem re. &cet. Item apud Vlpian. in l. 4. §. 29. D. de dol. excepr. l. 1. §. ulr. D. de interdict.

In solutum dare, pro ſoluere, apod Paolum in l. 60. D. de ſolut.

In stirpes ſucceditur, quom hæreditas oon in ſuccedentium ſingula capita & perſonas, ſed in cognationis latera & partes diuiditur. In capita uerò, quum in tor partes ſecatur, quot ſuccedentium capita & perſonę reperiũtur: qua de re uide Imp. §. 6. de hæred. quæ ab inteſt. Vide In capita.

In tutelam ſuam oenire mas dicitur, qui ephebus, id eſt pubes eſſe incipit, anno ſcilicet ætatis decimoquarto: fœmina uerò uiripotens appellatur. hoc enim in fœmina, illud in mare ponitur ab Vlpiano

piano in l.§.2.D.quib.ex cau.in poſſ. Ait Prætor, Si is pnpillus in ſuam tutelam uenerit, cave pupilla uiripotens fuerit, & rectè defendetur, &c. Idem l.50.D.de leg. & fid. lib. 32. Quum filiofam. ita legatur, QVVM IS IN tutelam ſuam peruenerit, pubertatis tempus ſignificatur. Cic. lib. de Orat. 1. Negaretq; niſi poſthumus & natus, & antequā in ſuam tutelam ueniſſet, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe. Idem in Bruto, Qunm is hoc probare uellet M. Curiū, quū ita hęres inſtitutus eſſet ſi pupillus antè mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam ueniſſet, pupillo nō nato hęredē eſſe nō poſſe.

INANIS actio dicitur, quæ per aduerſarij inopiam, aut firmam exceptionem eliditur. l. 6. D. de dolo mal. l.24. D. mandat. l.24. D. de lib. cauſ.

INANES tabulæ, quarum iam pecunia in illis perſcripta diſſoluta eſt. Vlpia. l.27. D. de furt. Quòd ſi iam erant inanes, quia ſolutum proponebatur: nunquid ipſarum tantùm tabularum precij uideatur eſſe æſtimatio facienda? l. ult. D. ad exhib.

INANIS reus, qui ſoluendo non eſt. Paulus lib. Sēt. 2. cap. 15. Ob ſubitam ualetudinem & inanis rei actiones integra adhuc cauſſa, mandati negociū renunciari poteſt.

INAVDITVS, non auditus, qui cauſſam non dixit: cuius audita nō eſt defenſio. Vlpi. l. 2. D. ad l. Cornel. de ſicar. Inauditum filium pater occidere non poteſt. Sueton. Galba, Quoſdam claros ex utroque ordine uiros ſuſpicione criminis inauditos condemnauit.

INAVRES, aurium ornamenta è gemmis & margaritis, quibus uſas olim mulieres Vlp. in l.25.§.4.& Paulus in l.32.§.ult.D. de aur. arg. leg. teſtantur. Pollux quoq; in mundo muliebri ὠτία recenſet.

INCERTA in iure appellantur, in quibus non apparet quid, quale, quantum. l. ubi autem. 75. D. de uerb. oblig. Item:

INCERTA dicuntur, quæ non in ſpecie, ſed in genere proferuntur: ueluti: Fundus, Homo, Triticum. l. hæredes. 25. §. ſi incerto, D. fam. erciſc. l. cùm incertus, 13. D. de leg. j. l. in ratione, 30. §. incertæ. ff. ad leg. falc.

INCERTA actio, ſiue (quod uſitatius eſt)

INCERTI actio dicitur, per quam nulla certa ſumma petitur. ueluti ex ſtipulatione incerta: Quod mihi ex ſtipulatu dari fieri oportet. l.4. D. đ uſur. l.3. C. de inutil. ſtipu. l. diem proferre, 27. in fi. D. de arbit. Ex omnibus bonæ fidei actionib. Quod te mihi ex bona fide dare facere oportet. Sic l. 1. D. de uſufr. leg. l. 3. D. de condict. ſin. cauſ. l. 2. §. aliud. D. de dona. l. ul. ſi quis in ius uoc.

INCERTI actio dicitur quæ & Præſcriptis uerbis actio. l.6. & l.16. D. de præſcrip. uer. l.6. C. de re. perm. l.7. D. de pact.

INCERTVS contractus, qui certum ac proprium nomen non habet. l.9. D. ſi cer. pet. l. 1. §. debitum, D. de conſtit. pecun.

INCERTA perſona uidetur, quam incerta opinione animo ſuo teſtator ſubijcit: ueluti ſi quis ita dicit, Quicunque filio meo filiam ſuam in matrimoniū dederit, ei hæres meus illum fundū dato. ait Imp. §.27. de legat.

INCESTVM committere dicitur, qui aliquam ex ijs quas moribus uxores ducere prohibemur, duxerit. l. ſororis, 39. D. de rit. nup. l.38. §.1. D. đ adul.

INCESTVM iure gentium cōmittit, qui ex gradu aſcē dentiū uel deſcendentiū uxorem duxerit: iure ciuili, qui ex latere eam duxerit, quā uetatur: uel affinem, quam impeditur. l. ult. D. de rit. nupt. & đ. l. ſi adulterium, 38. l. ult. D. de cōdic. ſin. cauſ.

INCIENS, uide Grauida.

INCILE, ait Vlpi. eſt locus depreſſus ad latus fluminis, ex eo dictus quòd incidatur. inciditur enim uel lapis uel terra, unde primùm aqua ex flumine agi poſſit. l. D. de riuis. Hinc

INCILE ducere: l.1. §.2. Ne quid in flum. pub. Et Incilia uel principia foſſarū. l.1. §.5. D. de aq. quot.

INCOLA eſt, ait Pompo. qui aliquam in regionē domiciliū ſuum cōtulir, quem Græci πάροικον appellant. nec tantum hi qui in oppido morantur, incolæ ſunt: ſed etiam qui alicuius in oppidi finib. ita agrum habent, ut in eum ſe quaſi in aliquam ſedē recipiant. l.239. §.2. D. de uerb. ſign. Incolam aūt non domus, aut poſſeſsio facit: ſed domicilium. l. ſeptima, & paſſ. de incol. lib. x. Cod.

INCOLATVS, urbs cuius quis nō ciuis, ſed incola eſt. Modeſt. l.34. D. de mu. & bon. Incola iam munerib. publicis deſtinatus, niſi perfecto munere, incolatui renunciare non poteſt.

INCONDITVM, abſurdum, abſonum. Pap. l.95. §.1. D. de ſolut. Etenim inconditum eſt, ſubuenire ſexui mulieris quæ ſuo nomine periclitetur.

INCORPORALES res ſunt, quæ tangi demonſtrarive non poſſunt, cerni tamen animo atque intelligi poſſunt: quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus: eſt quædam tamen conformatio inſignita & impreſſa in intelligentia, quam notionem uoco, inquit Cicero in Top. Et in eandem ſentent. Caius, l.1. D. de rer. diuiſ. Eiuſmodi ſunt: Hæreditas, uſusfructus, uſus, obligationes, &c.

INCVMBERE, pro incubare, id eſt, obtinere, poſsidere, conſeruare, ſolidè (ut ij qui rei alicui incubant) tenere. Hinc creditor dicitur.

INCVMBERE ſuo pignori, qui acriter illud conſeruat: ut apud Vlp. l.55. D. de furt. Hinc

INCVMBERE poſſeſsioni apud Impp. l. 8. C. quom. & quan. iud.

INCRVSTARE, illinimentum, & quaſi pauimentum quoddam inducere. hinc In cruſtatio, tectorium, & pauimētum illud. Proculus l. decimatertia, §.1. D. de ſeruit. urb. præd. Parietem communem incruſtare licet, ſicut licet mihi precioſiſsimas picturas habere in pariete communi. Et paulo pòſt, Quod obſeruari & in incruſtatione oportet. Item apud Vlpian. l.79 de uerb. ſignif.

INDAGO, uenatio quæ fit plagis circum ſaltum extēſis.

ſis.Vlpian.l.11.§.11.de action. empt. Veluti quũ fututum iactum retis à piſcatore emimus: aut indaginem plagis poſitis à uenatore, uel pantheram ab aucupe.

INDEBITVM aliud eſt natura, aliud iure gentium, aliud iure ciuili, aliud iure honotario, l.1.& 3. D. de conſtit.pecun.l.47.de condict.indeb.

INDEBITVM accipimus, non ſolùm ſi omnino non debeatur, ſed etſi per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat.l.26.§.3.D.de cód. ind.

INDEBITVM eſt, nou tantùm quod omnino non debetur, ſed & quod alij debetur, ſi alj ſoluatur: aut ſi id quod alius ſoluebat, alius quaſi ipſe debeat ſoluat.l.in ſumma, 65. D. de cond.indeb.

INDEMNITATEM alicui repromittere, eſt cauere indemnem eum ex eo negocio de quo agitur, futurum.l.14.& l.16.D.ad Trebel.l.8.§.1.ad Velleiã.

INDICATIO, promisſio, addictio. Vlpia. l.13.§.2. de act.empt.Hic non debuit facilis eſſe ad temerariam indicationem. Loquitur de eo qui ſeruum uendebat, quem furem eſſe ignorabat. Nonius, Indicare, promittere. M. Tullius Offic.3. Scæuola cùm poſtulaſſet, ut ſibi fundus cuius emptor erat, ſemel indicaretur; Hæc Nonius. Indicare igitur uenditoris eſt, liceri emptoris.

INDICERE forum dicitur Magiſtratus in prouincijs, cùm & locum & tẽpus deſignat, quo cauſſæ in conuentu agantur. Virgil. AEneid.5.

Indicitq; forum, & patribus dat iura uocatis.

ubi Seruius, Id eſt tempus & locũ deſignat agendorum negociorum, qui Conuentus uocatur. Indicit autem uerbum iuris eſt, & per hoc potentem uult ſignificare ciuitatem.

INDICTIONES, tributa, ſiue functiones, quæ non perſonis ſed prædijs indicuntur: id eſt imponuntur.l.Iulianus, 13.§.5. D. de act. empt.l. quæro, 28.D.de uſuf. legat. Plinius ad Traianum: Nec nouis indictionib. preſſi ad uetera tributa deficiunt. Prædijs autem (ut dixi) non perſonis imponebantur: qua de cauſſa eorum nomine quæ nõ poſsidentur non agnoſcuntur: Nouel.128. uide l.3.& paſſ. C. de annon.& trib. lib.10. Hinc.

INDICTIONES (ut uidetur) appellatæ ſunt, ex quibus annorum ratio conſtitui cœpta eſt, Conſtantino imperante: anno Chriſti CCCXIII. ante diẽ VIII. Calend Octob.quo die uictus Maxentius, religioq; Chriſtiana in libertatem uindicata eſt. Ergo quaſi à primordijs Chriſtianæ libertatis Niceni conuentus auctoritate inſtitutum eſt, ut ſublatis Olympiadibus annorum ratio ab eo tẽpore iniretur: ſic, ut decimoquinto quoque anno noua eſſet Indictio: anni autem ſinguli cuiuſque Indictionis computarentur. quemadmodum ex Codice Theodoſiano multis locis intelligitur.

INDIVIDVVM quod Dialectici appellant, id eſt, qđ nec de ſubiecto ullo dicitur, nec in ſubiecto ullo ineſt, ueluti Stichus, aut Pamphilus: Id Iuriſcõſulti uitandæ ambiguitatis cauſſa ſpeciem appellant. quo nomine ferè ſpeciem infimam intelligunt. nam indiuiduum nomen in ijs rebus ponunt, quæ neque naturales, neque intellectas partes recipiunt: ueluti ſeruitutes. uti conſtat ex l.4.& 72. D.de uerb. oblig. Stichum igitur indiuidui nomine nõ intelligemus: quia diuidi in partes intellectas poteſt: at uiam, iter, aquæductum, nauem, equum, indiuidua dicimus. ex quo illud Caſcelianũ, Nauem ſi diuidis, nec tu nec ſocius habebitis: apud Macrob.lib.Satur.2.

INDVCIAE ſunt, inquit Paulus, quum in breue & in præſens tempus conuenit, ne inuicem ſe laceſſant.l.19.§.1.D.de capt.& poſtlim.

INDVCIAE ſunt, inquit Varro, pax caſtrẽſis paucorum dierum. Item, Induciæ ſunt belli feriæ. Hæc Gellius lib.1.cap.25. Vbi hoc quoq; adſeribit, Inducias ſic dictas arbitramur, quaſi tu dicas, inde uti iam. Pactum induciarum eiuſmodi eſt, ut in diem certum non pugnetur, nihilq; incõmodi detur: ſed ex eo die poſtea uti iam omnia belli iure agantur. Quòd dicitur dies certus præfinitus, pactumq; fit, ut ante eum diem ne pugnetur, atq; is dies ubi uenit, inde uti iam pugnetur: idcirco ex ijs quibus dixi uocibus, quaſi per quendam coitum & copulam, nomen Induciarum connexum eſt. Aurelius autẽ Opilius in primo librorum, quos Muſarum inſcripſit, Induciæ, inquit, dicuntur, quum hoſtes inter ſeſe utrinq; alteri ad alteros impunè, & ſine pugna ineunt. Inde ab eo, inquit, nomen eſſe factum uidetur, quaſi initus atque introitus.

INFAMES qui dicantur, cognoſce ex l.1.D. qui not. infam.

INFANS dicitur, qui ſeptem non compleuit annos. Impp.l.18.C.de iur.delib.Si infanti, id eſt minori ſeptem annis, in poteſtate patris conſtituto, &c. Vlpian. l.1.§.2. D. de admin. tut. Licentia igitur erit, utrum malint ipſi ſuſcipere iudicium, an pupillum exhibere ut ipſis auctoribus iudicium ſuſcipiatur. ità tamen ut pro his qui fari non poſſunt, uel abſint, ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem qui ſupra ſeptimum annum ætatis ſunt, & præſtò fuerint, auctoritatem præſtent.

INFINITVM, prò indefinitùm, nullo certo termino circunſcriptum, Cice. in Partit. Quid, quæſtio quasnam haber partes? Infinitam, quam Conſultationem apello: & definitam, quam Controuerſiam nomino. Item alibi locis innumeris. Celſus l.9.D.de ſeruit. Si cui ſimplicius uia per fundum cuiuſpiã cedatur, uel relinquatur, in infinito, uidelicet per quamlibet eius partem ire agere licebit. Vlpia.l.13.in fi. D.de damn.inf. Neq; enim in infinitum obligatus eſſe debet ſtipulatione. Mæcianus.l.91. D. de condit. & demonſt. Tempus autem uel certum, uel infinitum comprehẽdatur.

INGENVI ſunt, qui ex matre libera nati ſunt, l.5.§.2. D.de ſtatu hom.

INGENVI dicebantur antiquitùs, qui patrem ciere poſſent,

poſſent,hoc eſt ex legitimo matrimonio ſuſcepti qui ijdem & Patricij dicebantur. Liuius li. 10. En Romæ unquam faudo audiſtis, Patricios primò eſſe factos,non de cœlo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, id eſt, nihil ultrà quàm ingenuos. Hæc Liuius, qui non obſcurè ingenuos ijs oppo-nit, quos poſterior ætas Spurios, recentior Vul-gò conceptos appellauit.l. uulgò. 24. D. de ſtatu ho. Liberi ergo non ingenui dicebantur. Cic. lib. De natur. Deor. 3. Vt enim in iure ciuili, qui eſt de matre libera,liber eſt:item iure naturæ, qui de Dea matre eſt,deus ſit neceſſe eſt. Feſtus autē ſub uoce Patricios, locum illum Liuij dilucidè cōfir mat: Patricios,inquit,Cincius ait in lib. De comi tijs, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui uo-centur.

INGENVVS eſt is, ait Imp. qui ſtatim ut natus eſt, liber eſt: ſiue ex duobus liberis matrimonio edi-tus eſt, ſiue ex libertinis duobus, ſiue ex altero li-bertino, & altero ingenuo. De ingen. in prin.
Vel ſic,

INGENVI ſunt, qui ex matre aliquo grauiditatis tem pore libera,ſiue illa ex marito,ſiue ex alio conce-perit,procreati ſunt. nam libertas uno tantū iſto-rum trium temporum ſufficit.

INGRATVS libertus eſt,qui patrono obſequium non præſtat,uel res eius, filiorumve tutelam admini-ſtrare detrectat.l.19.D.de iur.pat.l.6.§.ult.D.de lib. agnoſc. Moris autem erat,ut domini ſeruos manumittentes ijs gratiæ alicuius referendæ cauſ ſa imponerent donū,munus,operas.l. pen. D. de obſeq.par.præſcr.& alibi perſæpe.

INGREDI Cōſulatum,pro Inire,Marcellus in l. 36. D.de cond.& demonſt.

INIICERE manum. Seruius in illud Aeneid. 10. Inic cere manum Parcę: Traxerunt,inquit,debitū ſibi. Et ſermone uſus eſt iuris. nā manus iniectio dici tur,quoties nulla iudicis auctoritate expectata rē nobis debitam uindicamus.

INIVRIA ex eo dicta eſt, quòd non iure fiat. omne enim quod non iure fit, iniuria fieri dicitur. hoc generaliter: ſpecialiter autem iniuria dicitur con-tumelia. Interdum iniuriæ appellatione damnum culpa datum ſignificatur:ut in lege Aquilia dice-re ſolemus. interdum iniquitatem iniuriam dice-mus. nam quūm quis iniquè uel iniuſtè ſententiā dixit,iniuriam ex eo dictam,quod iure & iuſticia caret,quaſi non iuriam. Hæc Vlp.l.1.D.de iniur.

INIVRIA minus eſt quàm contumelia, inquit No-nius: Pacuuius Peribœa, Patior facilè iniuriā,ſi eſt uacua à contumelia.

INIVRIAE ſunt,quæ aut pulſatione corpus,aut con uitio aures,aut aliqua turpitudine uitam cuiuſpiā uiolant. ait auctor Rhet.ad Her.lib.4.

INIVRIAM in lege Aquilia damnum accipimus cul pa datum,etiam ab eo qui nocere noluit.l.5.§.1. D.ad leg.Aquil.

INNVBERE,eſt in mariti domū tranſire: Enubere, è patris domo exire. Liu.lib.1. Ea cùm innupſiſſet. Et lib.10. Virginiam quòd è patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant.

INOFFICIOSVM hominem conſtat eum dici, qui quod alteri officium debebat,pretermittit. quare Inof-ficioſum teſtamentum eſſe illud oportet, in quo teſtator cōtra officium ſuū,quod alteri debebat, fecit. ſed quanquā hoc modo multa inofficioſa te ſtamenta futura ſunt, ueluti quib. amicis & bene-merentibus nihil relinquitur, quod olim inhone-ſtum putabatur:(ut ex Philippicis & Suetonio cō ſtat)tamē per excellentiam ea demum inofficioſa dicta ſunt,quibus officiū in liberos,parētes,& fra tres neglectū eſt. nā qui erga eos inofficioſus eſt, in ſemetipſum quodāmodo in officioſus & inhu-manus uidetur. quapropter ijs ſolis poteſtas per-miſſa eſt,petēdi à Centūuiris,ut ſi officiū uiolatū cognoſcant, illud reſciſſum & irritū factū uelint. quod cùm impetrant,tum illud ſimul impetrant, ut ſibi hæreditas adiudicetur: cum huius iudicij exitus hic ſit,ut ab inſtituto in exhæredatum hæ-reditas transferatur. qua de cauſſa hæreditatis pe titio appellatur in l. ſi quis, 34. C. de inof.teſt.l. qui repudiātis,17.l,mater,19. D.eo.l. pen. §. ſed quemadmodū,D.de bon.poſſ.cont.tab. Vel ſic

INOFFICIOSVM dicitur teſtamentum,quod liberis fruſtra exhæredatis non ex officio pietatis uide-tur eſſe conſcriptum. Paul. libro. Sent. 4. cap. 5.
Vel ſic,

INOFFICIOSVM teſtamētum dicitur, in quo officij religio uiolata eſt: ueluti pietas erga parentes,aut charitas erga liberos. non enim liberis tantùm per miſſum eſt teſtamentum parentum inofficioſum accuſare,uerumetiam liberorum parentib. ait Iu-ſtin.tit.de inoff.teſt.in prin. Vel ſic,

INOFFICIOSVM teſtamentum dicere, hoc eſt, alle-gare quare exhæredari uel præteriri non debue-rit.l.3.D.de inoff.teſt. item docere immerentem ſe,& ideo & indignè præteritum uel etiam exhæ-redatione ſummotum, l.5.eod.tit.

INOFFICIOSA donatio ad exemplum inofficioſi te-ſtamenti dicta eſt, quæ contra rationem officij fa cta eſt: cùm ſcilicet liberi debito bonorum ſubſi-dio,id eſt legitima ſua excluduntur.l. 1.& paſſ. C. de inoffi.donat. Itaque actio aduerſus eam inſtitu ta eſt,quæ Querela inofficioſæ donationis appel-latur: quæ à Querela teſtamenti: inofficioſi hoc differt, quòd hæc non niſi aduerſus teſtamentum factum, & iure factum conceditur: illa uerò & ex teſtati & ex inteſtati cauſa permittitur.l.precibus, 3. C. eod.

INOFFICIOSA dos dicitur,cùm mater in fraudem li berorum, id eſt ut eos debitis emolumentis ſpo-liet,omnia ſua bona, uel magnam eorum partem ſecundo marito dono dat: pactum cum eo de do-te lucranda faciens.l.1.C.de inoffi.dotib.

INQVILINVS dicitur, qui in urbe domum alienam mercede incolit.l.ult.D.de migran.l.4.§. prætor

M ait,

ait,D.de damn.infe.l.37.D.de acq. poſſ. Appianus li.ἐμφυλ.β.ἰγκυλίνων.ὀνόματι καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις. Colonus autem is eſt qui rure prædium alienum incolit.

INQVILINVS dicitur qui ſolus in ædibus conductitijs habitat,non autem cum domino,uel eo qui habitandi ius habet.Itaq; cùm Labeo dixiſſet, uſuarium ædium,qui modò ipſe habitaret,poſſe inquilinum quoq; recipere, Proculus eum notauit, quod non belle Inquilinus dicatur,qui cum eo habitat:ait Vlpianus l.2.& 4.D.de uſu & habit.

INSIDIARE,pro Inſidiari.Calliſtratus l.28.§.9.D.de poen.Igni cremantur plerunque ſerui, qui ſalu ti dominorum ſuorum inſidiauerint.

INSITAE picturæ,quas Vlp.in l.23.§.1.D.de aur.& arg.Veſtis legato contineri ait, effigies eſſe uidentur certarum rerum,ut florum,ueſtibus inter textæ. Vnde Pictæ togæ,quibus triumphãtes amicti urbem inibant.Acu facere id Phryges inuenerunt,ideoq; Phrygiones appellati ſunt:ait Plinius lib.8.cap.48.

INSCRIBERE,pro ſubſcribere accuſationi,id eſt,ſuũ nomen accuſationis libello adſcribere.unde libelli Inſcriptionum.l.3.§.1.D.de accuſat.l.2.§.ult.D.de accuſat.l.3.C.qui accuſ.poſſ.

INSPECTIO,diſputatio,diſquiſitio,conſideratio,uiſio,ut alibi appellatur.Paulus l.91.§.3.D.de uerb.oblig.Nunc uideamus in quibus perſonis hæc cõſtitutio locum habeat, quæ inſpectio duplex eſt. Idem l.44.D. de oblig.& act. Circa diem duplex inſpectio eſt.Sic in l.63.§.quod ſi,D.de acq.rer.dom.l.3.§.1.D.depoſ.

INSTITOR & Procurator hoc differunt, quòd is qui quæſtuariæ negociationi præfectus eſt, inſtitor dicitur qui uerò negocio cuipiam non quæſtuario præficitur, Procurator potius appellatur l.5.§.3.D.de inſtit.act.

INSTITORIA actio,uide actio Inſtitoria.

INSTITVERE propriè non eſt ponere & collocare, ut quidã tradũt:ſed parare. unde Inſtituere adoleſcentem, eſt fingere & parare ad eruditionem & uirtutem: hinc Inſtituere filium, pro adoptare in Orat. pro domo ſua, & Inſtituere tutorem liberis,in lib.de Orat.1. Cicero dixit, & in Verrinis Inſtituere amicos,pro conciliare, & comparare, ut facilè appareat, Inſtituere hoc differre à Ponere & collocare, quòd in illo iter eſt, in his meta. nam cùm teſtamento nobis hæredem inſtituimus non tamen eum continuò in ſede noſtra collocamus. non enim ſemper, olim certè perrarò teſtamenta à moribundis fiebant.paramus ergo & reſeruamus,ut cùm uſus uenerit, nobis ſucceſſor ne deſit.quocirca qui ſubſtituti à nobis dicuntur,uerius Inſtituti,hoc eſt ad omnes caſus parati & deſignati dicerentur. his enim ſubſtitutionib. nobis in longinquũ proſpicimus.accedit eò quòd ſubſtituere propriè eſt, in eius qui iam certum locũ obtinet,alterum ſupponere. ut cùm Verrem Cicero ſcribit in Marcellorum locum patronum Siculis ſubſtitutum eſſe: & in piratarum locum ciues R. ad ſupplicium ſubſtituiſſe: & ciuitati Verrem alterum ſubſtituiſſe,cùm de filio loqueretur: de ijs loquitur,qui eorum in locum ſufficiũtur,qui prius erant. Veluti ſi in filij mei,ſi hæres erit,& hæres exiſtens impubes moriatur,alterum inſtituã:ſubſtituere propriè dici poſſum: quia non in meum, ſed filij locum ſuccedit. At cùm,ſi Titius hæres non erit, hæredem inſtituo, mihi eum non Titio inſtituo:&,ſi ſubſtitutus dicẽdus eſt,meum in locum ſubſtitutus dicendus eſt,non autem in illum Titij.Vnde intelligi poteſt, hoc inter inſtitutum & ſubſtitutum intereſſe,non quòd ille primo,hic ſecundo gradu ſcriptus ſit:ſed quòd inſtitutus paratus & deſignatus eſt ad locum obtinẽdum: ſubſtitutus autem iam eum occupauit.ut omnis inſtitutus cùm hæreditatem adit, ſubſtitutus propriè dicendus ſit:& Inſtitutus, qui teſtamento nuncupatus aut ſcriptus eſt:ſubſtitutus,qui ſucceſsit.ita inſtitutus,in ſpe: ſubſtitutus, in re ac poſſeſsione eſt.Hæc cùm ita ſe habeant,Subſtituti tamen uocabulo ſic abutimur,ut eum qui ſecundo tertioue gradu in aliorum defectum deſignatus & inſtitutus eſt ſubſtitutus dicatur.

INSTITVERE & ſubſtituere hoc differunt. Hæredes enim aut inſtituti,aut ſubſtituti dicũtur. inſtituitur primo gradu, ſubſtituitur ſecundo uel tertio ſcriptus.Paul.lib.Sent.3.c.6.& l.1.D.de uulg. & pupil.

INSTITVTVM hæredem eum quoque dicimus, qui ſcriptus non eſt, ſed ſolummodo nuncupatus.l.1.§.1.D.de hæred.inſtit.

INSTRVCTVM ab Inſtrumento ſic differre arbitror,ut totum à parte.nam Inſtructi nomine, nõ modò quæ fundo neceſſaria ſunt, continentur: uerumetiam quæ præterea teſtator habuit, quibus ſuum fundum inſtruxit. Inſtrumenti verò, ea duntaxat ſine quibus fundus dici inſtructus nõ poteſt. Vlpianus l.12.§.15.D.de inſt.uel inſt. Sed ſi fundus non ſit cum inſtrumento legatus, ſed ita ut inſtructus ſit: quæſitum eſt an plus contineatur quàm ſi cum inſtrumento legatus eſſet, & Sabinus ſcribit, fatendum eſſe plus eſſe quum inſtructus fundus legetur, quàm ſi cum inſtrumento. Item, Omnia quæ eo collocata ſunt, ut inſtructior eſſet paterfamilias, inſtructo continebuntur.id eſt, quæ ibi habuit, ut inſtructior eſſet.Hoc ergo legato non agri inſtrumentum, ſed proprium ſuum inſtrumentum reliquiſſe videtur. Vide cetera,& ſimul coniunge.l.1.&.2.C. de uerb.ſigni.

INSTRVCTAM tabernam ſic accipiemus,inquit Vlpianus,quæ & rebus & hominibus ad negociationem paratis conſtat.l.185.D.de uerb.ſigni.l.13.D.de inſt.uel inſt.

INSTRVMENTORVM nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſſa inſtrui poteſt. & ideo tam teſtimonia,

teſtimonia, quàm perſonæ inſtrumentorum loco habentur. l. 1. D. de fid. inſtru.

INSTRVMENTA Iuſtinianus à literis ſeparat in l. 1. C. de iuram. propt. cal. In omnibus cauſsis, ſiue propter literas fuerit certatum, ſiue propter inſtrumenta, ſiue propter quicquam aliud, &c. Inſtrumenta ergo ſunt, quas Cicero literas publicas appellat: hoc eſt, quæ uel à perſona publica, ueluti ſcribs magiſtratus, uel tabellione ſcripta ſunt. Literæ uerò hic appellantur, priuatæ: uelnti Rationes, breniaria, codex accepti & expẽſi, ſyngraphę, & cautiones à patrefa. conſcriptæ.

INSTRVMENTI cauponij nomine ſerui & ancillæ continentur. Vlp. l. 43. §. 3. D. de ritu nupt. Multæ adſolent ſub prætextu inſtrumenti cauponij, proſtitutas mulieres habere.

INSVLAE dictæ propriè quæ non iunguntur communibus parietibus cum uicinis, ſed circuitu publico aut priuato cinguntur: à ſimilitudine uideli cet earum terrarum quæ fluminibus ac mari imminent, ſuntq; in ſalo. Feſtus lib. 9. Atque hac ſignificatione paſsim hoc nomen in libris noſtris uſurpatur. Hinc

INSVLARIVS, ſeruus inſulæ, id eſt, ſeparatæ domus, cuſtos. Pompo. l. 16. §. 1. De uſu & hab. Dominus proprietatis etiam inuito uſufructuario, uel uſuario fundum uel ædes per ſaltuarium uel inſulariũ cuſtodire poteſt. Vlpian. l. ult. D. de off. præf. uigil. Inſularios & eos qui negligenter ignem habuerunt apud ſe, potes fuſtibus & flagellis cædi iubere.

INSVPER habere, pro ſusq; deq; ferre, negligere. Papinianus l. 17. D. de his quæ ut ind. Hæredem qui ſciens defuncti uindictam inſuper habuit, fructus omnes reſtituere cogendum exiſtimaui. Sic idem in l. ſunt perſonæ, 43. D. de relig.

INTEGRI reſtitutio eſt, redintegrandæ rei uel cauſſæ actio, inquit Paulus lib. Sent. 1. cap. VII. uel ſic Integri reſtitutio eſt actio. Prætoria, qua rem certam, aut ius, aliamve quamlibet cauſſam redintegrari poſtulamus: cum quid per metum, uel dolum, uel ſtatus permutationem, uel iuſtum errorem, uel abſentiam neceſſariam, uel ætatis infirmitatem geſtum eſſe dicitur. l. 1. & 2. D. de in integ. reſtitut.

INTENDERE præcisè, pro Actionem intendere. l. 8. D. ſi ſeruit. uind. l. 5. D. ſi uſusfr. petat. l. 139. D. de uerb. oblig. Sic Cicero in Quintiliana: Sibi eũ nuper edidit ſocium, quẽ quomodo nunc intendit, ne in uiuorum quidem numero tum demonſtrat fuiſſe. Hinc

INTENTIO paſsim, pro Actione. ut l. 9. §. proinde, D. ad exhib. l. 66. D. de iudic. § ſi quis agens, Inſt. de actionib.

INTER ceteros exhæredare, & Nominatim exhæredare, de quo ſuo loco diximus. contraria ſunt. Ceterorum appellatio in hac formula inde fluxit, ꝙ iure antiquo filij præteritio teſtamentum faciebat nullum: filia autem ceterisq; liberis, id eſt nepotibus, neptibus, &c. præteritis, teſtamentum ualebat. Item filij ſi non inſtituebantur, nominatim exhæredandi erant: filiæ, ceteriq; liberi etiã inter ceteros exhæredari poterant, his uerbis: CETERI exhæredes ſunto. qua ulgari formula non tantũ liberi, ſed & parentes, conſanguinei agnati, cognati, affines, amici exhæredari poterant. l. Lucius, 53 D. de hæred. inſtit. Hæc ex Vlpia. Inſt. cap. 22. & l. ult. C. de lib. præt §. nominatim. §. poſthumorum Inſt. de exhæred. lib.

INTERCALARE, interſerere. Quarto quoq; anno C. Cæſar, ut anni ratio cum Solis curſu congrueret, inſtituit, ut dies unus inſititius eſſet, qui Intercalaris appellatus eſt. Hic Biſſextus dictus, quòd bis ſextus dies ante Calen. Martias numeraretur. Vlpianus l. 3. §. 3. D. de minoribus. Proinde & ſi biſſexto natus eſt, ſiue priore, ſiue poſteriore die, celſus ſcripſit nihil referre: nam id biduum pro uno die habetur, & poſterior dies Calendarum intercalatur. uide Macrob. lib. 1. c. 13. & 14. & l. 98. D. de uerb. ſignif. & Pli. lib. II. c. VIII.

INTERCEDERE, fideiubere. ut in S. C. Velleiano, l. 2. D. ad S. C. Velle. De ea re ita cenſuerunt. Quod ad fideiuſsiones & mutuationes pro alijs quibus interceſſerint fœminę, pertinet. Sic enim legendũ eſſe, non autem CONSVLVERVNT, & MVTVI DATIONES in Obſeruationibus noſtris oſtendimus. Ciceronem quoq; hoc uerbum in hac re poſuiſſe reperio, Epiſto. 14. libr. ad Attic. 1. Accerſiuit ad ſe, promiſit, interceſsit, dedit. Et in Philipp. 2. Orabat, ut te contra ſuum patrem, ſi ſeſtertium ſexagies peteret, defenderem. tantum enim ſe pro te interceſsiſſe dicebat. Hinc

INTERCESSORES pro fideiuſſorib. l. 3. §. ſi filius. D. de pecul. l. 25. D. de hær. uend.

INTERDICERE præciſa locutione dicimus, pro Per prætorem interdicere, uel Interdicto agere. Iulianus l. 6. D. ne quid in loco publ. Et qui hoc interdicto experitur, ne quid in loco publico interdicat, nihilominus procuratoris dandi facultas eſt. Vlpianus l. 3. §. 5. D. Vti poſsid. Labeo quoq; ſcribit, Ex ædibus meis in ædes tuas proiectũ habeo, interdicis mecum, ſi eum locũ poſsideamus qui proiecto tegetur. an quo facilius poſsim retinere poſſeſsionem eius poſſeſsionis interdico tecum, Sicuti nunc poſsidetis ædes eas, &c. Item in l. 1. §. 22. D. de aq. quot. & æſt. Item l. 3. §. 4. D. quod ui aut clàm & alijs locis innumeris, Fab. li. 3. cap. 6. Non debuiſti interdicere, ſed petere: an rectè interdictum ſit ambigitur. id eſt, Non debuiſti interdicto uti, ſed actione: an rectè actum ſit interdicto, ambigitur.

INTERDICERE aqua & igni, uide Auqa & igni. & illud Seruij adiunge ex lib. Aenei. 12. Ad facienda fœdera, inquit, aqua & ignis adhibentur. unde econtrà, quos arcere uolumus à noſtro conſor-

tio, eis aqua & igni interdicimus, id eſt rebus quibus conſortia copulantur.

INTERDICTI, uide Exilium.

INTERDICTA erant formæ atq; conceptiones uerborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. quod tunc maximè fiebat, quũ de poſſeſsione, aut quaſi poſſeſsione inter aliquos contendebatur: ait Imp. tit. De interd. in prin.

INTERDICTVM, eſt decretum Prætoris. certis ſolennibusq; uerbis uel de rebus diuinis aut publicis, uel de ui coercenda interpoſitum. Vnde autem dictum ſit, copioſè diſputaui in Inſtit. Commentarijs: Interdicere ſcilicet antiquè dici pro uehementius & imperioſius decernere. nam uox INTER nonnunquam augendi uim obtinet: ut cum dicimus Interficere, Interimere, Interuenire, Interturbare. Prætor enim his in rebus uel maximè ac diligentiſsimè decernebat. Plura ex Commen. Inſtit. cognoſces: quæ uerò mea quondam ſententia fuerit, quia hunc in locum olim retuleram, propterea relinquendum putaui.

INTERDICTVM eſt decretum Prætoris, ad tempus, hoc eſt interea dum principalis cauſſa diſceptetur, interpoſitum. ex quo intelligi debet inter Decretum & Interdictum tantundem intereſſe, quãtum inter genus & ſpeciem. nam decreta alia perpetuæ, alia temporalis iuriſdictionis cauſſa interponuntur. illa ſuum nomen retinent, hæc interdicta nominantur: quia inter illa duo tempora interijciuntur. neq; diſplicet, ut quo modo illuſionis cauſſa Veteres in Teſtamento mentis teſtationẽ, in Sacello ſacram cellam notabant: ſic in interdicto, interim & dictum (uerbi uim potius, quàm etymologiam attendentes) notemus. Simul & illud conſtat, quemadmodum Interdicere eſt plerunq; prohibere, ut interdicere bonis, interdicere aqua & igni: ſic illa decreta eo magis interdicta nominata eſſe, quia magna ex parte prohibitoria ſunt: ſi minus, uerbis & formula: ui quidem ipſa & effectu ac facultate. Tribus autem de cauſſis inſtituta reperio. Prima eſt, ad uim ulciſcendam & coercendam. nam qui ui quid fecit, uſq; eò coercetur, ut quamuis id iure fecerit, tamen interdictum aduerſus eũ detur: ut l.1.§.2.D.De iti.actuq; pri. l.1.D.de fonte, l.1. de cloac. & alibi perſæpe. item quiui de ſuo deiectus eſt, uel prohibitus ad ſuum accedere, ſi in rem actionem inſtituerit, tametſi ea ratione aduerſarium poſſeſſorẽ conſtituat, tamen interdicto uti, & per illud poſſeſsionem perſequi nõ prohibetur. quod ſanè ius quoddam ſingulare eſſe conſtat, in odium uis illatæ cõparatum, l. cùm fundum, 18.§.ult.D. unde ui, & de ui ar. & l. naturaliter. §.1.D. de acqui. poſſeſ. ubi is qui egit in rem, poteſt tamen interdicto Vti poſſidetis uti. quia non uidetur VTI POSSID. renunciaſſe, qui in rẽ egit. quomodo exiſtimsui aliquãdo illo in loco legendum eſſe. Altera cauſſa eſt, propter commodum poſſeſsionis. ueluti ut is cui colonus res ſuas obligauit, poſſeſsionem adipiſcatur: quamuis Seruiana uel certi condictione agere poſſet. ſic ſuperficiarius ciuiles habet actiones. ſed quia melius eſt poſsidere potius, quàm in perſonam experiri, propterea interdictum proponitur. l.1.§.1.D. de ſuperfic. Tertia cauſſa eſt, propter proprietatem. uti docet Paulus in l.2.§. quædam. D. de interd. ubi ait ea interdicta quæ rei perſecutionem continent, proprietatis cauſſam continere, & ea quæ ad rem familiarem pertinent, proprietatis, non poſſeſsionis cauſſam habere.

INTERDICTVM eſt decretum Prætoris, quo quid præſertim in poſſeſsionum controuerſiis fieri iubet, aut uetat. Alia autem exhibitoria ſunt, per quæ Prætor iubet exhiberi: ait Imp. §.1.D. de interd. alia noxalia ſunt, quibus noxæ ſeruum dedere permittitur, l.5.D. de interd. alia prohibitoria ſunt, quibus Prętor uetat aliquid fieri, ait Imp. §.1.D. De interd. alia reſtitutoria ſunt, quib. Prætor reſtitui aliquid iubet: ait Imp. §.1. De interd. alia ſimplicia ſunt, in quibus uter actor aut reus ſit conſtat: duplicia uerò, ubi non conſtat. l.2.D. de interd.

INTERDICTVM fraudatorium dicitur, quo Prætor ea quæ in fraudem cuiuſpiam geſta erant reſcindit, ueluti pupilli, ant creditorum. Papin. l.96. D. de ſolut. Sed & interdicto fraudatorio tutoris creditor pupillo tenebitur. Valens l.67. D. ad S.C.Trebel. Etiam eo tempore, quo creditorũ fraudandorum conſilium inibis, citra periculum interdicti fraudatorij hęreditatem ſuſpectam adibis. Item, Vix fraudatorio interdicto locus erit.

INTERDICTVM de aqua quotidiana & æſtiua ei datur, qui aquam quam anno proximo duxit, ducere prohibetur, dummodo iure uti ſe putet, aut ſine uitio eodem anno duxerit. pertinetq; ad aquã non modò quæ agris, uerum etiam quæ nobis, urbaniſq; prædiis uſui ſit. l.1.& paſſ. D. de aqua quot. & æſtiu.

INTERDICTVM de arboribus cædendis, eſt quo is tenetur qui uicinum, ſiue is in ſolidum aut ex parte dominus, ſiue fructuarius ſit, arborem in ædes ſuas impendentem quam ipſe non excidit, ſuccidere prohibet. l.1.D. de arb. cæd. Vel ſic.

INTERDICTVM de arboribus cædendis eò conceditur, ut liceat ei cuius arbor aliena in ædes ſuas impendet, ſi per dominum ſtat quo minus eam adimat: pedes ue quindecim à terra eam altius coerceat, adimere, coercere, ſibiq; habere liceat. l.1.D. de arb. cæd.

INTERDICTVM de cloacis ei datur, qui cloacam ſuam ab eo cuius in fundum permeat, purgare reficereve prohibetur, quamuis eam uitioſè poſſederit, dum tamen infecti damni caueat. l. prima, D. de cloac.

INTERDICTVM de fluminibus aduerſus eum cõpetit qui quid in flumine publico, ripave eius facit, aut im-

aut immittit, quo ſtatio iterve nauigio deterior ſit, l. 1. D. de fluminib.

INTERDICTVM de fonte, eſt quo is qui fonte, alio ve loco unde aqua uiua naſcitur, quo anno proximo ſine uitio uſus eſt, uti prohibetur, adiuuatur. l. 1. D. de fonte.

INTERDICTVM de glande legenda competit ei cuius ex agro glans, id eſt fructus cuiuſuis arboris in alienum decidit, ut ei tertio quoque die legere auferre glandem ſuam liceat. l. prima, D. de gland. leg.

INTERDICTVM de in poſſeſsionem miſſo, datur ei qui dolo malo fecerit, quo minus quis permiſſu Prætoris, eiusve cuius ea iuriſdictio fuit in poſſeſſionem bonorum ſit. l. 1. D. ne uis fiat ei.

INTERDICTVM de itinere actuq; priuato ei redditur, qui proximo anno itinere, actuve, ſiue iure, ſiue iniuria, dies nõ minus triginta nec ui, nec clã, nec precariò eſt uſus, ſi eo uſu nunc prohibeatur. item ei qui iter actumve, quo anno proximo eſt uſus, reficere prohibetur: ſi ſe uſum hoc anno & iure ſeruitutem illam habere doceat. l. 1. & 3. D. de itin. act.

INTERDICTVM de liberis exhibendis eſt: quo is qui filiumfa. apud ſe quauis ex cauſſa retinet, cum patris unius poſtulatu exhibere cogitur: niſi ſi honeſti matrimonij dirimendi cauſſa pater filiam nupiam deſideret. l. 1. D. de lib. exhib.

INTERDICTVM de liberis ducendis ei datur, cuius filiusfam. apud alium eſt, ut eum ducat, ſeu ius ductionis habeat. ſuperius autem De liberis exhibẽdis huius præparatorium eſt: ut enim duci quis poſsit, exhibendus eſt. l. 3. D. de lib. exhib.

INTERDICTVM de libero homine exhibendo tunc locum habet, cum quis dolo malo liberum hominem retinet, maſculum, fœminam, puberem, impuberem, ſui iuris, filiumfa. datur autẽ omnibus, ut cuiuis liceat libertati oppreſſæ opem ferre. l. 1. & paſſ. de lib. hom. exhib.

INTERDICTVM de loco publico fruendo ei datur, qui ab eo qui ius loci publici locãdi habebat, fruẽdum conduxit, ſi uel ipſe, uel ſocius eius frui prohibeatur. l. 1. D. de loco pub.

INTERDICTVM de loco ſacro aduerſum eũ datur, qui in ſacro loco aliquid fecit, immiſit, ut id reſtituat. l. 1. D. ne quid in loc. ſacr.

INTERDICTVM de migrando cõpetit inquilino qui rem ſuam, domino prædij pro mercede non obligatam auferre uult: uel obligatam quidem, ſed cũ aut mercedem ſoluiſſet, aut eo nomine ſatisfactũ eſſet aut per dominum ſtaret, quominus ſolueretur. l. 1. D. de migr.

INTERDICTVM ne quid in loco publico nel itinere fiat, aduerſus eum redditur, qui quid in loco publico fecit, inve eum locum immiſit, qua ex re quid illi damni detur, præterquàm quod lege, ſenatuſconſulto, edicto, decretove principum ei cõceſſum erit, l. 1. D. ne quid in loc. pub.

INTERDICTVM ne quid in flumine publico fiat, quo aliter, &c. aduerſus eum datur qui in flumine publico inve ripa eius facere, aut in id flumen ripamve eius immittere, quo aliter fluat, quàm priore æſtate fluxerit, inſtituit. l. 1. D. ne quid in flumin.

INTERDICTVM de precario datur ei qui quod precariò conceſsit, reuocare uult, aduerſus eum qui precariò quid impetrauit, ſiue ipſe ſibi impetrauit, ſiue procurator, aut negociorum geſtor, aut ſeruus: dominus autem rogationem ratam habuerit. neniuntq; in hoc interdictum res, partus, dolus, lata culpa: & poſt litem conteſtatam, leuis: quãti actoris intereſt rem interdicti tempore non reſtitui. l. 1. & paſſ. D. & Cod. de precario.

INTERDICTVM quod ui aut clam, aduerſus eum datur, qui ui aut clàm opus in ſiue iure ſiue iniuria fecerit, cuiusve iuſſu aut nomine cauſſaq; factum erit. Vi autem facit qui prohibitus facit, ſiue à domino, ſiue ab alio ipſius nomine prohibeatur. Clã uerò facere id dicimur, quod eo inſciẽte facimus, quem id prohibiturum eſſe ſuſpicabamur. l. 1. & paſſ. D. quod ui aut clàm.

INTERDICTVM quorum bonorum datur ei qui bonorum poſſeſſor eſt, aduerſus eum qui pro hærede, uel pro poſſeſſore poſsidet: cauſſa adipiſcendę poſſeſsionis omnium corporalium rerum. l. 1. & paſſ. D. quor. bon.

INTERDICTVM quorum legatorum datur hæredi bonorum poſſeſſori, & cuilibet uniuerſali ſucceſſori, aduerſus legatarios, qui non ex hæredis uolũtate legata occuparunt: nec enim ſibi debent ius dicere occupandis legatis, ſed ab hærede petere. l. 1. & paſſ. D. eod.

INTERDICTVM de remiſsionibus tunc ualet, cum operis noui nunciandi ius nullum fuit. nam operis nunciatio catenus duntaxat ualet, quatenus nunciandi ius fuit. Prætor enim ubi ius non fuit, nunciationem ipſo iure miſſam facit. l. 1. D. de remiſſ.

INTERDICTVM de ripa munienda datur ei qui in flumine publico, ripave eius opus facere, ripæ agrive qui circa ripam eſt tuendi cauſſa, dum ne ob id nauigatio deterior fiat: ſiquidem damni infecti in annos decem uiri boni arbitratu, uel cautum uel ſatiſdatum eſt. aut per illum non ſtat, quo minus hoc fiat. l. prima, D. de rip. mun.

INTERDICTVM de riuis ei conceditur, qui ea quibus aquarum ductiones continentur reficere purgareve prohibetur, ſi modò eodem anno ſine uitio aquam, etiam ſine ſeruitute duxerit. l. 1. D. de riuis.

INTERDICTVM Saluianum, eſt quod domino fundi aduerſus colonum redditur, ut rerum ſibi mercedis nomine oppigneratarum poſſeſsionem adipiſcatur, his uerbis: Quod tu illi mercedis cauſſa oppigneraſti, qua de re agitur, id illi reſtituas.

ſtituas. Differt autem ab actione Seruiana: quod illud aduerſus colonum poſſeſſorem, hæc aduerſus alios qui rem acquiſierunt, datur. illud de ſola poſſeſsione interponitur: in hac etiam de rei proprietate agitur. illud ad rerum uniuerſarum; hæc etiam ad ſingularum poſſeſsionem attinet. l. 1. D. de Saluian. l. 1. C. de precar. l. ſi quis, trigeſimaſexta, D. de nox. act.

INTERDICTVM de ſuperficiebus ei redditur, qui ſuperficiem alieno in ſolo poſsidet, ſi frui ſuo iure prohibeatur. quamuis enim ciuiles habeat actiones, tamen propter poſſeſsionis commodum, hoc interdictum utile eſt. l. 1. D. de ſuperfic.

INTERDICTVM de tabulis exhibendis ei datur, cui aliquid in tabulis teſtamenti adſcriptum eſt, uel purè, uel in diem, uel ſub conditione, ſiue hæres ſit, ſiue legatarius, ſiue fideicommiſſarius: aduerſus eum qui tabulas habet, dolove fecit quo minus haberet: ſiquidem neget ſe poſſe, uel oportere exhibere. l. 1. & paſſ. D. & C. de tab. exhib.

INTERDICTVM de uia publica, & itinere publico ei datur, qui uiam publicam iterve publicum apetire reficere ui prohibebatur, dum tamen ne ea uia idve iter deterius fiat. l. prima. D. de uia public. & itin.

INTERDICTVM unde ui datur ei qui ui de poſſeſsione ſoli deiectus eſt, ſiue ciuiliter & naturaliter poſsideat, ſiue ciuiliter tantùm, aut naturaliter tantùm: aduerſus eum qui deiecit, mandauit, iuſſit, ut is deijceretur, ratamve habuit factam ſuo nomine deiectionem: item aduerſus eum cuius familia uel mercenarij deiecerunt, in id quod ad eum peruenit. Finis eſt, ut tum ipſa res, tũ ea quæ inerant, tum etiam fructus aut percepti, aut percipiendi, damnumq; omne deiecti reſtituatur. l. 1. & paſſ. D. unde ui. Vel ſic,

INTERDICTVM unde ui, eſt quod ei qui de fundi, aut rei ſolo cohærentis poſſeſsione ui atroci deiectus eſt, recuperandæ poſſeſsionis cauſſa conceditur. l. 1. D. de ui & ui arm.

INTERDICTVM ut in flumine publico nauigare liceat, ei datur qui prohibetur in flumine publico, nauem, ratem agere, per ripam onerare, exonerare, per lacum, foſſam, ſtagnumq; publicum nauigare. l. 1. D. ut in flum. pub.

INTERDICTVM Vti poſsidetis, locum habet quoties inter litigatores contentio eſt uter poſsideat, & plerunq; propter rei uindicationem proponitur. datur autem ei qui uel ciuiliter & naturaliter uel naturaliter tãtùm poſsidet. uincitq; is qui poſſeſsionem nec ui, nec clàm, nec precario ab aduerſario litis conteſtatæ tempore poſsidet. & competit ob res immobiles, quæ quidem poſsideri poſſint, item ad res incorporales. l. 1. & paſſ. D. uti poſſid. Vel ſic,

INTERDICTVM uti poſsidetis, eſt quo Prætor quũ de rei poſſeſsione immobilis controuerſia eſt, eũ qui litis conteſtatæ tempore ſine uitio poſsidet, retinere poſſeſsionem iubet. l. 1. D. uti poſsid. Feſtus, Itaque in legitimis actionibus nemo ex ijs qui litigant poſſeſsionem uocare audet, ſed ad interdictum uenit ut Prætor his uerbis utatur, Vti nunc poſsidetis eum fundum. q. d. a. (id eſt, quo de agitur) quod nec ui, nec clàm, nec precariò alter ab altero poſsidetis ita poſsideatis: aduerſus ea uim fieri ueto.

INTERDICTVM Vtrubi, eſt quo is qui rem quamcunq; maiore anni parte ſine uitio poſſederit, rem illam obtinere iubetur. l. 1. D. Vtrubi. Vel ſic,

INTERDICTVM Vtrubi olim ad res mobiles tantùm pertinebat, eoq; uincebat, qui maiore parte eius anni nec ui, nec clàm, nec precariò ab aduerſario poſsidebat. Verùm quantum ad poſſeſsionem, hæc interdicta duo exæquata ſunt, ut is utroque uincat, qui non uitioſe litis conteſtatæ tempore poſſedit. l. 1. D. utrubi. & §. ſed interdicto, D. de interdict.

INTEGRA terra, uide Noualis.

INTERESSE, ſiue id quod intereſt, genere ſummo ſic definiri poteſt: Aeſtimatio eius damni, quod in re alicuius familiari per alterius culpam contigit. Eius duæ ſunt ſpecies, quarum una in generis ſui nomine conſiſtit, quæ ſcilicet omnibus in reb. præterquam ſpeciebus ſiue frugibus uerſatur: altera uerò in pecunia numerata, quæ propriè Vſura dicitur.

INTERESSE igitur ſpecialiter ſumptum, eſt diſcrimen, quod inter eam conditionem quæ in re familiari alicuius, uel antea fuit, uel omnino futura erat, & eam quæ nunc eſt, per alterius culpam contigit. Huius autem Intereſſæ duæ ſunt partes: nam interdum in ſola re principali conſiſtit: interdum & multo frequentius in eius acceſsione. L. 1. D. de act. emp. Atq; hæc quidem ſummarim, ex tractatu de eo quod intereſt: quem in Obſeruationibus explicauimus.

INTERLOQVI dicitur Prætor uel Iudex, cùm quid interea dum principalis cauſſa plenè diſceptetur, pronunciat. l. 1. §. hunc conſequẽter, D. de appell. l. 15. §. in uenditione, D. de re iud. l. 1. §. quæro, D. ad Turpill. Hinc

INTERLOCVTORIA ſententia quæ non principalem cauſſam definit, ſed intermedium aliquod negocium dirimit.

INTERNECINVM teſtamentũ eſt, propter quod dominus interemptus eſt. Feſtus lib. ix.

INTERPOLVM, poliendo propemodum renouatum, in alteram formam è uetere mutatum. Marcian. l. 45. D. de cont. empt. Si ueſtimenta interpola quis pro nouis emerit, Trebatio placere, ita emptori præſtandum quod intereſt, ſi ignorans interpola emerit.

INTERROGARE legibus, eſt legis alicuius auctoritate aliquem interrogare, nũ quid facinus aliquod admiſerit. Aſconius: Quid eſt, inquit, reum fieri niſi apud Prætorem legibus interrogari? Quum enim

enim in ius uentum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos ſpoliaſſe ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur ut uicto: ſi negaſſet, petebatur a magiſtratu dies inquirendorum eius erimitnum, & inſtituebatur accuſatio. Cicero pro Domo ſua, Eſtote: non fuit in me pœna ulla peccati, at fuit iudicij. cuius? quis me unquam ulla lege interrogauit? quis poſtulauit? quis diem dixit? Liuius libro vt 11. belli Maced. Neminem unum tantùm eminere ciuem debere, ut legibus interrogari non poſsit.

Interrogationes in iure (de quibus tractatus eſt lib. Pand. xi.) ad rei pecuniariæ cauſſas pertinebant: erantque olim inſtitutæ, ut ne malè agendo cauſſa perderetur, liceret apud eum qui ius dicebat, aduerſarium certis de rebus, antequã actio inſtitueretur, interrogare. Sed hoc tempore (inquit lex) interrogatorijs actionibus non utimur: quia nemo cogitur ante iudicium de ſuo iure aliquid reſpondere. l. 1. D. de interrogat. & interro. actionib.

Intertrimentum. Varro, Detrimentum a detritu: quod ea quæ trita, minoris ſunt precij. ab eadem mente Intertrimentum, ab eo quòd duo quę inter ſe trita, etiam deminuta ſunt. Aſconius, Detrimentum, inquit, uel unius partis dici poteſt: Intertrimentum non ad unius partis ſpectat, ſed dãtis & accipiẽtis. Scæuola l. ult. §. 11. D. de pig. act. Quæro intertrituram quæ ex operis culleorum facta eſt, utrum Titius debitor, an Seius creditor agnoſcere debeat. reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur, ob id quod eo nomine intertrimenti accidiſſet, non teneri.

Intervertere, auertere, furari. Vlpianus l. 18. D. de ſolut. Vtroque autem caſu manumiſſus ſi interuertendi cauſſa id fecerit, furtum domino facit. et l. Inficiando. ff. de Furtis.

Intervsvrium, uſus medij temporis. Paulus l. debitor, 82. D. de legat. 2. Alioquin ſecundum illam ſententiam ſi interuſurium tantum eſt in legato, quid dicemus ſi fundus legatus ſit ex die debitus? Vlpianus l. circa, 66. D. ad leg. Falcid. Interuallum temporis & interuſurium huius ſpacij minorem facit quantitatem decem. id eſt, uſus & emolumentum eius pecuniæ, quod interea percipit hæres, legatarius autem amittit. Vlpian. l. 9. §. 7. D. de pecul. Vt medij temporis interuſurium magis creditor conſequatur.

Intestabilis propriè dicitur, cui ius teſtamenti faciendi non eſt. nam Teſtabilis eſt, cui ius hoc datum eſt: ut ex lege Horatia Gellius li. 6. cap. 7. demonſtrat. Eſt autem xii. tabularum uerbum, ut idem eodem capite teſtatur, & lib. 15. cap. 13. Quæ ſi erit teſtatior, libripensve fuerit, in teſtimonium feriatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Poſtea autem Inteſtabiles etiam in patiendi ſignificatione dictiſ ſunt quibus teſtimonium non dicitur. Caius l. 26. D. de teſtam. Quum lege quis inteſtabilis iubetur eſſe, eò pertinet, ne eius teſtimonium recipiatur, & eo amplius, ut quidam putãt, neve ipſi dicatur teſtimonium. Hinc Plautus in Curcul. Inteſtabilem dixit. pro eo cui teſtes non adſunt. Semper curato, ne ſis inteſtabilis. Quod amas, ama teſtibus præſentibus. Vlpian. l. 18. §. 1. D. de teſtam. Si quis ob carmen famoſum damnetur, Senatuſconſulto expreſſum eſt, ut inteſtabilis ſit. ergo nec teſtamentum facere poterit, nec ad teſtamentum adhiberi. Sic l. 1. §. pen. D. de iniur. l. 21. D. de teſtib.

Intestatvs quatuor modis dicitur: teſtamento non facto, non iure facto, rupto irritòue facto, & ab hærede deſtituto. l. 1. D. de ſuis & legit.

Intestatvs decedit, qui aut omnino teſtamentũ non fecit, aut non iure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritumve factum eſt: aut ſi ex eo nemo hæres extiterit. ait Imp. tit. De hæred. quæ ab inteſt. in princ.

Intestatvs eſt, ait Paulus, non tantum qui teſtamentum non fecit, ſed etiam cuius ex teſtamento hæreditas adita non eſt. l. 64. D. de uerb. ſignifi.

Intestati (inquit Vlpian.) propriè appellantur, qui quum poſſent teſtamentum facere, teſtati nõ ſunt. ſed & is qui teſtamentum fecit, ſi eius hæreditas adita non eſt, uel ruptum uel irritum eſt teſtamentum: inteſtatus non propriè dicetur deceſſiſſe. uide cetera, l. 1. D. de ſuis & legit.

Intricare peculium dicitur ſeruus, qui in ære alieno eſt, & res quaſdam pignori oppoſuit, Vlp. l. 1. §. 4. De ſer. corrupt. Is quoque deteriorem fecit, qui perſuadet, ut peculium intricaret. Idem l. 21. D. de pecul. Sed & ſi eum intricare peculium in necem creditorum paſſus eſt, &c. Intricationẽ hanc Cicero pro Seſtio implicationem appellat, Magna, inquit, multitudo eſt eorũ, qui aut propter metum pœnæ. &c. aut. qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam ſuo, deflagrare.

Invecta illata coniunctim dicuntur ea, quæ ab inquilinis in ædes conductas, ut ea ſecum habeant, importata ſunt. l. 1. D. de mig. l. 4. D. de pact. l. 2. 3. 4. 7. D. in quib cauſ. pign.

Inventarii beneficium hæredib. a Iuſtiniano datum eſt in locum ſpacij ad deliberandum petẽdi. l. ult. C. de iur. delib. Eſt autem huiuſmodi: ut hæres inſtitutus intra nonaginta dies, quibus ſe inſtitutum ſcierit, ſi res propinquę ſint, uel intra annum, ſi longè abſint, inuentarium omnium hæreditariàrum rerum tabellarijs teſtibuſque præſentibus cõficiat: ipſe manu ſua id ſubſcribat: uel a certo tabellario adhibitis teſtibus ſubſcribendum curet, atque hoc modo pro earum rerum ratione tantum creditoribus teneatur quartamq; Falcidiam retinere poſsit.

Invitvm in ſeruitutibus accipimus non eum qui contradicit, ſed eum qui non conſentit. l. 5. D. de ſer. præd. urb.

Invitum accipere in procuratore dãdo debemus, non eum tantùm qui contradicit: uerum eum quoque qui conſenſiſſe non probatur.l. 8. §. D. de procur.

Involare, eripere, & ſecum auferre, Calliſt.l.6. D.de incend.nauf. Aut uela conſcinduntur, aut anchoræ inuolantur de mari.

Inumbrata quies, falſa, opinata tantùm, ſed falſo credita. Celſus l.18.§.1.D. de acquir. poſſeſſ. Si furioſo quem ſuæ mentis eſſe exiſtimas, eò quòd fortè in conſpectu inumbratæ quietis fuit conſtitutus, rem tradideris: id eſt, quia tum erat eo ſtatu & figura, ut mẽte cõſtare uideretur, ſed falſo.

Inutile, pro pernicioſum, & ab utilitate communi alienum. Vlpianus l.1.§.3.D.depoſ. Eſt enim inutile in cauſsis huiuſmodi fidem frangere. Loquitur de ijs quæ incendij & ruinæ cauſſa deponuntur. Paulus l.12.§.1.D.de admin.tut. nam & inutile eſt pupillis, ſi adminiſtratio eorum nõ ſeruatur: nemine ſcilicet emente.

Ioannes Andreas Iuriſconſultus, Bononiæ natus, ibidem ius ciuile publicè docuit, gloſſasque ad Iuris Pontificij libros, multosq́; præterea de iure libros conſcripſit. tandem peſte oppreſſus anno M. CCC. XLVIII. uita exceſsit.

Ioannes Blenaſcus Iuriſconſultus Burgundus, Bononiæ circiter annum CCL. ius ciuile profeſſus eſt: ſcripſitq́; De actionibus, & alia nonnulla, quæ ad ius ciuile omnia pertinent.

Ioannes Imolenſis Iuriſconſultus, Patauij iura publicè interpretatus eſt: compluribusque de ea diſciplina editis commentarijs, Anno M. CCCC. XXXV. uita eſt functus.

Ioannes Odofredus Iuriſconſultus, Azonis & Accurſij præceptor, circiter annum M. CIX. in Italia docuit, ſummamq́; Pandectarum ſcripſit. Eius perſæpe Accurſius in gloſsis mentionem facit.

Ipsi, pro integri, antiqua conſuetudine. Paulus l.66.D.de uerb.oblig. Sed ſi ipſorum uiginti annorum erit, nõ impedietur manumiſsio. Cic. ad Att.lib.3.Epiſt.21.Triginta dies erant ipſi, quũ has dabam literas, per quos nullas a uobis acceperam.

Ipso iure conſiſtere dicitur id, quod iure duodecim tabularum, aliarumque populi R.legum conſiſtit. Vlp.l.9.§.1.D.de uſuf.quem.cau. Illud ſciẽdum eſt, ſiue iure ipſo quis uſumfructum habet, ſiue etiam per tuitionem Prætoris, &c. Paulus l. 9. §.1.D de diſtract.pig. Quod in pignoribus dandis adicij ſolet, ut quo minus pignus ueniſſet, reliquum debitor redderet, ſuperuacuum eſt: quia ipſo iure ita ſe res habet, etiam non adiecto eo. Caius l.29.D.de uſu & uſuf. Licet iure ciuili morte, & capitis diminutione ex perſona legatarij pereat uſusfructus, quòd huic ipſo iure acquiſitus eſt: tamen Prætor iuriſdictione ſua id agere debet, &c. Vlpian.l.1.in fi. D. Quod falſ. tut. auct. Tunc enim ualebit per Prætoris tuitionem, non ipſo iure. Item apud eundem in l.1. in fin. D. de exercit.act.& l.17.in fi.D.pro ſocio.l.1.§.ult.D. de ſuperfic.

Ipso iure, non ſimpliciter ſignificat iure ciuili: ſed definitè iure duodecim tabularum. nam Ius ciuile non modò pro eo iure ponitur, ſed & pro Iuriſprudentium inuentis. Papinianus l.49.§.1. D.de fideiuſſ. Habeat quidem decem, quæ ipſo iure non debuit, condictionem.

Ire agere, coniunctim in libris noſtris crebrò legimus, pro diſiunctim. aliud enim eſt Ire, aliud Agere. Ire, hominis eſt: Agere iumenti. Qui actum habet, iter habet: at non contrà. Ergo Ire, Agere, paſsim coniunguntur, ut tres ſeruitutes compendio ſermonis comprehendãtur, Iter, uia, & actus. nam ſub uerbo Agere, tacitè quoque vehere comprehenditur. cuius rei ratio hæc eſt: quia qui uehiculum ducit, iumentum, id eſt uel equũ uel bouem: qui uehem trahit, agit. unde lex in XII. Si uia ſit immunita, qua uolet iumentum agito. quare cui agendi ius abſolutè conceſſum eſt, ei non modò armentum aut gregem, uerumetiam uehiculum agendi facultas permiſſa intelligitur. uide Iter.

Ire in bona alterius dicitur, qui a Prætore in eiua bonorum poſſeſsionem miſſus eſt.l.3. §. ult. & l. ultima, in fin. D.de lib.hom.exhib.

Ire in duplum, ſponſionem dupli facere. Cicero pro Flacco, Frater meus pro ſua æquitate prudentiaqne decreuit. ut ſi iudicatum negaret, in duplum iret.

Irenarchae, εἰρηνάρχαι. præfecti paci: ſic dicebantur Curatores ocij, tranquillitatiſque publicæ: qui tum urbem, tum ſuburbana loca obibant, uti quos in crimine deprehenderent cum elogio ad Magiſtratus mitterent, aut ipſimet accuſarẽt. Arcadius l.ult.§.1.D.de mun.& honor. Eirenarchæ quoque, qui diſciplinæ publicæ & corrigendis moribus præficiunt. Marcianus l. 6. D. de cuſt.reor. Irenarchæ quum apprehenderint latrones, interrogant eos de ſocijs & receptatoribus, ut interrogationes literis incluſas & obſignatas ad cognitionem magiſtratus mittant. Vlpianus Stationarios milites appellare hos uidetur in l.1.§.ſexto, De offi.præfec. urb. Et ſanè, inquit, debet etiam diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referẽdum ſibi quid ubi agatur.

Irnerius Iuriſconſultus, Bononiæ Anno a Chriſto nato Milleſimo octuageſimo floruit. Cùm ibi primum bonas artes publicè profiteretur, & eo tempore Pandectarum libri ex Malfitanæ urbis direptione a Piſanis uictoribus Piſas deportati eſſent, captus eorum lectione, iuris ſtudio nauare operam, tandemque illos libros publicè interpretari cœpit. Gloſſas etiam multis in locis eorũ librorũ adſcripſit: & ex Nouellis Iuſtiniani

ni quæ ad Codicia conſtitutionum qnarundam argumentum pertinerent, decerpſit, ſuoq́; loco appendiculam quanq; attexuit.

IRRITVM fieri teſtamentum dicitur, quoties ſtatu teſtatoris mutato ipſo iure teſtamentum concidit.l.ſi quis,6.D.de iniuſt.rupt.ueluti ſi capite deminutus fuerit. Itaque Rumpi & irritum fieri ſic differunt, quòd irritum ſtatus teſtatoris immutatus facit:rumpit autem caſus extrinſecus cõtingens,ut agnationis,adoptionis,teſtamenti noui. Rurſus inter Irritum eſſe & Iritum fieri hoc intereſt,quod irrita fieri ea demum dicuntur quæ cum antea iure conſtarent,euerſa ſunt. Irrita uerò uel iniuſta eſſe dicuntur,quæ nunquam conſtiterunt, ſed infirma ſemper ſua ſponte fuerũt l.1.D.eod.

IRRITVM fieri teſtamentum dicitur, quũ id quod iure factum erat,infirmatur: ait Imp.§.3. Quib. mod.teſt.inf.

ΙΣΑΖΟΝ, paritas,par utriuſque ratio. Vlpianus l. 13.D.de ſtip. ſer. At hic τὸ ἰσάζειν corrumpit ſtipulationem. Loquitur de duobus dominis,quorum ſeruus ſub diſiunctione ijs ſtipulatus erat: qnos pares eſſe ait inter ſe,quia uterq; capax erat obligationis: qùum unus dominus & extraneus adiectus pares non ſint.

ISAVRI, de quibus mentio fit in l.ult.C.de ferijs.l. ult.C.ad leg.Iul.de ui pub. Latrocinio nobiles, ut ex Dionis lib. LV. & Marcellini lib.XIIII. intelligitur.

ISGINVS, uide Hyſginus.

ISTHMVS, ἰσθμός, terra anguſta inter duo maria, oblongas ceruicis inſtar obtinẽs.Paulus l.37. D. de ſeruit. ruſt. εἰς τὴν οἰκίαν σου τὴν ἐν τῷ ἰσθμῷ. In domum tuam quæ eſt in Iſthmo.

ITER, eſt ius eundi ambulandi homini,non etiam iumentum agendi l.1.D.de ſeruit.præd. ruſt.

ITAR, eſt ius eundi,ambulandi, non etiam iumentum agendi uel uehiculum:ait Imp. tit.de ſeruit. præd.in principio.

ITER & actus quid differant,uide Actus & iter.

ITERVM, duas res ſignificat:alteram,qua demonſtraretur tempus ſecundum,quod Græci δεύτερον dicunt:alteram,quæ ad inſequentia quoque tempora pertinet, quæ Græcè dicitur πάλιν.l.7. D. de edendo.

IVBERE, nonnunquam decernere, inquit Feſtus. hinc illud apud Imper.§.2. De teſtam. Neque ij quos leges iubent improbos inteſtabileſque eſſe, poſſunt in numerum teſtiũ adhiberi: id eſt quos ſtatuunt ac decernunt. Caius l.26.D.de teſtam. Quum lege quis inteſtabilis iubetur eſſe,eo pertinet, &c.

IVBERI poſsidere,uide Poſsidere iuberi.

IVDEX à Dico,quòd iudicat accepta poteſtate, id eſt quibuſdam uerbis dicendo finit. Varro.

IVDEX in priuatis cauſsis dicitur,ciuis aliquis priuatus,cui Prætor ex reorum conſenſu de lite cognoſcendi,ſententiamq́; ex formulæ præſcripto pronunciandi poteſtatem dedit. Cicero in Cluẽtiana, Neminem uoluerunt maiores noſtri non modò de exiſtimatione cuiuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe iudicem,niſi qui inter aduerſarios cõueniſſet.ubi fortaſſe QVEM pro QVI ſcribendum fuit. Priuatus autem dixi,quia dari qui cum imperio uel poteſtate erant, iudices non poterant: ut ex Verrina 2. conſtat. Quod autem de conſenſu diximus,non eſt contrarium ei quod ſcribit Pomponius in l.ſi in iudicis,80.D.de iudic. ibi enim conuentio intelligitur,quum ipſi rei antequam in ius uentum eſſet, certum iudicem elegiſſent. Vtriuſque autem conſenſum requiri,dixi propter l.obſeruandum, 47. D.de iudic. Vbi Calliſtratus ſcribit, obſeruãdum eſſe,ne is iudex detur,quem altera pars nominatim petat. Dixi De lite cognoſcendi: quoniam iudex alia de re quàm quæ nominatim in iudiciũ a Prætore deducta eſt,cognoſcere non poteſt.l. ut fundus,18.D.comm.diuid.ubi Iauolen.ait,ultra id quod in iudicium deductum eſt, excedere poteſtatem iudicis non poſſe. Itaque neque ea quæ ante,neque ea quæ poſt acceptum iudicium euenerunt,ad eius officium pertinent.l. ædiles, 25.§.ſciendum,4.D. de ædil. edic.l. non poteſt, 22.De iudic. Poſtquam autem ſemel ſententiam dixit,iudex eſſe deſinit.nam ſeu bene ſeu malè dixerit,officio ſuo functus eſt.l.iudex,55. De re iudic.quid enim pertinet ad officium iudicis,futuri tẽporis tractatus? ait Paulus,in l.1.D. de uſur. Eius porro ſententiam exequebatur is magiſtratus qui eũ dederat.l.a diuo Pio,15.D.de re iudi.

IVDEX & arbiter inter ſe multis in rebus & ſimiles, & diſsimiles ſunt. nam ut ex utriuſque conſenſu iudex dandus eſt,ſic etiam arbiter.l. litigatores, 21.§.3.D.de arbitr. Vterque minor annis xx. eſſe nó poteſt.l cum leg.4.eod. Vterq; preterea de re ſola de qua lis conteſtata erat. cognoſcebat. l. ut fundus,18.Comm.diuid.l.nõ diſtinguemus, 32.in fin.l.de his rebus,46.De arbit.uterq; ſententia dicta uel iudex, uel arbiter eſſe deſinebat, l.qualem,19.D.de arbit.utriuſque ſententiã Prætores exequebantur.l.a diuo Pio, 15.De re iudic.ſi tres dati ſint,duorum cõſenſus abſente tertio non ualet.l.item ſi,17.in fi.& l. ſeq.De arbit. Vterque incertam ſententiam inutiliter pronunciat.l.quid tamen, 21. eod. utriuſque ſententiæ quamuis iniuſtæ parendum eſt.l.diem,27.eodẽ. Differunt autem in eo quòd is qui propriè iudex appellatur,ad certam Prætoris formulam aſtrictus eſt:in eaque ipſa uerba quibus Prætor uſus eſt, proferre ſententiam debet. Arbiter autem eſt,qui totius rei habet arbitrium & facultatem: ut Feſtus & Donatus ſcribunt.itaque qualem ſententiam ferat,Prætoris nihil intereſt.dicta l. qualem,De arbitr. Iudex,ſi conuenerit inter litigatores quid pronuncietur:eiuſmodi ſentẽtiam proferre

ferre

ferre poteſt.l.ſi conuenerit,26.De re iud.at ſi ſic fuit in arbitrium compromiſſum, ut certam ſententiam dicat,nullum eſt arbitrium d. l. qualem, De arb. Iudex,ut antea dicebamus, priuatus eſſe debet:arbiter autem etiam qui cum imperio eſt dari poteſt.l.2.& 3. De arbit. Ignominioſus iudex eſſe non poteſt.l.cùm Prætor,12. De iud.arbiter poteſt.l.Pedius,7.De arbitr. Iudicis ſententiæ propter Prætoris imperium parendum eſt: arbitri uerò,propter compromiſſum.l.1.& paſſ. eod. Atque hæc quidem hactenus de ijs arbitris, qui Compromiſſarij appellantur, de quibus pleni ſunt Pandectarum & Codicis libri. Intelligendum eſt autem aliud præterea Arbitrorum genus eſſe,qui uſque eo iudicum ſimiles ſunt, ut internoſci uix, ac ne uix quidem poſsint. Hinc in formulis illud uſitatum, Iudicem ſiue arbitrū dicere oportet.Cicero in Muræn. Tot homines per tot ætates conſtituere nondum potuiſſe,utrū iudicem an arbitrum dici oporteret. Ii uerò erant qui bonæ fidei & arbitrarijs iudicijs adhibebantur.nam qui ſtricti iuris iudicium exercebāt, quoniam ad certam formulam adſtringebantur, arbitri dici non poterant. Quibus uerò liberā atque infinitam poteſtatem Prætor permittebat de re controuerſa ex æquo & bono arbitratu ſuo diſceptandi,ij Arbitrorum erant ſimillimi, eoq; nomine appellabantur: quemadmodum in Quintianæ comment.expoſuimus.

IVDICEM quæſtionis alium fuiſſe a Quæſitore qui capitali iudicio præerat,locus i extrema Verrina 3.perſpicuè declarat. Eum autem Aſconius eodem loco principem iudicum appellat. nunc quærendum eſt,quę inter utrunq; differentia fuerit.Quæſitor igitū magiſtratus erat,&,ut ait Cornificius,accuſatorem,defenſorem,teſtem in officio continebat.uim ac poteſtatem iudicum coercendorum,hoc eſt ſub pignoribus cogendorum, habebat.in ſella curuli eburnea, pro tribunali ſedebat.ipſe nec iuratus erat,nec ſententiam ferebat,ſed urnæ in quam & cauſſarum ſortes conijciebantur,& iudices ſentētiam ferebant,præerat. iudices in conſilium uocabat.uideri feciſſe reum, uel non feciſſe pronunciabat. Hinc Virg.Quæſitor Minos,urnam mouet: ille ſilentum Conſiliumque uocat. quod Seruius eodem modo explanat. Atq; hæc quidem Prętor. Iudex autem quæſtionis priuatus erat,ut patet ex l. 1. D. de ſicarijs,& ut ex Bruto coniecturam capio, poſt Aedilitatem interea dum Præturam petiturus erat, ſeſe in iudicijs tractandis exercebat.ea nanq; quæ Prætoris præſentiam atque imperium non requirebant,ipſe quaſi eius uicarius,in tribunali,nō tamen in ſella curuli ſedens,adminiſtrabat.quod ex Vatiniana interrogatione cognoſcitur.Præcone nanq; Iudices teſteſve citante, ipſe reſpondentes obſeruabat,eorumq;quaſi cuſtos erat.iuratus ſententiam unà cum alijs ferebat.&,ut ex eo conijcere libet,quòd iudicum princeps uocabatur,primus omnium ferebat.Quæri autem poteſt, cum Prætor urbanus iudices rerum capitalium ſortiretur ac ſubſortiretur, quemadmodum Cice. in Cluent.& Pedian.Ver.3.teſtantur,quid ſit, quod idem Aſconius ſcribit, iudicem quæſtionis Iunium ſubſortitum fuiſſe in locum non reiectorū. ſic enim apud Aſconium legendum Cluentiana oratio demonſtrat.ſed,ut opinor, ita non incommodè reſpondebitur, Aſconium ſubſortiri dixiſſe pro ſubſortitorum citationi & reſponſioni pręeſſe.nam paulo ſuperius ſic loquitur,Princeps illorum iudicum damnatus eſt Iunius,quòd diceretur alios ſuppoſuiſſe,qui reum damnarent, nō eos quos Prætor fuerat ſubſortitus. Hæc cum ita ſe habeant,uideo tamen & Quæſitorem ipſum Iudicē quæſtionis dici,& uiciſſim Iudicē quæſtiōis Quæſitorem.nā Cic.in Clu.de Prætore Q. Voconio Naſone loquens,Iubet,inquit,ea lex qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt,iudicem quæſtionis,hoc eſt Q.Voconium, cum ijs iudicibus qui ei obuenerant, quærere de ueneno. Pedianus autem Verrina 1. Iunius,inquit, Quæſitor fuit in Cluentij cauſſa Verre Prætore. Quod autem Aſconius his uerbis ſcribit, Q.Curtius iudex quęſtionis ſubſortiebatur,impropriè locutus eſt,pro ſedere,quaſi ſubſortito ductum,patiebatur.Atq; hæc quidem mea de iudice quæſtionis ſententia eſt:quam ſine aliorum reprehenſione, quemadmodum & natura & conſuetudo mea fert,breuiter expoſui. Marcian.l. prima, S. primo, D. ad l. Cornel.De ſica.Quive magiſtratus,iudexve quęſtionis ob capitalem cauſſam pecuniam acceperit,ut publica lege reus fieret. Nam paulo antè dixerat,Quive quum magiſtratus eſſet,publicove iudicio præeſſet.

IVDEX compromiſſarius,id eſt arbiter in l. 41. D. de recept.qui arb.

IVDICARE,a dico,quòd tum ius dicatur. Varro.

IVDICARE capitis,uel pecuniæ,eſt diem rei capitalis,& multam dicere, uel capitis, uel pecuniæ anquirere.Liuius libro 26.Quoad uel capitis uel pecuniæ iudicaſſet,priuato.

IVDICATIO, pro Propria iuriſdictio. Vlpianus l. aliud frans eſt,131.D.de uerb.ſig.Multam is dicere poteſt,cui iudicatio data eſt. Magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum poſſe multam dicere,mādatis permiſſum eſt.Similiter in l.2.in ſi. D.de iudic.His datur multæ dicendæ ius,quibus publicè iudicium eſt.id eſt,qui iure magiſtratus qui,quę a ſui principe uel populo acceperunt,iudicium exercent:non autem qui ab ipſo magiſtratu iudicandi poteſtatem acceperunt.

IVDICATVS, addictus.Plautus Menahemis,

Nam ego ad Menahemū nunc eo:quo iamdiu
Sum iudicatus:ultro eo ut me uinciat.

IVDICATVM eſt,de quo iam antè ſententia alicuius uel aliquorum conſtitutum eſt,ait Cicero lib. de Inuent.

Inuent. 2. Ius illud ſignificans, de quo Calliſtratus in l. 38. D. de leg. & ſen.

IVDICIVM priuatum, pro iudicio ex contractu & obligatione pecuniaria nato, apud Vlpian. l. 3. D. de crimin. ſtellio. Quod enim, ait, in priuatis iudicijs eſt de dolo actio, hoc in criminibus ſtellionatus perſecutio. Crimen a priuato iudicio ſeparat: quum tamen hoc publicum non ſit iudicium.

IVDICIVM, inquit Aſconius, dicitur res, quæ cauſſam litemque determinat. Vel ſic,

IVDICIVM, eſt decretum eorum qui pro poteſtate, quam a lege acceperunt, cauſſa cognita de re ad ſe delata ſententiam pronunciarunt.

IVDICIVM autem duplex eſt: aut Priuatum, aut Publicum. Priuatum eſt, quod rei priuatæ cauſſa inſtitutum eſt, neque ad Rempub. directo pertinet: ueluti cum de re pecuniaria, aut priuati hominis iniuria quæritur. Publicum eſt, quod eius iniuriæ cauſſa ſuſceptū eſt, quā Reſpublica lege aliqua lata ad ſe pertinere ſtatuit, & ſemper in crimine aliquo cognoſcendo uerſatur. Vel ſic,

IVDICIA priuata & publica differunt. Priuata ſunt, in quibus iniuria quæ homini priuato illata eſt, uindicatur: Publica, in quibus quæ Reipublicæ. Plato lib. de ll. 6. Ceterarum rerum duo iudicia ſunto. alterum quum quis priuatus a priuato quopiam iniuria ſe affectum queritur, cumque in ius educens, de ea diſceptari poſtulat. alterum quum Rempub. à quopiam ciuium læſam eſſe aliquis exiſtimat, & uult Reip. perſequi iniuriam. Itaque illa Rei priuatæ a Cicerone nominantur: hæc autem, Reipu. Quę uerò ſint iniuriæ, quibus Reſpublica, ſiue populus uniuerſus lædatur, in ipſius arbitrio ac uoluntate poſitum eſt. Itaque non modò peculatus, aut Repetundarum aut ſimilia crimina, ſi populus uolet, publica nominabuntur, eorumque quæſtiones cauſſæ publicæ: uerum etiam furti, rapinæ, damni iniuria dati, iniuriæ: & omnia deniq; quæ non ſua ſponte, ſed prudentium interpretatione maleficia nominantur. quod ex lege Lectoria planiſsimè intelligitur, quæ aduerſus eos lata eſt, qui minorem circumueniſſent. ſiquidem lege lata, ea cauſſa quæ priuata ſemper antea fuerat. publica facta eſt. Cicero de nat. Deor. 3. Inde, inquit, iudicium publicum rei priuatæ, lege Lectoria. Rei priuatæ. id eſt, quę ſemper antea priuata fuerat. Quæ quum ita ſint, falſam certè eſſe apparet Iuſtiniani ſententiā, qui Iudicia publica ex eo dicta putauit, quòd cuiuis de populo agere liceat. non enim publica ſunt, aut dicuntur, quòd cuiuis de populo liceat agere: ſed cōtrà, quia cauſſæ publicæ ſunt, id eſt quia quiuis de populo læſus eſt, quia cuilibet de populo iniuria facta eſt, quia denique cuncta Reſpub. læſa eſt: propterea licet cuiuis de populo, quaſi pro ſua uirili parte, ſuam Reique publicæ perſequi iniuriam. Enim ob eam cauſſam unicuique accuſandi poteſtas permiſſa eſt, quòd ad uniuſcuiuſque ſingulatim, & publicè ad uniuerſum populum ea pertinet iniuria.

IVDICIA populi, & iudicia publica differunt. nam illa dicuntur, quæ populus in foro per tribus, in campo per centurias diſtributus exercebat: hæc uerò, quib. Prætores qui & Quæſitores dicuntur, ſella in foro poſita cum conſilio iudicum præerant. de quibus ſuo loco explicauimus. Illiuſmodi fuerunt illa, quibus quis ius ciuitatis ac libertatis imminuiſſe dicebatur, ut ex Verrina 3. cognoſcitur. Erant autem hæc uehementiſsima grauiſsimaque iudicia. Solus enim populus in ciuem R. uerberibus & ſecuri animaduertendi poteſtatem habebat. Repetundarum uerò & aliorū criminum quæſtionem ad populum non pertinuiſſe, idem Verrina 5. his demonſtrat uerbis: Quò confugient ſocij? quem implorabunt? ad Senatum deuenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt uſitatum, non Senatorium. ad populum R. confugient? facilis eſt cauſſa populi. Legem enim ſociorum cauſſa iuſsiſſe, & ei legi cuſtodes ac uindices præpoſuiſſe dicet. hæc ille. Præter hæc autem populi iudicia lege lata conſtituta, illud ſcire oportet, licuiſſe Tribunus pl. Aedilibus. Quæſtorib. iudicium populi omnibus de rebus conſtituere, & cuiuis ciui diem ad populum dicere, ut de eo quæſtio exerceretur. cuius rei cum alibi pleraque exempla ſuppeditant, tum uerò apud Val. Max. lib. 4. cap. De pudicit. & apud Cic. in Verrinis, ubi ſæpe populi iudicium Verri minitatur. Quæ ſanè populi iudicia, ſi quis publica quoque nominanda contendat, dūtaxat ob eā cauſſam, quia non intra domeſticos parietes, ſed palàm ac ſub dio (Item ut alia) exercerentur, non magnopere luctabor: præſertim quum ita Liui. quoque lib. 2. ea nominet. Nam de Caſsio damnato & necato cōmemorans, quem nonnullus a patre domi cauſſa cognita uerberatū necatumq; dixerat, Inuenio, inquit apud quoſdam a Quæſtoribus Cęſone Fabio, & L. Valerio diem dictam perduellionis: damnatumque populi iudicio, dirutas publicè ædes. Ceterum ſiue illud domeſticum, ſiue publicum fuit iudicium, damnatur S. Cornelio, Q. Fabio Coſs.

IVDICIORVM publicorum quędam, inquit Paulus, capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt in quibus pœna mors, aut exilium eſt, hoc eſt aquę & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cetera non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur. tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna eſt. l. 2. D. de pub. iud.

IVDICIORVM alia criminalia dicuntur, alia ciuilia. Criminalia ſunt, quibus iniuriam Reip. factam ulciſcimur. Ciuilia, quibus ſuam quiſq; ciuis priuatam ac propriam iniuriam perſequitur. nam ex

eo

eo Ciuilia dicuntur, quòd ciuibus priuatisque hominibus ulciſcendis danıur l.9.§.D.de public.& ueƈt Itaque quum hæc De re familiari appellentur a Paulo l.4.D.de pub.iud.illa fortaſſe non malè De re publica nominarentur. Vnde criminaliter & pecuniariter agere opponuntur .l. ult. D. de priuat.deliƈt.&. l.1.D. de teſtib. quod ciuiliter alibi dicitur in l.un.C.Quand.ciuil.aƈt.crim. præ.& l.ult.D.de furt. Nihilne igitur inter publica & criminalia iudicia intereſt? imò uerò intereſt.criminalia nanque iudicia generaliter dicuntur, tum quæ lege lata exercentur (quæ publica Macer nominat.l.1.D.de public. iud.) tũ quæ nulla lege, ſed extra ordinem dicũtur. qualia ſunt furti, rapinæ & ſimilia. Vlpianus l.ult.D.de furt. Meminiſſe oportebit, nunc furti plerunque criminaliter agi, & eum qui agit in crimen ſubſcribere: non quaſi publicum ſit iudicium, ſed quia uiſum eſt temeritatem agentium etiam extraordinaria animaduerſione coercendam. Paulus l. 9. §.5.D.de publ.& ueƈtig. Per uim uerò extortum cum pœna tripli reſtituitur, amplius extra ordinem pleƈtuntur. alterum enim utilitas priuatorũ, alterum uigor publicæ diſciplinæ poſtulat. Imp. autem in l.un.C.Quando ciuil.aƈt.iudicia publica legibus conſtituta manifeſtò criminaliũ appellatione compleƈtuntur. Ex quibus omnibus illud conſtat, Criminalia ſpecialiter ac propriè ea dici, quæ non lege aliqua publicorum iudiciorũ, ſed extra ordinem magiſtratus imperio ac poteſtate exercẽtur. Macer in l.prima, D.de pub. iud. Non omnia iudicia, in quibus crimen uertitur, & publica ſunt: ſed ea tantum quæ ex legibus publicorum iudiciorum ueniunt.

IVDICIA omnia ſunt abſolutoria: id eſt, Iudicia Prætore dato tacitè permittitur reum qui ante ſententiam aƈtori ſatisfacere paratus eſt, liberatũ ab aƈtione dimittere: ne in infamiam quæ ex quibuſdam iudicijs contrahitur, incurrat. uti docet Imp.§.ult. De perpet.& temp.& patet ex l.73.D. de procurat.

IVDICIVM turpe, quo damnatus infamia & turpitudine afficitur. Cicero pro Flacco, Iratus Flacco dixit M.Lurco, quòd (ut ipſe aiebat) libertus erat eius turpi iudicio condemnatus, &c. Pro Sex.Roſcio, Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minus turpe, quàm furti. Item, In minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpiſsimo iudicio condemnetur neceſſe eſt. Pro Cæcin. Eſt.n. turpe iudicium, & facto quidem turpe.

IVRA prædiorum quid aliud ſunt, inquit Celſus, quam prædia qualiter ſe habentia? ut bonitas, ſalubritas, amplitudo. l.81.D.de uerb.ſigni.

IVRAMENTVM, uide Iuſiurandum.

IVRARE corporaliter Imp. in Codicis pleriſq; conſtitutionibus dicunt, opinor, Ethnici quidem de ijs qui aras in iurando tenebant: Chriſtiani uerò de iis qui Euangelii codicem attingebant. Veluti Diocletianus l.3.C.ſi minor ſe maior. dix. Huiuſmodi autem ſacramento corporaliter præſtito, nullum tibi ſupereſſe auxilium perſpicui iuris eſt. Iuſtin.l.1.C.de iureiur.propt.cal. Non aliter concedimus, qui quæſtiones ſeruorum expoſcunt, ad hoc uenire, niſi prius taƈtis ſacroſanƈtis ſcripturis deponant, &c. Item in.l.1.C.ſi aduerſ.uend.& l.properandum.2.C.de iud. Cicer. pro Flacco, Ergo is qui ſi aram tenens iuraret, crederet nemo, per epiſtolam, quod uolet iniuratus probabit? Liuius libr.21. Fama etiam eſt, Annibalem annorum fermè nouem pueriliter blandientem patri Amilcari. ut duceretur in Hiſpaniam, cùm ſacrificaret, altaribus admotum taƈtis ſacris, iureiurando adaƈtum ſe, eum primùm poſſet, hoſtem fore populo R.

IVRARE per genium Principis, uide Genius.

IVRAMENTVM calumniæ dicebatur olim, quod litigatoribus. ita deferebatur, ut aƈtores quidem iurarent ſe non calumniæ cauſſa litem intendere: rei uerò, non calumniæ cauſſa ad inficias ire. l. inter, 44.§.4.D.fam.erciſc. idque Cic. Iurare in litem dixit in ea pro Q.Roſcio: Proh dij immortales, eſſe ne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? Iuſtiniani autem inſtituto & rei, & aƈtores, & aduocati iurare coguntur, ſe non calumniandi animo, ſed bona fide & ex animi ſui ſententia litigare: l. 2. C. de iureiur.propt.cal.dãd.§.2.de pœn.tem. litig. l.rem non nouam, 12.§.patroni, C. de iudi.

IVRAMENTVM in litem: uide Iuſiurandum in litẽ.

IVRE. pro ipſo iure. Papin, l.95.§.1. D. de ſolut. aditio hæreditatis nonnunquam iure confundit obligationem.

IVRGIVM & Lis. Cicero de Repub.4. Admiror nec rerum ſolum, ſed uerborum elegantiam. Si iurgant, inquit: Beneuolorum concertatio non Lis, ſed Iurgium: Inimicorum, Lis dicitur. Et in ſequenti, Iurgare igitur lex putat, inter ſe uicinos non litigare.

IVRIS alia dicuntur, alia facti: uide Facti.

IVRIS alia quæſtio eſt, alia facti: uide Quæſtio.

IVRISCONSVLTVS dici debet, non Iureconſultus: licet Cicero pro Muræna ita dixerit, & Lucilius ſecundo, Et iure peritus. Hæc Chariſius lib. 1.

IVRISCONSVLTVS eſt (inquit Antonius apud Ciceronem lib.de Orat.1.) qui legum & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus eſt. Sed uideamus ne qui huic abſit definitioni: quum Pragmaticis, ut alibi diximus, hæc eadem quadret definitio. Iuriſconſulti enim ius in ciuitate cõſtituunt, de ijs negocijs de quibus ius certum eſt nullum, conſulti. Itaque eorum reſponſa, iuris ciuilis in parte numerantur. Conſulebantur autem (ut Fab. ait) a[illegible] de uerborum

proprietate,

proprietate,ueluti ſi de teſtamenti ſtipulationiſve uerbis eſſet controuerſia,uel de æqui diſputatione,ut in Sergij & Oratæ cauſſa illa nobili:aut de uoluntatis coniectura,ut quum teſtatorem aliquid amplius uoluiſſe,quam dixiſſe contenditur. Cic. pro Plancio, Quæris num Iuriſconſultus? quaſi quiſquam ſit,qui ſibi hunc falſum de iure reſpondiſſe dicat. Omnes enim eiuſmodi artes in ijs reprehenduntur,qui cùm profeſsi fuerint, ſatiſfacere nô poſſunt:non ĩ ijs, qui abfuiſſe ab iſtis ſtudiis confitentur. Quare uideamus ne uerior hæc ſic definitio:Iuriſconſultus eſt, qui tum iuris ciuilis,tum æqui boniq; peritus, populo ſe ad agendum,cauendum,interpretandum, reſpondẽdumque dedit. nam his omnibus in rebus Iuriſcõſulti officium uerſari,nos in Iuriſconſulto noſtro copioſè oſtendimus.

IVRISDICTIO, pro Iuris ratio,æquitas,recta ſententiæ ferendæ ratio. Vlpianus l. 20. D. fam. erciſcu. Nam imperitia, inquit, cohæredum iuriſdictionis formam mutare non potuit.

IVRISDICTIO, pro Iudiciali cognitione, ſed quã exercet magiſtratus. Scæuola l.88.D. de ſolut. Claudius. ſubeſt enim illa ex iuriſdictione pendens quæſtio,an precia rerum quæ ſciebant eſſe pupillæ,bona fide matri ſoluerint.

IVRISDICTIO, pro uniuerſo Prætoris officio & munere. Gellius. Verba Prætoris ex edicto perpetuo adſcripſi. Sacerdotem Veſtalem, & Flaminem Dialem in omni mea iuriſdictione iurare nô cogam. Hæc lib. 10. cap. 15.

IVRISDICTIONIS forma,pro Iudiciorum ordo. Imp. l. 1. C. Vbi in rem actio ex. Nec enim iuriſdictionis forma in eadem prouincia conſtitutis,tã petitore,quàm poſſeſſore,ut auctoris perſonam, quem in alia prouincia dicis conſiſtere,debet cõmutari.

IVRISPRVDENTIA eſt diuinarum atq; humanarũ rerum notitia,iuſti atq; iniuſti ſciẽtia. l. 10. D. de iuſt. & iur.

IVS uarijs modis dicitur. Plerunque autem

IVS eſt æquitas inter eos conſtituta,inter quos aliqua communio eſt. neq; enim aut communio ſine iure,aut ſine communione ius eſſe poteſt.

IVS, modò eſt æquum ac bonum:ut ius naturale: modò quod omnibus aut pluribus in quaque ciuitate utile eſt: ut ius ciuile. modò quod Prætor edicit,aut decernit, etiam ſi iniquè decernat: ut ius honorarium. modò locus in quo redditur: appellatione collata ab eo quod fit,in eo ubi fit. modò neceſsitudo: ueluti eſt mihi ius cognationis, uel affinitatis. l. 11. & 12. D. de iuſt. & iur.

IVS pro loco,eſt ubicunque Prætor ſalua maieſtate imperij ſui,ſaluoque more maiorum ius dicere conſtituit. l. 11. D. de iuſt. & iur.

IVS, is ſolus locus ẽ,ubi iuris dicendi,uel iudicandi gratia magiſtratus conſiſtit: uel ſi domi, uel in itinere hoc agat. l. 4. §. 1. D. de inter. act.

IVS à iudicio diſtinguitur a Paulo manifeſtiſsimè in l. 15. D. rat. rem hab. illud enim ad Prætorem, hoc ad iudicẽ ab ipſo datum pertinet. Amplius, inquit, non peti uerbum Labeo ita accipiebat, ſi iudicio petitum eſſet: ſi autem in ius eum uocauerit,& ſatis iudicio ſiſtendi cauſſa acceperit, iudicium tamen cœptum non fuerit,ego puto non committi ſtipulatione amplius nõ peti. hic enim non petit,ſed petere uult. Cicer. lib. de Inuent. 2. Tranſlationes,inquit, in iure plerunque uerſantur. ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur. In ipſis autem iudicijs rarius incidunt.

IVS Aelianum,liber erat in quo Sext. Aelius noua quædam actionum genera præter legis actiones perſcripſerat: quem librum populo tradidit. l. 2. §. 3. D. de orig. iur.

IVS ciuile,eſt quod in legibus,ſenatuſconſultis,rebus iudicatis,iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuũ,more,ęquitate conſiſtit. Ci. in Top.

IVS ciuile,eſt quod neque in totum a naturali uel gentium recedit,nec per omnia ei ſeruit. itaque quum aliquid addimus uel detrahimus iuri communi,ius propriũ, id eſt,ciuile efficimus. l. 6. D. de iuſt. & iur.

IVS ciuile,eſt quod populus quiſque ſibi ſuæq; ciuitatis proprium conſtituit. l. 9. D. de iuſt. & iur.

IVS ciuile,eſt æquitas conſtituta iis qui eiuſdem ciuitatis ſunt,ad res ſuas obtinendas: ait Ci. in Top.

IVS ciuile,eſt quod ex legib. plebiſcitis,ſenatuſconſultis,decretis principum,auctoritate prudentiũ uenit. l. 7. D. de iuſt. & iur.

IVS ciuile nomen generale eſt,& cõe legibus,plebiſcitis,&c. eo tamẽ nomine indefinitè uſurpato intelligit diſputatio fori,& ius quod ſine ſcripto a prudentib. eſt compoſitum l. 2. §. 24. & §. 6. D. de orig. iur.

IVS ciuile Flauianũ,liber erat in quo Appius Claud. legis actiones cõpoſuerat,& ad formã redegerat: inde dictum ꝙ Cn. Flauius eius ſcriba ſurreptum librum populo tradidit. l. 2. §. 7. D. de orig. iur.

IVS ciuile Papirianum liber erat in quo Sext. Papirius leges omnes curiatas a Regibus latas cõſcripſerat: non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adiecit: ſed quod leges ſine ordine latas in unum cõpoſuit l. 2. D. de org. iur.

IVS ciuile,pro iuriſdictione prætoris. Cicero Verrina 111. Petere auxilium a Chelidone, quæ Iſto Prætore non modò in iure ciuili, priuatorumq; omnium controuerſijs populo R. præfuit, &c.

IVS ciuile,ius a Iuriſconſultis inſtitutum, & opponitur legibus. Cice. de Offi. 3. Ac de iure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos iure ciuili, ut in his uendendis uitis etiam dicerentur,quæ nota eſſent uenditori. nam cùm ex XII. tab. ſatis eſſet cautum,ea præſtari,quæ eſſent lingua nuncupata: quæ qui inficiatus eſſet,dupli pœnã ſubiret: a Iuriſconſultis ẽt reticẽtiæ pœna eſt conſtituta.

Ivs ciuile, pro Iuriſconſultorum reſponſis, uel conſuetudine. Paulus lib. Sentent. 4. cap. 8. Fœminæ ad hæreditates legitimas ultra conſanguineas ſucceſsiones non admittuntur: idque iure ciuili uel Voconia rogatione uidetur effectum. ceterum lex XII. tabularum nulla deſcriptione ſecus cognatos admittit.

Ivs conſuetudinis eſſe putatur id, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit. quo in genere & alia ſunt multa, & eorum multo maxima pars, quæ Prætores edicere conſueuerunt. ait Cicer. libr. de Iouent. 11. quibus uerbis edicta translatitia ſignificat.

Ivs commentitium moribus inductum. Paul. l. 20. D. de pœn. Si pœna alicui irrogatur, receptū eſt commentitio iure, ne ad hæredes tranſeat.

Ivs dicere translatè, pro prætoris Imperium ſibi uſurpare. Vlp. l. 1. D. Quod legator. Aequiſsimū Prætori uiſum eſt, unumquemq; non ſibi ipſum ius dicere occupatis legatis, ſed ab hærede petere. Calliſt. l. pe. D. de ui prin. Quiſquis probatus fuerit, rem ullā debitoris temerè poſsidere, ſibiq; ius in eam rem dixiſſe, ius crediti non habebit.

Ivs gentium, eſt quo gentes humanæ utūtur, quod ſolis hominibus commune eſt. l. 1. §. 3. D. de iuſt. & iur. Vel ſic,

Ivs gentium, eſt quod ſocietatis humanæ conſeruandæ cauſſa excogitatum pleræque gentes communi conſenſu receperunt. l. 4. & 5. D. eod.

Vel ſic,

Ivs gentium, eſt quod naturalis ratio inter omnes homines cōſtituit: dictum, quaſi quo iure omnes gentes utuntur. l. 9. D. eod. Vel ſic,

Ivs gentium, eſt id quod plereq; gentes communi quadam ratione & intelligentia, ſocietatis humanæ tuendæ & conſeruandæ cauſſa compararunt: ueluti pondus, numerus, menſura: item artes ac diſciplinæ omnes: item ut legatorum corpora ſint ſacroſancta, ut bello capti ſerui fiant uictorum, ut fides in rebus contrahendis data ſeruetur.

Ivs honorarium, id eſt prætorium, ait Iuſtin. idcirco quòd qui honores gerunt, id eſt magiſtratus, auctoritatem huic iuri dederunt. §. 6. De iur. nat.

Ivs honorarium, idem quod Prætorium: ad honorem Prætorum ſic nominatum. l. 7. D. de iuſt. & iur. uel, quod ab honore Prætoris uenerat. l. 2. §. 5. D. de orig. iur.

Ivs merum pro communi & uſitato, ſiue quod nullo ſingulari ac præcipuo iure mixtum eſt. Vlpia. l. 16. D de minorib. Nam ſi minor communi auxilio & mero iure munitus ſit, nō debet ei tribui extra ordinarium auxilium.

Ivs naturale, eſt quod homines una cum ceteris animantibus a natura didicerunt. l. 1. §. 2. D. de iuſt. & iur. Vel ſic,

Ivs naturale, eſt quod non hominum ingenijs excogitatum, ſed ui quadam innata cuiuſq; hominis menti inſitum atque ingeneratū eſt: ut religio, pietas, uindicatio, matrimonium, liberorum procreatio, & educatio.

Ivs naturæ, eſt quod nobis non opinio, ſed quædā innata uis afferat, ut religionem, pietatem, gratiā, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem: ait Cicero lib. de Inuent. 2. ubi quæ Iuriſconſulti iuri naturali & iuri gentium diſtinctè ac propriè attribuunt, permiſcet.

Ivs prædij, eſt poteſtas in alieno prædio aliquid agendi, quod alteri agere non licet: ab ipſius domino data & permiſſa. hinc Iura prædiorum urbanorum & ruſticorum, quæ etiam ſeruitutes appellantur: inquit Imp. §. ult. De reb. corpor.

Ivs prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia propter utilitatem publicam. quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum. l. 7. D. de iuſt. & iur.

Ivs priuatum, eſt quod ad ſingulorum utilitatem ſpectat. l. 1. §. 1. D. de iuſt. & iur.

Ivs publicum, eſt quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat, quod in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus conſiſtit. l. 1. §. 1. D. de iuſt. & iur.

Ivs ſingulare, eſt quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate conſtituentium introductū eſt. l. 16. D. de legib. ſenat.

Ivs ſingulare pro iure ex reſponſis prudentum conſtituto. Papinia. l. 44. §. 3. D. de uſurpat. Nondum aditæ hæreditati tempus uſucapioni datum eſt, ſiue ſeruus hæreditarius aliquid comparat, ſiue defunctus uſucapere cœperat. ſed hæc iure ſingulari recepta ſunt.

Ivs ſolenne, ius duodecim tabularum & aliarum legum populi R. Pomp. l. 27. D. de reg. iur. Nec ex prætorio nec ex ſolenni iure priuatorum conuentione quicquam immutandum eſt.

Ivs ſtrictum, id eſt ius ſummum. Paulus l. 30. D. de pecun. conſtit. Si quis duob. pecuniam conſtituerit, Tibi aut Titio, & ſi ſtricto iure propria actio de pecuniæ conſtitutæ manet obligatus, etiam ſi Titio ſoluerit, tamen per exceptionem adiuuabitur.

Ivs accreſcendi eſt, cùm inter eos qui a teſtatore coniuncti ſunt, unius pars alteri accedit. Coniuncti autem alij ſunt re, inter quos ius accreſcendi eſt: alij uerbis tantum, inter quos non eſt: alij re & uerbis, inter quos accretio locum obtinet. l. re coniuncti, 89. D. de legat. 3. l. triplic. 142. D. de uerb. ſignif. uide Accreſcere.

Ivs ſui, pro eo quod vulgus Suitatem appellat. Vlpia. l. 1. §. ult. D. de lib. agnoſc. Nihil præiudicare filio, non tantum in iure ſui, uerum ne in alimentis quidem.

Ivs aureorum annulorum erat, quod libertis hominibus concedebatur a Principe, ut ſcilicet eodē iure eſſent quo equites ij, quib. aureū anulū geſtare licebat. Nā etſi aureus annulus īſigne ordinis

dinis equeſtris erat, ut Plin. teſtatur: non omnibus tamen equitib. ſed iis tantum qui quingenta ſeſtertium in cenſu habebant, eum licuiſſe geſtare, uel ex eo intelligi poteſt, quod Sueto. & Macrob. de Laberio ſcripſerunt: qui quum Cæſaris poſtulatu mimum egiſſet, ab eo aureo annulo, & H-S quingentis donatus ſeſſum in quatuordecim ex ſcena in orcheſtram tranſijt. Sed quod huiuſce diſputationis caput eſt, quodq; traditũ ab alijs non arbitror) aliud eſt ius annulorũ, aliud annulos habere: itẽ ut ius liberorũ & liberos. Non. n. quibus ius annulorũ dabat, ij continuò equites erãt. Nã ut ait Vlp. in l. 4. D. de iure aur. annul. etiam fœminæ ius illud impetrare poterant. At quibus annulus dabatur, ij continuò equites fiebant, & in quatuordecim cõſidebãt. ut de Q. Roſ. Comœdo memoriæ proditum eſt, qui annulo aureo & quingentis H-S a uictore Sylla donatus eques factus eſt. In eo igitur poſitum hoc ius eſt: ut idẽ liceat ei qui hoc impetrauit, quod ei licet qui reuera aureo annulo donatus eſt, id eſt, ut pro ingenuo habeatur, neq; patrono ullum officium (excepta reuerentia) obſequium, operamve debeat: duntaxat, quandiu in uita manebit. Nam (ut ait Vlpianus) quaſi ingenuus uiuit, tanquam libertus moritur. l. 3. D. de hon. lib. l. 4. de iure aur. annul. id eſt aduerſus eius tabulas patronus præteritus bonorum poſſeſsionem obtinet. Item Vlp. l. 10. §. 2. D. de in ius uoc. Sed ſi ius annulorũ accepit, puto eum reuerentiã patrono exhibere debere, quãuis omnia ingenuitatis munia habeat. Similiter Tranquillus Menã Sex. Pompeij libertum quem poſt claſſem patroni ſui proditam aureorum annulorum iure ab Auguſto donatum, Dio ſcribit: in ingenuitatem ab eodem aſſertum teſtatur. Sed de Mena Dio apertius elocutus eſſet, ſi aureo eũ annulo, non iure aureorũ, ab Auguſto donatum dixiſſet: quum Horatius id perſpicuè oſtendat. Zonaras autem libro II. ſic ſcribit, Ἀντώνιος δὲ τὶς μοῦσας ὅτι τὸν κακῶς αὐτὸν διακείμενον ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέῤῥωσε. διὸ καὶ χρήματα παρ' αὐτοῦ τε καὶ παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβε, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς ἀπελεύθερος ὢν, ἐπετράπη κεχρῆσθαι. ἀτέλειάν τε αὐτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις τοῖς ὅτε καὶ τοῖς ἐσαῦθις παρέσχοντο. id eſt, Sed quidam Antonius Muſa Auguſtum ita malè affectum frigidis lotionibus & potionibus curauit. qua de cauſſa pecuniam tum ab ipſo tum a Senatu accepit: iusq; illi quamuis libertino homini aureorum annullorũ datum eſt; uacationem præterea tum ipſi, tum alijs medicis non modò qui tum erant, ſed & qui poſt futuri eſſent, conceſſerunt.

IVS trium liberorum inſtitutum eſt, ut qui queve tres liberos ex iuſto matrimonio ſuſcepiſſent, ijs plurima præcipuo quodam & ſingulari iure præter ceteros cõcederent, ut mulieres uiuo patre teſtm̃ cõdere, & rẽ ſuã ſine tutorũ auctoritate adminiſtrare poſſent: quod Plut. in uita Numæ teſtat. Vt uiri excuſarẽt ab omnib. ciuilibus muneribus, quæ patrimonij nõ eſſent. l. 2. D. de uacat. mun. Vt qui Romæ tres liberos ſuperſtites haberet, a tutelis & curationib. excuſaretur. §. 1. De excuſ. tut. Id autem ius etiam iis qui tres liberos nõ habebant, conceditur. aliud enim eſt Tres liberos habere: aliud Ius trium liberorum. Extatq; Plinij Iun. ad Traianum epiſtola, qua Suetonio ſuo ius illud petens: Hinc, inquit, ius trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſſæ. nam & iudicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandumque a bonitate tua per nos habet quod illi fortunæ malignitas denegauit. De hoc iure Imp. tit. De S. C. Tertyll. in princ. & l. 1. C. de legat.

IVSIVRANDVM eſt affirmatio religioſa, ut ait Cicero lib. de Offi. III. Eſt autem duplex: Conuentionale, & Iudiciale. Illud ex pactione aduerſariorum, ſiue extra iudicium, ſiue in iudicio interponitur: hoc ex iudicis iuſſu & auctoritate. l. 1. D. de iureiu. ubi Caius hanc ponit diuiſionem, quam ego triplici noſtrorum interpretum deſcriptioni longè antepono. nam Conuentionale ſic dicimus, ut Conuentionalem ſtipulationem: & bipertitò diuidere poſſumus, ut aliud in iudicio, aliud extra iudicium deferatur. l. iuſiurãdum, 17. D. eod. Iudiciale neceſſarium eſt, hoc eſt, neq; referri, neq; recuſari põt. l. generaliter, §. ſin aũt. & l. delata, C. eod. Conuentionale uerò, ſiquidem extra iudicium deferatur, olim recuſari poterat: referri uerò, quia relatio neceſsitatem affert, nõ poterat d. l. iuſiurandũ, 17. D. eo. ſed ex dicta cõſtit. Iuſtinia. & recuſari & referri põt. ſin aũt in iudicio, neceſſarium eſt. nam, ut ait Paulus, manifeſtæ turpitudinis eſt, nolle nec iurare, nec iuſiurãdum referri. l. 38. D. eod.

IVSIVRANDVM calumniæ, uide Iuramentum calumniæ.

IVSIVRANDVM in litem eſt, quod actor iudice deferente præſtat, ſe litem aduerſario ſuo ex æquo & bono æſtimaturum: neq; e. n. res æſtimatur: uti patet ex l. 1. D. de in lit. iurand. cùm interdum rerũ certa & nota æſtimatio ſit, ueluti nummorũ apud Vlp. l. 5. eod. Id autem per ſolum iudicem deferi: & niſi iudex certã quantitatẽ definiat, in infinitũ iurare licet. l. 4. §. 2. D. eod. Huius autẽ iuriſiurandi rationem Marcel. in l. 8. hanc affert: quod cùm dominus rem ſuã uẽdere cogat, hęc tñ ei poteſtas relinquẽda eſt, ut rẽ nõ precio, id ẽ quãti eſt, ſed quãti eius inter eſt ea carere, arbitrio ſuo definiat.

IVSTA, ſacra & ceremoniæ quæ placandis manibus fiebãt. Vlp. l. 1. D. de in ius uoc. Iuſta ve mortuo faciẽtẽ ſubaudi. In ius uocare nõ oportet. Vlpia. l. 20. D. de acq. uel emitt. Vtputa patrẽ ſepeliuit, uel iuſta ei fecit. Fictũ inde uocabulum, quaſi manibus debeãt. itaq; τὰ νομιζόμενα Græci appellãt. Demo. περὶ στεφάνου. Ἐπειδὰν τελευτήσῃ τις αὐτῶν, καὶ τὰ νομιζόμενα αὐτῷ φέρονται, ἀκολουθεῖν ἐπὶ τὸ μνῆμα. Poſt uerò, quàm eorũ aliquis ẽ mortuus, iuſtaq; ei

fiũt,ipſe medius ad ſepulcrũ ſequẽs,&c.Cic. pro Sex.R. Hunc miſerum luctu perdirum,qui non dum etiam paterno funeri iuſta ſoluiſſet, nudũ eijcit domo. Feſtus libr.xi. Membrum abſcindi mortuo dicebatur,cum digitus eius decidebatur.ad quod ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore conbuſto.Idem lib.14.Præcidanea agna uocabatur, quæ ante alia cædebatur. Item Porca quæ Cæreri mactabatur, ab eo qui mortuo iuſta non feciſſet, id eſt glebam non obieciſſet, quia mos erat eis id facere prius quàm nouas fruges guſtarent.

IVSTA, operæ debitæ. Cic.Offi.1. Eſt sutem infima conditio & fortuna ſeruorum: quibus, non malè præcipiunt,qui ita iubẽt uti,ut mercenarijs ad operam exigendam & iuſta præbenda.

IVSTA hæreditas ea propriè dicitur,quæ iure legitimo,id eſt agnato proaimo obuenit: ait Paul.l. 3.§.2.D.pro ſocio. Varro autem libr. 11. De re ruſt.latius accepit pro ea quæ iure, & quouis modo alicui obuenit.

IVSTA ætas,cui pupillaris opponitur: pro pubertate spud Vlp.l.16.D.de iur.fiſc. Nec non illud æquè nõ intererit,cuius ætatis ſit is qui ſe defert, utrum iuſtæ an pupillaris. nam pupillis etiã, permittitur deferre.

IVSTA ętas dicitur pro cuiuſque quæſtionis ratione,ea quam leges in ea cauſſa exquirunt: ueluti in nuptijs duodecim & quatuordecim annorum. ut spud Neratiũ in l.quod Seruius,8.D.de cond. cau.dat.

IVSTA poſſeſsio,poſſeſsio bonæ fidei. Iauolen.l. quod ſeruus, 24.D.de acq. poſſ. Is qui in tua poteſtate eſt,ignoranti tibi non corporalem poſſeſsionem,ſed iuſtam poteſt acquirere. Iuſtin.§. penul.per quas perſ.cuique acq. Item per alienos ſeruos in quibus neque uſumfructum habetis, neq: poſſeſsionem iuſtam.

IVSTA ſepultura dicitur,quum terra corpus eſt cõditum.l.39. D. de relig.

IVSTA ſeruitus,pro, ſeruitus bona fide uſurpata. Africanus l.& generaliter,28.D. de nox. act. Et generaliter ſi alieni ſerui nomine qui tibi iuſtam ſeruitutem ſeruiret,noxali tecum egerim.

IVSTA uxor,legitima.Vlp.l.ſi ſenatori,31.D. de ritu.nup. Si ſenatori indulgentia principis fuerit permiſſum libertinam iuſtam uxorem habere, poteſt iuſta uxor eſſe.Suet.in Calig.Moa L. Caſſio Longino Conſulari collocatam abduxit, & in modum iuſtæ uxoris propalam habuit. Et in Veſpaſ.Antoniam libertam quondam dilectam reuocauit in contubernium,habuitq; etiam Imperator penè iuſtæ uxoris loco.

IVSTVM matrimonium eſt,ſi inter eos qui nuptias contrahunt,connubium ſit,& tam maſculus pubes quàm fœmina potens ſit:& utriq;conſentiãt, ſi ſui iuris ſunt:aut etiam parentes eorum,ſi in poteſtate ſunt. Vlp.cap.Inſt.5.

IVSTVS pater,& iuſtus filius dicitur qui ex legitimis nuptijs pater filiusve eſt .l. 25. D. de capt.l. 44.D. de rit.nupt.l.11.& 12.D.de ſtatu hom.

IVSTINIANI IMPERATORIS VITA.

IVſtinianus familia ortus eſt abiecta & ſordida. Is a quo adoptatus eſt Iuſtinus, ipſius auũculus,primùm ſuum,deinde boũ cuſtos fuit. Sed poſteaquam militare cœpit propter inſignẽ corporis firmitatem,animiq; uirtutem,& rei ſtudium militaris,ordinum ductor eſt creatus; tandemq; corruptis largitione militib.Imperator factus. Ab eo Anicius Iuſtianus de quo ſcribere ingreſsi ſumus,Salonæ natus(quæ urbs Dalmatiæ,poſtea,ut ipſe idem Nouel.131. teſtatur,Iuſtinianæa noua nominata eſt)Conſul eſt cum Valerio creatus,ad extremum etiam adoptatus,inq; imperij ſocietatem,quæ menſes quatuor fuit,adſcitus. A.D.Cal.Apri.an.a Chriſto nato D.XXVII. Ex quo quidem error intelligitur eorũ qui Iuſtinianũ a Iuſtino producto nomine,ex uetere adoptandi conſuetudine appellatum tradunt. quum & tanto antè hoc nomine uteretur, & conſuetudo ueterũ in producendis adoptatorum cognominib.nequaquã huic Iuſtiniani nominis productioni cõueniat. Auũculo quo cũ mẽſes quatuor imperiũ adminiſtrarat. A.D.K. Auguſti mortuo, ſolus imperiũ,cuius tum Byzantij ſedes erat, adminiſtrare cœpit,quum annũ ageret ætatis quartum & quadrageſimum. Qua in adminiſtratione duorum uſus egregia ſummorum uirorum opera fuiſſe traditur: militiæ,Belliſarij: domi,Triboniani,natione Pamphilij.quorum de utroq; dicẽdum neceſſariò uidetur. Nam Belliſarius quidẽ homo rei militaris ſcientia clarus,Perſas,qui Meſopotamiæ ac Syriæ bellum intulerant, multis prælijs fuſos fugatosq; ſuos in fines repulit: omnemq; orientem Tigrim ultra Euphratemque quietum pacatumque reddidit. Vandalos qui Africam annos nonagintaquinque occuparant, eoq; cuncta imperij ornamenta,capta Roma,ſublata tranſtulerant,uarijs cladibus bellique offenſionibus affectos trium menſium ſpacio deuicit: Libyamque & Carthaginem capto eorum Rege Gelimere:atque in triumphum quem ei Iuſtinianus ex populi R. conſuetudine magnificentiſsimum apparauit, ducto, ſub Imperatoris ſui ditionem poteſtatemque ſubiunxit. Siciliam poſthæc Italiamq; uniuerſam, quarũ utranq; Gothi, gens bello ferociſsima,multos iam annos occuparant,intra annos quinq;, factis compluribus prælijs,recuperauit:eorumq; regẽ Vitigidem magni animi egregiæq; uirtutis uirum, bello captũ, ad Imperatorẽ ſuum, ipſius cum opibus theſaurisq; omnibus abduxit.quo tẽpore [illegible] ei[us] promiſsi q̃ Iuſtiniano diſcedẽs dederat,fidẽ cõſtãtiãq; ſeruauit.

nauit. Quum enim Gothi ſuis necdum magnopere acciſis rebus, ſemel atque iterum regnum illi Iubentes ac uolentes detuliſſent, quod Iuſtiniano iuſiurandum dederat ſeſe illo uiuo nunquam Imperatoris Regisve nomen recepturum, conſtanter ſumma fide utens recuſauit. Annis autē poſt paucis, quum ijdem Gothi rege Totila duce, uiro ad bella gerenda planè nato, Italiam ducibus qui Belliſario ſucceſſerant, eripuiſſent, bellum quod cum Medis interea gerebat, relinquere, inque Italiam redire coactus eſt. Vſus eſt alio præterea Iuſtinianus egregio belli duce, eunucho tamen, ut fertur, cui Narſeti nomen fuit. Is Belliſario ad Medorum bellum reuocato, Italico bello præfectus, Gothos compluribus prælijs fractos, eorum rege Totila interfecto, quum annus eius ageretur belli decimuſoctauus, ad internecionem redactos celeritate mirabili planè deleuit. Cuius rei argumento etiam nunc uetus inſcriptio eſt, in ponte Salario propè ab urbe Roma inuenta, quam ſubſcribemus.

IMPERANTE DN. PIISSIMO AC TRIVMPHALI SEMPER IVSTINIANO PP. AVG. AN. XXXIX. NARSES VIR GLORIOSISSIMVS EX PRAEPOSITO SACRI PALATII, EXCONS. ATQVE PATRICIVS, POST VICTORIAM GOTHICAM IPSIS ET EORVM REGIBVS CELERITATE MIRABILI CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS ATQVE PROSTRATIS LIBERTATE VRBIS ROMAE AC TOTIVS ITALIAE RESTITVTA, PONTEM VIAE SALARIAE VSQVE AD AQVAM A NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DESTRVCTVM PVRGATO FLVMINIS ALVEO IN MELIOREM STATVM QVAM QVONDAM FVERAT RENOVABIT.

Ita multis maximiſque rebus ubique terrarum præclarè geſtis, Iuſtiniani Imperium propagatum ac nobilitatum fuit. Quarum tamen in rerum non dico præfuiſſe, ſed tantum interfuiſſe illum uel minima, nuſquam reperio. quin contra dum per uniuerſum ferè terrarum orbem Belliſarij ſigna magna & illuſtri cum gloria inferrentur, Byzantij conſediſſe perpetuò Iuſtinianum ab omnibus memoratur. Nam inertiæ ſanè illius non paruum illud argumentum fuit, quòd quum orta illa in ciuitate inter Praſinos & Venetos (qui contrariarum partium colores atque inſignia fuere) ſeditio fuiſſet, in arcem ſe ipſe cum uxore mulierculiſque nonnullis celeriter abdidit. ibique dum ciuitas tumultu inteſtino tanquam aliquo incendio inflammata conflagraret, magiſtratuſq; per urbis uias interficerentur, deliteſcens, ſuãq; ignauiam tenebrarum ac parietum cuſtodijs tegẽs, Triboniano Quæſtori ſuo, de quo ante commemorauimus, itemque Ioanni prætorij Præfecto, quorum ille uirorum opera, conſilio, induſtriaque uſus perpetuò fuerat, ad cædem a populo quæſitis, magiſtratum abrogare coactus eſt. quo tempore quũ actũ de ipſius imperio, nullaq; cõſternatis ignauia Imp. militũ animis, ſedandæ illius tẽpeſtatis iniri poſſe ratio uideret, præclarã orationem Theodora ipſius uxor habuiſſe dicitur, militeſq; priſtinã ad uirtutẽ ac fortitudinẽ excitando ſæpenumero prædicaſſe, honeſtè dimicãdo mori eſſe ſatius, quàm turpiter fugiẽdo uiuere. qua quidẽ ſic excitati milites oratione fuere, ut Belliſario Mandoq; ducibus, Hippatiũ & Pompeium ſeditionis principes, quiq; iã imperij inſignia occuparãt, tũ prælio in urbe facto ceperint: tũ ciuibus amplius triginta millibus eo prælio ipſa in urbe interfectis, poſtero die in carcere ſecuri percuſſos necarint. Adhuc quæ res eſſent Iuſtiniano Imp. bello geſtę memoratu dignę, ſtrictim cõmemorauimus. Nunc pacis ad ſtudia quod attinet, quapropter ille in ore ſermoneq; hominũ uerſatur, diſſerendum uidetur. Erant inde uſq; ab Romuli regno Populi Ro. leges ſcriptæ complures: quas ad leges Iuriſconſultorũ ita copioſi, itaque uberes erãt ſcripti cõmẽtarij, ut cũ ipſorũ reſponſis cõiuncti facilè ad librorũ duo millia, uerſuum aũt tricies centena millia cõficerẽt. Qua ex multitudine, copiaq; immẽſa neceſſariò illud acciderat, ut quũ permulti ex ijs libri noti perpaucis eſſent, tum eorũ in iudicijs uſus eſſet omnino nullus. Artis ſanè huius ea uidetur eſſe natura, ut cauſſarũ infinita perpetuaq; uarietate ſcribendi materiã ſuppeditante, ſi hominibus ſcribẽdi licentia permittatur, ea neq; modũ, neq; finẽ habitura eſſe uideatur. Itaq; longo ante Iuſtinianum tempore, commentariorum ac ſcriptionum quædam quaſi lues ius ciuile occuparat: ut cùm Iulius Cæſar, tum alij nonnulli poſt eum Imperatores de hac diſciplina conſtituenda, certiſq; finibus circũſcribenda, ſæpenumero cogitarint. Verum quod illi & multo paucioribus in libris, & illa ætate ingenioſiſsimorum hominũ feraciſsima, quia opus poſt homines natos difficillimũ maximeq; arduũ uidebatur, attingere auſi non erant, id Iuſtinianus & longè pluribus in libris, & omnium bonarum in artium interitu ac ſeculo infeliciſsimo, Triboniani unius ſuaſu atque impulſu aggreſſus eſt. quo ille inſigni ac peraudaci facinore uetus fortaſſe uerbum comprobauit, Ex imperitia audaciam, ex doctrina atque peritia dubitationẽ diffidentiamque gigni. Fuiſſe traditur Tribonianus ingenio peracri uerſutoque, & magnæ apud Imperatorem ſuum auctoritatis. Honores aſſecutus apud eum maximos (Conſul enim & Quæſtor. quem Paredrum Græci nominant, & Magiſter officiorum fuit) ſic eos adminiſtrauit, ut homo auarus, nulla fide, nulla iuſtitia, ius quotidie nouum uariumque conſtitueret. Ei qui auctor huiuſce conſilij fuerat, Princeps totius curam negocij non modò commiſit, uerumetiam permiſit. quapropter cõſtitutiones primùm Im-

 peratorum

peratorum tribus in libris diſperſas, quos Grego
rianum,Hermogenisnum,& Theodoſianum ap-
pellabant,adhibito delectu unum in librum coa-
ceruauit,quem Codicem conſtitutionum Lati-
nè inſcripſit.Id autem anno imperij ſui ſecundo,
Decio Coſ.indictione v I I.conſectum fuiſſe,Iu-
ſtinian.in ea cõſtitutione teſtatur,quæ eſt de Iu-
ſtinianeo codice cõfirmando,ad Menam Præfe-
ctum prætorio,xv I.Calen.Maias data, Anno D.
xxIx.Anno inſequẽti,Lampadio & Oreſte Coſs.
Tribonianus Græcis hominibus ſedecim, qui tũ
Iuriſprudentiæ laude præter cæteros florebant,
Imperatoris mandatu ad laboris ſocietatem ad-
ſcitis,ueterum Iuriſconſultorum ſcripta uniuer-
ſa in Principis palatium deportata pertractare,
negociumque capeſſere inſtituit. ut ex Impera-
toris conſtitutione de uetere iure enucleando ad
Tribonianum ſcripta,& x I I I I. Cal.Ian.data,in-
telligitur. quumque annum iam in hoc opere cõ
ficiendo tertium elaborarent,ac iam iamq;ad exi
tum perducturi eſſent,ecce aliud ab eodem Imp.
mandatum:ut quum eſſent elemẽta quædã huius
diſciplinæ antiquis ab Iuriſcõſultis tradita, ex ijs
elementis Tribon.Theophilo ac Dorot. ſocijs at
que adiutorib.adhibitis Inſti.exprimeret.cui mã
dato quũ ab ipſo ſtudioſè obtemperatum eſſet,
eodem ipſo ann.x I.Cal.Decem Iuſtiniano I I I.
Coſ.anno a Chriſto N.D.xxx I I I I. Iuris ciuilis
inſtitutiones libris I I I I.expoſitæ in lucem con-
ſpectumq́ue hominum peruenerunt. paucisq; itẽ
poſt diebus,hoc eſt xv I I.Cal.Ian.L. Digeſt. ſiue
Pandect.nominibus inſcripti libri:in quibus Iu-
riſconſultorum ſcripta omnia quà commodum
illis ſedecim uiris uiſum erat,circũciſa atq; ampu
tata,ita in arctũ anguſtumq́; contracta erãt,ut ex
librorum duum milliũ numero,quinquaginta tã
tum:ex uerſuum tricies centenis millibus, centũ
quinquaginta millia dũtaxat redierint. Ita Tribo
nianus negociũ hoc quod mira confidentia, illis
præſertim utẽs ſocijs & adminiſtris (quorum ne-
mo quantũ ſanè Latinè quædã illorũ epiſtolę no
bis præbent exiſtimandi copiam,uel Latinis lite-
ris eruditus,uel ulla magna ingenij laude prædi-
tus fuit)hoc inquam negocium quod ita confidẽ
ter aggreſſus erat,ſanè celeriter ac perbreui ad-
modum tempore confecit. nam triennij dunta-
xat ſpacium hoc in tanto tamq́; arduo difficiliq́;
opere conſumptum eſſe,Imperator ipſe non uno
loco teſtatur. Hac nimirum ratione cùm duode
cim tabularum,aliæq́; leges innumerabiles, tum
edicta Prætorum perpetua, & in utraq; præclari
Iuriſconſultorum commentarij,eorum deniq; re
ſpõſa innumera,utpote quibus eſſet nulla relicta
in iudicijs auctoritas,ab hominibus Græculis cõ
tempta atq; abiecta,facilè perbreui ſpacio inter-
ciderunt. Anno uertente qui a Chriſto nato quin
genteſimus trigeſimuſquintus numerabatur,Im-
perij uerò Iuſtiniani octauus,quo anno quartum
idẽ Iuſtinianus cũ Paulino conſulatum gerebat,
q; eiuſdẽ Imperatoris complures extarent uarijs
de rebus conſtitutiones,in his eæ quæ Quinqua
ginta Deciſiones vulgò nominãtur,poſt ſuperio-
rem illam Codicis editionẽ promulgatæ,idẽ Tri
bonianus ſocijs quatuor laboris adhibitis,Impe-
ratoris mandatu Codicem illum quem diximus
conſtitutionum reconcinandũ ſuſcepit: partim
ut poſteriores cõſtitutiones illum in librũ refer-
rentur,partim ut quæ ex ſuperioribus mutatæ at
que abrogatæ fuiſſent, eodem ex libro tolleren-
tur.qua de re conſtitutio Imperatoris extat, De
emendatione Codicis,& ſecũda eius editione in
ſcripta,& xv I.Cal.Decemb.data. Itaq; tres po-
ſtea Iuſtiniani imperio legũ libri vulgò habiti fue
re:Pandectarum,Inſtitutionum,& Codicis con-
ſtitutionum,qui nunc præciſè Codex nomina-
tur. quibus ad extremũ quartus earum quæ po-
ſtea per omne Iuſtiniani imperiũ ſcriptæ ſunt,ad
iectus fuit:quas modò Nouellas, modò Authen
tica vulgò nominamus. Atque hæc quidem quæ
ad Iuſtiniani multo maximũ ac memorabile in li
bris Iuriſconſultorũ circuncidendis facinus atti-
nebant,quantũ ex ipſius ſcriptis intelligere potui
mus,demonſtrata ſunt. Vxorẽ idem Imperator ha
buit Theodoram nomine,animo magno mulie-
rem:cujus de uirtute ſuperius cõmemorauimus.
Eam ille maximis quibuſq; de rebus in conſiliũ
plurimum adhibebat.quod ipſe idem quibuſdam
in ſuis conſtitutionibus Nouellis profitetur. ui-
deturq́; ipſius auctoritate ac ſuaſu inductus,mul-
ta quæ populi Ro. legibus minus ad mulierum
gratiam accommodatè conſtituta erant,correxiſ
ſe.eiq́; ſexui omnibus in iuris ciuilis partibus ma
iorem in modum gratificatus eſſe. In iureiuran-
do quod ijs deferebatur qui Reip. procuratio-
nem aliquam inibant,hoc præſcriptum erat, ut
Theodoræ Imperatoris coniugi ac potentiæ ob
ſequium,fidem,conſcientiamq; ſuam probarent.
Duxiſſe illam traditur anno imperij ſui ſecundo,
habuiſſeq́; in matrimonio annos unum & uigin-
ti,tres menſes. Religionem Chriſtianam piè ſan-
ctèq́;coluit.ſiquidem errãtium opinionum quib.
tum Eccleſia Chriſtiana tanquam tempeſtatibus
quibuſdam agitabatur,uindicem ſe acerrimum,
inimiciſsimumq́; præbuit. nam & Porphyrij &
Eutychetis,Neſtorijq́; impias & ſceleratas opi-
niones repudiauit:ac religionis noſtrę de triplici
in Deo perſona ſententiã integerrimè conſtan-
tiſsimeq́; defendit. Poſtremò quę in Concilio Ni
ceno eadem de religione conuenerant, arctiſsi-
mè retinuit. Imperauit ann. xxx I I x. M.v I I. D. x.
uixit octogintaquatuor,plus minus:mẽtisq́; erro
re multo antè affectus,Iuſtino ex filia nepote Im
peratore deſignato,uita eſt functus.

IVSTINVS adoptiuus parer Iuſtiniani, quẽ patrem
ſuũ idẽ appellat.§.3.De donat.li.Inſt. I I. & alijs
quibuſdam locis,natione Thrax fuit,ſine imagi-
nibus,

nibus,ſine tribu,utroq; parente ignobilis: à teneris annis ſuum cuſtos,deinde boum, poſt lignarij cuiuſdam miniſter, natus annos ſedecim militare cœpit:promptus manu , & doctus hoſtem ferire, ſortem mutauit,princeps ordinis fuit,& hinc promotus Comes factus eſt mortuo Anaſtaſio ad cũ Amantius ſpado libertus ſuperioris Auguſti ditiſſimus uenit, magnam uim pecuniatum ſecum ferens : orauitq; ut in toto exercitu ductoribus & militibus partiretur , & ipſe acciperet quantum uellet,promitteret donatiuum per ſingula capita: & longè maius quàm priores fecerunt,ſi Theocritianum imperatorem legiſſent . Pecunia ſatis integrè ſoluta eſt,non ad uotum Amantij,ſed Iuſtini, qui pro ſe ſuffragia cautè emit . Itaq; cũ princeps eligeretur,nemine diſceptante, Iuſtinus pronunciatus eſt:quem Curuli acceptum ſella, diademate ornatum,adorauerunt omnes.In Oriente Iuſtinus ſororis ſuæ filium Iuſtinianum Conſulem fecit cum Valerio collega,qui conſulatus contra legem Marciani adeò inſignis fuit ludis atq; muneribus,ut facilè priores ſuperauerit. Anno Imperij eius nono,Calen.April. Iuſtinianum adoptauit , conſortem Imperij fecit , quarto poſt menſe deceſsit.Imperauit an.IX.menſ.II. Mauortio Conſulæ.Hæc ex Pomponij Læti Epitome.

Iustiniani noui primum nomen iuris ciuilis ſtudioſorum, quo anno ſuorũ ſtudiorum primò decorabantur.uide Dupondij.

Iustitia eſt habitus animi,communi utilitate conſeruata,ſuam cuiq; tribuens dignitatem : ait Cic. lib.De inuent. 2. Quo ſanè pertinet illa Tryphonini diſputatio nobilis in l.31. D. depoſ. Et probo,inquit,hanc eſſe iuſtitiam, quæ ſuum cuiq; ita tribuit ,ut nõ diſtrahatur ab ullius perſonæ iuſtiore repetitione.

Iustitia eſt conſtans & perpetua uoluntas ius ſuũ cuiq; tribuendi.l. 10. D. de iuſt. & iur. Vbi non tribuendi , ſed tribuens legendum eſſe , uel hinc licet intelligatur,quòd iniuſtitia non eſt uoluntas adimendi,ſed adimens.Hanc autem ueram eſſe uirtutis definitionem , ipſa uerbi notatio declarat.nam Iuſtitia ex eo dicta eſt , quòd cuiq; ius ſiſtat.Itaq; negat Cotta lib.De nat.deorum I. ibi Iuſtitiam eſſe,ubi ius eſt nullum. Eſt enim,inquit pietas,iuſtitia aduerſus deos:cum quibus quid poteſt nobis eſſe iuris , cùm homini nulla cum Deo ſit communitas? Vlpianum autem illo in loco arbitror non uirtutem habitumq; humanum,ſed eã quam ueteres Deam,Iouiſq; filiam faciebant,definiſſe:primùm quam eodem in loco ſcribit Iuriſconſultos eſſe ſacerdotes Iuſtitiæ.ſic enim locum illum interpretor,ut uerba hæc(nam ut eleganter Celſus definit,Ius eſt ars æqui & boni)parentheſi concludantur:& relatiuum Cvivs non ad ius,ſed ad Iuſtitiam referatur . non enim artis iuris , quæ illic definitur,ulli ſunt ſacerdotes , ſed illius Deæ Iouis filiæ . Quare cùm Iuriſconſulti Iuſtitiæ ſint ſacerdotes,ſacerdotes autem non uirtutum humanarum dicantur,ſed deorum:eo loco Deam illam deſcribi eſt uериſimile. præterea Ius quod conſtat æqui & boni præceptionibus,a Iuſtitia deſcendere,atq; appellari ſcribit ibidem Vlpianus: de iuris diſciplina,libriſq; his noſtris intelligens . quod ſi ita eſt,aut ab humana, aut à diuina Iuſtitia deſcendat neceſſe eſt.ab humana autem non poteſt,quia nunquam in hac uita perfecta eſt . Voluntas enim illa quæ ſi perficeretur,habitus,ac proinde uirtus appellaretur,ſemper manet in ſua,ut ita dicã, adoleſcentia,neq; unquam perficitur. Regula autem iuſti & iniuſti tradi ab illa imperfecta & imbecilla natura non poteſt. quod etiã Horatius his uerſib.ſignificat.

Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,
Diuidat ut bona diuerſis,fugienda petendis,

Sequitur ergo ut à diuina Iuſtitia quæ perfecta & abſoluta eſt,ius hoc noſtrum deſcendat,quo præceptiones ſuum cuiq; tribuendi,& regulæ iuſti atque iniuſti continentur.Eò accedit quòd iuſtitia quæ humana uirtus eſt,non præceptio, ſed obſeruatio iuris eſt:ut Cic.lib.De legib. I .declarat:ubi ait Iuſtitiam eſſe obtemperationem ſcriptis legibus, inſtitutiſq; populorum:qua de cauſſa Fabricius & Ariſtides iuſti nominati ſunt.

DE LITERA K

K

Kalendae, inquit Varro,primi dies menſium nominati,ab eo , quòd his diebus Kalentur dies menſis Nonæ à Pontificibus, quintanæ ve,an ſeptimanæ ſint futuræ.Quinq; Kalo Iuno Nouella. Septem Kalo Iuno Nouella. Hæc ille in v.De lin.Latin. Macrob. autem in I . Saturn.ſic t Priſcis temporibus antequam faſti à Cn. Flauio ſcriba inuitis patribus in omnium notitiam proderentur,Pontifici minori hæc prouincia de lege batur,ut nouæ lunæ primum obſeruaret aſpectũ: uiſumq; Regi ſacrificulo nunciaret . Itaq; ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato,idẽ Põtifex , kalata , id eſt uocata in Capitolium plebe, quot numero dies à Kalendis ad Nonas ſupereſſent,pronunciabat: & quintanas quidẽ,quinquies dicto uerbo Kalo : ſeptimanas repetito ſepties prædicebat . Et hunc diem qui ex his diebus qui Kalarentur primus eſſet , placuit Kalendas uocari .

Kalendae primæ,ſecundæ,tertiæ,quintæ, dici putantur à Iuriſconſultis pro uno,duobus,tribus,& quinq; menſibus.Celſus l.liber,§ 9.§.ſi ita,De hære.inſt. Titius ſi intra tertias Kalen. nauis ex Aſia venerit hæres eſto. Vlp. l. I. §. ſi qui. De uerbor. oblig. Si ita interrogatus intra Kalend. quintas, reſponderit Dabo idibus : non obligatur . Martial.lib.I.

Atq;

Atque intra, puto, ſeptimas Kalendas
Mortes hæc tibi quatuor dederunt.

Video tamen Catonē in re ruſtica primas Kal. dicere, pro Primo die cuiuſq; menſis.

KALENDARIVM dictus codex pecuniarum occupatarum, id eſt fœnori collocatarum: quia Kalendis fœnori dabantur: & patresf. Kalendarum nomine præſcripto, debitorum nomina perſcribebant. Seneca lib. XII. epiſt. Diuitem illum putas, quia in omnibus prouincijs erat, quia magnus ei Kalendarij liber uoluitur. Horat. Epo. II.

Omnem relegit Idibus pecuniam:
Querit Kalendis ponere. Mart. VIII. Epig.
Superba denſis arca palleat nummis,
Centum explicetur pagina Kalendarum.

Quemadmodum autem collocabantur Kalendis pecuniæ, ſic etiam exigebantur qua de cauſa triſtes & celeres appellantur. Horat. Sat. III. lib. I.

Qui niſi cum triſtes miſero uenere Kalendæ.

Ouid. lib. II. De remed. amor.

Qui puteal, Ianumq; timet, celereſq; Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui

Plutarch. in lib. περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Οὐδ' ἀναμνήσει τῶν Καλανδῶν, καὶ τὰς νουμηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν ἄγουσιν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταί, καὶ στυγνήν.

Hinc

KALENDARIO præpoſitus ſeruus, in l. pen. D. de reb. credit. pro fœnerandis exigendiſq; pecunijs.

Et

KALENDARIVM exercere. l. uxorem, 41. §. legauerat D de legat. tertio. Hinc

KALENDARIO deſtinatæ pecuniæ, id eſt fœneratio ni. l. 62. D. de legat. tertio. In Kalendarium cōuerſa pecunia, id eſt, fœnerationi. l. 39. §. negligētiæ. D. de admin. tut. Sic accipitur Kalendarij nomen in l. ult. D. de pecul. l. 6. D. de inſt. uel inſt. l. 3. C. de compenſat. l. ult. De munerib. & honorib. & alibi perſæpe.

KAL. IANVAR. primum anni diē factum Plutarchus ſcribit in Problem. quod eo die primi Conſules Regibus exactis creati ſunt. Vnde etiam inſtitutum conſtat, ut Conſules deinceps omnes eo die magiſtratum inirent. Eundem Kal. diem feſtum ac religioſum fuiſſe, ſolennemque ſtrenis dandis, Sueton. in Auguſto his uerbis ſignificat: Item Kalen. Ian. ſtrenam in Capitolio etiam abſenti mittebant. Et in Tiberio: Item ſtrenarum commercium prohibuit edicto, ne ultra Kal. Ian. exerceretur. Conſueuerat quadruplā ſtrenam, & de manu reddere: ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab ijs qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, ultra non reddit. Item: Nullus à pœna hominum ceſſauit dies. ne religioſus quidē ac ſacerani maduerſum in quoſdam ineunte anno nouo. Zonaras lib. II. Καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτῷ ἐκείνῳ προσιόντες, οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δ' ἧττον ἐδίδοσαν, καὶ ὃς προστιθεὶς ἕτερον τοσοῦτον καὶ πλέον ἀντεδίδου τοῖς βουλευταῖς ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις. id eſt, Primo anni die accedentes ad Auguſtum munera illi afferebant, alij maiora, alij minora, ipſe autem uiciſſim illis aut tantundem, aut etiam amplius dabat, neque ſolum Senatoribus, ſed etiam alijs. Scribit etiam Dio. li. LVII moris fuiſſe inde ab Auguſti temporib. ut Kal. Ian. in acta Imperatoris iuraretur. Poſt Kalend. autem Ian. die tertio, pro ſalute Principis uota ſuſcipi ſolita, ſcribit Caius in l. ſi caluitur, 233. D. de uerb. ſig & Plutarch. qui Ciceronem ſcribit natum eſſe, ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος id eſt, Tertio die nouarum Kalendarum, qua die nunc magiſtratus uota faciunt, & ſacrificant pro ſalute Principis.

KAL. MARTII primus olim dies fuit. Itaque ignē nouum Veſtæ aris incendebant, ut incipiente anno cura denuò ſeruandi nouati ignis occiperet. Eodem menſe mercedes exoluebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit. Comitia auſpicabantur, uectigalia locabant. Hęc Macrob. I. Satur. ca. 12. Conſtat etiam munera, quæ ſtrenæ dicebantur, olim eo die mitti ſolita. Vnde illud apud Pompo. l. ſed ſi. 31. §. ſi uir, D. de donat. int. uir. & ux. Si uir uxori munus immodicum Kalend. Martijs, aut natali die dediſſet, donatio eſt. Tibull, lib. III.

Martis Romani feſtæ uenere Kalendæ,
Exoriens noſtris hic fuit annus auis.
Et uaga tunc certa diſcurrunt undique pompa:
Perque uias urbis munera, perque domos.

Plaut. in Milit. glorioſ. Da mihi uir Kalendis quę mittam cum Martiæ uenerint Martias Kalendas, inquit Feſtus, celebrabant, quòd eo die Iunonis Lucinæ ædes coli cœpta eſt. Vnde Tibull lib. 4.

Sulpitia eſt tibi culta tuis Mars magne Kalendis:
Spectatum è cœlo, ſi ſapis, ipſe ueni.

Seruius autem in VIII. Aen. Martiæ, inquit, Kalendæ, fœminis dicatæ ſunt Horat.

Martijs cœlebs quid agam Kalendis? Iuuenal.
Munera fœmineis tractat ſecreta Kalendis.

Hæc Seruius. Iiſdem etiam Kalendis penſiones agrorum præſtari ſolitas, patet ex l. defuncta, 58. D. De uſufr. & l. tertiā, 19. C. TH. de exactionib. quippe cum anni initium apud antiquos fuiſſet.

KALEND. Quintiles, ſiue Iuliæ conductionibus prędiorum ſolennes fuerunt. l. qui balneum, 7. D. Qui pot. in pig. hab. Qui balneum ex Kal. proximis conduxerat, pactus erat, ut homo Etos pignori locatori eſſet, donec mercedes ſoluerentur. Idē ante Kal. Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dedit. & Paulo poſt: Licet eo tēpore homo pignori datus eſſet, quo nondum quicquam pro conductione deberetur. Item in l. cum in plures, 60. D. locati. & l. cum ab eo, 41. D. de cont. empt. l. cum precario, 12. D. de precar. Martial. XII. epigram.

O Iuliarum dedecus Kalendarum.
Vidi Vacerra, ſarcinas tuas uidi.

Quas

Quas non retentas penſione pro bina
Portabat uxor. Cic. 11. epiſt.ad Q. Frat. Domus tibi ad lucum Piſonis Luciniana conducta eſt:ſed ut ſpero paucis mēſibus poſt Kal. Quintiles in tuam commigrabis. Sueton.in Tranquill. Senatori latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub Kal. Iulij demigraſſe in hortos, quò uilius poſt diem ædes in urbe conduceret.

DE LITERA L

LABES, terræ hiatus, chaſma: à labendo dicta. Vlp.l.15.§.1.D.locati, Sed etſi labes facta ſit, omnem fructum tulerit, damnum coloni non eſſe. Cic.lib.de diuin.1. Delata etiam ad Senatum labes agri Priuernatis, quum ad infinitam altitudinem terra deſediſſet, Apuliaque maximis terræ motibus cōquaſſata eſſet.

LACVS eſt, inquit Vlp. quod perpetuā habet aquā. l.1.§.1.D.ut in flum.pub.

LACVS, pro uaſe torculario, in quod muſtum expreſſum influit. Vlp.l.27.§.22. D. ad leg. Aquil. Item ſi tectori locaueris lacum uino plenum curādum, & ille eum pertudit ut uinum ſit effuſum. Columella lib.12.ca.29.& Varro lib. De ruſt.1. ca.54.

LANCE & licio dicebatur apud antiquos: quia qui furatum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamiliæ aut uirginum præſentiam. Feſtus. Suſpicor tamen id fuiſſe, quòd per ſimulationem religionis amicti licio ſacerdotes deprehendere ſolebant, quum panem aetite lapide conditum, & in lance ceremoniæ cauſſa delatum, eum qui furti ſuſpectus erat deuorare iubebant. Qua de re Dioſcoridis uerba ſubſcribemus, ἐστὶ δὲ κλεπτέλεγχος, εἰ ἐνθείη τις εἰς τὸν προσφερόμενον ἄρτον· ὁ γὰρ κλέψας οὐκ ἂν δυνηθείη καταπιεῖν τὰ μασσηθέντα. φασὶ δὲ ὅτι καὶ συνεψόμενος ὁ ἀετίτης τοῖς ἐδέσμασι, κλεπτέλεγχος γίνεται. οὐ γὰρ δυνήσεται ὁ κλέψας καταπιεῖν τὰ συνεψόμενα αὐτῷ. id eſt, Furem quoque Aetites deprehendit, ſi quis in pane conditū offerat: fur enim manſum deuorare non poterit: quinetiam concoctus furem coarguit, quippe decocta cum eo deuorare non poterit. Eius autem rei rationem opinor eſſe, quod cùm metu affectis fauces anguſtarentur, tum etiam puluis aeticis deuorandi difficultatem affert. Iam uerò quo maior adhiberetur terror, religionem quoque interpoſitam eſt uериſimile: ut ſacerdos licio amictus, panem aetite lapide conditum in lance ceremoniæ cauſſa deferens, ei qui furti ſuſpectus erat, deuorandum offerret. Similiter ſ temlicio tranſuerſo cinctos fuiſſe qui magiſtratib. miniſtrabant, Gell. auctor eſt lib.x11.ca.111. Atque hæc quidem mea fuit olim ſententia: poſt uerò ex Platonis li. de Le. x11. aliud didici, de quo ex noſtris in Inſtit. commentarijs cognoſces.

LANIPENDIA, quæ lanearum ueſtium textorib. lanam pendit ac diſtribuit. Pompon.l.31.D.de donat.int. uir. Neque impedire quod in ea re uxor tanquam lanipendia fuerit, & uiri negocium procuraret.

LAPIDICINAE, aut lapicædinæ, loca cæſis lapidibus exacta. Græci λατομίας, & λιθοτομίας appellant: unde uocabulum fictum apparet. ut corruptè legi uulgo uideatur Lapidicinæ: cùm apud alios auctores, tū apud Iuriſconſultos in l.9.§.2.& l.13. §.5.D.de uſufr.l.32.D.de iur.dot.

LAPILLI à gemmis quid differant, uide GEMMAE.

LARES, dij erant quos pater quiſque familias cum familia ſua priuatim aliqua in domus ſuæ parte colebat. His ara & focus conſecratus erat. ex quo illud, Pro aris & focis pugnare. item illud Celſi l. 38.D.de rei uin. Finge pauperem, qui ſi reddere id cogatur, laribus, ſepulcris auitis carendum habeat.

LASCIVIA, incontinentia, petulantia quædam hominis alacritate nimia intemperantis. Vlp.l.4.§.1. D.ad leg.Cornel.de ſicar. Quum quidam per laſciuiam cauſſam mortis præbuiſſet, ueluti ſi quis cantharidas alicui Veneris excitandæ cauſſa dederit. Idem l.15.§.1.D.locati, Idemque dicendum ſi exercitus præteriens per laſciuiam aliquid abſtulit.

LASER, cuius Paulus meminit in l.5. D.de pen.legat. ſuccus eſt ſirgulti eius quod Latini laſerpitium, Græci σίλφιον uocant: magnificus in uſu medicamentiſque, & ad pondus argentei denarij pēſum: ut Plin. ſcribit lib. 19. cap. 3. Laſeris meminit etiam Marcian.in l.16.§.6.D. de publicam.

LATA culpa eſt, inquit Vlp. nimia negligentia: id eſt non intelligere quod omnes intelligūt.l. 213. D.de uerb. ſig. uide Culpa.

LATAE culpæ finis eſt, non intelligere id quod omnes intelligunt ut ait Paulus in. l. 223. D. de uerb.ſig.

LATERALIA uiatoria, capſulæ uidentur eſſe in quibus ad ephippium utrinque loro ſuſpenſis ea quæ nobis in itinere neceſſaria ſunt, recondimus. Scæuola l.102.D.de legat.& fid. 32. Vxori meæ lateralia mea uiatoria, & quicquid in his cōditum erit, quæ membranulis mea manu ſcriptis continebantur. Item, Hic chirographa debitorum & pecuniam quum eſſet profectus in urbem, in lateralibus condidit. Item, Alia chirographa prediorū & pecuniam in lateralia condidit.

LATERE hoc, & Latere contrario Iuriſcōſulti uſurpant quum duæ contrariæ ſint certi generis ſpecies quarum contraria ratio eſt. ueluti in l.118. D.de uerb.obligat.ubi de contractu ſtipulationis agitur, cuius duæ eſſe poſſunt in eodem homine ſpecies: ſi promittat ſcilicet, & ſi ſtipuletur. Papinianus autem hoc ſignificans, quod ad ſtipulationem hominis liberi pertinet, ſic loquitur: Hoc ita

que

que latere, fructuario ſeruo comparabitur. nam uterque a poſſeſſore ſtipulans, non obligat: ex cõtrario uerò latare, id eſt ſi promittat, nõ comparabitur. hic enim obligatur: ille non obligat. Similiter Vlp. in l. 11. D. de damn. inf. ubi de pigneratitio creditore diſputat, utrum ipſe cauere, an ei caueri debeat: nam quum de illo dixiſſet, Quæ ſpecies, inquit, eſt in contrario latere apud Marcellum agitata, an creditori pigneratitio caueri debeat. Ergo duo contraria accidentia, actionis ſcilicet & perpesſionis ut obligare aut obligari, cautionem dare aut accipere, duo latera contraria Iuriſconſulti appellant. Eandem uſurpat locutionẽ Papi. l. 49. § 2. D. de fideiuſſ. & mand.

LATINAE feriæ. Pompon. l. 2. §. 17. D. de orig. iur. Quoties autem (magiſtratus extra urbem) proficiſcuntur, unus relinquitur, qui ius dicat. is uocatur Præfectus urbi. qui prefectus olim conſtituebatur: poſtea ferè Latinarum feriarum cauſa introductus eſt. & quotannis obſeruatur. hæc Ille. Celebrabantur hæ feriæ à Latinis ciuitatib. ſeptem & quadraginta, quæ cum populo R. in Albanum montem quotannis conueniebant ad taurum Ioui Latiali ſacrificandum: ex Tarquinij Superbi inſtituto, ut Diony. Hal. tradit li. 4.

LATINI Iuniani liberti dicebantur olim, qui medium libertatis gradum erant adepti: ut ait Iuſtinian. ſub tit. De libert. quod ut intelligamus, illud ſcire oportet, olim in Latium deduci ſolitas colonias, partim eorum qui nomina dabant, partim eorum quibus aqua & igni interdicebatur: auctore Cicerone in ea pro Cæcina, & pro domo ſua: ubi hoc adſcribit, eos qui deducebantur, cum eſſent in eas ciuitates recepti, Romanam ciuitatem amiſiſſe. Et hoc eſt quod ait Boetius in Topica Ciceronis, iſta in Latinas colonias profectione mediã capitis diminutionem contingere. Quæ cum ita ſint, apparet eos neque connubij, neque teſtamenti, aut mancipij, aut nexus, aut patriæ poteſtatis ius, quod proprium erat ciuium R. habuiſſe. Cum enim Romana ciuitas eis adimeretur, ea quæ ciuitatis illius erant propria (ut hæc quæ diximus) amittebant. Hi dicebantur Latini colonarij, itaque ab Vlpiano cap. XIX. appellabantur. Auguſtus autem cùm ciuitatem Romanam ſeruis contaminari uideret (quod etiam Dionyſ. Halicarnaſſæus lib. 4. cõqueritur) eos multis difficultatibus à libertate iuſta remouit; nam & de numero, & de conditione, & differentia eorum qui manumitterentur, curioſè cauit: ut Suetonius in eius uita teſtatur. Hinc nata lex Aelia Sentia, hinc Furia Caninia, de quibus ſuo loco diximus, hic Iunia Norbana quatuor poſt eius mortem annis, imperante Tiberio, à M. Iunio Silano, L. Norbano Balbo coss. lata: quos æuo ſuo Conſules fuiſſe Plin. li. 33. ca. LXXXVII. teſtatur. qua lege conſtitutũ eſt, ut ii ſerui qui neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, nõ ciues Romani, ſed eodem iure quo Latini coloni eſſent. Vlpianus autem in Inſtitutionibus diſpertè uariis in locis declarat eos neque teſtamenti faciendi, neque connubii, neque patriæ poteſtatis, neque tutelæ recipiendæ ius habuiſſe: eoſque Latinos Iunianos ad Colonorum ſimilitudinẽ appellat. nam & Iuſtin. in l. 1. C. de lat. li. Latinos libertos ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias miſſa eſt, inductos ſcribit.

LATINORVM libertorum origo quæ fuerit, Iuſtinianus ſignificat ſub tit. De Lat. libert. toll. Cum, inquit, Latini liberti ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in Colonias miſſa eſt, uideantur eſſe introducti, ex qua nihil aliud reip. niſi bellum acceſſit ciuile: ſatis abſurdum eſt; ipſa origine rei ſublata, eius imaginem derelinqui. Sciendum eſt igitur, cùm Romani uicinos ſibi populos quicunque in Latio erant, bello perdomuiſſent, eos omnes ciuitate Romana donare noluiſſe, quòd periculoſum uideretur, tot extraneis populis, quanquam uicinis, ius honorum & ſuffragii communicare, prȩſertim de repub. nihil meritis, nec ſatis cognitis, quo animo futuri erga eam eſſent. ut tamẽ eos aliquo ſibi amicitiæ uinculo adiungerent, ſocietatem cum iis fecerunt, permiſeruntque ut in legione Romana militare, in eaque honores gerere poſſent. Quod ius uocabatur primum ius Latii, uel ſimpliciter ius Latinitatis: in quo præter militiæ dignitatem, nihil fuit eximium. Poſt multis bellis ciuilibus, aut potius ſocialibus (ſic enim appellant) obtinuerunt Latini locum ciuium, ut ſuffragii honorumque urbanorum omniũ, iuxta ac ciues, eſſent participes: quod appellatur ius Latii ſecundum, uel ius ciuitatis: ut Vitellius annotauit in Merulam. Hinc Plin. cõmemorat quædam oppida antiqui, quædam ueteris Latii: itaque Latina libertas ſeruorum, ſimilis erat antiquæ Latinitatis. à qua etiam uidetur principium habuiſſe, cum ciuitate donabantur Latini populi Romani ſocii, & coloniæ quædam ex iis populis deductæ, ut dicit Iuſt. Nam coloniarum eadem quæ & ſociorum diſtinctio fuit: ut quædam iuris ueteris Latii tantum, quædam ciuitatis eſſent participes. Hæc ex Connani Commentariis.

LATITARE eſt, ait Vlpianus, non ut Cicero definit turpis occultatio ſui. poteſt enim quis latitare nõ turpi de cauſſa: ueluti qui tyranni crudelitatem timet, aut uim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones. l. 7. §. 3. D. Quib. ex cau. in poſſ. & §. 4. Latitare autem eſt, cum tractu aliquo latere: quemadmodum factitare, frequenter facere. Verum hac de re diximus in comment. Orat. pro Quintio.

LATOMIAE, inquit Aſconius, lingua Siculorum Lapidicinæ dicuntur, id eſt loca cæſis lapidibus excecta. Calliſtratus l. 9. D. ex quib. cau. maior. Nam etiam incluſos ueluti Latomiis uinctorum numero haberi placet: quia nihil intereſt, parieti-

bus

bus an compedibus teneatur. Vlpian. l. 1. D. de alcator. Hæc clauſula pertinet ad animaduerſionem eius qui compulit ludere, ut aut multa multetur, aut in Latomias uel in uincula publica ducatur.

LATRONES, ſiue Latrunculi dicebantur inuidioſo uerbo, quibus publicè decretum indictumq; bellum non fuerat, cum tamen hoſtiliter graſſarentur. Hoſtes enim dicebantur, quibus bellum indictũ fuerat. l. 118. D. de uerb. ſig. l. 6. & 24. D. de capti. l. 3. §. 1. D. de icẽd. nauf. qua de cauſſa qui ciues R. ab ijs capiebantur, neque in hoſtium poteſtatem ueniſſe, neque libertatem amiſiſſe dicebantur. l. 19. § à piratis, D. de captiu. l. 13. D. qui teſt. fac. poſſ. Cic. lib. de Off. III. Si prædonibus captum pro capite precium non attuleris, nulla fraus eſt: niſi iuratus quidem id non feceris. nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. cum hoc non fides eſſe debet, nec iusiurandum commune.

LATRVNCVLATOR. qui latronib. conquirendis & ſupplicio afficiendis præeſt. Vlpia. l. 61. D. de iudic. Latrunculator de re pecuniaria iudicare non poteſt.

LATVSCLAVVS, tunica ſenatorum propria. Caius l. 42. D. de donat. int. uir. & ux. Vt ecce, ſi uxor uiro Laticlaui petendi gratia donet, uel ut equeſtris ordinis fiat, uel ludorum gratia.

LAVATIONEM Vlpianus in l. 25. §. 4. D. de aur. arg. recenſet inter ea quæ mundi ſunt mulebris, quibusque mulieres mundiores fiunt: ueluti, inquit, lauatio, riſcus. Arculã fuiſſe ſuſpicor lauãdę faciei, aut alteri corporis parti paratã: in qua ſpongia, aut tale quippiam immergeretur, quam λουτρίδα non diſsimili ratione Græci nonnunquam appellant. Alciatus autem, Bayfius & alij aut Alabaſter, aut Alabaſtriſcus, aut Alabaſtrites reponunt. à quibus diſſentio: tum quod uaſa unguentaria Vlpianus proximè nominarat: tum quòd Alabaſtriſcus ὑποκοριστικῶς non diceretur, ſed Alabaſtellus potius.

LAVDARE, ut Nonius, Macrobius & Gellius ſcribunt, ſignificat priſca lingua nominare, appellareque unde in actionibus ciuilibus auctor laudari dicitur, id eſt nominari. Pomp. l. 6. §. 4. D. de act. empt. Si tibi iter uendidero ita demum auctorem me laudare poteris, ſi tuus fuerit fundus. Modeſt. l. 63. §. 1. D. de euict. C. Seia fundum à L. Titio emerat: & quęſtione mota fiſci nomine auctorem laudauerat, &c.

LAVTVMIAE, uide Latomiæ.

LECTICARII, ſerui qui lecticam ferunt. Pompon. l. 8. §. 2. D. de legat. 1. Si ita legatum ſit Lecticarios octo, aut pro his in homines ſingulos certam pecuniam. Vlp. l. 49. De legat. 3. Legato continentur mancipia, puta lecticarij qui ſolam matremfa. portabant. Sic in l. 14. De aur. & arg. leg. l. 65. De legat. 2.

LEGARE ab aliquo, uide Ab.

LEGATI, qui lecti publicè mittuntur. & alibi, Legati quòd ut publicè mittantur, leguntur. quorũ opera conſilioque uteretur peregrè magiſtratus, quiue nuncij Senatus aut populi eſſent. Varro lib. De ling. 4.

LEGATORVM tria genera in libris noſtris reperiuntur. Legati enim plerumque dicuntur ij, qui à Senatu lecti in prouinciam unà cum Proconſule negociorum publicorum adminiſtri mittuntur: qui tamen iuriſdictionem, niſi à Proconſule mandatã non habent. Iis autem Proconſul etiam criminũ cognitionem, non tamen gladij poteſtatem mandare poteſt. denique Legati qui mãdatam iuriſdictionem ſuſceperunt, proprium nihil habent, ſed eius qui mandauit iuriſdictione utuntur. l. 4. & 6. D. de offic. Proconſ. l. 1. De offi. eius cui. Legati uerò etiam alij dicuntur, qui ad Principem cum mandatis publicè mittuntur. l. 2. §. 1. l. 8. & l. 24. D. de iudic. l. 8. ex quib. cauſſ. maior. poſtremò Legati Cæſaris dicuntur ipſi præſides uel correctores prouinciæ, qui à Cæſare cum imperio & poteſtate miſſi ſunt. l. pen. D. de off. præſid. l. 4. D. de offi. aſſeſ. l. 12. D. de accuſat.

LEGATIVVM, eſt uiaticum quod ijs attribuebatur à Decurionibus, qui legati ad Imperatorem mittebantur. Arcadius leg. 18. §. 1. D. de muner. & honor. Legati quoque qui ad ſacrarium principis mittuntur, quia uiaticum, quod legatiuum dicitur, interdum ſolent accipere. Vlp. l. 2. D. de legat. His qui non gratuitam legationem ſuſceperunt, legatiuum ex forma reſtituatur. De hoc ipſo uiatico Modeſtinus loquitur in l. 36. D. ad municip.

LEGATIONES liberæ dicebantur, quas Senatores priuati negocij cauſſa à Senatu ad aliquod tempus impetrabant. Cicero eas annuas lege ſua fecerat: ſed poſtea (ut ſcribit libro ad Attic. xv.) lege Iulia quinquennium ijs præfinitum fuit. Vlpianus l. 14. D. de legat. Qui libera legatione abeſt, non uidetur Reipublicæ cauſſa abeſſe. hic enim non publici cauſſa, ſed ſui abeſt. Tribus autem ferè de causſis poſtulari liberas legationes reperio. Voti ſoluendi, unde etiam Votiuæ plerumque appellantur: periculi uitandi, & hæreditatis nominumue perſequendorum. Voti ſoluendi exemplum Cic. lib. ad Attic. II. ſuppeditat, ubi cum Clodiani periculi tempeſtatem uitare cuperet, uotiuæ legationis ſpecie ac nomine uti uoluit. A Cæſare ualde liberaliter inuitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus: atque etiã libera legatio uoti cauſſa datur. Item lib. III. Ego me à Pompeio legari ita ſum paſſus, ut nulla re impedirer, quin ſi uellem, uoti cauſſa legationem ſuſcipere poſſem. Periculi uitandi exemplum Plutarchus in Gracchis prodit, ubi ait Senatum Scipioni Naſicæ liberam legationem in Aſia decreuiſſe, cùm ob mortem Tyberij Gracchi, cuius autor Naſica fuerat, uide

ret plebem male in illum animatam, & publicum ei iudicium molientem. Cicero etiam in prima Philippica propter Antonium ſcribit ſe ius liberæ legationis habuiſſe. Et libro Epiſtol. fam. XIIII. Merum fuit officium uel legatione uitare periculum, uel diligentia & copijs reſiſtere, uel cadere fortiter. Hæreditatum & ſyngrapharum idem meminit in Rullum, ubi ſic loquitur. Hæreditatum obeundarum cauſſa quibus uos legationes dediſtis, qui & priuati & priuatum ad negocium exierum, non maximis opibus neque ſumma auctoritate præditi: tamen auditis profectò quàm graues eorum aduentus ſocijs ueſtris eſſe ſoleant. Idem in tertio de Legib. Iam illud apertum profectò eſt, nihil eſſe turpius, quàm quẽquã legari, niſi Reipub. cauſſa. omitto quemadmodũ iſti ſe gerant atque geſſerint, qui legatione hæreditates aut ſyngraphas ſuas perſequuntur. Memorabile eſt autẽ, quod ex ipſius ad Cornificiũ epiſt. XXI. libri XII. obſeruauimus: eos qui cum libera legatione mittebantur, lictores à prouincialibus magiſtratibus & inſignia ceterorum legatorum accepiſſe.

LEGATVM, eſt donatio teſtamento relicta. l. 36. D. de legat. & fid. lib. 31.

LEGATVM, eſt dubitatio hæreditatis, qua teſtator ex eo quod uniuerſum hæredis foret, alicui quid collatum uelit. l. 116. D. de leg. & fid. lib. 30. Qui locus ſignificare uidetur, Florentinum hoc legati nomẽ à legendo, id eſt deligendo ductum putaſſe: quẽadmodũ Varro Legatos appellatos tradit, quod publicè lecti mitterentur. nam quæ delibantur & decerpuntur, leguntur. Vlp. autẽ Inſtit. ca. XXIV. ex eo deducere uidetur, quod legis modo, id eſt imperatiuè relinquatur: cui aſſentiri nullo modo poſſum. Legatũ eſt, inquit, quod legis modo, id eſt imperatiuè, teſtamento relinquitur. nam ea quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommiſſa uocantur.

LEGE agere, eſt in iure id quod lege aliqua inſtitutum eſt, agere. Itaque legis actiones ſunt formulę agẽdi in iure apud eum qui iure dicũdo præeſt. ueluti: Emãcipatio, abdicatio, adoptio, manumiſſio per uindictam, in iure ceſſio, Tutoris in iure datio. poſtulatio iudicij recuperatorij, poſtulatio bonorum ex edicto, ſtipulationes & ſatiſdationes quæ in iure fiunt. Hinc Magiſtratus apud quem legis actio eſt dicitur is apud quẽ aliquid eorum agere ius eſt. Modeſtin. l. 4. D. de adopt. Magiſtratus apud quẽ legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptionẽ dare poteſt. Marcia. l. 2. D. de off. proconſ. Apud legatũ uerò procõſulis nemo manumittere poteſt, quia nõ habet iuriſdictionẽ talẽ. Vlp. Nec adoptare poteſt. omnino enim nõ eſt apud eũ legis actio. Idẽ l. D. de off. iurid. Adoptare quis apud iuridicũ poteſt: quia data eſt ei legis actio. Paulus Sẽt. li. 2. Apud magiſtratus municipales, ſi habent legis actionẽ, emãcipari & manumitti poteſt. Sed de legato quæſitũ eſt, propter l. apud proconſulẽ, D. de manu. uind. Ego rẽ ſic diſtinguerẽ, ut ciuis R. ciuẽ Romanum facere apud legatũ non poſſet: peregrinus uerò liberũ è ſeruo facere etiã apud Proconſulis legatũ poſſet. Legati enim proconſulũ ius dicebant, ut ex Pãdectis patet. & ex Epiſt. Cic. li. XIII. & Oratione pro Flacco. Legis autẽ actionẽ ciuiũ Romanorũ propriã fuiſſe, locus ex eadẽ Oratione quẽ ſubijciã demõſtrat. Q. Naſo iudex ſumitur, qui cũ ſententiam ſecundũ Plotium ſe dictorum oſtenderet, & ab eo iudice abijt, &, quòd iudiciũ lege nõ erat, cauſſam totam reliquit. Sic enim uetus codex legit, cũ in uulgatis AAIRET nullo ſenſu ſcriptũ ſit. loquitur autẽ de Heraclide peregrino qui cũ ciue, ſenatore, C. Plotio agebat. Patet etiã ex Fabij li. III. ca. VI. infames lege agere non potuiſſe. Nõ habes ius abdicãdi: quia ignominioſo non eſt actio. habeo ius, quia abdicato actio non eſt. quæritur quid ſit actio: id eſt, quid ſit legis actio.

LEGITIMA generaliter dicuntur omnia quæ ex lege aliqua inſtituta ſunt: plerũque tamen de lege XII. tab. intelliguntur. Hinc

LEGITIMI hæredes paſſim appellantur, quos lex XII. tab. inteſtatis attribuit, hoc eſt proximos agnatos. quanquam eius legis exemplo etiam nouæ leges & Senatuſconſulta ſignificentur. l. 2. §. ult. D. und. legit. Sic

LEGITIMA hæreditas eodẽ modo in l. 1. 2. & 3. D. de hære. petit. l. 7. D. de cap. minut. Item

LEGITIMAE actiones, quæ legib. inſtitutæ ſunt. §. ſed iſta, Inſtit. de actionib. Item

LEGITIMA tutela dicitur, quæ lege defertur. Legẽ autẽ excellẽtię cauſſa, legẽ XII. tab. intelligimus. Vlp. l. 1. D. de legi. tut. Legitimæ tutelæ lege XII. tab. agnatis delatæ ſunt, & cõſanguineis: itẽ patronis, id eſt his, qui ad legitimã hæreditatem admitti poſſint. hoc ſumma prouidentia. ut qui ſperarẽt hanc ſucceſſionẽ, ijdẽ tuerẽtur bona ne dilapidarentur. hæc ille. Legitimã tamen Patronorũ tutelã dici tradit in l. 3. non quod nominatim id lex cauerit, ſed quòd legis id ratio flagitare uiſa eſt: ut ubi hæreditas, ibi tutela eſſet. Itẽ legitima tutela dicitur parentũ, qui filiorũ quos impuberes emanciparũt, tutores fiũt: qui uerè legitimi nõ ſunt, ſed legitimorum uicẽ obtinent: ut ait Vlp. d. l. 3. §. ult. D. eod. legitimæ, inquam, illæ tutelæ præſtantia quadã legis ueteris dicuntur: quod hinc licet intelligatur, quòd tutelæ quę lege Attilia, Iulia & Titia mandantur, legitimarum nomine non intelliguntur. apparet ex l. 7. D. de cap. minut.

LEGITIMA liberorum dicebatur olim pars hæreditatis quarta: quam conſuetudinem ex legis Falcidiæ ratione manaſſe, Paulus, lib. Sent. 4. cap. 5. non obſcurè demonſtrat. Cùm enim inſtituti partẽ nunquam minorem quarta iuſſiſſet eſſe, ſi filius minus ex patris teſtamento cõſecutus erat, quod ei deerat ſupplebatur. Hinc pars [illegible]a, quia non ex teſtamento,

teſtamento, ſed ex lege manabat, Legitima dicta eſt: quo modo Legitima hæreditas dicitur, quam lex, non teſtamentum, defert. Atq; hæc quidem olim. pòſt uerò Iuſtinianus duas Conſtitutiones edidit, quarum priore ſtatuit, ut idem in exhæredatis iuris eſſet, quod ĩ inſtitutis: nimirũ ut ſi exhęredato filio uel minima res, ueluti ſolidus unus legatus eſſet, inofficioſi agere nõ poſſet. ſed ꝙ legitimæ parti, hoc eſt quartæ deeſſet, ſuppleretur. idque etiam ſi teſtamento cautum non eſſet. l. omnimodo, 30. C. de inoffic. teſtam. ex quo intelligi poteſt, quàm falſa ſit eorum opinio, qui ius hoc ſuppletionis tam in inſtitutis, quàm in exhæredatis a Iuſtiniano inductnm exiſtimant. Poſteriore autem Conſtitutione, quæ Nouellarum eſt XVIII. modum hunc legitimæ adauxit, ut ſi unus, duo, tres, quatuorve liberi eſſent, triens illis relinqueretur: ſin plures quatuor, ſemis.

Legitima uxor, quæ ritè ex præſcripto legum in matrimonium conuenit. l. 4. D. de rit. nupt.

Legitimae nuptiæ, quæ ſecundum Romanæ ciuitatis iura contractæ ſunt. §. 1. Inſt. de nupt.

Legitima crimina, de quibus lege aliqua quæſtio conſtituta eſt. l. 3. §. pœna, D. de crim. ſtellion.

Legitima ætas, quæ lege aliqua præſcripta & præſtituta eſt: ueluti in maribus annorum XIIII. in fœminis XII. nuptiarum cauſſa. item ad res adminiſtrandas XXV. l. ult. §. Diuus, D. de public. l. ult. in fi. D. de appellat. l. 1. C. de cur. fur. l. 4. C. de tranſact.

Leguli, qui oleas aut uuas legunt: ait Varro. Vlpianus l. 13. §. 6. D. de uſuf. Si tamẽ quæ inſtituit fructuarius magnum apparatum ſint deſideratura, opificum fortè uel legulorum, quæ non poteſt ſuſtinere proprietarius, &c.

Lenas eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. Lenam accipimus & eam, quæ alterius nomine hoc uitæ genus exercet. l. 43. §. 3. D. de ritu nupt.

Lenocinium facit, qui quęſtuaria mancipia habuerit l. 4. §. 1. D. de his qni not.

Levir (ait Modeſt.) uiri frater apud Latinos: apud Græcos δαὴρ appellatur: ut eſt apud Homerum relatum. ſic enim Helena ad Hectorem dicit, δᾶερ ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης: id eſt, Leniri mei canis, omnis mali cauſſatricis, horridę. l. 4. D. de grad. & adfin.

Levis culpa, uide Culpa.

Lex eſt generale iuſſum populi, aut plebis rogante magiſtratu. ait Capito apud Gell. lib. 10. cap. 20. Vel ſic,

Lex eſt, quod populus Ro. ſenatorio magiſtratu interrogante, ueluti Conſule cõſtituebat: ait Iuſtin. §. 3. De iur. nat. Vel ſic,

Lex eſt ius, qnod populus R. comitijs uel centuriatis, uel tributis, uel curiatis, uno aliquo è magiſtratibus maioribus rogante, nimirum Prætore, Conſule, Dictatore, Interrege, conſtituebatur.

Lex eſt commune præceptum, uirorum prudentiũ conſultum, delictorum quæ ſponte uel ignorãtia contrahuntur, coercitio, communis Reip. ſpõſio. l. 1. D. de legib. ſenat.

Lex aut Rogatur, id eſt fertur: aut Abrogatur, id eſt tollitur: aut Derogatnr, id eſt pars primæ tollitur: aut Subrogatur, id eſt adijcitur aliquid primæ legi: aut Obrogatur, id eſt mutatur aliquid ex prima lege. Vlpianus cap. Inſtit. 1. Vel ſic,

Lex Rogatur, cum populus rogatur ut nouam legem accipiat: Derogatur legi, cum rogatnr, ut capita quædam è lege uetere detrahat: Abrogatur, cum rogatur ut legem ueterem omnino tollat: Prorogatur, eum differtur: Irrogatur, cum in aliquem propriè fertur: ut cum multa alicui a magiſtratu dicebatur.

Lex pro conditione & pacto frequenter uſurpatur: hoc eſt pro contractus forma. Itaque legem Locationis Paulus dicit in l. ſi in lege, 24. D. locat. Vlpianus autem formam locationis in l. fructus, 8. §. item ſi. D. ſolut. matrim. & Varro libro De re ruſt. II. cap. III. Ob hoc in lege locationis fundi excipi ſolet, &c. Et cap. II. In emptionibus iure ntimur eo, quod lex præſcripſit. in ea enim alij plura, alij pauciora excipiunt. Hinc apud Catonem Lex oleæ legendæ, Lex oleæ faciundæ: Lex uini pendentis, &c. Et ſic in edicto De ſuperficieb. l. 1. Vti ex lege locationis ſiue conductionis ſuperficie qua de agitur, &c. Hinc lex uenditionis, paſſ. ſub tit. de cõt. empt. l. 29. D. de ſerui. ruſtic. l. 6. Commun. præd. Hinc

Lex commiſſoria dicitur in emptionibus & oppignerationibus, cum aut res hoc pacto uenditur, ut precio ad diem ſoluto inempta ſit, aut pignus ita datur, ut ad diem non reddita pecunia, creditoris fiat. l. 1. & paſſ. D. de leg. commiſſ.

Libellam in l. iudices, 9. C. de epiſc. audient. Alciatus dimidiam chœnicis partem interpretatur. Erat autem Chœnix menſura tritici, quantũ quiſque uno die comederet. unde illud Pythagoræ, Super chœnice non ſedendum. Iubet igitur conſtitutio duas libellas. id eſt, chœnicem uictualis ſubſtantiæ cuſtoditis præſtari. Sanè & li. 20. cap. 1. A. Gellius legis 12. tabularum uerba de addictis hæc refert: Si uolet, ſuo uiuito: ni ſuo uiuit, qui eũ uinctum habebit, libras farris in dies dato. Hæc Alciatus lib. par. 1. c. 17.

Liber ſingulari numero, pro nato. Cicero de nat. Deorum II. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, nõ eum, quem noſtri maiores auguſtè ſanctéq; Liberum cum Cerere & libera conſecrauerant. ſed quòd ex nobis natos liberos appellamus, iccirco Cerere nati nominati ſunt liber & libera: quòd in libero ſeruant, in libera non item.

LIBER dicitur is, cui ius eſt arbitrio ſuo uiuere, quatenus lege aut inſtituto permiſſum eſt. nam, ut in Cluentiana Cicero teſtatur, iccirco omnes legum ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſsimus.

LIBER pro ingenuo dicitur ab Imp. in l. diui, 5. & l. cùm quis 10. C. de nat. lib. Cum quis à muliere libera, & cuius matrimonium non eſt legibus interdictum, &c.

LIBER populus, id eſt, ait Proculus, qui nullius alterius poteſtati eſt ſubiectus, ſiue is fœderatus eſt: item ſiue ęquo fœdere in amicitiam uenit, ſiue fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi maieſtatem comiter conſeruaręt. l. 7. D. de capt. & poſtlim.

LIBERA Legatio, uide Legationes liberæ.

LIBERALI cauſſa manu aſſerere dicebantur, qui liberum hominem iniuſta ſeruitute oppreſſum in libertatem uindicabant. unde & Aſſertores, & Liberalis cauſſa dicebatur. Terent. Adel.

Neq; uendendam cenſeo Quæ
libera eſt. nam ego illam liberali aſſero
Cauſſa manu. Plautus Pœnulo, Manu
eas aſſerat. Suas populares liberali cauſſa.
itemq; paulò pòſt. Sed & preciſa locutione in curcul. Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu. & paulo pòſt, Promiſiſti ſi quiſquam hanc liberali aſſereret manu.

Nam Donatus auctor eſt ordinem eſſe hũc, Aſſerere manu aliquem in cauſſa liberali.

LIBERATIONIS uerbum (ait Paulus) eandem uim habet, quam ſolutionis. l. 47. D. de ſolut. In rubrica tamen De ſolut. & liberat. diſtinguitur, ac tanquam generis loco ponitur: ut Solutio, pecuniaria ſit: Liberatio, quæuis altera diſſoluendæ obligationis forma: ut confuſio, & compenſatio.

LIBERALIA ſtudia, inquit Vlpianus, accipiemus, quæ Græci ἐλευθέρια appellant, Rhetores continebuntur, Grammatici: Geometræ. l. 1. D. de extraord. cognit.

LIBERALIS cauſſa dicitur: quæ actionem in ſe continet libertatis: ait Donatus in illud Terent. Ego illam liberali aſſero cauſſa manu. Hinc tit. de liber. cauſſ. D. & paſsim Liberalis cauſſa, & Liberale iudicium. l. 3. §. ſi ſeruus, D. de acq. poſſ. l. 32. §. de liberali, D. de arbit. l. 42. §. 1. D. ſolut. mat. l. 7. §. 1. D. de petit. hæred.

LIBERI, ait Paulus, uſq; ad trinepotẽ dicũtur: ultra hos, Poſteriores uocãtur. l. 10. §. 2. D. de grad. & adfin.

LIBERORVM appellatione, inquit Calliſtratus, nepotes, & pronepotes, ceterique qui ex bis deſcendunt, continentur. l. 220. D. de uerb. ſignif. l. 6. D. de teſtam. tut. l. 3. in fi. D. de aſsig. lib. nec intereſt utrum uirilis, an fœminei ſexus ſint, etiam ſi ex fœmineo ſexu deſcendat. l. 56. D. de uerb. ſignif. l. 2. §. quod ait, D. qui ſatiſd. cog. qua de cauſſa etiam nepos ex filia inter liberos numeratur. l. 9. & l. ult. D. de pollicit. quinetiam poſthumi liberorum appellatione complectuntur. l. 5. D. de oper. liber.

LIBEROS in multitudinis numero etiam unum filium filiamve ueteres dixiſſe, docet Gellius libro 2. capite. 13. Itaque non eſſe ſine liberis dicimus eum cui uel unus filius, uel una filia eſt. liberorũ enim nomen multitudinis numero tantum ponitur. l. 148. D. de uerb. ſigni.

LIBERTAS, ait Iuſtin. ex qua etiam liberi uocantur, eſt naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet: niſi ſi quid ui aut iure prohibetur. De iur. perſon. in princip.

LIBERTAS, pro Ingenuitas. Hermoge. l. cum pacto, 40. D. de lib. cau. Cum pacto partitionis precii maior uiginti annis uenalem ſe præbuit, nec poſt manumiſsionem ad libertatem proclamare poteſt. nã ut ait Modeſtinus l. 21. D. de ſtat. hom. Homo liber qui ſe uendiderit, manumiſſus, non ad ſuum ſtatum reuertitur, ſed efficitur libertinæ conditionis.

LIBERTI ſunt, qui deſierũt eſſe ſerui. l. 4. D. de iuſt. & iur. Vel ſic:

LIBERTI ſunt, quos domini ex iuſta ſeruitute ſoluerunt, ac manumiſerunt. unde etiam illorum patroni, quaſi patres, qui a morte in uitam illos reuocarunt, appellabantur. Eorum autem tria genera fuere. Nam alij ciues Romani, alij Latini Iuniani, alij Dedititiorum numero erant: de quibus uide Vlpianum in Inſtitut. ⁂

LIBERTINI ſunt, qui ex iuſta ſeruitute manumiſsi ſunt. l. 6. D. de ſtatu hom. olim uerò, id eſt Appij Cæci temporibus, & deinceps aliquandiu libertini dicebantur, non ipſi qui manumittebantur, ſed ingenui ex his procreati: ut ſcribit Suetonius in Claudio. quam differentiam obſeruare Modeſtinus uidetur in l. 1. D. de excuſat. inter ἀπελευθέρους & ἀπελευθερικοὺς, hoc mõ: ἀπελευθερικοῖς γὰρ ἀπελευθέρους μόνους δεῖν δοθῆναι, Et paulo antè, ἀπελευθερικοῖς ὀρφανοῖς εὐγενεῖς οὐ δώσουσιν οἱ ἄρχοντες ἐπιτρόπους. id eſt, Libertinis enim libertos ſolos dare tutores oportet. Item, Libertinis pupillis magiſtratus tutores ingenuos non dabunt.

⁂ LIBERTORVM alij ſunt ciues Romani, qui uindicta, cenſu, aut, teſtamento, nullo iure impediente manumiſsi ſunt. alij Latini Iuniani, qui ex lege Iunia inter amicos manumiſsi ſunt. alij Dedititiorũ numero: qui pœnæ cauſſa uincti ſunt à domino: quibus ueſtigia ſcripta fuerunt: qui propter noxam torti, nocenteſq; inuenti ſunt: quive traditi ſunt ut ferro, aut cum beſtijs depugnarẽt: uel in cuſtodiam coniecti fuerunt: deinde quoquo modo manumiſsi ſunt Vlpia. c. Inſtitut. 1.

LIBITINARII, qui funerum curam mercede pacta recipiebant: a Libitina Dea cuius in æde (ut ſcribit Acron) conſtituti, qui efferenda corpora conducebant, & funeribus neceſſaria præbenda. Vlpianus l. 5. §. 1. D. de inſtitut. act. Idem ait, Si Libitinarius, quos Græca νεκροθάπτας uocant, ſeruum pollinctorem habuerit,

habuerit, isq; mortuum ſpoliauerit. De Libitina Dea uide Plut. in Probl.

Libra quæ & pondo dicitur, in duodecim uncias diuiditur. Eius partes ſunt. Vncia 1. Sextans 2. Quadrans 3. Triens 4. Quincūx 5. Semis quæ & ſelibra 6. Septunx 7. Bes 8. Dodrans 9. Dextans 10. Deunx. 11. Vide As.

Libra auri, LXXII. ſolidis ſiue aureis æſtimatur. l. 5. C. de ſuſceptoribus, lib. X.

Libra argenti, aureis quinis. l. un. C. de argent. pret. eod. lib. argenteis uerò, LX. l. 1. C. Th. de exp. lud.

Librarii depoſitorum apud Tarruntinum in l. ult. D. de iur. immunit. ij erant, inquit Budæus, qui præſcribebant quid quiſque apud ſigna depoſuiſſet. Antiquitùs enim (inquit Vegetius) inſtitutum eſt, ut ex donatiuo quod milites conſequuntur, dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, ibidemq; militibus ſeruaretur, ne à contubernalibus per luxum abſumi poſſet, inaniumq; rerum comparationem. Sepoſitio autem ipſa pecuniæ primum ipſis contubernalibus docebatur accōmodata. nam cum publica ſuſtententur annona, ex omnibus donatiuis augetur eorum pro media caſtrenſe peculium. Miles deinde qui ſumptus ſuos ſcit apud ſigna ſua depoſitos, de deſerendo nihil cogitat: magis diligit ſigna: pro illis acie fortius dimicat, more humani ingenij, ut pro illis habeat maximam curam in quibus ſuam uidet eſſe poſitā ſubſtantiam. Denique decem folles per cohortes ſingulas exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam ſaccus undecimus, in quo tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſſa. Et ideo ſigniferi, non ſolū fideles, ſed etiam literati homines eligebantur, qui & ſeruarent depoſita, & ſcirent ſingulis reddere rationem.

Librarius, librorum & contractuum pactionūq; ſcriptor. Scæuola l. 92. D. de reg. iur. Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis uerbis errasſet, &c. Vlp. l. 6. §. 2. D. de op. lib. Nā huius quoq; eſt miniſterium, ſi fortè uel librarius, uel nomenculator, uel calculator ſit uide Notarius.

Librorum appellatione continentur omnia uolumina, ſiue in charta, ſiue in membrana ſint, ſiue in quauis alia materia. l. 52. D. de leg. tertio.

Licentiati uulgo in ſcholis dicuntur, qui annis quatuor in legum ſtudio conſumptis, ab illa præſcripta & definita ſtudiorum lege quam Iuſtinianus ſtatuit, ſoluuntur: quaſi qui licentiam ac miſſionem à magiſtrorum caſtris impetrarunt. Vide Prolytæ.

Licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorū, inſtitutiſq; conceditur. neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur: ait Cicero Philipp. 13. In eamq; ſententiam Vlpianus clauſulam illā edicti, Qvod eius licebit, ſic interpretatur: Quæ clauſula non illud pollicetur, reſtituturum ſi leges permittant: ſed ſi leges non prohibeant. l. necnon, 28. D. ex quib. cauſſ. maior.

Lictor à ligando dicitur ut lector à legendo, uector à uehendo: quòd cū magiſtratus populi Ro. uirgis quempiam uerberari iuſsiſſent, crura eius & manus ligari uinciriq; à uiatore ſolita ſint: isq; qui ex collegio uiatorum officium ligandi haberet, lictor ſit appellatus. Hic Cic. pro C. Rabirio, Lictor, inquit, colliga manus. Hæc ex Gell. lib. 12. capitu. 3.

Ligna cocta dicuntur, quibus ignis ui humiditas exempta eſt, ut fumare nequeant. Vlpia. l. 55. §. 4. D. de legat. 3. Sed & titiones, inquit, & alia ligna cocta ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an ſuo generi adnumerabimus? item in l. 167. D. de uerbo. ſignifi. ubi hæc ipſa uerba incul cantur. Martialis epigrāma quod inſcribitur Ligna acapna, in Xenijs ad hæc ipſa ligna pertinens, hoc eſt.

Si uicina tibi Momento rura coluntur,
Ad uillam moneo, ruſtice, ligna feras.

Lignvm, tabulæ ligneæ. Tryphon. l. 19. D. de bon. poſſ. cont. tab. Quod uulgò dicitur, liberis datam bonorum poſſeſsionem contra lignum eſſe, ſic intelligendum eſt, &c. Paulo pòſt dixit, Contra tabulas. Nam ligneas quoque fieri tabulas Vlp. l. 1. D. de bon. poſſ. ſec. tab. teſtatur.

Lignvm & materia hoc differūt quòd materia eſt, quæ ad ædificandum, fulciendum neceſſaria eſt: lignum, quicquid comburendi cauſſa paratum eſt, quamuis nondum conciſum. l. 55. D. de leg. 3.

Ligvsticvm apud Paulum in l. 5. D. de pen. leg. herba hortenſis: de qua Plin. li. 19. cap. 8. Liguſticum ſylueſtre eſt, in Liguriæ ſuæ montibus, ſeritur ubique ſuauiùs ſatiuum, ſed ſine uiribus: Panacem aliqui uocant.

Limenarchae λιμενάρχαι, qui portuum præſidijs præfecti ſunt: λιμὴν, portus: ἄρχος princeps. Paulus l. 4. D. de fugit. Limenarchæ & ſtationarij fugitiuos deprehenſos rectè in cuſtodia retinent. Et Archadius l. ult. §. 1. D. de mun. & honoribus.

Limitatvs ager dicitur, qui ab hoſtibus captus uel coloniæ alicui tutus, uel ciuibus ipſius ac militibus per partes aſsignatus eſt. Iulius Frontinus, Agrorum qualitates ſunt tres. una agri diuiſi & aſsignati: altera menſura per extremitates comprehenſi: tertia Arcifinij, qui nulla menſura continetur. Ager ergo diuiſus aſsignatus, eſt coloniarum. hic habet conditiones duas: unam, qua plerunque limitibus continetur: alteram qua per proximos poſſeſsionum rigores aſsignatus eſt. Ager eſt menſura comprehenſus, cuius modus uniuerſus ciuitati eſt aſsignatus. Tributarius ſolus per uniuerſitatem populis eſt definitus. eadem ratione & priuatorū agrorū mēſuræ agunt. Hunc agrū multis modis mēſores, quāuis extremū menſura cōprehēderint, in formā in mo

dum limitum condiderunt. Hęc ille. Vtrunq; igitur horum agrorum genus limitatum eſt. De quibus illud intelligendum eſt quod ſcribit Florentinus l. 16. D. de acq. rer. do. In agris limitatis ius alluuionis locum non habere conſtat. Item in l. 1. §. ſi inſula, D. de fluminib.

Limites ab liminibus uocabula acceperunt: quomodo Limina introitus exitusq; locis præſtant, limites agris ſimiliter introitus exitusq;. Flaccus.

Linea, funiculus. Vlp. l. 27. §. 19. D. ad leg. Aquil. Si cum maritus uxori margaritas extricatas dediſſet in uſu, eaq; inuito uel inſcio uiro perforaſſet, ut pertuſis in linea uteretur. Pli. lib. 32. ca. 2. Murenæ amplius deuorant quàm hamum, admouentq; dentibus lineas, atque ita erodunt. Columella lib. 3. cap. 15. Hæc in quincuncē uinearum metatio expeditiſsima ratione conficitur: quippe linea per totidem pedes inſuitur. Et lib. 8. cap. 11. Et emiſſa ligato pede longa linea gallina cuſtoditur. Sic & Scæuola l. 26. D. ad leg. Falc. & Vlp. de linea margaritarum l. 52. §. 18. De furtis.

Lines, uaſa fuiſſe uidentur ad fontes pertinentia. Vlpia. l. 15. D. de act. empt. Lines, & Labra, ſalientes, fiſtulæ quæ ſalientibus iunguntur, &c. Quo tamen loco LENES corrigendum putarem. nam apud Nonium LENIS uaſis eſt genus. ubi tamen LENAS corruptè legi ex duobus auctorum quos citat locis intelligitur. Eodem modo legendum apud Alfenum putarem in l. 17. §. 1. D. ſi ſeruit. uind. Et Seius in eos ſiluam ſeuiſſet, in qua Labra, & Tenes, cucumellas poſitas haberet. Corrigendum enim putarem LENES. Quin & Tinas uaſis genus fuiſſe, idem Nonius teſtatur. ſed ſuperius uerbum proprius ad ueſtigia ueteris lectionis accedit.

Liqvido iurare, eſt de re liquida & peſpicua iurare apud Vlpian. in l. 18. D. de iureiur. pro uerè iurare. Siue enim dominus petat, inquit, cogetur docere reus liquidò ſe iuraſſe, poſita ſcilicet exceptione. Sic apud Terent. in Andria, D. Quia ſi fortè opus ad herum iurandum mihi non adpoſuiſſe, ut liquidò poſsim. M. Intelligo. Noua nunc religio in te iſtæc inceſsit.

Λείψανα reliquiæ, ſuperamenta, ut loquitur Vlpian. Si animal legatum occiderit, puto teneri, non ut carnem præſtet, uel cætera λείψανα: id eſt cornua, corium, &c. Locus eſt apud Vlpian. l. 53. §. 2. De leg. & fi. l. 16. 30.

Lis, eſt iurgium, de re quapiam inter aliquos apud iudicem inſtitutum. non enim omne iurgium lis eſt: ſed illud demum, quod apud iudicem exercetur: quo uerbo & magiſtratus & arbitros pinguiore Minerua complectimur. uel ſic ex Varrone: Quibus res erat in controuerſia, ea uocabatur Lis. Ideo in actionibus uidemus dici, Quam rem ſiue litem dicere oportet. Hæc Varro. quib. ex uerbis intelligimus quod ait Cicero in Murænianu, Tot homines. tam ingenioſos, ſtatuere non potuiſſe utrum diem tertium, an perendinum: iudicem, an arbitrum: rem, an litem dici oporteret. Hinc coniunctim legimus in l. ſi defunctus, 9. C. de ſuis & legit. Res uel Lis. Et quę lis inofficioſi uocatur in l. pater, D. de collat. dot. eadem dicitur Res officioſi in l. Papinia. 8. §. 1. D. de inoff. Si quis, inquit, poſt rem inofficioſi ordinatam, litē dereliquerit, poſtea non audietur. Hinc

Litis æſtimatio, propriè rei æſtimatio, ſiue quanti quæque res eſt, quę in controuerſiam deducta eſt. Itaque Litis æſtimationem ſoluere, eſt tantū ſoluere quanti controuerſa res eſt. Caius l. ult. D. de cond. tritic. Si merx aliqua quæ certo die dari debebat, petita ſit: ueluti uinum, oleum, frumentum, tanti litem æſtimandam Caſsius ait, quanti fuiſſet eo die quo dari debuit Vlpian. l. 21. D. de euict. Si emptor hominis mota ſibi controuerſia uenditorem dederit procuratorem, isq; uictus litis æſtimationem ſuſtulerit, ſtipulationem duplę non committi. Paulus l. 2. §. ult. D. pro empt. Si rem alienam emero, & quum uſucaperem, & eādem rem dominus à me petierit: non interpellari uſucapionem meam litis conteſtatione. ſed ſi litis æſtimationem ſufferre maluerim, ait Iulianus cauſſam poſſeſsionis mutari ei qui litis æſtimationem ſuſtulerit. Vlpianus l. 3. §. 2. D. de reb. cor. Si fundus à tutore petitus ſit pupillaris, nec reſtituatur, an litis æſtimatio oblata, alienationem pariat. Seruius Sulpic. apud Gell. l. 4. cap. 4. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, Iudex quamobrem data acceptave nō eſſet uxor, quærebat. ſi nihil iuſtæ cauſſæ uidebatur, litem Pecunia æſtimabat, quantiq; interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui ſpopōderat aut qui ſtipulatus erat condemnabat.

Litis æſtimatio, pecuniæ cuius quis damnatus eſt, in ſummam certam redactio. Lis enim æſtimari dicebatur, quum reo Repetundarum damnato, inibatur furtorum eius omnium ratio atque æſtimatio: ex qua ſumma quædam pecuniæ conficiebatur, ut ſocijs ereptæ pecuniæ reſtituerentur. nam continuò damnati bona ſectatoribus auctione uenduntur, qui eam ſummam Quæſtoribus ærarij repræſentent. Macer l. 7. D. de lege Iul. repet. Neve ob litem æſtimandam, iudiciumve capitis, pecuniæve faciendum, &c.

Litis æſtimatio, eſt rei quæ in controuerſiam adducta eſt unà cum eo quod propter eam actoris interfuit, in certam pecuniæ ſummam redactio. Eius autem duæ ſunt partes: ęſtimatur enim primùm quanti res eſt, deinde quāti actoris intereſt. l. ult. D. de cond. tritic. Quanti autem res eſt, ſic æſtimatur, ut uerum rei precium exquiratur. l. inter. 179. D. de uerb. ſigni. l. 4. §. hæc autem, D. ui bon. rapt. l. arbitro, D. de dol. mal. Id autem quod intereſt, duabus conſtat rebus: nam & damni propter rei culpam, dolumve accepti, & lucri amiſsi ratio ducitur. l. 1. C. de ſenten, quæ pro eo. l. ſi cōmiſſa,

miſſa.13.D. rem rat.hab.l.ſi fundus,33.D.locat.

LITIS nomen, inquit Vlpianus, omnem actionem ſignificat: ſiue in rem, ſiue in perſonam ſit.l.36. D.de uerbo.ſigni.

LITIGIOSA dicuntur ſub Rubrica de litigioſis,de quibus lis cõteſtata, iudiciumq́; acceptum eſt.nã (ut ait Vlpianus) Litigioſam rẽ non facit, quæ im pediendæ uenditionis cauſſa ſit.l.1. D.illo tit.

LIS, naſcitur: controuerſiam pertinacia efficit: & litigant homines, res in controuerſiam deducitur: ita controuerſia partis eſt, lis ſummæ. Hæc ex Corn. Frontone de nom.uerb.diff.

LIS conteſtata dicitur, cùm accepto à Prætore iudi cio utraque pars teſtibus præſentibus pronũciat, TESTES ESTOTE. Gallus Aelius Reos tum demum dici putauit, cum lis conteſtata eſt. Hæc Feſtus. Sed poſtea.

LIS conteſtata formulis, ordinarijsq́; iudicijs ſublatis dicta eſt, quæ apud iudicem agi cœpta erat. Impp. Seuerus & Anto.l.1.C. de litis conteſ. Res in iudicium deducta non uidetur, ſi tantum poſtu latio ſimplex celebrata ſit, uel actionis ſpecies an te iudicium reo cognita. Inter litem enim conteſtatam & editam actionem permultum intereſt. lis enim tunc conteſtata uidetur, cum iudex per narrationẽ negocij cauſſam audire cœperit, hoc eſt, nec flagitatio, nec actionis editio, niſi cauſſa in iure agi cœperit, litis conteſtationem efficit.

LITE cecidiſſe dicitur, qui eius rei de qua agebat, cauſſam amiſit. Feſtus. uide Cadere cauſſa.

LITEM ſuam facere iudex malè iudicando propterea dicitur, quia partes eius quem iniuria abſoluit, ſuſcipere, ipſiusq́; cauſſam pro ſua defendere cogitur. Vlpianus l.filiusfami.15. D.de iudic. Iudex, inquit, tunc litem ſuam facere intelligitur, cùm dolo malo in fraudem legis ſententiam dixit. Cicero libro De orat. 11. Quid ſi cum pro altero dicas, litem tuam facias, aut læſus efferare ira cundia, cauſſam relinquas, nihil ne noceas? Gellius lib. 12. Et Varro ſatis apertè quid dici oporteret edocuit: Et ego aduerſus eum qui doctus eſſe dicebatur, litem meam facere abſens nolui. Sic l. ult. D.de uat.& extraord.& l.4.§. ſi iudex, D.de oblig.& actio.

LITANIA, λιτανεία, in l.3. C. de hæretic. ſolennis præcatio, ſupplicatio: Prohibentur enim hæreti ci cõuentus & litanias facere. unde λιτανεύω, εὔχομαι, ſupplico, precationem adhibeo. Translatũ tamen eſt hoc uerbum ab eccleſiaſticis ſcriptoribus ad eas preces quæ publicè in templis Deo im mortali offeruntur.

LITERAS neſcire aliud eſt, aliud uerò literarum im peritum eſſe. ille nullo ingenio eſt, hic literis non inſtitutus. Iuſtin.§.9. De excuſ.tut. Similiter eos qui literas neſciunt, eſſe excuſandos D. Pius reſcripſit: quamuis & imperiti literarum poſſint ad adminiſtrationem negociorum ſufficere. Modeſtinus l.6. in fin. D. de excuſat.tut. Eius qui ſe neget literas ſcire, excuſatio accipi non debet: ſi modò non ſit expers negociorum.

LITERAS neſcire, pro legere ac ſcribere neſcire. Paulus l.3.§.2.D.de accuſat. Item ſubſcribere debebit is, qui dat libellos, ſe profeſſum eſſe: uel alius pro eo, ſi literas neſciat.

LITVS eſt quà fluctus eludit: ait Aquilius apud Cice.in Top.& Quint.lib.v.cap.ult.

LITVS maris eſt, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit: ait Imp.§.2. De rerum diuiſ.

LITVS eſt, inquit Celſus, quouſque maximas fluctus à mari peruenit. idq́; Marcum Tullium aiũt, quum arbiter eſſet primum conſtituiſſe.l.96. D. de uerbo.ſignifi.

LOCATIO & conductio eſt contractus bonæ fidei, de re aliqua certa mercede uel facienda, uel ad tempus utenda, inter quos iure ciuili licet, factus. Emptioni autem & uenditioni ijs in rebus eſt ſimilis. nam ut uenditor & emptor rei commercium habere debet, ſic locator & conductor: ut res certa certumq́; precium, ſic res opusve certum, item certa merces hic exquiritur: quemadmodum conſenſum utriuſque in emẽ do, ſic in conducendo certam utriuſque uoluntatem interuenire oportet: ut illic, ſimiliter etiã hic ex bona fide omnia exiguntur. denique tanta inter utrunque contractum ſimilitudo eſt, ut interdum internoſci alter ab altero non poſſit. l.2.D.locati.

LOCATIONIS & conductionis uerba bifariam uſurpantur: in rebus utendis, & operibus faciundis. Locare nanque eſt utendum uel faciundum aliquid dare: Conducere, rem utendam, opusve faciendum mercede accipere: Sic Inquilinus qui domum utendam accepit, conductor dicitur: dominus qui dedit, Locator. Sed in opere faciundo communis utriuſque huius uerbi uis & ſignificatio eſt: nam quatenus ſuam operam uendunt, Locatores dicuntur: unde Locare operas uulgò dicimus, quatenus opus faciundum ſuſcipiunt, Conductores. l.22.§.1.&.§.cũ inſulã. l. 36. l.51. D.locat. l.37. D. de aur.& arg.l.2.C. locat. l.27. in fin. D. ad leg. Aquil. Hinc Vlpianus in l.1.D. de æſtimat. ſcribit, dubitatum fuiſſe, cùm res æſtimata uendenda datur, utrum ex locato eſſet actio, quaſi rem uendendam locaſſe uideat: an ex conducto, quaſi operas conduxiſſem. Hinc Paulus in l.2. D. ad legem Rhodiam, ita Locati & Conducti actionum appellationes permiſcet, ut nullam ſtatuere inter eas differentiam uideatur.

LOCVPLES eſt, ait Caius, qui ſatis idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam eſſe petit. l. 234. D. de uerborum ſignificatione. l. ultima. §. ultimo. D. ſi cert.petat.l.3. D. de manumiſſ.

LOCVPLES fideiuſſor in iudicio ſiſtendi cauſſa uidetur dari non tantum ex facultatibus, ſed etiam

ex conueniendi facilitate.l.2.D.Qui ſatiſd.cog.

Locupletem lex Papia definijt, qui centum millia ſeſtertium poſsideret.§.2.De ſucc.libert.

Locus eſt non fundus, ait Vlpianus, ſed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid fundi eſt. & plerunque ſine uilla locum accipimus. ceterùm adeò opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, ut & modicus locus poſsit fundus dici, ſi fundi animo eum habuimus. Non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio: & quelibet portio fundi poterit fundus dici, ſi iam hoc conſtituerimus. nec non & fundus locus conſtitui poteſt. nam ſi eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi adijcietur. Loci appellationem nō ſolū ad ruſtica, uerùm ad urbana quoq; prædia pertinere, Labeo ſcribit. Sed fundus quidē ſuos habet fines: locus uerò latere poteſt, quatenus determinetur & definiatur. l. 60. D.de uerb. ſignifi.

Locus eſt, ait Varro, ubi quid collatum eſſe poteſt, ubi quicquam conſiſtit. ab eo præco dicitur locare, quoadusque id emitur, quoad in aliquo cōſiſtit precium. loquitur de redemptionibus.

Locus, uide Fundi appellatione.

Logarium λογάριον, deminutum uerbum ex λόγος, quod rationē ſignificat. quare rationes eas ſignificari puto, quas Scęuola ī l.ult.D.de pecul.le. breuiarias appellat. Vlpianus l. 3. §. 6. De penu leg. Sed & chartas, inquit, ad ratiunculam, uel ad logarium paratas contineri.

Logographi, qui rationes publicas ſubducunt atque conficiunt, Rationarij. Arcad.l.ult.§.1. D. de mun. & hon. Hi quoque qui cuſtodes ædium, uel archiotæ, uel logographi, uel tabularij.

Longum tempus eſt decennij inter præſentes, uicennij inter abſentes: ait Paulus lib. Sent. v. ca. 11. & v. Atque ita in omnibus propè iuris articulis longum tempus accipiendum eſt.

Longissimum autem tempus eſt xxx. uel xl. annorum. C. de longi temp. præſcript.

Loricatio, incruſtatio parietis. Varro lib. De re ruſt. 1. cap. 57. Parietes & ſolum opere tectorio marmoreo loricandi, ſi minus ex argilla, &c. id eſt, tegēdi, incruſtādi. Paulus l.79. De uer.ſig. Aquæ ſalictes, incruſtationes, loricationes, picturę.

Lubricum ætatis, id eſt leuitas, mobilitas, inconſiderata ratio, temeritas. Vlpian.l.11.§.4.D.de minoribus. Neque enim ætatis lubrico captus eſt adeundo locupletem hæreditatem.

Lucrativa cauſſa, uide cauſſa Lucratiua.

Lucrativa poſſeſſio dicitur ī l.2.D.ſi quis omiſſ. cauſſ. quam ex lucratiua cauſſa quis adeptus eſt.

Lucrosum, fructuoſum, quæſtuoſum, utile. Caius in l. obligari, 9.§.2.D. de auct. tut. Hæreditatem adire pupillus ſine tutoris auctoritate nō poteſt, quamuis lucroſa ſit. Idem l.ſi quis, 17. D. Si quis omiſſa. Liberum cuique eſſe debet etiam lucroſam hæreditatem omittere.

Lucrum à luendo, ſi amplius emptor quàm quanti res eſſet exoluerit. Varro.

Ludovicus Romanus Iuriſconſultus, nomen habuit Pontani: ſed quia Senis ius ciuile profeſſus, Romam commigrarat, cognomen ex eo deportauit. Baſileæ mortuus eſt cùm eò publicè ad Comitia eccleſiaſtica ueniſſet, Anno MCCCC.XXXIX. Aeneas Syluius eum tanta memoria fuiſſe tradit, ut nulli ueterum ceſſiſſe putetur: quippe qui memor eſſet omnium quæ ipſe unquam aut legiſſet, aut audiſſet: nec oblitus eſſet, eorum aliquid, quæ unquam uidiſſet.

Ludus, pœnæ genus mediocre numeratur à Paulo lib. Sent. v. cap. XVII. Duplex autem fuit: Venatorius. & Gladiatorius. Venatorius erat, cùm ludicra beſtiarum uenatio exhiberetur: qua pœna iuniores affici ſolere, ſcribit Vlpinianus in l. aut damnum, 8. §.9. & 10. D. de pœn. Gladiatorius autem fuit, cùm ſerui inter ſe populo inſpectante pugnarent: quæ pœna à Conſtantino ſublata eſt l.1.C.de gladiat. Tertullian.lib.de ſpectac. Etiā qui damnantur in ludum, quale eſt, ut leuiore delicti in homicidas emendatione proficiant.

Ludi Circēſes (de quibus mentio fit in l. 12.§.equitij, D.de uſu & habit. l.1.D.de mun.& hon.l.122. D.de legat.primo) iidem erant, qui & Magni dicebantur: quòd (ut ſcribit Pedianus) magnis impenſis dati ſunt. Inſtituti autem ſunt à Tarquinio Priſco, & propterea Circenſes dicti ſunt, quòd primi in circo qui Maximus dictus eſt, dati ſunt. ſolennes deinde annui manſerunt: & Ioui, Iunoni ac Mineruæ ab Aedilibus curabantur. uti patet ex lib.1.Liuii, & Verrina VII.

Luere, ſoluta pecunia liberare. l.np.§.6. De legat. Sed etſi rem obligatam creditori aliquis legauerit, neceſſe habet hæres eam luere. Si tamen defunctus uoluerit legatarium luere, & hoc expreſſerit, non debet hæres eam luere. Sic l. 6. C.de fideicom. l. 25. D. de pign. act. l. 7. §. inter. D. comm.diuid.l.52.§.1. D.de act. empt. Seruius in lib. Aenei. x. Lui pœna, ſed melius Lui peccatum dicitur. nam peccatum ſoluitur pœna: qui enim crimine tenetur obnoxius, pœna cum liberat à priſtina obligatione. Contrà, Luo pœnam ſi dixeris, non procedit quare pęna ſoluatur: tamen auctoritas iſta licenter confunditur more, quo ſolet poni, uel à ſequenti quod præcedit, uel à præcedenti quod ſequitur.

Lumen id eſt, ut cœlum uideretur: & intereſt inter lumen & proſpectum. nam proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. l.16. D. de ſeruit. præd. urb.

Lumen unicum μονοφεγγές, pro exiguo cubiculo quod unica feneſtra tenuiter illuſtratur, quale tenues, & inopes homines habere conſueuerunt. Vlpian. l. 6. §. 5. D. de off. præſ. Ne tenuis uitæ homines ſub prætextu aduentus officiorum uel

militum, lumine unico uel breui ſuppellectili ad aliorum uſus translatis, iniurijs uexentur, Præſes prouinciæ prouidebit. Haud ſcio tamen an HOMINE VNICO uerius legeretur.

LVMINVM ſeruitute conſtituta, id acquiſitum uidetur, ut uicinus lumina noſtra excipiat. Cum autem ſeruitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maximè adepti uidemur, ne ius ſit uicino inuitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina noſtrorum ædificiorum. l. 4. D. de ſer. urb.

LVSORIVM edictum, inane, ludibrio habitum, omnium irriſione deluſum. l. 75. D. de iudic. Alioquin luſoria erunt huiuſmodi edicta & decreta Prætorum. Sic l. ult. D. ne quid i loc. pub. & l. 50. §. 1. De lega. 1.

LVSTRAMENTVM, intemperans & effrenata rei Venereæ cupiditas. Luſtrari enim ſcortari ſignificat, & in luſtris meretricum ac lupanaribus uerſari. Marcian. l. 3. §. 1. D. ad leg. Cornel. de ſicar. Si pigmentarij cui temerè cicutam, &c. & id quod luſtramenti cauſſa, dederint cantharidas. nam Cātharidum hæc uis eſt, ut ſumptæ ad rem Venereā incendant. uide Cantharides.

LVSTRVM, nominatum tempus quinquennale, a luendo, id eſt ſoluendo: quòd quinto quoque anno uectigalia per Cenſores locata perſoluebantur. hæc Varro. Feſtus tradit in tot annos prędia olim locari ſolita. quod Vlp. l. 4. D. de reb. cred. ſignificat. Nam etſi colonus, inquit, poſt luſtrum completum fructus perceperit, condici eos conſtat. Labeo l. qui quatuor. 30. D. de legat. tertio, Qui hortos publicos a Repub. conductos habebant, eorum hortorum fructus uſq; ad luſtrum quo conducti eſſent, Aufidio legauerat. Celſus l. 67. §. ult. D. de furt. Si colonùs poſt luſtrum conductionis anno amplius fructus inuito domino perceperit.

LVXVRIA propriè profuſio ſumptuum, Imp. §. 9. Quod cum eo, &c. Quia ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, uitæ parentum inſidiabantur. Hinc Luxurioſus apud Iulianum idem qui & Nepos dicitur, in l. 8. D. pro empt. Quomodo enim mala fide emiſſe uidetur, qui à domino emit? niſi fortè & is qui a luxurioſo & protinus ſcorto daturo pecuniam, ſeruos emit, non uſucapiet.

LVXVRIA, pro petulantia, incontinentia, effuſa quadam & intemperanti inſolentia. Vlpian. l. 1. in fi. D. de ædil. edict. Ceterum ſi nihilominus permaneret in eo uitio, ut circa fana bacchari ſoleret, & quaſi demens reſponſa daret, etiamſi per luxuriam id factum eſt, uitium tamen eſſe, ſed uitium animi, non corpóris. Marcian. l. pen. D. de incend. nauf. Si fortuitò incendium factum ſit, ueniā indiget: niſi tam lata culpa fuit, ut luxuria aut dolo ſit proxima. Vbi tamen VT pro AVT legendum uidetur.

LYTAE dicebantur, qui triennium in legum ſtudio uerſati, quartum etiam adiungebant. Imper. ad Anteceſſores, §. 5. Sed quia ſolitū eſt anni quarti ſtudioſos Græco & conſueto quodam uocabulo λύται appellari: habeant quidem, ſi maluerint, hoc cognomen, &c. Λύται autem dicti uidentur, ut λύται, id eſt ſolubiles: quaſi iamiam a certa illa & præſcripta ſtudiorum ratione ſoluendi, & legendi libertate, ac licentia donandi: quaſiq; miſſionem a magiſtrorum ſuorum caſtris, id eſt ſcholis impetraturi. nam cum ad finem libri Pandectarum trigeſimiſexti peruentum eſſet, qui poſtremus anni quarti liber erat, ſtatuit Imperator ut reliquos quatuordecim libros ſtudioſè per ſe domi legerent, neq; ex præceptoribus interpretantibus eos audirent. Ex libris autem quinquaginta, inquit, noſtrorum Digeſtorum ſex & triginta tantummodo ſufficere tam ad ueſtram expoſitionē (Anteceſſores, id eſt Doctores alloquitur) quàm ad iuuentutis eruditionem iudicamus. & §. 5. Vt ex triginta ſex librorum recitatione fiant iuuenes perfecti, & ad omne opus legitimum inſtructi. Duabus alijs partibus, id eſt, ſexta & ſeptima noſtrorum Digeſtorū quæ in quatuordecim libros compoſitæ ſunt, eiſdem poſitis, ut poſſint poſtea eos & legere, & in iudicijs oſtendere.

DE LITERA M.

M. P. NOTAE ſunt apud Paulum Diaconum, pro manu, mācipio, poteſtate. Vlp. cap. Inſt. 24. Ei cuius in poteſtate, manu, mancipiove eſt hæres ſcriptus, legari non poteſt. Idem autem cap. 9. & 10. oſtenderat in manu eſſe uxores matresfa. in poteſtate liberos filiosfa. in mancipio ſeruos. Ergo apud Paulum Diaconum Malo mācipio poteſtate corruptè legitur.

MACERIAM M. Varro docet in fundo eſſe faciſe fabrilę ſepimētū, cuius ſpēs ſunt quatuor: quod fit è lapide, quod è lateribus coctilibus, quod è lateribus crudis, quod ex terra & lapillis compoſitis informe. libro De re ruſt. cap. 14. Hinc Maceriam ducere apud Caium l. 17. D. com. præd. Si precariò uicinus in tuo maceriam duxerit, &c. id eſt, impoſuerit, ut paulo poſt loquitur. Vir. Aen. lib. Pars ducere muros, moliriq; arcem.

MACHINARIVS, faber qui tractoria machina onera in altitudinem ſublata collocat. Paulus l. 31. ad leg. Aquil. Si putator ex arbore ramum cum deijceret, uel machinarius hominem prætereuntem occidit. Alfenus autem Aſinum machinarium in l. 60. §. 3. D. de leg. & fid. lib. 32. generaliter eum appellat, quo ad omnis generis machinas uti poſſumus, ſiue tractorias ſiue uectorias: ut plauſtrorum, & ſarracorum. Item ut Vlpian. l. 12. §. 7. De inſt. & inſtr. Et molas, & machinas, fœnum ſtipulas, aſinum machinarium, machinam frumentariam,

riam, uas æneum, &c.

MACHINARIVS menſor, qui norma in metiendo utitur, ut ii qui probant opera à fabris materiariis facta. Vlpia. l. 7. D. Si menſor falſ. mod. Et ſi menſor machinarius fefellerit, hæc actio dabitur. nam μηχανῆς uerbo hanc normam nominauit, ut artificioſam à decempedali diſtingueret. Illius formam cognoſcere ex Vitruuii li. 9. cap. 2.

MACHINATIO, dolus, techna. Vlp. l. 39. D. uerb. oblig. Si quis, quum aliter eum conueniſſet obligari, aliter per machinationem obligatus, &c. Nam paulo pòſt infert, Quia enim per dolum obligatus eſt, &c.

MAENIANA, uide Meniana.

MAGIS, μαγὶς. Iul. Pollux lib. 10. capite de menſæ inſtrumentis, quæ tripodibus imponuntur, ea τραπέζας & μαγίδας appellari ſcribit. & hoc nomen propriè accommodatum ad mactras, id eſt uaſa in quibus farina pinſitur, & ad ſacras epulas, itemque ad ea quæ ad ſacrificia deferuntur. Paulus l. 36. D. de condict. indeb. Seruus cuiuſdam inſciente domino magidem commendauit, &c.

MAGIS, aduerbium interdum ſubuaditur. Vlp. l. 7. D. depoſ. Quum poſſet non ſuſcipere talem cauſſam, quàm decipere. Idem in l. 2. §. 6. D. de iudic. Alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos qui ſatis pro eo dent. Paulus in l. 2. §. 1. D. de reb. cred. Quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quàm ſpecie.

MAGISTER populi, Dictator. Hinc Magiſtratus à Magiſtro dictus, ut ab albo albatus. Magiſter autem populi Dictator appellatus, quòd ſumma eius poteſtas in populum: unde reliqui quidem minores quàm hi magiſtri dicti magiſtratus. Varro. Sic Paulus, Magiſtratus: inquit, per deriuationem à magiſtris cognominantur. l. 57. D. de uerb. ſig.

MAGISTER cenſus is dicebatur in Imperatorum conſtitutionibus, qui cenſorum ueterum officio fungebatur: & facultates ciuis cuiuſque æſtimatas in cenſum referebat: hi Cenſitores etiam appellabantur. C. de cenſib. lib. Cod. x1. & l. forma, D. eod. & l. cenſualis, C. de donat.

MAGISTER in auctionibus dicebatur unus aliquis è creditoribus, qui debitoris bonis auctione diuendendis ita præeſſet, ut ei qui plurimo liceretur, rem addiceret. Cicero epiſt. ad. Att. 1. Vnà, inquit, agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus & P. Scipio, & is quem putabant magiſtrum fore, ſi bona uẽnirent, L. Pontius. Hunc Magiſtrum uideo in libris noſtris Curatorem bonorum appellari. ut in l. cuius, 9. D. de cur. fur. ubi Neratius ita ſcribit: Cuius bonis diſtrahendis curatores facere Senatus permiſit, eius bona creditoribus uendere non permiſit: quamuis creditores poſt id beneficium bona uendere mallent. Et in l. ult. D. de cur. bon. Si debitor foro ceſſerit: & creditores elegerint unum per quem bona diſtrahantur, mox extiterit alius qui ſe creditorem dicat, bona debitoris unà cum curatore uendere poterit. Cicero in Quintiana: Cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuncient, &c. Magiſtrum enim actionis ſignificat, qui cum bona proſcripta eſſent, rerum omnium uendendarum curationem ſuſciperet.

MAGISTER nauis accipitur, cui totius nauis cura mandata eſt. l. 1. D. de exercit. act. Item §. 3. Magiſtrum accipimus, non ſolum quem exercitor præpoſuit, ſed & eum quem magiſter.

MAGISTER uniuerſitatis ab Vlpiano dicitur in l. 9. D. rat. rem hab. pro eo quem magiſtrum ſocietatis in l. 14. D. de pact. idem appellat.

MAGISTER officiorum, honoris genus fuit Iuſtiniani tempore, ad eumq; pertinebat procuratio, ſcholæ fabricenſium & agentium in rebus, diſciplina palatii, & curſus uehicularis.

MAGISTER ſocietatis, unus aliquis è ſociis dicebatur, qui Romæ ſocietati alicui, id eſt, aut ſcripturæ, aut portorii, aut uectigalium, ita præerat, ut & Decumanos quaſi ſenatum cogendi, & ad eos de ſocietatis negociis referendi poteſtatem haberet: curamque omnem gereret tabulatum, & rationum quæ undique ab iis qui operas dabãt, Romam mitterentur. Hic Promagiſtrum in prouincia habebat, ſui quaſi muneris uicarium, & ſocietati præfectum, qui etiam Magiſter interdum appellatur. Vlpianus l. 14. D. de pact. Item magiſtri ſocietatum pactum & prodeſſe & obeſſe conſtat.

MAGISTRI: Paulus l. 57. D. de uerb. ſig. Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm ceteri diligentiam & ſolicitudinem rebus quibus præſunt debent, hi Magiſtri appellantur. quin etiam ipſi Magiſtratus per deriuationem à magiſtris cognominantur. unde etiam cuiuslibet diſciplinæ præceptores magiſtros appellari à monendo, uel monſtrando.

MAGISTRATVS, inquit Varro, à magiſtro dicitur: ſicut Albatus, ab albo. Eſt enim Magiſter populi, dictator: cui ſummum & uniuerſum imperium commiſſum eſt: cuius ceteri omnes magiſtratus partem obtinent. Dicebatur autem olim quidẽ Magiſtratus, is qui iudicium auſpiciumque haberet: quemadmodum Cicero in Legibus ſcribit, Magiſtratus omnes iudicium auſpiciumque habento. Poſtea uerò dicti ſunt Magiſtratus, quibus Reſpub. uel omnino, uel ex parte à Populo uel Principe commiſſa eſſet. Omnino, ut Dictatores: item primis temporibus Conſules, qui regio imperio erant: aut cum s. c. extremæ neceſſitatis factum eſſet. Ex parte uerò, ut Conſules, poſteaquã alii magiſtratus creati ſunt, qui pa[illegible]tem iis ſuæ poteſtatis

teſtatis ademerunt:item Prætores:aliique inferiores omnes.

Magistratvvm multiplex diuiſio eſt. Alii erant maiores,alii minores. Maiores dicebantur,qui imperium poteſtatemque habebant:quod ſic interpretor,qui nec obedientes & noxios ciues multa & uinculis coercendi poteſtatem habebant. ut Cic.lib.de Legib.III. declarat. & intelligitur ex l.2.D.de in ius uocand.l.32.D.de iniur.l.131.D.de uerb.ſignif.quales ſunt in urbe Conſul, & Prætor,& Præfectus urbi:in Prouinciis Proconſules, aut Proprætores,item Præſides Minores dicebantur, quibus neque imperium neque poteſtas data erat, ſed minor aliqua Reip.procuratio.itaque apertè deſcribuntur in d.l.32.D.de iniur. qua de cauſſa de ſe Cicero Aedile(qui minor magiſtratus eſt)Verrina II.loquens:Erit,inquit, tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio ac poteſtate: ego autem Aedilis, hoc eſt,paulo amplius quàm priuatus.Itaque in ius Aediles uocari potuiſſe, cõſtat ex Gell.lib.13.cap.13.& l.cumque,13. D.de peric.& commod. In his numerantur à Cicerone Tribuni ærarii, Quæſtores, Triumuiri capitales, item procurator Cæſaris,ex l.non licet,46.D. de cont.empt. Rurſus:

Magistratvs alii Vrbani ſunt, alii Prouinciales,alii Municipales. Prouinciales propriè poteſtates dicuntur.l.eum qui,13.D.de iuriſd. ubi pro praetor legendum putarem uel praeses uel Proprætor. Itaque ſæpe Imperium à poteſtate diſtinguitur.ut l.3.D.de arbit.l.1.D.quod quiſq.iur.l.8.D.de accuſat. Municipales autem ſunt ueluti Duumuiri,magiſtratuumque nomine ſæpe municipales intelliguntur:ut in Rubric. De magiſtrat.conueniend.& l.17.l.31. D.de negot. geſt.l.11.& l.13.D.ad municip. Item:

Magistratvvm alii ordinarii ſunt, alii extraordinarii.Ordinarii dicuntur, qui ordine legibus inſtituto ſolenni more creantur,& perpetuò uſurpantur:ut Conſul,Prætor, Aedilis,Quæſtor: Extraordinarii uerò,qui,cum uſus Reip. poſtulat, præter uſitatum ordinem conſtituuntur: quales erant Dictatores,item Præfecti annonæ,& Præfecti uigilum:ut ait Pomp.l.2.D.de orig.iur. Item qui in Prouincias Proconſulari aut Proprætorio imperio aut antequam Conſules Pretoreſue fuiſſent,aut non ſtatim poſtquam urbanum illum magiſtratum in urbe geſſiſſent, mittebantur. Quod enim nonnulli tradunt,Prouinciarum adminiſtrationes omnes extraordinarias fuiſſe, falſum eſt: eaque de re copioſè in Commentariis Manilianæ Orationis diſputauimus: quo ex fonte alii poſtea,ſine ulla uerecundia ſuos hortulos irrigarunt.

Magistratvs populi Rom. poſt prouinciarum diuiſionem ab Auguſto factam,dicti ſunt, qui tũ in urbe,tum in populi prouinciis,quò proconſules mittebantur,ius dicebant.ob eamque cauſſam à Præſidibus prouinciarum diſtinguuntur in Pandectis.nam hoc nomen ad prouinciarum Cæſaris rectores conſtringitur. Vlp.l.4.§.1.D. de inter. in iur. Quod ait Prætor in ivre, ſic accipiendum eſt,apud magiſtratus populi R.uel præſides prouinciarum uel alios iudices. Niſi fortè populum R.qui in urbe Roma eſt ſignificet.

Magistratvs qui maiores, item qui minores dicerentur,Gellius ex his M. Meſſalæ uerbis docuit,lib.13.ca.14. Patriciorum auſpicia in duas ſunt poteſtates diuiſa. Maxima ſunt Conſulum, Prætorum,Cenſorum. Neque tamen eorum omnium inter ſe eadem,aut eiuſdem poteſtatis: ideo quòd collegæ non ſunt Cenſores Conſulum, aut Prætorum: Prætores Conſulum ſunt. Ideo neq; Conſules aut Pretores Cenſoribus, neque Cenſores Conſulibus aut Prætoribus turbant, aut retinent auſpicia. At Cenſores inter ſe,rurſus Prætores Conſulesque inter ſe & uitiant & obtinent. Prætor etſi collega Conſulis eſt, neque Prætorẽ neque Conſulem iure rogare poteſt: ut quidem nos à ſuperioribus accepimus,aut ante hæc tempora ſeruatum eſt. Et ut in commentario XIII. C.Tuditani patet,quia imperium minus Prætor, maius habet Conſul:& à minore imperio maius, aut à maiore collega rogare iure non poteſt. Nos his temporibus Prætores Prætore creante ueterum auctoritatem ſumus ſecuti: neque bis comitiis in auſpicio fuimus. Cenſores æquè non eodẽ rogantur auſpicio atque Conſules & Prætores. Reliquorum magiſtratuũ minora ſunt auſpicia. Ideo illi minores:hi maiores magiſtratus appellantur. Minorib. creandis magiſtratibus, Tributis comitiis magiſtratus, ſed iuſtius curiata datur lege: Maiores Centuriatis comitiis fiunt.

Magistratvs apud quem legis actio eſt, uide Legis actio.

Maiestas, eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis: ait Cic.lib.de Orat.II.Item in Partit.

Maiestas, eſt in imperii atque in omni populi Ro.dignitate,quam minuitis,qui per uim multitudinis rem ad ſeditionem uocauit.

Maiestatem minuere,eſt de dignitate, aut amplitudine,aut poteſtate populi, aut eorum quib. populus poteſtatem dedit, aliquid derogare: inquit idem lib.de Inuen. I. Maieſtatis crimen illud eſt,quod aduerſus populum R.eiuſve ſecuritatem committitur.l.1.D.ad legem Iul. maieſt. Quid autem à Perduellionatu differat,uide infrà ſub uoce perdvellis.

Maior patruus,aui & auiæ patruus.

Maior amita,aui & auiæ amita.

Maior auunculus, aui & auiæ auunculus. Hæc Feſtus:cui conſentit l.ul.D. de gradib.

Maior ſocer,uxoris meæ proauus.

Maior ſocrus,uxoris meæ proauia.Feſt.

Maiores generaliter appellantur omnes, ex quibus orti ſumus:propriè autem ii, qui ſunt ſupra Tritauum,

Tritauum,neque aliud uomen habent. l. 4. D. de in ius uoc. & l. ult. §. parentes, D. de gradib. Cic. in 1. de Off. propriè eſt uſus: Quorum parentes aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere.

Maiore parte anni poſſediſſe quis intelligitur, etiam ſi duob. menſibus poſſederit: ſi modò aduerſarius eius paucioribus aut nullis poſſederit. l. maiore, 156. D. de uer. ſig.

Mala manſio genus uidetur fuiſſe tormenti. Vlpian. l. 7. D. depoſ. Si hominem apud ſe depoſitũ, ut quæſtio de eo haberetur, ac propterea uinctũ, uel ad malam manſionem extenſum ſequeſter ſoluerit. Idem in l. 15. §. 3. D. de iniur. Quæſtionis uerbo etiam ea, quam malam manſionem dicuut, continebitur.

Malabathrum, uel (ut eſt apud Horatium) Malobathrum, unguentum Syrium, in l. ult. §. ſpecies, D. de public. Vide Pliu. lib. XII. cap. XXVI.

Malefici, ob magnitudinem facinorum dicti ſunt, qui magicis artibus utebantur. l. 5. & 7. C. de malefic.

Maleficium à Crimine quid differat: uide, Crimen à Delicto.

Malitatis legitur apud Vlp. in l. 5. D. quod met. cauſ. eodem modo ut Bonitatis dicimus. In uulgatis tamen, Mali. Scriptum fortaſſe fuit Calamitatis, Legimus tamen Sceleritatis in l. 3. D. de bon. eorum qui ant ſent.

Malleatus, malleis contuſus. Vlpianus l. 52. §. 5. D. de leg. & fid. lib. 32. Sed perſcripti libri nondum malleati uel ornati continebuntur.

Manceps dicitur qui mauu capit: qui quid à populo emit, conducitve, quia manu ſublata ſignificat ſe auctorem emptionis eſſe. qui idem præs dicitur, quia tam debet præſtare populo quod promiſit, quàm qui pro eo præs factus eſt. Feſtus.

Mancipes ſunt publicanorum principes, Romani homines: qui quæſtus ſui cauſſa ſi decumas redimunt, Decumani appellantur: ſi portum, aut paſcua publica, Portitores, aut Pecuarii; quorum ratio Scriptura dicitur. Aſconius.

Mancipes, publicani, qui à Cenſoribus quinto quoque anno publica, id eſt populi uectigalia redimebant: ii ſi uectigales agros, ut Decumani, redimebant, eos poſtea colonis & aratoribus elocabant. Papinianus l. 53. D. locati, Qui fideiuſſor extitit apud mancipem pro colono publicorum prædiorum quæ manceps ei colono locauit, Reipub. nou tenetur. Cicero Verrina v. publicanorum principes ſimiliter Mancipes appellat.

Mancipi res ſunt prædia in Italico ſolo, tam ruſtica qualis eſt fundus: quàm urbana, qualis domus. item iura prædiorum ruſticorum: uelut uia, iter, actus, & aquæ ductus. item ſerui & quadrupedes quæ dorſo, collove domantur, uelut boues, muli, equi, aſini: ceteræ res nec mancipi ſunt. Elephanti & cameli, quamuis collo dorſove domentur, nec mancipi ſunt, quoniam beſtiarum numero ſunt. Vlpianus cap. Inſt. 19.

Mancipia dicta ſunt quòd ab hoſtibus manu capiantur. l. 4. D. de ſtatu hom.

Mancipia ueteres appellabant, quæ poſteriores mobilia: prædia uerò, quæ iidem immobilia. Modeſtinus l. 3. D. de diuerſ. temp. præſcript. Longæ poſſeſsionis præſcriptionem tam in prædiis, quã in mancipiis locum habere, manifeſtum eſt. Cic. lib. de Offi. III. Nec uerò in prædiis ſolum ius ciuile ductum à natura, malitiam fraudemque uindicat: ſed & iu mancipiorum uenditioue, uenditorum fraus omnis excluditur. Idem in oratione in Rullum ad populum, Qui agri, quæ loca, ædificia. Quid eſt præterea? multa in mancipiis, in pecore, auro, ebore, ueſte, ſupellectili, ceteris rebus.

Mancipatio propria ſpecies alienationis eſt, & rerum mancipi: eaque fit certis uerbis, libripende, & quinque teſtibus præſentibus. Hæc Vlp. cap. Inſt. XIX. Caius autem (ut Boetius auctor eſt) ita ſcribit: Mancipatio eſt imaginaria quædã uenditio, quod ipſum ius Romanorum eſt ciuiũ: eaque res ita agitur. Adhibitis nou minus quinque teſtibus, ciuibus Ro. puberibus, & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio. iſque mihi emptus eſt hoc ære, æneaque libra. deinde ære percutit libram. idque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi precii loco.

Mancipio uendere, eſt eas res quæ mancipi ſunt, ita uendere libra & ære adhibitis, ut euictionis periculum præſtetur. uerùm hoc amplius animaduerti moris fuiſſe, ut Auctor: id eſt uenditor nexu ſe dicis cauſſa obligaret, ad rem mancipi, hoc eſt emptori perpetuò præſtandam. Cic. pro Muræna, Quòd ſi in iis reb. repetendis quæ mancipi ſunt, is periculum iudicii præſtare debet, qui ſe nexu obligauit: profectò etiam, rectius, &c. Hinc Mancipio & nexu coniungi uidemus. Varro lib. De ling. 6. Manilius ſcribit omne quod per librã & æs geritur, in quo ſint mancipi, nexum eſſe. Mutius Scæuola, quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc uerius eſſe ipſum uerbum oſtendit, de quo quæritur. nam idem quod obligatur per libram, ueq; ſuum ſit, inde Nexum dictum. Hæc ille: quæ ſic intelligo, ut ex Mutii ſeutentia ea Nexa dicantur, non tantùm quæ abalienata ſunt, ſed etiam quæ oppignerata. Cicero 7. Famil. Attici proprium te eſſe ſcribis, mancipio & nexu: meum autem, uſu & fructu. Et de Rep. haruſ. Multæ ſunt domus iure mancipii, & iure uexi. In Topi. Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt. aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſsio. quo ex loco coniuncto cum altero

tero libri III. de Legib. animaduerti eum qui mancipabat, nexu obligatum rem mancipi tradidiſſe. Idem in Paradox. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos, ut mancipia quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: id eſt, in iure ceſſione & uſucapione. Verùm hæc hactenus. Deinceps eum qui mancipio uendebat, euictionis periculum in ſe recepiſſe, ex Plauto demonſtrabimus. Is igitur in Perſa ſic loquitur.

Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio, neque promittet, neque quiſquam dabit.

Et paulo pòſt,

Nihil mihi opus eſt litibus.
Niſi mancipio accipio, quid eo mihi opus
Mercimonio? TOX. nihil pericli uidetur, nè metuas
Ne quis uerò ex Arabia penitiſsima perſequatur eam.

Item. Dorpalus.

Age, indica propugnariter.
Segar. Prius dico, hanc mancupio nemo tibi dabit. iam ſcis?

Item,

Tuo periculo ſexaginta hæc datur argenti minis. Item,
Ille quidem iam ſcit quid negocij geſſerit.
Qui mihi furtiuam meo periculo uendidit,
Argentum accepit, abiit: qui nunc ego ſcio,
An iam aſſeratur hæc manu? quò illum ſequar?
In Perſas? nugas.

MANDATOR dicitur, qui alicui auctor eſt ut ſuam pecuniam alteri credat: qui & fideiuſſor dicitur. tametſi hoc plerunque differant, quòd illud ferè in eo ponitur, qui ſuaſu ſuo nihil tale cogitantē induxit ut crederet: hoc uerò in eo qui ad creditionem acceſsit, & obligationem quaſi trabali elauo confirmauit. uti intelligitur ex tit. De fideiuſſ. & mand. lib. Pandect. 46.

MANDATOR cauſſæ dicitur, qui mandat alicui, & inſtruit eum ad accuſationem dando probationes, allegando accuſationes. l. ſecunda, §. diuus, & §. ſequen. l. 22. 23. 24. D. de iur. fiſc. l. prima, D. ad Turpill. Tranquill. in Tit. Inter aduerſa temporum delatores mandatoresque erant ex licentia ueteri.

MANDATVM eſt cōtractus bonæ fidei de eo quod fieri ſine mercede ulla conuenit, periculo mandatoris exequēdo: inter quos iure ciuili licet, factus. Mandare nanque eſt negocium dare. ſed cùm SINE MERCEDE addidimus, à locatione illum diſtinximus. Conueniſſe autem, hoc eſt, non modò datum, uerumetiam ab eo cui datur, receptum eſſe oportet. prius enim non naſcitur obligatio. l. 1. & paſſ. D. mandati. Differt autem à Conſilio, primùm quòd Mandatum pars quædam imperii eſt, aut potius uoluntatis, ut quid fiat. Conſilium ab imperio penitus alienum eſt, nec ullam uoluntatis ipſius ſignificationem habet: itaque rem conſultoris arbitrio permittit: nec utrum fiat, nec ne, laborat. eoque non eſt obligatorium. l. 2. in fi. D. eod. & l. conſilii, De reg. iur. Imperium autem illud iccirco ſocietas humani generis comprobauit, quoniam ad mandatorem periculum omne pertinet: nulla ex parte ad mandatarium.

MANDRAGORA, herba ſoporifera & uenenata, ut ſcribit Plin. lib. 25. cap. 13. Itaque inter uenena cōnumeratur à Marciano in l. tertia, §. primo, D. ad leg. Cornel. de ſicar.

MANIFESTARIVM pignus, pro manifeſtò & diſertè obligatum. Paulus l. nona, D. in quib. cau. pig. Eſt differentia obligatorum propter penſionem, & eorum quę ex conuentione manifeſtarii pignoris nomine tenentur.

MANIFESTVS fur: uide Fur manifeſtus.

MANSIONES, dicebantur ſtationes, in quas ſe milites expeditionis tempore quieſcendi cauſſa recipiebant: quæ annonis & pabulis ex uicinorum collatione inſtruebantur. l. ult. D. de mun. & hon. l. 8. C. de annon li. 10. Lamprid. in Alexand. Milites expeditionis tempore ſic diſpoſuiſti, ut in manſionibus annonas acciperent.

MANSIO mala, uide Mala manſio.

MANV BREVI, Vlpianus eleganter poſuit, pro Directò, & non per anfractum, ac circuitionem. Quoties, inquit, extraneus accepto fert debitori dotis conſtituendę cauſſa, ſiquidem nuptiæ inſecutæ non fuerint, liberatio non ſequetur: niſi fortè ſic accepto tulit, ut uelit mulieri in totum donatum. tunc enim credendum eſt, breui manu acceptum à muliere, & marito datū. l. 43. §. primo, De iur. dot. id eſt, Hoc ita accipiendum eſt, quaſi mulier non per acceptilationem & circuitionem illam, ſed directò per manum ipſius creditoris pecuniam accepiſſet, & marito dediſſet. Itaque qđ Iuriſconſulti Directò dare libertatem dicunt, ac non per fideicommiſſum: efferri hoc eodem modo ſic poſſet, Manu breui libertatem dare: cui contrarium eſt Manu longa, ut mox dicemus.

MANV LONGA Ianolenus figurata locutione poſuit, pro flexuoſe & oblique: non autem quàm minimo potuit negocio. Pecuniam, inquit, quā mihi debes, aut aliam rem ſi in conſpectu meo ponere te iubeam: efficitur ut & tu ſtatim libereris, & mea eſſe incipiat. nam tum, quòd à nullo corporaliter eius rei poſſeſsio detineretur, acquiſita mihi & quodammodo manu longa tradita exiſtimāda eſt. id eſt, quaſi menſa ubi ponere te iuſsi manus tuæ pars fuiſſet: & longa iſta manu porrecta mihi tradidiſſes. Nam breui manu dediſſes, ſi directò de manu in manum, nulla menſa aut alia re interpoſita tradidiſſes. Locus eſt in l. 79. D. de ſolutionib. Cicero Verrina quarta, Quum ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecuniæ dabantur non erat quærendum, cuius manu numerarentur,

ſed

ſed cuius iniuria cogerentur. comites illi tui delecti, manus erant tuæ: præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, haruſpices, præcones, manus erant tuæ: quo quiſque te maximè cognatione, affinitate, neceſsitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm ſi centum cohortes fugitiuorũ fuiſſent, tua manus ſine controuerſia fuit. quicquid ab horum quopiam captum eſt, id non modò tibi datum, ſed tua manu numeratum iudicari neceſſe eſt.

Manuprecium dicitur, inquit Aſconius, ubi nõ tam materiæ ratio, quàm manus atque artis ducitur. Alfenus l. 30. §. 3. D. locat. Qui ædem faciendam locauerat, in lege dixerat, Quoad in opus lapidis opus erit, pro lapide & manuprecio dominus redemptori in pedes ſingulos ſeptem dabit. Vlpian. l. 13. D. de uerb. ſign. Quoniam plerunque plus eſt in manus precio, quam in re.

Manus plerunque poteſtatem ſignificat: quippe, cum quæ in manu noſtra ſint, noſtra in poteſtate ſint. Hinc Pomponius in l. 2. D. de orig. iur. Omnia, inquit, manu à Regibus gubernabantur. Hinc.

In manu eſſe dicebantur uxores, &.

In manum conuenire, cùm per coemptionem matresfa. factæ eſſent quemadmodum Vlpianus ſcribit cap. Inſt. IX. & XXII. Hinc

Manumissionem Vlpianus in l. 4. D. de iuſt. & iur. ſic definit: de manu miſsionem, id eſt dationem libertatis: quia quãdiu quis in ſeruitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt manumiſſus liberatur poteſtate. Hinc Feſtus,

Manumitti, inquit, ſeruus dicebatur, quum dominus eius aut caput eiuſdem ſerui, aut aliud mẽbrum tenens dicebat, Hunc hominem liberum eſſe uolo: & eum emittebat manu.

Manumitti tamen etiam dicuntur filij, filiæque familias, pro emancipari: propterea quòd dicis cauſſa ter à patre uenduntur, & in imaginariam quandam ſeruitutis conditionem rediguntur: ut in uerbo Emancipatio, docuimus. Manumiſsionis uerbum in liberis legimus in l. 2. D. de offic. proconſ. l. 28. D. de adopt. l. utrũ, 107. D. de uerb. oblig. & in tit. Si à parent. quis manumiſſ. Hinc

Manumissor pater dicitur, is qui emancipauit. l. 16. §. primo, D. de inoffic. Nonnulli autem,

Manumissionem ex eo dictam putant, quod qui libertate donabantur, manu à dominis dicis cauſſa cædebantur: quæ ῥαπίσματα Iuſtinianus appellat in l. ult. C. de emãcipat. Cornutius in Perſium: Quoties, inquit, manumittebãt, eos alapa percuſſos circũagebãt, & liberos cõfirmabãt. Vnde Manumiſsio dicta eſt, eo ꝙ manus eis immitteretur.

Manus iniectio, ius prehendendi, abducendique. uerbum eſt ex XII. Tab. Aeris confeſsis, rebusque iure iudicatis, XXX. dies iuſti ſunto: pòſt deinde manus iniectio eſto. Vlpian. l. 10. §. 1. D. de in ius uoc. At ſi uenditor qui manus iniectionem excepit, ipſe proſtituit, & cet. id eſt qui ſibi referuauit ius prehendendi mancipii abducendique, ſi emptor proſtitueret. Paulus l. pen. D. de ſeruis export. Titius ſeruum uendidit ea lege, ut ſi Romæ moratus eſſet, manus iniicere liceret. Seruius in illud Aeneid. X. Iniecere manum Parcæ, Sermone, inquit, uſus eſt iuris, pro Traxerunt debitum ſibi, nam manus iniectio dicitur, quoties nulla iudicis auctoritate expectata, rem nobis debitam uindicamus.

Manus, pro cautione. Modeſtinus l. quidam, 15. D. de probat. An cum eo poſsint, propter emiſſam manum ab eis, quaſi filio, agere.

Manus militaris ab Vlpian. dicitur, uis quam Mãgiſtratus imperio ſtatores atque apparitores adhibent. l. 68. D. de rei uindic. l. pen. D. ne uis fiat ei qui in poſſ.

Margaritae, ſiue Margarita, diſtinguuntur à gemmis & lapillis, in l. cùm aurum, 19. in fi. D. de aur. & arg. ubi Vlpianus ait, conchas eſſe apud rubrum mare, quæ creſcunt & coaleſcunt. Crebra earum in libris noſtris mentio eſt. Itaque Solini de iis uerba ſubſcribemus: Conchæ ſunt, inquit, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, ſitiunt rorem uelut maritum, cuius deſiderio hiant: & cum lunares maximè liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, grauidæque fiunt: & de ſaginæ qualitate reddunt halitus unionum.

Mariti, pro coniuges. Papin. l. 52. in fi. D. de donat. inter uir. nam quo caſu inter exteros condictio naſcitur, inter maritos nihil agitur.

Marte ſuo litem decurrere, Tribonianus dicit, pro ad exitum ſine ullo impedimento perduci. Si neque per alterutram litigantium partem, nec per iudicem ſteterit, quo minus lis ſuo Marte decurrat, &c. in l. properandum, 2. §. Illud proculdubio, 5. C. de iudic.

Martinus Iuriſconſultus, Italus, æqualis eorum ætatis qui primi gloſſulas ad ius ciuile ſcripſerunt, circiter annum M. C. XC. uixit, iuriſque diſciplinam magna cum laude exercuit. Eius perſæpe Accurſius mentionem in gloſsis interpoſuit.

Martyrium, templum martyribus dicatum, apud Impp. l. generali, 13. C. de ſacroſ. eccl. & l. decernimus, 15. eod.

Mastigophori, lictores qui uirgas in ſacris certaminibus ferebant, quibus turbam ſummouerent. Arcadius l. ult. §. 1. D. de munerib. Maſtigophori quoque qui Agonothetas in certaminib. comitantur, & ſcribæ magiſtratus perſonali muneri ſeruiunt. Iulius Pollux μαστιγονόμους ferè, à Xenophonte quodam loco μαστιγοφόρους appellari tradit.

Materfamilias, uide Vxor.

Materfamilias olim quid a matrona differret, infrà ſub uoce Vxor explicauimus. nunc autẽ admoneri illud opus eſt, in Pandectis Matremfami. & Matronam pro eadem uſurpari, hoc eſt pro muliere lecta, pudica & honeſta, ſiue ea uidua eſſet, ſiue nupta. placet etiam ut illud Feſti ad idem tempus pertineat: Matronas appellabant eas ferè, quibus habendi ſtolas ius erat. Sed quod de Matrefamil. idem ſcribit, ad antiquorum conſuetudinem referendum eſſe, poſterius eodem loco docebimus. nunc promiſcuè uerbum utrũque uſurpari, demonſtrandum eſt. Cicero pro Cælio, Petulanter facimus, ſi matremfam. ſecus quàm matronarum dignitas poſtulet, nominemus. Quo in loco matronam omnẽ appellari Cicero ſignificat, quæ bona & honeſta exiſtimatione eſt. Marcellus in lege probrum. 41. D. de ritu nupt. Si qua ſe in concubinatu alterius, quàm patroni tradidiſſet, matris familiàs honeſtatem non habuiſſet. Vlpianus autem in l. ſic uxor 13. D. de adult. Si modò ea ſit, quæ in concubinatu ſe dando, matronæ nomẽ nõ amiſit, utputa quæ patroni concubina fuit. Plautus Ciſtellaria, Matronæ magis conducibile eſt iſtuc: mea Sileniũ, Vnũ amare, & ætatẽ cũ illo exigere, cui nupta eſt ſemel. Verùm .n. meretrix fortunati eſt oppidi ſimillima, Non poteſt ſuam rem obtinere ſola, ſine multis uiris. Idem in l. itẽ apud, 15. §. Si quis uirgines, D. de iniur. Multo minus, ſi meretricia ueſte fœminę, non matrumfam. I arum ueſtitæ fuiſſent. ſi igitur non matronali habitu fœmina fuerit, & quis eã appellauit, uel ei comitẽ abduxit: iniuriarum teneĩ. Vlp. l. pronunciatum, 47. D. de uer. ſig. Matrẽfa. accipere debemus eã, quæ non inhoneſtè uixit. matrẽ enim familiàs a ceteris fœminis mores diſcernunt atque ſeparant. proinde nihil intererit, nupta ſit, an uidua: ingenua ſit, an libertina. nã neq; nuptiæ, neq; natales faciunt matremfa. ſed boni mores. Idẽ l. 3. in fin. D. de lib. exhib. Cùm audis, inquit, Matremfamiliàs, accipe notæ auctoritatis fœminam.

Materiae infectæ, pondus: ſignatæ, numerus: factæ, ſpecies appellatur. l. 6. D. de rei uind.

Materia ſic a ligno diſtinguitur, ut hoc ad ea quę cõburendi cauſſa parata ſunt, pertineat: illa uerò quæ ædificãdi fulciẽdive cauſſa. l. 12. D. de uſufr. l. 47. D. de act. empt. l. 55. D. de lega. j. l. 167. D. de uer. ſig.

Matertera eſt matris ſoror: ait Paulus l. 10. §. 7. D. de gradib.

Matertera magna eſt auiæ ſoror: ait Paulus l. 10. §. 8. D. eod.

Matertera maior, ait Paulus, eſt ſoror proauiæ, patris uel matris matertera magna l. 10. §. 9. D. de gradib.

Matertera maxima eſt, ait Paulus, abauiæ ſoror, patris uel matris matertera maior. l. 10. §. 10. D. de gradib.

Matrimus ac patrimus dicuntur, quibus patres & matres adhuc uiuunt. Feſtus.

Matrimonium, eſt maris atque fœminæ coniunctio. l. 1. §. 2. D. de Iuſt. & iur.

Matrimonium a matris nomine, non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi. Gellius libro decimooctauo, cap. 6.

Matrimonium, uide Nuptiæ.

Matrona, uide Vxor: uide item Materfamil.

Matrona, inquit Feſtus, cui ius erat ſtolæ ferendę. Cice. Philip. 11. Sed citò curio interuenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit, & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili & certo locauit.

Matruelis, ex matris meæ fratræ natus. Marcianus l. 1. D. de leg. Pomp. de parricid. Si quis patrẽ, matrem, auum, auiam, fratrem, ſororem, patruelem matruelem, occiderit, &c.

Mediastinus, mancipium uiliſsimum, quod medijs in ædibus ſtat, ut ad cuiuſuis iuſſa atq; imperata præſtò ſit. Vlp. l. 15. §. 31. D. de iniur. Etenim multum intereſt, qualis ſeruus ſit: bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator: an uerò uulgaris, uel mediaſtinus, aut qualis qualis. Idẽ l. 1. §. 4. D. naut. caup. ſtab. Si qui opera mediaſtini fungitur, non continetur: utputa atriarij, & focarij, & his ſimiles. item in l. 6. D. de op. ſer. Columell. lib. 1. cap. 9. Mediaſtinus qualiſcunque ſtatus poteſt eſſe, dummodo perpetiendo labori ſit idoneus.

Medianum, medium uerbum architectonicum. Vlpian. l. 5. §. 2. De his qui deie. Quòd ſi ex mediano cœnaculi quid deiectum ſit, uerius eſt omnes teneri. Sic Vitruuius perſæpe medianas columnas dicit ad differentiam angulariũ, & mediana acroteria, epyſtilia, &c.

Medicinae tres ſunt partes, inquit Corn. Celſus in præfat. primi libri. nam una eſt quæ uictu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu medetur. primã διαιτητικὴν, ſecundã φαρμακευτικὴν, tertiã χειρουργικὴν Græci nominarunt. Itaq; Medici nomine Iuriſcõſulti uulgò chirurgos etiam intelligunt. ut apud Vlp in l. 4. in fi. D. ad leg. Cor. de ſicar. Medico, inquit, qui uirilia exciderit, capitale erit. idẽ in l. qua actione, 7 §. ul. D. ad le. Aqui. Si medicus ſeruũ imperitè ſecuerit. φαρμακευτικὴ uerò ſignificatur in l. inſequẽti, ubi Caius de medico loquẽs, Idẽ iuris eſt, inquit, ſi medicamento perperã uſus fuerit. Vlpianus. in l. 3. D. de extraord. cognit. Si medicus cui curandos ſuos oculos commiſerat.

Medii actus homo ab Imperatore appellatur, ſeruus, neque magnæ alicui curationi præpoſitus, qualis eſt diſpenſator uel atrienſis: neque uiliſsimo muneri deſtinatus, qualis eſt mediaſtinus, aut ſcoparius, ſed mediæ inter illas functiones curationi alicui præfectus, in §. 6. De iniur.

Melinum, genus coloris candidi. Plin. lib. 35.

cap.6. Meſinum candidum & ipſum eſt, optimum in Melo inſula. Paulus l.78.§.5.D.de lega.tertiò, Quin minus porrò coracinum, aut hyſginum, aut melinum, ſuo nomine quàm coccum, purpurave deſignatur?

MELIVS æquius, formula erat iudicij rei uxoriæ, quę ſoluto matrimonio repetebatur. Cicero li.de Offi.3. Reliquorum autem iudiciorum hæc uerba maximè excellunt: in arbitrio rei uxoriæ, melius æquius. In Top. In primisq; in arbitrio rei uxorię, in quo eſt quod ęquius melius. Iauole.l.pe. §.ul.Sol.ma. Quia nec melius nec æquius eſſet, qđ exigere uir ab uxore non potuiſſet, &c. Proculus l.octuogeſimaſecũda, D.de ſolut. Nec melius nec æquius eſſe exiſtimarem eum fundum Seiæ reddi.

MELIORARE, pro meliorem & fructuoſiorẽ efficere. Vlp.l.13.§.5.D. de uſuf. Si quidem uſufructuario permittitur meliorare proprietatem.

MENIANA, inquit Feſtus, appellata ſunt a Menio Cẽſore, qui primus in foro ultra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula. Hinc

MENIANVM, opus pergulis extra ædificium proiectis factum. Aſconius uerbi originem ſic explicat: Menius, quum domum ſuam uenderet Catoni & Flacco Cẽſoribus, ut ibi baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum proijceret ex prouolantib tabulatis, unde ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorũ poſſent. Ex illo Menia columna uocitata eſt. Idẽ tradunt Feſtus, & Porphyrio. Paulus l.20. D. de ſeruit. urb. Idem eueniet & ſi Menianum in tuum emiſſum habuero, aut ſtillicidium in tuum proiecero. Idem Iauolen.l.242.D. de uer.ſig. Vlp.l.2. §.3.D. Ne quid in loc.pub. Imp.l.pen.C.de ædif. priu. Meniana, quæ Græci ἐξέδρας appellant. Nonnulli tamen κρέμας, alij κολοττὰς legunt.

MENSARII, qui numariam negociationẽ exercent, Liuius libro ſeptimo, Solutiones æris alieni in publicam curam uerterũt, quinq; uiris creatis, quos Menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarũt. Cicero pro Flacco, Cum ciuitate mihi res eſt acerrima & conficientiſsima literarum, in qua numus moueri nullus poteſt, ſine quinq; Prætoribus, tribus Quæſtoribus, quatuor Menſarijs qui apud illos a populo creantur. Hinc

MENSVLARII, ijdẽ qui numularij. ut patet ex l.quadrageſimaſeptima. D. de pact. ubi Gaius Seius modò menſularius, modò numularius appellatur. alios autem numularios fuiſſe ab Argentarijs patet ex l.nona, §.2, D.de edendò. quum tamen Grecè τραπεζῖται, id eſt Menſarij, ijdẽ ſint, qui Latinè Argentarij: ut conſtat ex Plauto, locis innumeris. De Mẽſularijs quoq; mẽtio fit apud Vlp. in l.24. §.2.D.de reb.auct.iud. Vtrũ igiť Menſularij dicti ſint a mẽſulis, quas in minore negotiatione q̃ illi qui Argentarij aut τραπεζῖται dicebantur, exercebant: an interdũ pro Argentarijs ſumãtur, equidẽ neq; negare neq; affirmare auſim. Donatus Tũc, inquit, in foro & de menſæ ſcriptura, magis quàm ex arca domoq; uel ciſta pecunia numerabatur.

MENSIVM DVO ſunt genera. nã alij naturales ſunt, alij ciuiles. naturalium ſpecies duæ, quòd partim ſolis, partim lunæ eſſe dicuntur. ſecundum ſolem fit menſis, dum ſol unumquodque in zodiaco orbe ſignum percurrit. Lunaris autem, eſt temporis quoddã ſpacium à noua luna. Ciuiles menſes ſunt numeri quidam dierum, quas unaquæque ciuitas ſuo inſtituto obſeruat: ut nunc Roma a Calendis in Calendas. Naturales & antiquiores, & omnium gentium communes ſunt: Ciuiles & poſterius inſtituti, & ad unamquamque pertinent ciuitatem. Hæc Cenſorinus libro De die nat.cap.18.

MERCATORES diuerſos a negociatoribus eſſe docuimus in Comment. Verrinæ III. & Orat. pro Fonteio ante annos octo. idq́. in hunc Commentarium ſub uocem Negociatores ſummatim retulimus. Poſtea extitere Itali quidam, homines ingenioſi, qui locũ illũ in ſuos cõmentarios tranſtulerũt. ac planè totidẽ uerbis ac ſyllabis trãſcripſerũt.

MERCATORES ergo dicebantur, qui cùm Romæ domiciliũ haberent, Interdum tamen exportandarũ uel importandarũ merciũ cauſſa in prouincias ad aliquod tẽpus excurrebant. Sabinus autẽ in l.4. D.de penu.leg. tẽpus illud ut lõgiſsimum definit eſſe non plus annuum Negociatores uerò ciues quidẽ erant Romani, ſed in prouincijs ſedem fortunarum ſuarũ conſtituerant, ſic ut rarò in urbẽ, nec ferè niſi cẽſendi cauſſa redirent. quales erant aratores, pecuarij, argentarij, &c. Locũ aũt in Verrina III. hunc notaui: Ciues, inquit, habent propinquam fructuoſamq; prouinciam, quò facilè excurrant, ubi libenter negocium gerant: quos illa partim mercib. ſuppeditandis, cum quæſtu cõpendioq; dimittit: partim retinet, ut arare, ut paſcere, ut negociari libeat, ut deniq; ſedes ac domicilium collocare. uide Negociatores.

MERCES ferè dicitur pecunia quæ ex prædiorũ ruſticorum locatione percipitur: quæ uerò ex urbanorum, Penſio. uide l.27.& 29.D.de hęred.petit.

MERCIS appellatio, inquit Vlp. ad res mobiles tantum pertinet. l.66.D.de uerb.ſign.

MERCIS appellatione, inquit Africanus, homines non contineri Mela ait, & ob eam rem mangones non mercatores, ſed uenalitiarios appellari ait, & rectè. l. 207. D. de uerbor. ſignifica.

MERITORIA, ſunt loca quæ mercede locantur: a merendo dicta. Vlp.l.13.§.8.D.de uſufr. Quòd autẽ dicit meritoria non facturum, ita accipe quæ uulgò diuerſoria uel fullonica appellant. Sic in l. urbana, 198.D.de uerbo.ſignifica.l.52.§.ſi quis, D. pro ſoc.

MERVM, inquit Feſtus, antiqui dicebant ſolum. at nunc Merum purum appellamus. Hinc

MERVM factum, quod ab omni datione ſeiunctum

ctum eſt.in l.98.§.mihi,D.de ſolut.

Merum officium Prætoris, quod a iudicis officio ſecretum eſt,l.5.D.de uerb.oblig.

Mera pœna, quæ a rei perſecutione ſeiuncta eſt. l. 1.D.de eo per quem fact l.1.D ſi quis ius dic.

Merum imperiū,quod in rerū capitaliū quęſtionibus uerſat,& a priuatarū, rerū iuriſdictione purū eſt.l.3.D.de iuriſ.l.1.§.ult.D.de of.eius cui mād.

Merum ius gētium,quod a ciuibus inſtitutis ſeiunctum eſt.l.31.D.depoſ.

Merum ius,ſtricta iuris ratio.l.16.D. de minorib. l.pen.§.ul.D.de contr.tab.l.4 §.ſi uiam,D.de uſu cap.l.57.D.de adminiſt.tut.

Meram actionem negociorum geſtorum ſequi.in l.etſi,14.§.idem Labeo, D. de relig.pro ſtrictam eius actionis naturam & conditionem.

Mesonavta,qui mediū inter nautas,id eſt remiges locū obtinens, reliquis remigandi ſignū præbet: eodē opinor,modo dictus,ut μεσοχόρος.Vlp. l.1.§. 1. D. naut.caup. ſtab. Sed de exercitore ſolummodo Prætor ſentit. nec enim debet,inquit Pomponius, per remigem aut meſonautam obligari: ſed per ſe,uel per nauis magiſtrum.

Meta,eſt inferior pars molę:ait Paulus in l.18.§.3. D. de inſtruct.& inſt.

Metallvm, genus pœnæ mediocris numeratur a Paulo lib.Sent.v.cap.xvii.cùm nocentes ad eruēdas metallorum uenas damnabantur. Inter eos autē qui in metallum, & eos qui in opus metalli dānantur, differentia in uinculis tantùm eſt: quòd qui in metallum damnantur,grauioribus uinculis premūtur qui in opus metalli, leuiorib. quodque refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo grauius coercentur.l.8.§.4.D.de pœn.

Metretes,ὁ μετρήτης,uaſis genus, quod Cadus Latinè dicitur: decem cōgiorum capax.Caius l.35. §.5.D.de contr. empt. Quod ſi uinum ita uenierit, ut in ſingulas amphoras:item oleum, ut in ſingulos metretas. Item, Quia uenditio quaſi ſub hac cōditione uidetur fieri,ut in ſingulos metretas,&c.Et Scæuola l.pen.§.1.D.locati,de naue loquitur, in quam olei metretum tria millia,frumenti modiùm octo millia imponebantur.

Metropolis, μητρόπολις, ex μήτρα & πόλις. id eſt matrix & urbs iuncto nomine dicitur ea ciuitas unde colonia deducta eſt. Thucydides lib.4. ἀποικία δὲ μὲν πάσχουσα,τιμᾷ τὴν μητρόπολιν·ἀδικουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται: id eſt, Colonia beneficio affecta, honorē ubi matrici tribuit: iniuria uerò affecta, abalienatur. Itaq; Vlpia.l.4.§.4.D.de offic.proconſ. Epheſum metropolim appellat:Proconſuli,īquit, neceſsitatem impoſitam per mare Aſiam applicare,καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primā attingere.id eſt, Epheſum prius quàm alias metropoles accedere. Modeſtin.l.6.D.de excuſat. tut.εἰκὸς δὲ τῷ μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρῆσθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν, τῷ δευτέρῳ τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν,τῷ δὲ τρίτῳ τὰς λοιπά, id eſt,Decet maximo quidem numero uti nationum metropoles:ſecundo, eas quæ forum iudiciorum habent:tertiò uerò,ceteras. Sed Iſidorus ſolers etymologicus, cuius ex ſchola, tanquam ex equo Troiano Canoniſtæ ſe profectos gloriatur, ἐκ τοῦ μέτρου.id eſt, ex menſura fictum uocabulum tradit. quod homines ingenioſi ὥσπερ ἐκ τρίποδος excepetunt: item ut illud eiuſdem Cephas,id eſt, caput.

Metvs, eſt inſtantis uel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio l.prima.§.1.D.quod met.cauſſ Periculum autem non cuiuslibet uexationis,ſed maioris mali accipere oportet:nec hominis uani,ſed tuſtum,& qui uel in conſtantem cadat. l.5.6.7.& paſſ.D.eod.

Metvs cauſſa abeſſe uidetur,qui iuſto timore mortis uel cruciatus corporis conterritus abeſt.l.3. D.ex quib.cau.maior.

Migrare inquilini dicuntur,cùm exacto locationis tempore ex habitatione cum ſuis rebus illatis inductis, diſcedunt. unde tit. Digeſt. de migrando.

Miliarivm, columna aurea in capite Romani fori ſtatuta:de qua Plinius lib.3. ſic ſcribit: Roma diuiditur in regiones xiiii. compita earum cclxv.Paſſ. eiuſdem ſpacij menſura currente a miliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero trigintaſeptem.Corn. Tacit. lib. 17. Otho innixus liberto per Tiberianam domum in uelabrum,inde ad miliarium aureum ſub ædē Saturni pergit. Macer.l. 154.D.de uer.ſig. Mille paſſus non a miliario urbis,ſed a continentibus ædificijs numerandi ſunt.

Miliarivm, uas aquæ calfaciendæ paratum. uti docet Athenæus li.3.τὸ μιλιάριον, inquit, καλούμενον ὑπὸ ῥωμαίων τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατασκευασίαν κατασκευαζόμενον, De miliario argēteo meminit Vlp l. 19.§.5.D.de aur.arg.& mund.

Miles appellatur uel a militia,id eſt,duritia quam pro nobis ſuſtinent:aut a multitudine: aut a malo quod arcere milites ſolent:aut a numero mille hominū ductum a Græco uerbo, tractū a tagmate. nā Græci mille hominum multitudinē τάγμα appellāt:quaſi milleſimū quēque dictū: unde ipſum ducem χιλίαρχον appellant.l.1.§.1. D. de teſt.mil.

Milites dicebātur,qui ſacramento militiæ obſtricti,cincti,& in numeros relati eſſent. l.milites,§. miſsionū,& l.ul.D.de re mili.l.miles,D. de adult. l.2.D.de ueterā.l.filiusfa.l.Titius,D.de mili.teſt.

Militiam urbanā Cicero,patronorū,q pòſt Aduocati dicti ſunt,labores, & aſsiduitatē appellat: nō affirmās,ut quidā putāt,ſed eos eludēs potius, quum ita res & tempus poſtularet.In Muræniana enim ſic loquitur,Seruius hic,inquit,nobiſcu hāc urbanam militiā reſpondendi,ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis & ſtomachi ſecutus eſt, ius ciuile didicit, multum laborauit, præſtò multis fuit. Sed Impp. quidam poſtea nihil ſimulantes, in l. decimaquarta. C. de aduo.

ſed eiuſmudi tamen tegmen erat,ut ornatum quoque afferret.nam idem Vlp. in l.25.§.4.eiuſd.tit. inter ornamenta muliebria mitram & ſemimitrã recenſet.

MITTERE in poſſeſsionem Prætor dicitur, cùm ſeruandi crediti cauſſa,uel uentris,uel dotis,legatorumve nomine, damnive infecti cauſſa rerũ cuſtodiam alicui mandat, non ut poſsideant,ſed ut in poſſeſsione ſint.l.1.D.quib. ex cauſ.in poſſ.l.3. §.ult.& l.10.D.de acq.hær.l.26.& 27.D.de iudi.

MIXTAE actiones duorum ſunt generum.nam alię tam in rem quàm in perſonam ſunt,ueluti familię erſciſcundæ: aliæ uerò partim rẽ partim pœnam perſequuntur:§.quædam, 18.§.ſequens,16.Inſt. De action.

MIXTVM imperium,uide Imperium.

MOBILES res, propriè ac præcipuè appellantur, quæ anima carent, ut uaſa: Mouentes uerò,quæ per ſe mouentur:nimirum animalia,ſerui, quadrupedes,pecudes.l.1.D.de ædil.edict.l.4.C.fam.erciſc.l.pen.C.de iur.dot.l.2.& 3.C.de quad. præſcript.Interdum tamen promiſcuè uſurpantur, & Mobilium nomine animalia intelliguntur.l.1. D. de rei uind.l.3.§.Nerua,D.de acquir.poſſ.

MODICAM ſummam Paulus in actione de dolo dãda interpretatur uſque ad duos aureos l.10.D.de dol.mal.

MOMENTVM propriè eſt punctum, ſiue indiuidua pars temporis: ut cùm dicimus hæreditatem ne momento quidem ſubſiſtere in perſona eius per quem acquiritur.l.placet, 79.D.de acq.hære.Ob ſeruatum eſt autem plerunq;,

MOMENTVM pro hora uſurpari.l.3.§.minorem,D de minorib.

MOMENTI beneficium in libris noſtris dicitur reſtitutio poſſeſsionis,per uim, aut alio iniquo modo ablatæ,quia confeſtim & ipſo momento facienda eſt l.un. C.ſi de mom.poſſ.l.1.C.ſi per uim uel al. mod l.momentaneæ, C.unde ui.Itaque Celerem reformationem appellant.l.ſi coloni, C.de agric. & cenſ.itaq; ne appellationi quidem retardari poteſt.d.l.1. C. ſi de mom.poſſeſ.Iſidorus lib.5.Momentũ,inquit,dictũ eſt a temporis breuitate,ut tã citò quàm ſtatim ſaluo negocio reformetur, nec in ullam partem produci debeat, quod repetitur.

MONACHIO, ſodalitas & conuentus monachorum, apud Impp.l.generali,13.C.de ſacroſ.eccl.

Μονομερὴς cõditio dicitur in l.ſi duo, 13.§.idem D.de iureiur.pro ea quæ geminæ opponatur. Cõpetebat enim aduerſus quẽpiã,& tãquã in furis hęredẽ,& tanq; in furẽ ipſum,remq; dolo cõtrectantẽ.Vlpianus aũt eo caſu ſcribit quaſi μονομερῆ cõdictionem dandam eſſe aduerſus furis hæredem dũtaxat,non ut etiam ipſe furti arguatur.

MONOMEPΩΣ agere, dicitur is, cuius aduerſarius in iudicio non adfuit: ex quo eremodicium contigit.nã (ut ait Heſychius) ἐρήμην, μονομερὴς δίκη Paulus l.ult, D.ad S.C.Trebell.Polycrates fideicommiſſum petierat, & obtinuerat apud Aureliũ Proculum Proconſulem Achaiæ. appellatione facta cum ſolùm Phœbus egiſſet μονομερῶς, uictus eſt.ſubaudi Polycrates.

MONIMENTVM,eſt,quod & mortui cauſſa ædificatum eſt, & quicquid ob memoriam eius factum eſt:ut fana,porticus,ſcripta, & carmina. Sed monimentum quãuis mortui cauſſa ſit factum, non tamen ſignificat ibi ſepultum. Feſtus.

MVNITORES, ſerui a colono præfecti ut operariorum,ueluti uinitorum,& aratorum turbam obeũtes,unumquemq; moueant, & ſegniores caſtigẽt. Vlp.l.8.D.de inſt.uel inſt.leg. Quærendi, ueluti homines qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpoſiti ve ſunt his.quorum in numero ſunt uillici,& monitores. Columella lib.1.cap. ult. Et in turba,inquit,& ſub monitore uinitor opus facere debet.Item, Decurias appellauerũt antiqui, & maximè probauerunt, quòd is numeri modus in opere commodiſsimè cuſtodiretur,nec pręeuntis monitoris diligentiam multitudo confunderet.

MONVMENTVM generaliter res eſt memoriæ cauſſa in poſterum prodita: in quaſi corpus uel reliquiæ inferantur,fiet ſepulcrum: ſi uerò nihil eorũ inferatur, erit monumentum memoriæ cauſſa factũ,qđ Gręci κενοτάφιον appellãt.l.42.D.de relig.

MONVMENTVM eſt quod memoriæ ſeruandæ gratia exiſtit.l.1.§.2.D.de reli.

MONVMENTVM ſepulcri eſt id quod monumenti, id eſt cauſſa muniendi eius loci factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit.l.37.§.1.D.de relig.

MORA, eſt culpa prætermittendi officii in ſoluendo recipiendove debito, quę alteri damnoſa eſt.Eius enim duæ ſunt ſpecies:quarum una in debito non præſtando, altera in non recipiendo quod oblatum eſt uerſatur.

MORA non pręſtandi debiti,eſt culpa debitoris pretermittentis ſoluere,quod ſoluere & debuit & potuit:cum aliquo creditoris incommodo cõiũcta.

MORA non recipiendi debiti, eſt culpa creditoris non recipientis ſolutionẽ quæ a debitore idone è oblata eſt,ũde aliqd icõmodi ad debitorẽ ꝑuenit.

MORA ex perſona æſtimari dicitur,cum debitor opportuno loco ac tempore a creditore appellatus, ſoluere tamen prætermiſit.l.mora,32. D. de uſur.

MORA ex re fieri dicitur,cùm ipſo iure ac ſolo temporis decurſu ſine ulla creditoris appellatione, prætermiſsio illius officii reprehenditur.l. ſed etſi,23.D. de uſur.

MORAM purgare,eſt re integra contractam ex mora culpam ſic eluere, ut eius omnis pœna uitetur. nam oblatione ſolutionis omne periculum futurorum caſuum a debitore in creditorem transfertur.l.Interdum.75.§.1.D.de uerb. obl.l.cũ decẽ, 72.§.1.D.de ſol.Quod idẽ ẽt creditori cõceſſum eſt,ut ei moræ purgãdæ facultas, ut agere poſsit permittatur.l.ſi ita quis,135.§.1.D.de uer. obli. Atque hæc ſummatim ex noſtro tract. De mora.

MORBVM Sabinus ſic definit, Habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui uſum eius ad id facit deteriorem, cuius cauſſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. hæc Vlpianus l. 1. §. 4. D. de ædil. edict. ubi uitium a morbo multum differre ait: quod ex Ciceronis uerbis conſtabit, quæ de lib. Tuſcul. diſput. 4. ſubſcribemus. Morbum appellant totius corporis corruptionem: Aegrotationem, morbum cum imbecillitate: Vitium, cum partes corporis inter ſe diſsident. ex quo prauitas membrorum, diſtortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus & ægrotatio, ex totius ualetudinis corporis conquaſſatione & perturbatione gignũtur, uitium autem integra ualetudine ipſum ex ſe cernitur. ſed in animo tantummodo cogitatione poſſumus morbum ab ægrotatione ſeiungere. Hactenus Cicero. Gellius quoque libro 4. cap. 2. locum Sabini, ſed non integrum, retulit.

MORBVM, inquit Modeſt. uerum eſt eſſe temporalem corporis imbecillitatem: uitium uerò perpetuum corporis impedimentum: ueluti ſi talum excuſsit. nam & luſcus utique uitioſus eſt, l. 101. §. 2. D. de uerb. ſign. ubi tamen oculum excuſsit, legendum putarem.

MORBVS Sonticus, uide Sonticus morbus.

MORBOSI qui dicantur, cognoſce ex tract. D. de ædil. edict.

MORE maiorum quod fit, rectè ac decenter fit. nam populus R. maiorum inſtituta atque exempla pro legibus ducebat. Cicero de Legib. 11. Ergo adeò expectatæ leges, quæ genus illud optimum Reip. contineant: & ſi quæ fortè a me hodie rogabuntur, quæ non ſint in noſtra Rep. nec fuerint, tamen erant ferè in more maiorum, qui tum ut lex ualebat. Paulus l. 11. D. de iuſt. & iur. Vbicunq; prætor ſalua maieſtate imperij ſui, ſaluoq; more maiorum ius dicere conſtituit, is locus rectè ius appellatur. Iulian. l. 5. D. de iuriſd. More maiorum ita comparatum eſt, ut is demum iuriſdictionem mandare poſsit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio haberet. Vlpia. l. 11. D. de his qui not. infa. Si talis ſit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet, &c.

MORE maiorum puniri, quid ſit explicat Sueton. in Nerone his uerbis, Legitq; ſe hoſtem a Senatu iudicatum. & quæri ut puniatur more maiorum. Interrogauitq; quale eſſet id genus pœnæ, & cùm comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus uirgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones quos ſecum extulerat, arripuit.

MORES honeſto uocabulo Iuriſconſulti coniugum uitia, & minus honeſtas actiones appellant. Vlpia. cap. Inſtit. 6. Mores grauiores ſunt, adulteria tantum: leuiores, omnes reliqui. Maritus propter maiores mores, pręſentem dotem reddit: propter minores, ſenũ menſum die. Scęuola l. 47. D. ſol. mat. eodẽ uerbo utit. uide l. un. §. taceat, C. de ux. re act.

MORIBVS conſtitutum ius: uide Conſuetudo.

MORS alia Naturalis dicitur, animæ ſcilicet a corpore diſceſſus: alia Ciuilis, hoc eſt, cùm iuris ciuilis ratione aliquis pro mortuo numeratur. Intereunt enim homines media & maxima capitis deminutione, æquè ut morte. l. 64. §. ult. D. pro ſoc. qua de cauſa & aqua & igni Interdicti, & Deportati mortuorum loco habẽtur. l. 4. D. de bon. libert. l. 1. §. ult. D. de cont. tab.

MORTIS tamen nomine, in re dubia, ſola naturalis intelligitur. l. quadrageſimaoctaua, §. ul. D. de iur. fiſc. l. 121. §. ult. D. de uerb. oblig.

MORTIS cauſſa capitur, cùm propter mortem alicuius capiendi occaſio obuenit: exceptis his capiendi figuris quæ proprio nomine appellantur. l. mortis. 31. D. de mort. cauſ. donat.

MORTIS cauſſa capimus, nõ tunc ſolùm cùm quis ſuæ mortis cauſſa nobis donat, ſed etſi propter alterius mortem id faciat: ueluti ſi quis filio uel fratre ſuo moriente, donet Mæuio ea conditione, ut ſi conualuerit alteruter eorum, reddatur ſibi res: deceſſerit, maneat apud Mæuium.

MORTIS cauſſa donatio: uide Donatio mort. cauſ.

MOVENTIVM, inquit Celſus, item mobilium appellatione idem ſignificamus: ſi non apparet defunctum animalia duntaxat, quia ſe ipſa mouerent, mouentia uocaſſe. quod uerũ eſt. l. 93. D. de uer. ſign. uide Mobiles res.

MVLIERES dicuntur omnes quæcunque ſexus fœminini ſunt, cuiuſcunque ſint ætatis. l. argumento, 25. §. 2. D. de aur. & arg. itaque mulieris appellatione uirgo uiripotens continetur. l. mulieris, 13. D. de uerb. ſign. & mulierib. legatis etiam uirgines debentur. l. ſeruis, 81. D. de legat. 3. Conſuetudo tamen tulit, ut nuptæ, mulieres: innuptæ, uirgines appellentur. Itaque Cic. Verrin. 11. Negocium, inquit, dat illis ſuis comitibus, ut uideant & inueſtigent, ecquæ uirgo ſit, aut mulier digna, quamobrem iſte Lãpſacij diutius commoretur. Et paulo pòſt: Eius eſſe filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quòd uirum non haberet, mulierem eximia pulchritudine. Significat enim illam a uiro ſuo diuertiſſe Item aliquanto pòſt: Qui lege ſua hæreditatem ademit nulli neque uirgini, neque mulieri. Sanxit in poſterum, ne quis hæredem uirginem, ne ue mulierem faceret.

MVLIER, pro uxor: apud Scæuolam in l. 93. §. 1. De legat. & fid. l. 32. Semproniæ mulieri meæ reddi iubeo ab hæredibus, &c. De Græcis fontibus deriuata locutio uidetur.

MVLTA, pecunia quæ a magiſtratu dicta, ut exigi poſsit ob peccatum. quòd ſingulę dicuntur, appellatæ eſſe multæ: quod olim unum dicebant, Multa Itaq; cùm in dolium aut culleum unũ addunt ruſtici, prima urna addita, dicũt etiã nunc, Multa. Hæc Varro lib. De lin. v. Feſtus autẽ ſic: Multã eſſe dici putant pœnã quãdã: M. Varro ait. pœnã eſſe, ſed pecuniariam. Et alibi, Ouibus duabus multabantur apud antiquos in minorib. criminibus

nibus:in maiorib. aűt, triginta bubus: nec ultra hunc numerű excedebat multatio.quæ, poſteaq; ære ſignaro uti ciuitas cœpit,pecoraq; multatitia, incuria corrumpebanrur (unde etiam Peculatus crimen uſurpari cœptum eſt) facta eſt æſtimatio pecoralis multæ, & boues centenis aſsibus, oues denis æſtimatæ. Inde ſuprema multa, id eſt maxima,appellatur tria millia æris.item uiceſis minoribus delictis.

MVLTAM quæ appellatur ſuprema, Gel.ſcribit inſtitutam in ſingulos dies duarum ouium, triginta boum,pro copia ſcilicet boum, proq; ouium penuria. Sed cum eiuſmodi Multa pecoris armẽtiq; a magiſtratib.dicta erat,adigebãtur boues oueſq; aliàs precij parui, aliàs maioris:eaq; res faciebat inæqualem multæ punitionem, Idcirco poſtea lege Aterina conſtituti ſunt in oues ſingulas æris deni,in boues æris cenreni. Minima aűt multa eſt ouis unius. Suprema multa eſt eius muneri cuius diximus:ultra quam multam dicere in dies ſingulos,ius non eſt: & propterea ſuprema appellatur, id eſt, ſumma & maxima. Quando igitur nunc a magiſtratib. Pop.Ro.more maiorű multa dicitur uel minima uel ſuprema, obſeruari ſolet, ut oues genere uiri appellentur. Atq; ita M. Varro uerba hæc legitima,quib.minima multa diceretur, concepit:M. Terentio quando citatus neque reſpondit,neque excuſatus eſt, ego ei unum ouem multam dico:ac niſi eo genere diceretur, negauerunt iuſtam uideri multam.

MVLTA,ſpecies pœnæ eſt,pecuniaria duntaxat,quæ arbitrio eius qui multam,pro ſuo iure dicit, cùm ſpecialis pœna conſtituta non eſſet, imponitur. nec antè debetur, quàm ſi aut non eſt prouocatű, aut prouocator uictus eſt.nec aliter, quàm ſi is dixit,cui dicere licet l.aliud,131.& l. ſi qua,244.D. de uerb.ſig.uide Pœna.

MVLTAM dicere, pro multare Iuriſconſulti noſtri ubiq; uſurpanr, Vlpian.l.2.§.8.D.de iudic.His datur multæ dicendæ ius, quibus publicum iudiciű eſt,& non alijs: niſi hoc ſpecialiter eis permiſsum eſt in P.Flor.legitur PVBLICE.nulla,aut certè ab ſurda ſententia. Nam QVIBVS P.I.EST, Vlpianus dixit, pro qui publici iudicij habẽt exercitionem, ut Papinianus l.1.D.de off.eius cui mand. Venuleius l.10.D.de cuſt. reor. Si quos ex his qui in ciuitatibus ſunt, celeriter & ſine cauſſa ſolutos a magiſtratibus cognoueris,uinciri iubebis,& his qui ſoluerinr,multam dices id eſt,multam ſtatues,multabis Sic enim Vlpia.l.1.D.de ſer.fug. Senatus cenſuit ne fugitiui admittantur in ſaltus:neque protegantur a uillicis,uel procuratoribus poſſeſſorum: & multam ſtatuit. Venul.l.2.D.quis & a quo app. Appellari a legatis Proconſul poteſt:& ſi multam dixerit,poteſt Proconſul cognoſcere.

MVLTAM irrogare, eſt rogare populű in multã alicui uelit ĩponere. Irrogabãt autẽ ſoli magiſtratus: Cic.li.3.de Legib. Cùm magiſtratus iudicaſsit, irrogaſsitve, per populum multæ pœnæ certatio eſto. Idem in Orat.pro domo,rationem harum irrogationum fuiſſe tradit, ut ter antè magiſtratus accuſaret intermiſſa die, quàm multam irroget aut iudicet, quarta ſit accuſatio trinundinum prodicta die qua iudicium ſit futurum.

MVNDVS muliebris,eſt quo mulier mundior fit:inquit Vlpian.l.25.§.4.D.de aur.argent. Cato apud Liuium, Munditiæ,ornatus & cultus fœminarum indicia ſunt:his gaudent & gloriantur. Hinc Mundum muliebrem appellarunt noſtri maiores. Sic Varro lib.de ling. 4. Mundus muliebris, dictus a mundiciam. Hinc enim maximè ſumitur,quòd eã deceat. Poſtea Ornatum a Mundo diſtinguit. quod idem Iuriſconſulti faciunt. nã in mundo muliebri hæc numerant:ſpeculum,unguenta,uaſa unguentaria, argentum balneare:non etiam ornamenta, ueſtes,monilia,annulos l.27.§.mundus, & l.34.§. Titia, D.de aur. & argen. Sic Paulus lib. Sentent. 3.cap.6. Mundo,inquir,muliebri legato ea cedűt, per quæ mundior mulier,lautiorq; efficitur,uelut ſpeculum conchæ, ſituli item buxides unguenta, & uaſa in quibus ea ſunt. Ornamẽtis legatis ea cedunr, per quæ ornatior efficitur mulier:ueluti annuli catenæ,reticuli,&cetera quibus collo,uel capite,uel manib.mulieres ornantur. Sic Tertull.in in lib. De habitu mulieb. Habitus,inquit,fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatű. Cultum dicimus,quem mundum muliebrem uocant. Ornatum,quem immundum muliebrem cõuenit dici. Iſte in auro,& argento,& gemmis,& ueſtibus deputatur ille in cura capilli,& cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt.

MVNEN ſignificare certű eſt officioſum. unde e cõtrario Immunis dicitur, qui nullo fungitur officio Feſtus.

MVNERA, ſunr procurationes quędam Reip.quæ ſine imperio poteſtateve alicui mãdantur: quarum aliæ induſtria & opera, aliæ ſumptibus faciendis adminiſtrantur, aliæ communiter. Patet ex l.1.& ult. D.de munerib.& honorib.

MVNERA ciuilia, inquir Arcadius, aut perſonalia ſunt,quædam patrimoniorum dicuntur,alia mixta. Perſonalia ſunt, quæ animi prouiſione & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantut.ueluti tutela, uel cura. Patrimoniorum ſunt munera,quæ ſumptibus patrimonii, & damnis adminiſtrandis expediuntur.l. 18.D.de mun.& honorib.

MVNERARI, pro munus gerere ac ſuſtinere. Vlpian. l. prima. §. ſecondo. Digeſt. de uacat. & excuſ. Qui in frandem ordinis in honoribus gerendis, cùm inter eos, ad primos honores creari poſsint, qui in ciuitate munerabantur, euitandorum maiorum onerum gratia,&c.

MVNICEPS, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus eſt. Itẽ municipes erãt, qui ex aliis

ciuitatibus Romam ueniſſent, quibus non licebat magiſtratum capere, ſed tantùm muneris partem. At Seruii filius aiebat initiò fuiſſe qui ea conditione ciues Rom. fuiſſent, ut ſemper Rempub. ſeparatim a populo R. haberent, Comanos uidelicet. Acerranos, Atellanos, qui æquè ciues R. erant, & in legione merebant, ſed dignitates non capiebant. Hæc Feſtus.

MVNICIPES ſunt ciues Romani ex municipiis, ſuo iure & legibus ſuis utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capeſſendo appellati uidentur, nullis ullis neceſsitatibus, neque ulla populi Ro. lege adſtricti: quum nunquam populi Roma. eorum fundus factus eſſet. Gellius lib. 16. cap. 13.

MVNICIPES dicuntur ſuæ cuiuſque ciuitatis ciues: ex eo quòd munera ciuilia capiant. l. 1. D ad municip. l. munus, 18. D. de uer. ſign.

MVNICIPES intelligendi ſunt, & qui in eodem municipio nati ſunt. l. municipes, 228. D. de uer. ſig.

MVNICIPALIS lex dicitur, in Rubrica ad munici. quæ cuiuſque municipij propria eſt. l. 3. D. de ſepul. uiol. 3. §. plane D. quod ui aut.

MVNICIPIVM id genus hominum dicitur, qui quum Romam ueniſſent, neque ciues Ro. eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis ciuibus, præterquam de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo: ſicut fuerunt quondam Fondani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tuſculani, qui poſt aliquot annos ciues Rom. effecti ſunt. Alio modo quum id genus hominum definitur, quorum ciuitas uniuerſa in ciuitatem Ro. uenerunt: ut Aricini, Cerites, Anagnini. Tertiò definitur. quum id genus hominum, qui ad ciuitatem Ro. ita uenerunt, ſic ut municipia eſſent ſua cuiuſque ciuitatis & coloniæ: ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucrenſes. Hæc Feſtus.

MVNICIPIA, coloniæ, oppida, præfecturæ, uici, caſtella, conciliabula, fora, baſilicæ. Hæc in legibus coniungi & ſingulatim enumerari conſueuiſſe, duobus ex locis intelligitur. primus eſt apud Paulum libro Sentent. quarto, cap. ſexto: alter eſt in lege Fabia de terminis, quam ſuo loco in Indice legum R. deſcripſimus.

MVNIFICES milites dicuntur, ait Paulus, qui munera militaria ſubeunt. l. 18. Digeſt. de uerbo. ſignif. Feſtus, Munifices, qui non uacabant, ſed principi munus faciebant. contrà Beneficiarii dicebantur, qui uacabant muneris officio.

MVNVS, inquit Vlpianus, propriè eſt, quod neceſſariè obimus, lege, more, imperioue eius qui iubendi habet poteſtatem. Dona autem propriè ſunt, quæ nulla neceſsitate iuris, officii, ſed ſponte præſtantur, quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt: & ſi præſtentur, plerunque laus ineſt. ſed in ſumma in hoc uentum eſt, ut non quodcunque munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit. id munus rectè dicatur. l. 214. D. de uerbo. Vide hac de re quæ dixi ſub uoce, Donum.

MVNVS, ſpectaculum gladiatorum. Cicero Varroni, Etſi munus flagitare, quam uis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus. Paulus l. 122. D. de leg. & fid. libro 30. Ciuitatibus ad honorem legari poteſt. puta, quod ad munus edendum, uenationemve, ludos ſcenicos, ludos Circenſes relictum fuerit. Quibus uerbis Paulus ludorum genera manifeſtò diſtinguit. Marcellus l. 36. D. de cond. & demo. Viuo Mæuio Seius Conſul deſignatus eſt, & munus edidit. Paulus l. 49. in fi. D. de leg. & fid. Si teſtator dari quid iuſiſſet, aut opus fieri, aut munus dari, pro portione ſua, &c. Quibus omnibus ex locis apparet,

MVNVS generale nomen eſſe, quo genera omnia ludorum complectuntur. tametſi Lactantius lib. De uero cultu VI. cap XX. ſcribat, Muneris nomine propriè uenationes intelligi. qua de cauſſa homines carpendi cupidi ſcripſerunt in Sextianæ commentariis non ſatis intelligenter feciſſe, qui illud in Verrem, Vllum munus Aedilitatis, de ludis dictum exiſtimarunt, ſuaq; in ſcripta retulerunt. Sed uideamus ne Cicero manifeſtiſsimè Muneris nomine quoſuis ludos ſignificet: quum in lib. De offi. II. ita ſcribit: Craſſus functus eſt Aedilitio maximo munere non enim ſolam, ut opinor, uenationem Craſſus præbuit. Quinetiam Paulus in d. l. 122. apertiſsimè munus a uenatione diſtinguit. Seneca autem lib. De benefic. I. & gladiatores & uenationes eo uerbo comprehendit: Nemo inquit, tam ſtultus eſt, ut monendus ſit. ne cui gladiatores aut uenationem iam munere edito mittat. Suetonius autem in Nerone, Veſpaſiano, Domitiano, & alibi perſæpe, munus perſpicuè dixit, cùm de gladiatorib ſentiret. Hinc illud Sænecæ initio libri Declamat. IIII. Quod Munerarij ſolent facere ad expectationem populi detinendam, noua paria per omnes dies diſpenſant, ut ſit quod populum & delectet, & reuocet: hoc ego facio, &c.

MVNVS publicum eſt, ait Pomponius, ex quo commodum ad ſingulos uniuerſosq; ciues, rem que eorum imperio magiſtratus extraordinarium peruenit. l. 239. §. 3. D. de uerb. ſig.

MVNVS perſonale, inquit Hermogenianus, illud eſt, quod corporibus, labore, cum ſolicitudine animi ac uigilantia ſolenniter extitit: patrimonij uerò in quo ſumptus maximè poſtulatur. l. prima, D. de mun. & honor.

MVNVS, inquit Calliſtratus, aut publicum, aut priuatum eſt. publicum munus dicitur, quod in adminiſtranda re publica cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus. l. 14. D. de munerib.

MVNVS, iquit Paulus, trib. modis dicit: uno donū, & inde munera dici dari, mitti ve: altero onus, ꝙ quū emittatur,

remittatur, uacationẽ militiæ munerisq́; præſtat: inde immunitatem appellari. tertiò officium: unde munera militaria, & quoſdam milites munifices uocari. l. 18. D. de uerb. ſign.

Mvra, pro Myrrha, apud Pomponiũ in l. 21. §. 1. D. de aur. arg. itẽ ut μύρα. Ionicè pro μύῤῥα. Pōponius recenſet inter ea unguenta quæ ualetudinis cauſa parata ſunt. Ergo ſignificat unguentũ ex eo liquore cōfectũ, qui ex myrrhæ arboris cortice inciſo defluit, qui etiam Myrrha uocatur: ut auctor eſt Plin. lib. 12. cap. 15. & 16.

Mvrrha, lapillus ſplendidus & in precio habitus. inde Murrhina uaſa, uaſa ẽ murrha apud Paulũ in l. 3. §. 2. D. de ſupp. legat. Vlpia. autẽ in l. 19. in fi. D. de aur. arg. Murrhina autem uaſa, inquit, in gemmis non eſſe Caſſius ſcribit.

Mvtiana cautio, uide cautio Mutiana.

Mvtvatio, ſumptio mutuæ pecuniæ. Cicero pro Flacco, Quũ multos minutis mutuationibus fraudauiſſet. Et ſic in S.C. Vell. apud Vlpianum l. 1. D. ad S.C. Vell. Quod ad fideiuſsiones & mutuationes pro alijs quibus interceſſerint fœminæ pertinet. Sic enim legendũ eſſe in Obſeruationibus noſtris iampridẽ docuimus: nō autẽ mvtvi dationes. Prohibet enim S.C. ne mulieres pro alijs mutuam pecuniam accipiant: non autem ut ne dent.

Mvtvvm, eſt contractus quo rerum quæ pondere, numero, mēſura conſtãt, uſus ita cōceditur, ut poſtea non eædẽ, ſed alia potius generis eiuſdẽ reddantur. l. 2. Si cer. pet. indeq́; appellatũ eſt, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ideo ſi nō fiat tuũ, nō naſcitur obligatio. l. 1. §. 2. D. de reb. cred. Quãquàm ita ludere Iuriſcōſultis placuit, in quorundã uerborũ notatione: ut in Teſtamentũ, Sacellũ, & alijs non paucis. Varro autem libro De lin. Lat. IIII. Si datur, inquit, quod reddatur.

Mvtvvm, quod Siculi μοῖτον. Ita ſcribit Siphron μοῖτον ἀντιτίθημι. Verè autẽ ſic ſe res habet, ut Mutuũ in eius perſona propriè ſit, qui reddit. Pla. Trinũ.

Lesbon quid agit filius?

P. Bene uult tibi. L. Aedepol. mutuũ mecũ facit. Idẽ in Curcul. Eã uult meretricẽ facere, ea me deperit. Ego aũt eũ illa facere uolo mutuũ. pa. quid ita? ph. Quia propriũ facio, amo pariter ſimul. Cicero Q. Metello: Quod aũt ita ſcribis: Pro mutuo inter nos animo: quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum, neſcio. equidem hoc arbitror. cùm par uoluntas accipitur & redditur.

Mvtvvm ergo, non eius eſt qui credit, ſed eius qui reddit. ut mutuo dare non ſit, ex meo tuum facere: ſed credere rẽ ut mutuũ ab eo cui creditur fiat.

Mvtvvm a credito quid differat, uide Crediti appellatio.

Myops, μύωψ. Luſcitioſus: ut ait Gell li. 4. ca. 2. Vlpi. l. 10. §. 3. D. de edil. edict. De myope quæritur, an ſanus eſſet. & puto eũ redhiberi poſſe. Ariſtot. in Proble. ſect. 31. μυωπάζειν δὲ λέγονται οἱ ἐκ γενετῆς τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντες, τὰ δὲ ἐξ ἀποστάσεως οὐχ ὁρῶντες ἐναντία δὲ πάσχουσιν οἱ γέροντες τοῖς μυωπάζουσιν. τὰ γὰρ ἐκ ἐγγὺς μὴ ὁρῶντες, τὰ πόῤῥωθεν βλέπουσι: Luſcitioſi, inquit, appellantur, qui natura quę propè ſunt cernunt: quæ uerò procul, non uident. Senes uerò cōtrà ac luſcitioſi affecti ſunt. nã quæ proxima ſunt non uidentes, quæ procul ſunt perſpiciunt.

DE LITERA N.

NL. nota erat, non liquere ſignificãs, qua iudices in ampliãda cauſſa utebantur. uide A. litera. Nam, pro ſed apud ueteres uſurpari ſolitum, in Verrinarũ cōmẽtarijs expoſuimus. itaq; Paulus locutus eſt l. inter ſtipulãtẽ, 83. §. ſacra. De uer. obli. & Papinianus in l. Stichũ 95. §. uſumfructũ, D. de ſolu.

Nardvm, Pomponius in l. 21. §. 1. D. de aur. arg. numerat inter ea unguenta, quæ ualetudinis cauſſa parata ſunt. Ex nardo igitur confectum unguẽtũ ſignificat: quod Plinius li. 13. c. 1. Nardinũ appellat. ſed pvrvm addidit, ut ab illo Pliniano diſtingueret, quod alijs permixtis cōſtat, & uoluptatis ac ſuauitatis cauſſa tãtummodo paratur. tametſi hoc quoq; puro elegantiores ungi mulieres ſuauitatis tãtum cauſſa ſubiungat. quod etiam Tibullus libro ſecundo, Eleg. 2. perſpicuè ſignificat,

Illius puro diſtillent tempora nardo.

Natalibvs reſtitui dicebãtur liberti, qui beneficio Principis ingenuitatis ius ac dignitatẽ adipiſcebãtur. Natalia enim ſunt, ius libertatis quod natura principiò generi humano æquabiliter tribuit ut alter alterius ne pareret imperio: quemadmodum docet Marcianus l. 2. D. de natal. reſtit. Plinius ad Traianum: Poſtulantibus quibuſdã, ut de agnoſcẽdis liberis reſtituendiſq́; natalibus, ſecundum epiſtolã Domitiani ſcriptã Minutio Rufo, & ſecundum exẽpla Procōſulum ipſa cognoſcerẽ, reſpexi ad S.C. pertinẽs ad genera cauſſarum. Qui ergo natalibus reſtituti erant, eo loco habebanẽ, quaſi ſerui nunquam fuiſſent. l. 3. D. de bo. lib. l. 4. D. de iur. aur. annull.

Nati accipiuntur etiam ij, qui exécto uentre editi ſunt: quin etſi nō integrum animal editum ſit, cum ſpiritu tamen, natum dicimus, l. quod dicitur, duodecima, D. de liber. & poſthum. præterea qui ſtatim poſteaquã editi fuerunt, mortui ſunt, nati dicuntur. l. tertia, C. de poſthum. hæred. at qui mortui, aut mōſtruoſi, aut prodigioſi editi ſunt, pro natis non habentur. dicta l tertia, & l. qui mortui, 129. D. de uer. ſig. Natum tamen ab eo qui ex ſecto matris uentre extractus eſt, diſtingui uidemus in l. ſexta, §. 2. D. de inoffic. teſta. l. decimatertia, §. ex omnib. D. de publician.

Nati, liberi: ut apud Terentium perſæpe. Iuriſconſulti tamen ad eos qui ex ancilis naſcuntur uocẽ hanc contraxerunt. Imp. §. 18. De legat. Si quis ancillas cum ſuis natis legauerit, etiã ſi ancillæ mortuæ fuerint, &c.

Natvralia

NATVRALIA quemadmodum a ciuilibus paſsim in libris noſtris diſtinguantur, operæpreciū arbitror, accuratius exponere: præſertim cùm qui eam rē pro dignitate explicarit, uiderim adhuc neminē. ea uerò diſputatio tripartita eſt. Tribus enim modis de naturali & ciuili iure diſſeritur. Primus modus hic eſt. Res omnes, de quibus Iuriſconſulti diſputant, aut Naturales eſſe dicuntur, aut Ciuiles, aut Mixtæ. Naturales dicuntur, quæ cùm uerè ſint, & extēt, tamē populi Romani legibus & forma Reipu. qua populus R. uſus eſt, receptæ non ſunt. ueluti cognatio ex eo cōcubitu cōtracta, q a legibus Romanis, ꝓhibitus eſt. l. 4. §. 2. De gra. Nam ſiue liber ex ſerua ſiue, tutor ex pupilla, ſiue ſeruus ex ancilla, ſiue ſenator ex liberta liberos ſuſcipiat, ij naturæ iure atque ordine, & uerè liberi ſunt illorum, & uiciſsim illi eorum parentes: ſed quia contra populi Rom. leges id factum eſt, propterea ſimpliciter naturales liberi & parentes appellantur. l. adoptiuus, De ritu nupt. & toto titulo Cod. De naturalibus lib. Naturaliter enim fieri dicitur a noſtris, id quod reuera factū eſt: & (ut uulgus loquitur) de facto. unde naturaliter aperte & naturaliter clauſæ tabellæ dicuntur ab Vlp. in l. 3. §. 12. D. de ſen. Silan. & naturaliter interrūpi poſſeſsio dicitur, quū nō ſurculus dicis cauſſa, ut moris erat, defringitur: ſed ſi de poſeſsione quis deijciatur, uel alicui res eripiatur, l. 5. D. de uſurpa. Vnde paſsim ea quæ naturaliter fiunt, in iure dicūtur eſſe facti, ueluti traditio, l. ſi rem, 28. & l. in conuētionalibus, 52. §. 1. D. de uer. oblig. itē poſſeſsio, l. decimanona, §. Itēq; D. ex quibus cauſsis maior. l. 1. §. ſi uir, l. 1. cùm hæredes. 23. & l. poſſeſsionem, 29. D. de acquir. poſſeſ. itē ſolutio, uenditio, traditio, l. ſeptima, D. de cura. fur. item legatū in annos uel menſes ſingulos, l. 10. D. de capit. minut. Ciuiles dicuntur eæ res, quæ cum reuera nō ſint, in ijs tamen quę ſunt, iure Quiritiū habentur atq; numerantur, ueluti cognatio ex adoptione cōtracta. d. l. 4. de gradibus. Et hoc exemplū ita perſpicuum eſt, ut explicatione nō egeat. Conſtat enim Aeſchinum Mitionis filiū nō eſſe uerè, ſed iure factū & fictione. Item uſusfructus pecuniæ, l. 2. D. de uſufruct. ear. re. Mixtæ dicuntur, quæ cū reuera ſint, tum etiā à iure Quiritium cōprobatæ ſunt: ueluti cognatio ex legitimis nuptijs cōtracta, puta ex Cicerone & Terentia. d. l. 4. eodem. ſic Matrimonium naturale dici pōt, quod cū reuera contractum ſit, a iure tamen Quiritium approbatum non eſt, ac propterea iniuſtum uulgò appellatur. l. ſi uxor, 13. §. 1. D. de adulter. l. ſi quis, 27. l. ſi Senator, 31. de rit. nupt. ueluti ſi ſenator libertinam duxerit: aut tutor pupillā, curatorve adoleſcentē. Itē ſi liberta quæ patrono nupſerit, diuortio facto alteri nubat. l. ul. D. de diuor. Ciuile eſt, quod etſi reuera, id eſt eo modo quē natura inſtituit: cōtractum non eſt, tamen pro cōtracto habetur: ueluti cùm in abſentis & uolentis domum uxor deducta eſt, adeò ut ſi rediens moriatur, ab uxore lugendus ſit. l. 5. & 6. De rit. nupt. Itē cùm apud hoſtes eſt maritus. l. 6. De diuort. ubi Iauolē. ait, uxores eorū qui in hoſtium poteſtatem peruenerunt, poſſe uideri nuptarum locum retinere eo ſolo, quòd alij temerè è nubere nō poſſunt. Nūc exemplum de poſſeſsione proponamus. Poſſeſsio naturalis dicitur, cùm quis corporaliter quidem, hoc eſt manibus ac pedibus, ſed tamen aut iniuſtè, aut non accommodatè ad iuris ciuilis rationem rem aliquam obtinet. Iniuſtè, ut qui liberum hominē uinxit, l. cùm hæredes, 23. §. 2. D. de acquir. poſſe. qui ui poſſeſsionem inuaſit, aut uxor, cui conſtāte matrimonio maritus (quod prohibitum eſt) donauit. l. 1. §. 5. D. de ui & ui arm. l. ſi eū, 26. D. de donat. int. uir. & ux. l. 1. §. 1. l. uxor, D. de acq. poſſ. l. nec ulla, D. de petit. hæred. Non accōmodatè ad iuris ciuilis rationem, id eſt, utiliter ad uſucapionem: ut coloni, inquilini, fructuarij, depoſitarij, commodatarij, emphyteutæ, conductores. l. communi, 7. §. 6. D. commu. diuid. l. 2. D. pro hærede. Nam hi omnes uſqueadeò ciuiliter non poſsidēt, ut plerunque dicantur non poſsidere (quod tamē ita intelligendum eſt non poſsidere ciuiliter.) Vide l. ſciendum eſt, §. creditor, D. qui ſatiſd. cog. l. ſi ſeruus depoſitus, §. 1. D. de nox. act. l. 6. §. 1. D. precario, l. 1. C. cōmun. de uſu. magis quippe tenere dicuntur, l. 1. §. 4. D. quus legatorum. Hinc poſſeſsio naturalis dicitur eſſe facti. l. 1. §. ſi uir. l. cùm hæredes, 23. l. poſſeſsionem, 29. D. de acquir. poſ. Ciuilis poſſeſsio dicitur, cùm quis non corporaliter quidem, ſed tamen & animo & accommodatè ad uſucapiendi finem poſsidet. ueluti debitor qui pignus creditori dedit. l. ſerui, 16. D. uſurpat. l. qui pignoris, l. 1. D. de acq. poſſ. Item qui ab hoſtibus captus eſt l. in bello, 12. §. facti, D. de capt. & poſtlim. Item qui ad nundinas profectus eſt l. clàm poſsidere, 6. §. 1. D. de acq. po. Mixta aūt poſeſsio eſt, quā quis & corpore & animo, iuſtè & cōgruēter iuri Ciuili poſsidet. Deinceps exemplū de naturali obligatione proferamus, Naturalis obligatio eſt, quæ cùm uerè contracta ſit, a iure tamen Quiritium non approbatur, ueluti ſeruus aliquis ciui Romano mutuo centum aureos dedit. ſi naturam ſpectemus (quæ parem omnium hominū conditionē ſtatuit, l. 32. D. de reg. iu.) nemini dubium eſt, quin ciuis ille ſeruo illi ſit obligatus. Id quod ex præſenti rerum ſtatu qui nunc Europa eſt, clariſsimè quiuis pōt intelligere. At ius populi Romani (quod ſeruos nullo numero habebat. l. quod attinet, D. de reg. iur. l. ſeruitutem, eodē) nūquā actionē & iudiciū dediſſet ſeruo aduerſus illū debitorē. Prætor enim Vrbanus, nō ſeruis, ſed ciuibus Romanis ius reddebat. Hinc ergo dicūtur ſerui in cōtractibus naturaliter & obligari & obligare, l. ſerui, 14. D. de obligation. & acti. l. ſi qđ dominus, 64. de condict. indeb. l. nec ſeruus, 41. de pecul. Hinc debitum quod dominus ſeruo debere in tabulis

bulis ſcripſerat, non ciuile,ſed naturale eſſe dicitur in l.quibus,40.§.dominus,& de condit. & de monſtr. Hinc Vlpianus in l.fideiuſſor,16.§.ſecundo,D.de fideiuſſ.ſcribit abuſionem eſſe uocabuli, cùm dicimus ſeruum debere,uel ſeruo deberi: nimirum quia deberi propriè id demum intelligitur,quod apud Prætorem peti poteſt. ſeruus autem nec agere apud Prætorem nec conueniri poteſt.eadẽ eſt ratio,ſi qui eiuſdẽ familiæ ſunt, inter ſe contrahant. ueluti duo fratres,qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt:uel pater cum filio,uel filius cum patre,ſeruus cum herili filio, uel hic cum illo.l.frater a fratre,& alibi ſępe,D.de cond.indeb. Meminiſſe autem oportet,in iſta diſputatione regulæ cuiuſdam ab Vlpiano nobis traditæ in l.Stichum,95.§ naturalis,D.de ſolut.ubi ait, Firmamentum quo ſolo nititur naturalis obligatio, eſſe unicam æquitatem.facit.l.eas obligationes,octaua.D.de capit.minut.ubi Caius ſcribit, actionem de dote in bonum & æquum conceptam eſſe, eiusq; obligationem habere naturalem præſtationem.facit.l.ſi noxali, 11. D. de pecul.l.nam hoc, De condict.indebit.quapropter ubicunque ęquũ eſt,ibi naturalis obligatio eſt: tanquam eius obligationis cauſſa efficiens, aut certè cauſſa ſine qua non, ſola ſit æquitas. Hinc illud apud Salluſt. in Catil.Ius bonumq; apud maiores noſtros, non legibus magis quàm natura ualebat. Quo ex præcepto triplex effectus naturalis obligationis naſcitur:primùm,ut ſolutum ab imprudente,non repetatur.d.l.fideiuſſor,d.l.ſi quod dominus, item l. naturales,De obligat.& act.ſecundum, ut compẽſandi ius præbeat.l.etiam, D. de compenſat. tertium ut ad conſtitutum ualeat.l.1.D.de conſt. pecun.Ciuilis autem obligatio eſt, quæ uel nunquã reuera contracta eſt, uel cum reuera contracta eſſet,facto tamen aliquo, ſed ad iuris Ciuilis rationem non accommodato,diſſoluta eſt. Quæ nunquam contracta eſt. ueluti ex inani chirographo. nam ſi ſcripſi me centum abs te mutuo accepiſſe, quæ tamen nunquam credideris, tamen chirographum atq; cautionẽ meã habeas, re quidẽ uera tibi obligatus non ſum: at ciuiliter obligatus ſum. §.idem iuris eſt,De except. lib.Inſt.4.Item obligatio ui,metu,dolo ue malo contracta propterea naturalis non eſt,quia æquitati contraria eſt. Dicebamus autem paulo antè obligationis naturalis robur & firmamentum eſſe ſolam æquitatẽ.l.Stichum,De ſolut.attamen obligatio hæc ciuilis contracta eſt:ut §.3.& quartò, De except.l.1.& paſſ. D.de doli except.unde conſtat propter iſtas obligationes actionem dari.pacto uerò aliquo naturaliter quidem diſſoluta obligatio, ciuiliter autem manere dicĩ,ueluti cùm pactũ eſt ne peterẽ.nam pactũ nudũ,id eſt,ſine ſtipulatione factũ,ciues R. neque obligabat,neq: ab obligatione diſſoluebat. l.iuriſgen D. de pact. & tamen propter iſtud factũ,naraliter & ex ęquo & bono diſſoluta erat.Nihil enim magis æquum & naturale eſt, quàm pacta ſeruari.l.1.de pact.l.1.D.de conſt.pec.Item ſi iudicatum eſt, & uerè quidem iudicatum, pecuniam non deberi. nam etſi æquum eſt omnem obligationem diſſolui, manet tamen ciuilis.l.2.D. de except.l.1.& paſſ.D.de except. rei iudic. Mixta autem obligatio eſt,quæ cùm reuera & æquiſſimè contracta ſit, tum etiam a iure Ciuili comprobatur,& confirmatur. Poſtremum exemplum ſequitur de ſolutionibus. Naturalis ſolutio eſt,quæ cum reuera facta ſit, rata tamen à iure ciuili non habetur. ueluti cùm pactum de non petendo factum eſt, aut iuſtum iuſiurandum datum.l.Stichum,95.§.naturalis,De ſolut.Solutio ciuilis eſt, quæ cum reuera facta non ſit,tamen pro facta numeratur.ueluti cùm dies actionis præterijt.l.1.& paſſim,D.de diuerſ & temp. act. item cùm falsò iudicatum eſt non deberi. l.iudex, l.Iulianus. D. de condict indebit. item cùm falsò iuratum eſt rem petitoris non eſſe,uel nihil ei deberi.l.ult.De iureiur. Item cùm debitori maxima & media capitis diminutio contigit. l.ſi debitori, 47. D. de fideiuſſ.l.ſeruus, 30.D.de oblig. & act.l.ultima, D.de duobus reis.Mixta ſolutio eſt,quæ cùm uerè facta ſit,tum a iure ciuili rata habetur:ueluti ſolutio pecuniæ,uel acceptilatio,quæ ideo iuriſgẽtium appellatur,l.an inutilis,8.in fine,D.de accepril.cùm tamen per ſtipulationem (quæ ciuilis eſt)fiat:& a C.Aquilio Iuriſcon.primùm excogitata ſit.

¶ Secundus modus quo Iuriſconſulti de naturali & ciuili iure diſputant, non ad res omnes, ſed ad paucas, & certas duntaxat pertinet: eas nimirum quæ utriuſque iuris ſunt participes. In ijs igitur duo conſiderantur, ortus & materia,quæ naturæ attribuuntur: deinde incrementum & forma, quæ a iure ciuili profecta ſunt. Cuius rei aliquot exempla ſubijcimus. Matrimonium dicitur eſſe iuris naturalis in l.1. D. de iuſt.& iur.conſtat enim uiri & uxoris ſocietatem a natura inſtitutam, & a gentibus omnibus comprobatam atque uſurpatam fuiſſe. itaque naturale ius & pudor in matrimonijs contrahendis dominari dicitur in l. adoptiuus, 14.§.1.De rit. nupt.uerùm ut matrimonia fierent per confarreationem,coemptionem,uſum,ut aliæ matresfa. eſſent,aliæ matronæ tantum, ut per coemptionẽ contractum matrimonium ius ſui & uiro & uxori tribueret, per uſum contractum nou tribueret, ut nuptiæ ſint conſortium omnis uitæ, diuini & humani iuris cómunicatio, ſicut ait Modeſt.l.1. D.de rit nup.ut ſenatores,eorumq; liberi libertinam uxorem ne ducant,l.23.eod.hæc,inquã,omnia quæ formã quandã matrimonijs afferunt, nequaquam a natura ſunt,aut gentiũ plurimarũ cómunia,ſed ab ijs qui Reip.Romanæ formam inſtituerũt,excogitata, & ſuorũ ciuiũ cauſſa propriè introducta ſunt. Sequitur alterũ exemplũ.Patria poteſtas a natura ſine dubio inſtituta eſt, & ab

omnibus

omnibus gentibus uſurpata : cuius rei præclara di
ſputatio eſt apud Ariſt.lib. Politic.1.cap.3.Iuſti-
nianus tamen ſub tit. De patria pot. & Dionyſius
Halic. lib.2. & Caius ſub tit. De his qui ſunt ſui
uel al.nominatim affirmant,eam eſſe Iuris ciuilis.
etenim ut pater in filium uitæ necisq; poteſtatem
haberet, l.ult.C.de pat.pot.l.2.D.de lib.& poſth.
ut ter poſſet filium uendere,eundem poſſet noxæ
dedere, abdicare, emancipare,nunquam à natura
inſtitutum ſed a Romulo (ut ait Dionyſ.)excogi-
tatũ,& in ſuæ ciuitatis uſum introductũ eſt.Eodẽ
pertinet patris cõſenſus in filijfa. nuptijs,quæ po-
teſtatis illius pars eſt Iuſtinianus aũt ait eũ & natu
ralis & ciuilis iuris eſſe.§.1.De nupt. Nã hoc fieri
debere, inquit & ciuilis & naturalis ratio ſuadet.
Ac de naturali quidẽ & gentiũ iure inter oẽs con
ſtat. Verùm ut in filijfa. nuptijs conſenſus ille deſi
deretur,in emãcipati uerò,nequaquã. l. filius, De
rit. nupt. ut patris captiui aut in peregrinitatẽ re-
dacti cõſenſus nõ ſit neceſſarius. l.in bello,2.§.me
dio,D.de capt.& poſtli. hæc inquã,omnia ex iure
Quiritiũ manaſſe,nemo nõ uidet.Sequitur exem-
plũ de tutela. Tutelã naturæ maximè cõſentaneã
eſſe,& ab omnib,gẽtibus uſurpatã,nemo ignorat.
itaq; iuris naturalis dicitur a Iuſti.§.ult. De legit.
agnat.tut. Quid igitur eſt ꝙ in l.1. D.de tut. dici
mus tutelã eſſe iure ciuili datã ac permiſſam? Re-
ſpõdetur hoc ad formã a Romanis Iuriſc.excogi-
tatã referendũ eſſe:ueluti ne quis peregrinus ciuis
Romani tutor ſit:ut certæ tutelæ ſint legitimæ fi-
duciariæ.quaſi legitimę,Attilianæ, tutor ſuam pu
pillã uxorẽ ducere,aut filio uxorẽ accipere nõ poſ
ſit.l.tutor,15. De ſponſ. tutoris unius auctoritas
uel ſatis ſit,uel nõ ſatis ſit.l.ult. C. de auct. tut. ut
capitis diminutione nonnullæ pereant, nonnullæ
uerò amittãtur:hæc,inquàm, oĩa aliaq; innumera
Iuriſc. Romanorũ inuẽta eſſe cõſtat. Iã uero agna
tio iuris ciuilis dicitur eſſe ab Imp.§.ult.De legit.
agna.tut. Atqui dubiũ nemini eſt, quin cõmunio
ſanguinis, quæ uerbo ipſo ſignificat,a Iuriſc. Ro.
excogitata non ſit.quinetiam certum eſt ante fun
damenta urbis Romæ iacta, nomen illud agnatio
nis in Latio uſurpatũ fuiſſe pro ſanguinis commu
nione.uerũ ut agnatis remotionib. potius quàm
cognatis propinquioribus hæreditates & tutelæ
deferantur, ut agnationes per omnem capitis di-
minutionẽ intercidãt, nõ a gẽtiũ aut naturæ iure,
ſed à pop.R.inſtitutis profectũ ẽ. Eiuſdẽ generis
eſt Suitas,hoc eſt ius illud quod habent filij fa. in
parentũ ſuorũ inteſtatorũ hæreditatib. hoc .n. ita
naturæ cõgruit,ut nihil magis,patet ex l.ult.D.de
bon.damnat.& Ariſt. in Eth, uerũ ut ea per ado-
ptionẽ & per coemptionẽ acquiratur, ut ꝑ eman-
cipationẽ & peregrinitatẽ amittaẽ, ab ingenijs Iu-
riſcõſ. R.excogitatũ eſt. Cognatio quoq; cũ ſan-
guinis communionẽ ſignificat,naturalis eſt §. ult.
De leg.agna.tut.Itaque naturale eſt,ut filius inte-
ſtatus matri ſuccedat; quoniam tamen per leges

XII.tabul.neq; mater filio,neq; filius matri ſucce
debat,idq; poſtremis temporib.per S.C.Orficia-
num & Tertyllianũ introductũ eſt,propterea di-
cimus, cognationẽ iſtã materiã & ortũ à natura,
incrementum autem à iure ciuili accepiſſe.Nemo
.n. hæc quæ ſcribit Vlpia. initio legis.2. D.de S.
C.Tertyll. dicet ex naturæ inſtituto fluxiſſe.Si fi-
lius,inquit uel filia libertini ſint effecti,mater legi
timã hæreditatẽ uindicare nõ poterit: quoniã ma
ter eſſe huiuſmodi filiorũ deſijt. Itẽ illud ex eadẽ
l.§.ſi mater. Si mater nõ petierit tutores idoneos
filijs ſuis,uel priorib. excuſatis reiectisve non con
feſtim altera nomina ediderit:ius non habet uindi
candorũ ſibi bonorũ inteſtatorũ filiorũ. Tertius
modus quo Iuriſconſulti de naturali & ciuili Iure
diſputant, eò pertinet,ut Naturalia dicantur ea,
quæ gentiũ omniũ communia ſunt: Ciuilia uerò,
quæ ciuium R.propria. Communia gentium om
nium in libris noſtris commemorantur hæc : Le-
gatorũ ſanctitas l,ult.D.de legation. Et apud Ci.
multis locis. Emptio,uenditio, l. ex hoc iure, De
iuſt.& iur.Locatio & cõductio,ibid.precarium,l.
1.D. de precar. Societas Mandatũ, Mutuũ, Com
modatũ, Depoſitũ, Pignus, Traditio nuda, Poſſeſ
ſio naturalis,Donatio,Pactum,l.iuriſgentium,l.ſi
unus,De pact. Trãſactio, Dominiũ in bonis, Co-
gnatio. Ciuilium aũt tria genera reperio:Legis a-
ctiones, priuatas ſiue extraiudiciales ciuium actio
nes,& iura ciuilia. Legis actiones ſunt formulæ a-
gẽdi in iure apud eũ qui iuri dicundo præeſt:uelu
ti Emãcipatio,l.4.de adopt.l.2.& 3.De offic.pro
conſ.Adoptio,l.4. de adopt.l.2.& 3.de off. proc.
Manumiſsio ꝑ uindictã,l.4.C de uind.lib.In iure
ceſsio.apud Vlp.in Iuſt.ca.26. & Boetiũ in Top.
Ci.ubi nominatim ait hanc fuiſſe legis actionem.
Tutoris in iure datio. nã primũ magiſtratuũ ma-
iorũ fuit propria : pòſt in pupillorũ fauorẽ ẽt oĩ-
bus magiſtratibus municipalib. permiſſa eſt, l. 1.
& 3.De tut. dand. Poſtulatio iudicij recuperato-
rij:quæ propterea legis actio ſæpe nominatur pro
priè,ut Verr. 3.& apud Valerium, Plinium,alios.
Cicero pro Cæcina, Iam uerò ut omnes qui in ea-
dem cauſſa ſunt, & lege agant, & ſuum ius perſe-
quantur, & oẽs iure ciuili ſine cuiuſquã aut magi
ſtratus,aut iudicis,aut periti hominis,aut imperi-
ti dubitatione utãtur,quid ego cõmmemorẽ? Itẽ,
Poſtulatio bonorũ ex edicto, ſtipulationes & ſa-
tiſdationes tũ prætoriæ,tũ ẽt iudiciales:qm̃ quod
apud Iudicẽ fit,fieri apud Prætorẽ uidet:cuius im
perio & auctoritate iudex ſedet. nã de Prætorijs
quidẽ Vlp.ſic loquit in l.actionis,37.D.de oblig.
& act.Actionis uerbo, inquit,cõtinẽtur ẽt ſtipula
tiones quæ Prætoriæ ſunt, quia actionum iuſtas
obtinent. Priuatæ autem ciuium actiones à nobis
dicuntur, quæ extra iudicium fiunt, ueluti ſtipu-
latio uulgaris, id eſt neq; prætoria, neq; iudicia-
lis. nam in ſolos ciues R. conuenit ea obligatio,
l. ult.De duob. reis,l. ſi debitori, 47. de fideiuſſ.
Item

Item mancipatio & nexus, auctore Cic. in Top. in Orat. pro Cæc. Varr. li. De re ruſt. 2. Io manũ conuentio, teſtamẽti factio, uſurpatio, id eſt, uſucapionis interruptio, cum ſurculus defringeretur. Teſtameoti factio per æs & librã, Cretio, Acceptilatio Aquiliana, Manumiſſ. per cenſum, & Teſtamẽtum. l. 2. de interd. & releg. Acquiſitio per legem, auctore Vlp. in Inſt. Operis oovi nunciatio, & remiſsio, Bonorũ omniũ emptio, & Sectio: Var. auctore li. De re ruſt. 2. Iura aũt ciuilia nũc dicimus non actiones, ſed uim quandã ciuiũ R. propriã, cuius peregrini omnes expertes ſunt. huius generis ſuot Agnatio, & Gentilitas, Patria poteſtas, Suitas, ſiue ius ſui, Vſucap. id eſt ius per uſum capiendi, Dominium iure Quiritium, Teſtamenti factio id eſt capiendi ex teſtam. ius, Acquiſitio lege, de qua Vlp. in Inſt. loquitur, Poſtliminium. Atq; hęc quidem hactenus. Nunc illud animaduertendum eſt, eorum quæ ciuilia ſunt, quædam magis, quædam uerò minus ciuilia dici poſſe. Minus ciuilia ſunt, quæ per ſolam ciuitatis amiſsionem intereũt quæ media capitis diminutio appellatur: ueluti cognatio quatenus ciuilis eſt, hoc eſt ex nouis Legibus ſiue Senatuſconſſ. inſtituta: mater. n. filij in peregrinitatem redacti, mater eſſe deſioit. l. 2. & l. 1. S. capitis, D. ad Tertyll. l. 7. D. de cap. min. item Teſtamenti factio, l. 8. D. de teſtam. Tutela prætoria & teſtamentaria, l. 7. de cap. min. Vſucapio, auctore in Offic. Cic. Obligationes ciuiles. l. ult. de duob. reis. l. ſi debitor, 47. de fideiuſ. Item Societas. l. uerum eſt, 63. in fine, D. pro ſocio. nam illa emancipatione non tollitur. l. actiooe, 65. S. ſocietas. D. eodem. Item Matrimonium, quatenus eſt iuris ciuilis, l. in bello, 12. S. 3. l. 8. & l. 14. D. de capt. & poſtli. l. ſi quis, 56. D. ſolut. nat. nam quatenus naturale eſt, per ciuitatis amiſsionem oõ tollitur. l. 1. C. de repud. l. res uxoris 24. C. de dona. int. uir. l. 5. D. de bon. damnat. Atq; hoc eſt quod ait Paulus in l. ſunt quidam, 15. D. de pœ. Ciuitate ſpoliatos ea quæ iuris gentium ſunt, retinere: quæ uerò Ciuilis iuris ſunt, amittere. Magis uerò ciuilia dicuntur, quæ nõ tantùm ciuitatis, uerùm etiam familiæ amiſsione, id eſt emancipatione (quæ minima capitis diminutio uocatur) intereuot: cuiuſmodi ſunt Agnatio. S. ultim. De legit. agnat. tut. Patria poteſtas. l. 12. D. de cap. & poſtlim. S. cùm autem, Quibus mod. ius. Suitas, l. ſed eum. 6. §. 1. D. de bon. poſſeſſ. Teſtaodi facultas. S. 1. Quibus non eſt promiſſ. Tutelæ legitimæ & fiduciariæ, Vſusfructus olim auctore Paulo, libro Senten. tertio, cap. 6. Poſtremò quaſi corollarij nomine illud adijciemus; In hoc diſputationis genere contraria contrarijs tolli, quæ modò eiuſdem generis ſunt. Nam, exempli cauſſa, cõtractus iurisgentium per diſtractum, id eſt per ſolam contrariam conuentionem extinguitur. l. ab emptione, 58. D. de pact. Item pactum per pactum contrarium. l. ſi unus. § pactus, D. de pact. l. Stichum, 95. §. naturalis, D. de ſolut Item obligatio naturalis per iuſtum iuſiurandum, d. l. Stichum, & l. ult. D. de iureiur. Itemq; per acceptilationem: quatenus nõ formulam, ſed materiam ſpectamus: id eſt remiſsionem. l. 8. in fin. De acceptilat. Eodẽ modo etiam Nuptiæ per diuortium, quod uerbis certis, & ſeptem teſtibus adhibitis fiat, dirimuntur. l. 1. & 7. D. de diuort. & apud Ciceronem libro. de Orat. 1. Item ciuilia per contraria ciuilia diſſoluũtur: ueluti, obligationes ciuiles per acceptilationem & nouationem. l. 1. & paſſ. D. de acceptil. & De nouat. At neq; ciuilia naturalibus, neq; naturalia ciuilibus extinguuntur. §. ult. De legit. agn. tut. l. 8. D. de cap. minut.

NAVALIA uaſa, in quibus onera recondita in naues imponuntur. Vlpianus l. 19. §. 5. D. de aur. argent. Vaſorum appellatio generalis eſt: dicimus uaſa uinaria, & naualia. Nonnulli reponebant NIVALIA, pro colo niuario: quod & Vlpiani ſententia repudiat, & loquendi conſuetudo. NIVARIA enim per R. legendum eſſet.

NAVCELLA, uide Nauicella.

NAVES actuariæ, naues quæ præter uela remis etiam aguntur. ſed propriè ſic dicuntur quę uoluptatis cauſſa paratæ ſunt. Marcellus l. 2. D. de capt. & poſtlim. Nauibus longis atque onerariis propter belli uſum poſtliminium eſt: oon piſcatoriis, aut ſi quas actuarias uoluptatis cauſſa parauerunt.

NAVIS oneraria, quæ oneri ferendo parata eſt, quæ oon remis, ſed uelis utebatur. Vlpianus l. prima. §. quinto, D. de exercit. act. Quædam enim naues onerariæ, quædam, ut ipſi dicunt, ἐπιβατηγοί. Marcell. l. 2. D. de capt. & poſtlim. Nauib. longis atq; onerariis propter belli uſum poſtliminium eſt.

NAVES piſcatoriæ, naues piſcibus capiendis accommodatæ. Marcellus l. 2. D. de capt. & poſtlim. reuerſ. Nauibus longis atq; onerariis, propter belli uſum poſtliminium eſt: non piſcatoriis. Liuius li. 33. Ni mare propinquum, & haud procul littore naues piſcatoriæ pleræq; conſpectæ peritis nandi dediſſent effugium.

NAVICELLA. diminutum à naui. Marcell. l. 17. S. 1. D. de inſt. uel inſt. Inſtrumento piſcatorio contineri Ariſto ait nauicellas, quæ piſcium capiendorum cauſſa comparatæ ſunt. Legitur tamen Naucella.

NAVLVM, merces quam uector nautæ diſſoluit. Vlpianus l. 6. D. Qui pot. io pign. Si quis in merces ſibi obligatas crediderit, uel ut ſaluæ fiaot, uel ut naulum exoluatur. Vlpianus l. 39. D. de legat. & ſid. libro 30. Et id in operis ſeruorum, uel uecturis iumentorum, uel naulis nauium dicendum.

NAVPEGVS, ναυπηγός, nauium architectus: apud Tarruntenum in l. ult. D. de iur. immunit.

Navtam accipere debemus eum, qui nauem exercet, quamuis nautæ appellentur omnes qui nauis nauigandæ cauſſa in naue ſint, l. prima, §. 1. D. Naut. caup. ſtab.

Navtica pecunia quæ & Traiectitia dicitur, eſt, quam creditor uſq; ad certum locum, uel in omne itionis & reditionis tempus ſuo periculo præſtat. qua de cauſſa permiſſum eſt, ut eius nomine & ex pacto uſuram petat, & uſuram grauiſſimam petat. l. 1. & paſſ. D. de nau. fœn. Dicitur & Nauticum fœnus, & uſura maritima. l. 6. D. illo. tit.

Nec rarò, pro Et rarò, poſitum uidetur à Celſo geminata negatione ex Græcorum conſuetudine, pro ſimplici. Si tibi nupſero, inquit, decē dari ſpōdes? cauſſa cognita denegandam actionem puto. nec rarò probabilis cauſſa huiuſmodi ſtipulationis eſt, l. 87. §. 2. D. de uerb. obl. ubi optimus Accurſius inſolentia locutionis offenſus, Nec rarò, inquit, id eſt nunquā: ſed & Nec rara legi quibuſdam in libris teſtatur: quod abſurdius multo eſt.

Necessarii ſunt, ut Gallus Aelius ait, qui aut cognati, aut affines ſunt, in quos neceſſaria officia conferuntur, præter ceteros. Hæc Feſtus. ut ſuſpicari aliquis poſsit, Neceſſarios hæredes dici liberos, in qnos neceſſariò ex officio hæreditas cōfertur. uide Hæres ſuus & neceſſarius.

Necessarivs hæres, eſt ſeruus hæres inſtitutus. ideoq; ſic appellatur, quia ſiue uelit, ſiue nolit, omnino poſt mortem teſtatoris protinus liber & neceſſarius hęres fit. ait Imp. §. 1. De hær. qual. & diff.

ΝΕΚΡΟΘΑΠΤΗΣ, ὁ τοὺς νεκροὺς θάπτων, id eſt qui mortuos ſepelit. Vlpianus Libitinarium Latinè dici teſtatur: Si Libitinarius, inquit, quos Græcè νεκροθάπτας uocant, ſeruum pollinctorem habuerit, &c. l. 5. §. 1. D. de inſt. act.

Neativa, ſiue Negatoria actio dicitur, actio in rem negantibus uerbis concepta, per quam aut libertatem an ſeruitutem uindicamus. l. 5. D. ſi uſus fr. petat. l. 2. & 4. D. ſi ſerui. uindi. formula. n. illius hæc erat: Nego tibi ius eſſe uti frui, inuito me: Ni ius tibi nō ſit, uti frui. Si pateret Titio ius non eſſe utendi fruēdi: Nego tibi ius eſſe altius tuas ędes tollendi.

Negligentia, magna culpa eſt: magna culpa, dolus eſt. ait Pau. l. 226. D. de uerb. ſig. uide Culpa.

Negocivm propriè eſt, cū quid rerū contrahenda rū cauſſa ultrò citroq; geritur: hoc eſt cū quid datur, uiciſsimq; accipitur. cū enim ſuū tantū accipitur, non dicitur negociū. l. ſi in area, 33. D. de condict. indeb. Sic in l. 15. 19. 22. D. de præſcri. uerb.

Negocivm autem generaliter pro eo omni quod ad rem alicuius familiarem attinet uſurpatur. l. 1. & paſſ. D. de negoc. geſt. Hinc

Negociatio dicitur in mercaturis faciendis, uelu ti Negociatio Sagaria. l. 52. §. quidam, D. pro ſocio. Hinc

Negociatores ſerui, qui negocij exercendi cauſſa, ueluti ad emendum, locandum, conducendum præpoſiti eſſent. l. legatis, 65. D. de lega. 3. & l. ſi hoc, 49. D. pro ſoc.

Negociatores non ijdem ſunt, qui Mercatores: ut uulgò creditur. Negociatores enim dicūtur ciues R. qui in prouincijs ſedem ac domiciliū fortunarum ſuarum habent: neq; Romā ferè niſi cēſus tēpore, hoc eſt quinto quoq; anno ueniebant. At Mercatores ſunt qui cū Romæ domiciliū familiamq; ſuā habeāt, interdū ad aliquot mēſes in prouincias excurrūt, merciū exportādarū aut importandarū cauſſa. Ex negociatorib. aūt in prouincijs cōuentus cōſtabāt, hoc eſt, Proprætores ac Procōſules cū forū haberent, ac ius dicebant, in priuatis quidē cauſsis, Recuperatores ex eo numero dare ſolebant: in capitalium uerò rerū quæſtionibus eos in conſilium adhibebant. ſi cui patronus dandus eſſet, ex eodem numero togatum aliquem dabant. Hæc ex longa obſeruatione Verrinæ quartę in qua rerum iſtarum uſus perſpicitur. Nunc quærendum eſt Negociatorum nomine, an etiam Publiciani & Argentarij, qui in prouincijs domicilium habebant, contineantur. Sed de publicanis facilis & expedita ratio eſt. nam & in epiſt. 1. ad Q. Fratrem apertiſsimè diſtinguitur, ubi ſic ſcribit: Conſtat Aſia ex eo genere ciuium, qui, aut quòd publicani ſunt, nos ſumma neceſsitudine attingūt aut quòd ita negociātur, ut locupletes ſint, &c. Itē in Maniliana: Nā & publicani ſuas rationes & copias in illam prouinciam contulerunt: deinde ceteris ex ordinibus homines naui & induſtrij parti in Aſia negociantur, partim ſuas & ſuorum in ea prouincia pecunias magnas collocatas habēt. Deniq; tum ex illa orat. tum ex ea pro Fonteio planè conſtat, Negociatores dici Aratores, pręſertim & pecuarios: Publicanos uerò eos fuiſſe, qui ab Aratorib. decimas, à pecuarijs ſcripturam, à mercatorib. aūt portoriū exigebant. Nunc de Argentarijs & Fœneratorib. uideamus. nā hic ſanè locus, quē modò ex Maniliana protulimus, Argentarios a Negociatorib. diſtinguere uidetur. Sed hoc reſtricta & anguſta ratione intelligendum eſt. nā in ea pro Fonteio Fœneratores & Argentarij perſpicuè Negociorum nomine ſignificātur, A quibus uerſuras tantarū pecuniarum factas eſſe dicūtur? Referta Gallia negociatorū ē. plena ciuiū R. nemo Gallorū ſine ciue Ro. quicquā negocij gerit. nummus in Gallia nullus ſine ciuiū R. tabulis cōmouet. unæ tabulæ proferātur, ī quib. ueſtigiū ſit aliqđ, ꝙ ſignificet pecuniā Fōteio datā. unū ex toto negociatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant.

Nepos ex fratre, idē ē qui nepos fratris: neq; unquā aliter obſeruare potui. tametſi uulgata opinio ſit, Nepotē ex fratre aut ſorore eē, ꝗ filius fratris aut ſororis ſēper ab antiquis appellatur. Paul. in l. ult. D. de gradib. Illud notandum eſt, non quemadmodum

modum patris matriſque fratres & ſorores, patrui, amitæ, auunculi, materteræ dicuntur, ita fratris ſororiſque filios filias nomen ſpeciale cognationis habere: ſed ita demonſtrari, fratris ſororiſque filios filias. Nepotē aũt ex fratre poſt fratris filium cõſtitui, docet apertè Caius in l. 7. D. de legit. tut. Veluti, inquit, frater eodē patre natus, fratris filius, nepoſue ex eo. itē Imp. §. t. De legit. agnat. tut. totidē uerbis. Itē in l. nemini, 17. C. de nupt. Nemini liceat cõtrahere matrimoniũ cũ ſorore, ſororis filia, & ex ea nepte: præterea fratris tui filia, & ex eo nepte. ut facilè appareat Nepotē ex fratre eũdē omnino eſſe, qui nepos fratris dicitur. Neq; ſatis intelligere poſſum, quid eruditis quibuſdã hominibus in mētē uenerit, cùm in teſtamēto C. Cæſaris, qđ ita ſcriptum eſt, Sororũ nepotes hæredes inſtituit C. Octauium, &c. ita interpretantur, Nepotes ex ſororibus, id eſt, ſororum filios, cùm ſatis cõſtet Octauiũ ex Accia Iuliæ C. Cæſaris ſororis filia natum eſſe. qua de cauſſa paulo ſuprà Suetonius Octauiam ſororis eius neptem appellarat.

Nexum, inquit Varro, Manilius ſcribit, omne qđ per æs & libram geritur, in quo ſint mancipi. Fortaſſe, Res mancipi, legendum. Feſtus autem:

Nexum eſt, inquit, ut Aelius Gallus ait, quodcunque per æs & libram geritur: idque Necti dicitur quo in genere ſunt hæc, Teſtamēti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum æs apud antiquos dicebatur, pecunia quæ per nexum obligatur. Cic. autem in Topic. Abalienatio, inquit, eſt traditio alteri nexu, &c. Quibus ex locis ueni in ſuſpicionē, moris fuiſſe, ut manceps, id eſt is cui res abalienabatur, dicis cauſſa alterum alligaret ac necteret (unde Obligationis uerbũ apud Iuriſconſultos.) nam qui non ſatisfaciebant, nexi addicebàtur, abducebanturque. Liuius lib. 2. Nexu uincti ſolutique ſe undique in publicum proripiunt. Quum autem rem Manceps accepiſſet, debitorem ſoluebat. Hoc patet ex libr. Cice. De leg. 2. ubi legatarius qui non uult accipere quaſi ex teſtamento, ſtipulatur ab hærede, & per æs & libram ab eo accipit. Ita legatarius, inquit, hæredem ſoluit. Qui uerò abalienabat, æs à libripende, ut Caius oſtendit, accipiebat.

Nexa res, & Nexa pignori dicitur, quæ pignoris nomine obligata eſt. l. t. §. ſi quis. D. ne uis fiat ei, qui in poſſeſ. l. 22. §. 1. D. de iur. fiſc. l. 2. & 7. C. de diſt. pign.

Nexus, pro uinculũ obligationis. Vlp. l. 26. §. 7. D. de cõd. indeb. Si emptor fundi damnauerit hæredem ſuũ ut uenditorem nexu uenditi liberaret.

Nocere noxã. Paul l. 63. D. ad leg. Falcid. Eadem cauſſa eſt eius ſerui, qui noxam nocuit. nec enim delinquendo quiſque precioſior ſit.

Nomen generalis appellatio eſt, quæ & prænomē, & nomen familiæ, & cognomē cõplectitur. Seneca lib. De benef. t 1 1. Si quod à Seneca accepiſſes, Annæo te diceres debere, uel Lucio, nõ creditorem mutares, ſed nomē. Quoniã ſiue præ nomē eius, ſiue nomē dixiſſes, ſiue cognomē, idē tamē il le eſſet. Propriè tamē Nomē à prænomine, cognomine, agnomine diſtinguit: uti patet ex l. 4. C. de teſta. & §. ſiquidē, 27. Inſt. de legat. itemq; ex his Chariſii uerbis: Propria nomina, inquit, in quatuor ſpecies diuiduntur: prænomē, nomen, cognomē, agnomē. ut Publius, Cornelius, Scipio, Africanus. Prænomē eſt qđ nomini præponitur, ut Publius: Nomē, qđ familiæ originē declarat, ut Cornelius: Cognomen, quod nomini ſubiungitur, ut Scipio: Agnomen, quod extrinſecus adiici ſolet, ut Africanus.

Nomenculator, qui ciuiũ nomina omniũ tenebat, quũ opus eſſet pronunciabat. Iis ueteres dum ambitioni ſeruiebāt, utebantur. Cicero in Murænia na Monitores eos appellat. Vlpia. l. 7. §. 2. D. de op. lib. Nã huius quoq; eſt miniſteriũ, ſi fortè uel librarius, uel nomēculator, uel calculator ſit. Venuleius l. ult. In fi. De lib. cau. Poteſt tamen & impubes operas dare: ueluti ſi nomenculator ſit, uel hiſtrio. Cicero in illa quã antè nominaui: Quid? quod habes nomēclatorē? in eo quidē fallis, & decipis: nam ſi nomine appellari abs te ciues tuos honeſtum eſt turpe eſt eos notiores eſſe ſeruo tuo, quàm tibi: ſi etiã noris, tamē per monitorem appellandi ſunt? cur non antè petis, quàm inſuſurrauit, aut quid, cùm admoneris, tamen quaſi tute noris, ita ſalutas?

Nomen eſſe capitis, pro delatum eſſe & receptum in reos capitis. Plaut. Aſinar. Nam iam ex hoc loco Ibo ego ad Treſuiros, ueſtraque ibi nomina Faxo erunt capitis.

Nominibus obligario, ſcriptura fiebat: ut ait Iuſtin. ſub tit. De liter. obligat. Eã ut intelligamus, illud ſcire oportet, Romæ moris fuiſſe, ut unuſquiſq; paterfam. tabulas domi haberet, in quib. quicquid p ſingulos dies aut acciperet, aut expēderet, perſcribebat: ut Cicero in ea p Cluētio demõſtrat. De earũ tabularũ fide Cenſores quinto quoq; anno ciues ad Iuſiurandum adigebant: uti Dionyſ. Halic. lib. 4. teſtatur. Hinc fidē in iudicijs facere ſolebāt: ut in Orat. pro Q. Roſcio demonſtrauimus. Vlpia. in l. 4. D. de pecul. Si uerò nomina ita fecerit dominus, ut quaſi debitorē ſe ſeruo faceret, cùm reuera debitor nõ eſſet, nõ obligatur. re enim, nõ uerbis peculiũ augēdum eſt. Pomponius l. 1. D. de annuis leg. Cùm in annos ſingulos quid legatũ ſit, neq; adſcriptum quo loco detur, quocũq; loco petetur, dari debet: ſicuti ſi ex ſtipulatu, aut nomine facto petatur. Extat etiam apud Scæuolam faciendi nominis mentio in l. Thais, 41. in fin. D. de fideicõ. libert. & alibi nõnullis locis. In quibus Tribonianũ hallucinatum, nec ſatis ſpecularibus ſuis uſum fuiſſe, ueriſimile eſt: cũ alijs in locis eã uocē expũxerit. ut in l. 1. D. de nouat. l. Græce, D. de fideiuſſ. l. 1. D. de oblig. & act.

ἀτρείδαι.ἐπεὶ ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων,
τὴν αὐτοῦ φιλέει,καὶ κήδεται. ὡς καὶ ἐγὼ τὴν ἐκ θυμοῦ φί-
λεον,δουρικτητήν περ ἐοῦσαν. Id eſt.
Cur autem populum adduxit huc congregans
Atrides? an non Helenæ gratia pulchricomæ?
An ſoli amant uxores diuerſiuocorum hominum
Atridæ? quippe qui bonus & prudens eſt,
Suam amat,& curat.ut ego quoque hanc
Ex animo amabam; quamuis captiuam.

Sextus Cæcilius hoc dictum uenuſtè tranſtulit ad eos qui uxores quamuis iniuſtas habent: ut adulterii accuſatio non minus ipſis, quam iis qui iuſtas uxores habent,permittatur. Vlp.l.13.D.de adulter. Planè ſiue iuſta uxor fuit,ſiue iniuſta: accuſationem inſtituere uir poterit. nam (ut Sex. Cæcilius ait) hæc lex ad omnia matrimonia pertinet.& illud Homericum adfert, Nec enim ſoli, inquit, Atridæ uxores ſuas amant. *ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων ἀτρεῖδαι.* Non ſoli amãt uxores Atridæ. Quod enim cum interrogatione pronunciauit Achilles,hic negatiuè retulit.

NON utique,non reſtrictè,non præcisè. Vlp.l.21. D.mand. Sed ſi non utique unius, ſed utriuſque mandatum intuitus id fecerim. Sic Pompo.l.43. D.ad leg. Aquil. Dominum enim lex Aquilia appellat, non utique eum qui tunc fuerit, cum damnum daretur.

NOXOCOMIVM, *νοσοκομεῖον*, locus ubi ægroti curantur, quem Valetudinarium Latinè dici ſuo loco docuimus. Vtitur Iuſt.l.illud,16.& l.ſancimus,18.C.de ſacroſ.eccl. *νόσος* autem morbum, *κομεῖν* uerò curare ſignificat: unde uocabulum confictum.

NOTAE, ſcripturæ compendium:& à literis diſtinguuntur. Paulus l.40.D.de teſt.milit. L. Titius milites notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictauit,& antequam literis perſcriberetur, uita defunctus eſt. Idem l.6.in fi.D.de bon. poſſ. Notas literas non eſſe, Pedius ad edictum ſcribit.

NOTARIVS, idem qui Librarius, ſi modò notis ſcribat. Paul.l.40.D.de teſt. milit. Lucius Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictauit,& antequam literis perſcriberetur, uita defunctus eſt. Sic l.26.C.de pignorib.l.41.§.Seio D.de fideic.liber.

NOTAE pro appendiculis,quas Iuriſconſulti ad ueterum ſcripta reprehendendi explicandiue cauſſa attexebant.l.2.C.de uet.iur.enucl.l.ex nota,10. D.de caſt.pecul.unde EX NOTIS Pauli ad Neratium,Marcelli ad Iulianum,ſæpe legimus in inſcriptionibus legum noſtrarum.

NOTHVS & Spurius quid differant,uide Spurius & Nothus.

NOTIONIS uerbum latiſsimum eſt: nam & in ciuilibus,& in criminalibus cauſsis uſurpatur. itaq; Notio dicitur Prætoris, qui utrum actio danda, an deneganda ſit,cognoſcit.l.ult.in fi.D.de oblig. & act. Sic in l.8.D. de tranſact. Prætoris dicitur eſſe notio, cùm de habitatione aut ueſtiario, aut alimento relicto tranſigendum eſt. & in l.6.C.quomod.& quand.iud. At in l.1.§.1. D.de offic.præf.urb. Notio ad cauſſas & animaduerſiones capitales refertur.ubi Vlpianus ſcribit,ea quæ ultra centeſimum lapidem fiunt,egreſſa eſſe Præfecti urbi notionem.itemque in l.penult.D.de calumniat. Propriè tamen notio uidetur eſſe rerum quæ neque criminales ſunt,& in facto, non in iure conſiſtunt: ueluti cùm Cicero in Orat.pro domo ſcribit, omnem eſſe notionem Pontificum cùm quis adoptatur, quæ cauſſa cuique ſit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis,quæ ſacrorum. Item cùm diſceptatur apud Prætorem, utrum qui filius eſſe dicitur, in poteſtate ſit, an non ſit. Prætoris notio eſſe debebit: inquit Vlpianus l.3.§.1.D.de lib.exhib. aut cum de illius ætate qui manumittit,uel de manumittendi cauſſa quæritur. Atque hæc quidem ita ſe habent, cum propria uerbi cuiusque ſignificatio exquiritur. Vlpianus autem in l.notionem,99.D.de uerb.ſignif. Notionem ſic poſſe accipi ſcribit, ut & Iuriſdictio & Cognitio intelligatur. Itaque idem in l.ait Prætor,5.D.de re iudic.cùm Prætor dixiſſet, CVIVS de ea re iuriſdictio eſt: Melius, inquit,dixiſſet: CVIVS de ea re notio eſt. etenim Notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui iuriſdictionem non habent,ſed habent de quauis alia cauſſa notionem.

NOTORIA dicuntur denunciationes criminum,elogia quibus crimina ad magiſtratus deferuntur. Paulus l.6.D.ad S.C.Turpil. Nunciatores qui per notoria indicia produnt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur. Imp.l.7.C.de accuſat. Ea quidẽ quæ per officium Præſidibus denunciantur, & citra ſolennia accuſationum poſſe perpendi incognitum non eſt.uerùm ſi falſis necne notoriis inſimulatus ſit,perpenſo iudicio diſpici debet.

NOVALIS, inquit Paulus,eſt terra præciſa,quæ anno ceſſauit.l.ſilua,30.D.de uerb.ſig. ubi PROSCISSA fortaſſe legendum eſt: cum in libro Varior. auctor. De limitibus ſcriptum ita ſit: Noualis ager eſt primum proſciſſus, ſiue qui alternis annis uacat, nouandarum ſibi uirium cauſſa. Et apud Seruium Georg.1. Propriè Nouales ſunt primùm arua proſciſſa,& primùm ſegetem ferentia. Plinius autem lib.18.cap.19. Nouale eſt quod alternis annis ſeritur. Duæ ergo huius uocis ſignificationes ſunt:quarum altera notatur in d.l.ſilua: altera in l.ult.D.de term.mot.l.8.D. de fund.dot.l.utiles,39.D.de petit. hæred.

NOVATIO eſt,ait Vlpianus, prioris debiti in aliam obligationem uel ciuilem uel naturalem, transfuſio atque translatio; hoc eſt, quum ex præcedenti cauſſa ita noua conſtituitur, ut prior perimatur. Nouatio enim à Nouo nomen accepit,& à noua obligatione.l.1.D.de nouat. Tri-

plex autem nouatio eſt: prima, cùm unius perſonæ obligatio in alterius perſonæ obligationem nouatur, altera, cum alterius generis obligatio in uerborum obligationem nouatur: tertia, cùm uerborum obligatio in alteram formam commutatur: id eſt cùm ei uel adiicitur, uel detrahitur. l. 1. & 2. D. illo tit.

NOVERCA dicitur uxor, liberis ex alia uxore natis: ait Modeſt. l. 4. §. 4. D. de gradibus.

NOVI operis nũciatio, uide Nũciatio noui operis.

NOVITII ſerui propriè dicuntur, recentes: Veteratores uerò, ſiue Veterani, Inueterati. Vlpian. l. 37. D. de ædil. edict. Præcipiunt Aediles, ueterator pro nouitio ueneat. Idem, Quia uenalitiarii ſciunt facilè decurri ad nouitiorum emptionem, iccirco interpolant ueteratores, & pro nouitiis uendunt. Item, Trita uerò mancipia & ueterana difficile eſt reformare. Sed Venuleius in l. ult. ſubtilius rem explicat. nam ueteratorem ſeruum eſſe ait turpiali cui ac ſordido miniſterio, quamuis recens, addictum: Nouitium uerò, qui uel nulli adhuc, uel nobili alicui & liberali homine dignæ arti, quamuis multo antè, deditus fuit: ueluti picturæ, medicinæ, muſicæ. quod Valla, opinor, non uiderat.

NOX pro noctu Decemuiros in XII. tabulis poſuiſſe, Gellius li. 8. ca. 1. docuit, ut ex indice intelligitur. Lex autem erat hæc, Si nox furtum faxit, &c.

NOXA, inquit Iuſtinianus, eſt ipſum corpus quod nocuit, id eſt ſeruus: Noxia ipſum maleficium, ueluti furtum, damnum, rapina, iniuria: inquit Imp. tit. De nox. act. in princ. Hoc ſine dubio Tribonianus eſt ſuſpicatus, ex eo quod Caius ſcribit l. 1. D. hoc tit. Liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit euitare litis æſtimationem. Et quum alibi dicitur Noxæ deditio, interpretatus eſt argutè homo ſagax, id eſt, corporis deditio.

NOXA, damnum, uitium ex re aliqua contractum. Hinc Capere noxam, & concipere & contrahere apud Columellam dicuntur ſerui ex nimio labore. Hinc Noxam nocere apud Liuium in antiqua formula: & Noxius ſeruus qui noxam nocuit id eſt damnum intulit, & ob eam cauſſam obnoxius eſt. Columella libro 3. Operam uinitoris quem uulgus quidem parui æris, uel de lapide noxium poſſe comparari putat. Hinc eundem ſeruum Noxæ dedere præciſa locutione dicimur, pro Noxæ nomine dedere: id eſt ob damnum & noxam quam intulit. Sic Verrina. 5. Lucri & acceſsionis dare frequentiſsimè, pro lucri & acceſſionis nomine. Et in Topicis, At ſi quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit. Et Liuius eleganter hoc tranſtulit, Obrui Aetnæ ignibus aut mergi freto ſatius illi inſulæ eſſe, quã uelut dedi noxæ inimico Conſuli. Hinc magis adeò conciſa locutione, Noxis ſolutus dicitur ſeruus, Noxio contrarius, ob cuius noxam nihil debetur, uel qui nemini eſt obnoxius (nam hinc quoque fictum obnoxii uocabulum uidetur) quaſi liber ac ſolutus omni obligatione, quæ ex noxa contrahitur: ſiue quòd nullam admiſerit, ſiue quòd eo nomine ſatisfactum ſit. Vlpianus ex Aedilium edicto in l. 1. Certiores faciant emptores, quis fugitiuus errove ſit, noxave ſolutus non ſit. Et in ſtipulationibus apud Varronem libro De re ruſtic. 2. Illoſce boues ſanos eſſe noxiſque ſ. præſtari, id eſt ſolutos: & ſuprà, Illaſce ſues ſanas eſſe, habereque rectè licere, noxiſque. ſ. præſtare ſpondes? Vbi tamen S litera deſideratur: hæc enim ſtipulationis erat formula, ut conſtat ex l. 3. & 30. D. de euict. Hinc Noxa caput ſequitur, id eſt obligatio ex noxa contracta facti auctorem ſequitur. nam ſiue alienetur ſeruus, in nouum dominum transfertur actio: ſiue ipſe manumittatur, in ipſum demigrat. uti docet Imp. §. 3. De nox. act. & Vlpianus l. 1. §. 6. D. Si qua. paup. & leg. 1. §. 14. D. de poſ. item Caius l. 20. & ult. D. de nox. act. & alibi perſæpe. Noxia autem à noxa hoc differt, quo ſpecies à genere. Nam quum utraque pro ipſo peccato ſeu potius actione peccandi ponatur, tum uerò noxa pro effectu qui ex peccato redundat, id eſt obligatione & culpa plerunque uſurpatur. Vnde noxæ eximere, & noxalis actio, & noxis ſolutus, & noxa caput ſequitur: non autem noxia, aut noxialis dicitur. uide. Caput noxa ſequitur.

NOXA apud poetas & oratores ponitur pro culpa: at noxa peccatum. aut pro peccato pœna. ut Accius Menalippe, Te eſſe huic noxæ obnoxium. Item quum lex iubet noxæ dedere, pro peccato dedi iubet. Feſtus.

NOXAE uerbum in hac ſtipulatione Noxis ſolutum præſtari, non exiſtimatur (inquit Iulianus) ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem & coercitionem capitalem habent. l. 200. D. de uerb. ſignif.

NOXAE dedere, eſt animal tradere uiuum. l. 1. §. 6. D. Si quad. paup.

NOXA ſolutus dicitur, non qui nullam noxam commiſit, ſed qui noxali iudicio ſubiectus non eſt. l. 17. §. 16. D. de Aedil. edict.

NOXAM Vlpianus & fraudem ita diſtinguit, ut illam ad priuatum delictum, hanc ad crimen publicum referre uideatur. Noxas, inquit, accipere debemus priuatas, hoc eſt eas quæcunque committuntur ex delictis, non publicis criminibus: ex quibus agitur iudiciis noxalibus. denique ſpecialiter cauetur infrà de capitalibus fraudibus hæc ille l. 17. §. 16. D. de Aedil. edict.

NOXALES actiones appellantur quæ ex noxa atque maleficio ſeruorum aduerſus nos inſtituuntur: quarum uis & poteſtas hæc eſt, ut ſi damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit euitare litis æſtimationem. l. 1. D. de nox. act.

NOXIA, eſt delictum: à nocendo dicta. unde

noxiæ

noxiæ æſtimatio, quum quadrupes pauperiem fecit. l. 1. D. ſi quad. paup.

Noxiae appellatione omne delictum continetur: ait Caius l. 238. §. 2. D. de uerb. ſig.

Nuda dicuntur in iure, quæ ſimplicia ſunt, neq; id quo de agitur, adiunctum habent. ueluti,

Nuda proprietas dicitur, cui uſusfructus deeſt l. 29. D. de uſuf. l. 8. D. de uſuf. legat. l. 34. D. de rei uindic.

Nuda poſſeſsio, quæ ſine proprietate obtinetur. l. 66. D. de euict. l. 21. §. 1. D. quod met. cauſ.

Nuda conuentio, quæ ſine traditione eſt l. 1. D. de pign. act. l. 4. D. de pignoribus.

Nuda pacta, quibus cauſſa nulla ſubeſt præter conuentionem l. 7. D. de pact. l. 5. C. de cont. ſtipul.

Nuda conuentio quæ in ſe negociũ, id eſt συνάλλαγμα non habet. l. 1. D. de præſcript. uerb.

Nudus conſenſus, ſine rei traditione, aut literis, aut ſtipulatione. l. 52. D. de obligat. & actio. l. 14. D. locat.

Nuda promiſsio, quæ ſine ullo fideiuſſore aut iureiurando præſtita eſt: apud Imp. §. 1. De ſatiſd. l. 2. §. ſed utrum, D. de iudic.

Nuda ratio, dicitur à Pomponio nomen æris alieni in codicem accepti, ſic relatum ut qua de cauſſa debeatur adſcriptum non ſit. Si dominus, inquit, in rationes ſuas referat ſe debere ſeruo ſuo, quum omnino neq; mutuum acceperit, neq; ulla cauſſa præceſſerat debendi, nuda ratio non facit eum debitorem. l. 49. D. de pecul. Idem in l. 26. D. de donat. Nuda ratio non facit aliquem debitorem. utpote quod donare libero homini uolumus, licet referamus in rationes noſtras, debere nos: tamen nulla donatio intelligitur.

Numeri pro albo, in quo lecti milites conſcribuntur: quem Græci κατάλογον appellant. Vlpianus l. ex eo, 42. D. de teſt. milit. Ex eo tempore quis iure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros relatus eſt, ante non proinde qui nondum in numeris ſunt, licet etiam lecti tyrones ſint, & in publicis expenſis iter faciunt, nondum milites ſunt. debent enim in numeros referri. Sic in l. 4. l. 39. §. 1. D. eod. l. 16. C. illo tit.

Numis antiquis pro gemmis uti pleroſq; ſolitos, Pomponius ſcribit in l. 28. D. de uſuf.

Numo addicere, aut mancipio dare, eſt ita dare, aut attribuere, ut quamuis uendita res non ſit, uendita tamen eſſe uideatur. nam dicis cauſſa, & (ut uulgò loquimur) pro forma numus unus dabatur. Vitruuius lib. 1. cap. 4. in fi. Secundum mare mercatus eſt poſſeſsionem loco ſalubri (de M. Hoſtilio loquitur) ab Senatu populoq; R. petijt, ut liceret transferre oppidum, conſtituitq; mœnia, & areas diuiſit, muroq; ſeſtertio ſingulis municip. mancipio dedit. Cic. pro Poſthum. Ecquis eſt ex tanto popul. qui bona C. Rabirij Poſthumi numo ſeſtertio ſibi addici uelit? Vlpianus l. 46. D. locat. Si quis conduxerit numo uno. conductio nulla eſt: quia & hoc donationis inſtar inducit: id eſt, quia non eſt uera conductio, quippe quæ mercedem duntaxat dicis cauſſa conſtitutam habet.

Numo uendere. Pomp. l. 66. D. de iur. dot. Quidam ergo remedij loco rectè putauerunt introducendum, ut uel locet hunc uſumfructum mulieri maritus, uel uendat numo uno.

Numularii, à numulis dicti: collybiſtæ, permutatores numorum: qui maioris precij numis acceptis, numulos, id eſt, minuſculam monetã per partes reddebant: aut certæ regionis acceptam pecuniam, regionis alterius pecunia permutabant: itẽ ut Collybiſtæ. Paulus l. 9. §. 2. D. de edend. Numularios quoq; non eſſe iniquum cogi rationes edere Pomponius ſcribit: quia & hi numularij ſicut argentarij rationes conficiunt: quia & accipiunt pecuniam & erogant per partes, quarum probatio ſcriptura codicibusq; eorum maximè continetur: & frequẽtiſsimè ad fidem eorum decurritur. Vlpianus autem in l. 7. §. 2. numularios pro argentarijs ponere uidetur. Numularios præterea pecuniam ſpectaſſe ac probaſſe patet ex l. 39. D. de ſolut.

Nuncupata pecunia eſt (ut ait Cincius in lib. 2. De offic. Iuriſconſulti) nominata, certa, nominibus proprijs pronunciata: Quum nexum faciet, mancipiumq;, uti lingua nuncupaſſet ita ius eſto. Feſtus.

Nuncupatur teſtamentum in hunc modum: tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit, Hæc uti in his tabulis cerisve ſcripta ſunt, ita do. ita lego, ita teſtor. itaq; uos Quirites teſtimoniũ præbitote: quæ nuncupatio, & teſtatio uocatur. Vlpianus c. Inſt. xx. Iulian. l. 8. §. 3. D. de bon. poſſ. ſec. tab. Quidam teſtamentum in tabulis ſibi fecit, filio autem impuberi per nuncupationem ſubſtituit. Itẽ, Nam quemadmodum ſcripto filij hæredi, ſeparatim ab hæredibus patris, ita nuncupato poteſt uideri ſeparatim, &c.

Nuntiatio noui operis in Pandectis, ſic accipiẽda eſt. Prætor edixit ut ſi quis putet uicinum nouum aliquod opus molientem non habere ius id faciendi, liceat ei denunciare uicino, ne id faciat: itaq; eum prohibere: uetatq; ei cui denunciatum eſt, ſiue ius habeat, ſiue non tamen ne quid inſtituat: quod ſi edictum neglexerit, Prætor aditus interdicit, ut opus factum reſtituat, id eſt, interim id decernit, dum apud iudicem a Prætore datũ planum faciat ſibi ius eſſe ſic ædificare: omnino autẽ diruere id cohitur, propter edictum Prætoris, ſiue iure, ſiue iniuria ædificarit. quòd ſi nuntiator uelit remittere enunciationem, licebit ædificare, licebit etiam nouatori ſatiſdare ſe opus demoliturum, ſi nuntiator actione ſua negatoria (quã continuò poſt nuntiationem debet intendere) probarit apud iudicem id non licuiſſe. Hæc ex tract. De noui op. nuntiat. ſummatim.

Nuntiatores, dicuntur delatores criminum: ex

quo

quo eorum indicia,notoria dicuntur.Paulus l. 6. D.ad S.C.Turpil.Nuntiatores qui per notoria indicia produnt, notorijs ſuis adſiſtere iubentur. Iidem ad Imp. denuntiare dicuntur in l.7. C. de accuſat.

NVNTIVM mittere dicuntur coniuges facto diuortio,cùm ut ſuas res ſibi habeant, denuntiant. l. 5. & l.7.D.de iur.dot.Cic. in Top.Si mulier cũ fuiſſet nupta cum eo,cui connubij ius non eſſet, nuntium remiſit.

NVPTALITIVS,nuptialis.Vlpia.l.194.D.de uerb. ſig.nam Munus eſſe donum cum cauſſa,utputa natalitium,nuptalitium.

NVPTIAE, ſiue matrimonium, eſt uiri & mulieris coniunctio,indiuiduam uitæ conſuetudinem cõtinens:ait Imp.De nupt.in prin.

NVPTIAE ſunt coniunctio maris & fœminæ,& cõſortium omnis uitæ: diuini & humani iuris communicatio.l.1.D.de ritu nup.

NVPTIAE iuſtæ dicuntur,quas ciues Rom.puberes parentibus,ſiquidem in eorum poteſtate ſunt,auctoribus,inter ſe contrahunt.

NVRVS eſt filij uxor, ait Modeſt.in l.4. §. 4. D. de grad.& aff.

NVTRICIA,merces nutricis,τὰ τροφεῖα.Vlp.l.1.§.D. de extraor.cognit.Ad nutricia quoq; officiũ præſidis uel Prætoris deuenit. nanque & nutrices ob alimoniam infantium apud Præſides quod ſibi debetur petunt.Sed nutricia eouſq; producemus, quoad infantes uberibus aluntur.

NYCTALOPS,νυκτάλωψ,qui occaſo ſole oculis eſt hebetioribus.Pli.lib.8.cap.15. Caprinum iecur ueſcentibus reſtituit ueſpertinam aciem his quos Nyctalopas uocant.Vlpian.l.10.§.3. D. de ædil. edict. Sed & νυκτάλωπα morboſum eſſe conſtat: id eſt ubi homo neq; matutino tempore uidet,neque ueſpertino,quod genus morbi Græci uocãt. νυκτάλωπα.Ariſtot.problem.ſect.31. Νυκτάλωπας λέγουσι, ὅταν μὲν συμβῇ τὴν ἡμέραν βλέπειν, δυομένου δὲ ἡλίου ἀμαυρότερον, νυκτὸς δὲ γενομένου οὐδ' ὅλως. Nyctalopas appellant quum accidit ut interdiu quidem cernant:occidente uerò ſole,hebetius:nocte uerò neutiquam.

DE LITERA O.

O.C.OPE conſilio, quam locutionem exponit Paulus in l.ſæpe, 53.D.de uerb. ſig. apud Paulũ Diaconum igitur mendum eſſe, O. C. ore concilio, uel ore concilij.

O.D.M.Operæ,donum. munus. nam apud Paulum Diaconum corruptè legitur Domus.Hæc tria(ut ait Paulus noſter in l.ſæpe,53.D.de uerb.ſig.)ſine diſiunctione ita pronunciabantur? Erant autem ea quæ Patroni ſuis libertis quum eos libertate donabant,imponere conſueuerant:ut ex tractatu de operis libertorum facilè intellectu eſt, in quo mendum harum notarum ignoratione natum eſt apud Paulum in l.qui libertinus,37.ubi legem Papiam edit, NE QVIS EORVM operas, doni, muneris, aliudve: pro operas, donum, munus, aliudve.

O.L.O.CON.Opere locato,opere conducto.Adſcribi autem ſolebat EFFECTO PROBATOQVE, quum perfectum eſſet. Et hoc eſt quod Paulus ſignificat in l.5.De uerb.ſignif.Opere locato,cõducto:his uerbis ἀποτέλεσμα ſignificatur.Nam cõciſe Paulus loquitur, pro Opere locato effecto, opere conducto effecto. Quare apud Val. Probũ pro Operas conduxit,Operas locauit, reponere, Opere conducto,Opere locato. In lapide autem uetuſto legi operis faciundi adſcriptum eſt,Altera pecuniæ pars dimidia ſoluetur opere effecto probatoq;. ut apud Macrum in l.7.§.1.D. Repetund.Illud quoq; cauetur,ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, approbandum, ſarta tecta tuenda,antequam perfecta,probata, præſtita, lege erunt.

OBLATVM furtum dicitur,ait Imp.quum res furtiua ab aliquo tibi oblata ſit, eaq; apud te cõcepta ſit:utiq; ſi ea mente tibi data fuerit,ut apud te potius,quàm apud eum qui dedit,conciperetur. nã tibi apud quem concepta ſit, propria aduerſus eum qui obtulit quamuis fur non ſit, conſtituta eſt actio,quæ appellatur oblati. §. 4. De obligat. quæ ex delict.

OBLIGATIO, eſt iuris uinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei ſoluendæ ſecundũ noſtræ ciuitatis iura.ait Imp.tit.De oblig.in prin.

OBLIGATIONVM autem aliæ naturales dicuntur, aliæ ciuiles,aliæ mixtæ. Naturales ſunt,quæ cum reuera contractæ ſint à iure tamen Quiritiũ non approbantur:ueluti ſi ſeruus ciui Ro. pecuniã crediderit: iure quidem naturæ,quæ parem omnium hominum conditionem eſſe uoluit,obligatio nata eſt,ſed Prætor de ea ius non dicit. Ciuiles ſunt, quæ uel nunquam reuera contractæ ſunt,uel cùm reuera contractæ eſſent, facto tamen aliquo, ſed ad iuris ciuilis rationem non accommodato, diſſolutæ ſunt.Mixtæ ſunt, quæ cùm reuera & æquiſſimè contractæ ſint, tum etiam à iure ciuili comprobatæ & confirmatæ ſunt: cuiuſmodi ſunt, ex mutuo,commodato,depoſito,empto conducto, & ceteris ſimilibus.

OBLIGATIONVM rurſus aliæ ſunt ciuiles,aliæ honorariæ.Ciuiles ſunt,quæ(ut Iuſtinian.ſcribit)aut legibus conſtitutæ,aut certo iure ciuili comprobatæ ſunt.Prætoriæ ſunt, quas Prætor ex ſua Iuriſdictione conſtituit,quæ etiam honorariæ uocãtur: ait Imp.§.1.De oblig.

OBLIGATIO inanis,inefficax.Papin.l.95.§.1. D.de ſolut.Aliquando euenit, ut inanis obligatio aditione hæreditatis confirmetur.

Obrogare,

Obrogare, uide Lex, aut Rogatur.

Obscvrare luminibus legitur in l.30.D. de uſuf. mendoſe, ut opinor: pro Obſtruere.

Obsidiani lapilli ab Vlpiano commemorantur in l.19.§.6.D. de aur. & arg. ubi tamen **Obsiani** legitur. Plinius lib.36.c.26. In genere uitri & obſidiana numerantur ad ſimilitudinem lapidis, quẽ in Aethiopia inuenit Obſidius, nigerrimi coloris, aliquando, & tranſlucidi, craſsiore uiſu, atque in ſpeculis parietum pro imagine umbras reddente.

Obsonatores ſerui, qui coemendis obſonijs ſunt præfecti. Marcia. l.65. de legat. & fid. lib.32. Cubicularios autem uel obſonatores, uel eos qui piſcatorib. præpoſiti ſunt, &c. Eſt autem Obſoniũ ὀψώνιον, quicquid præter panem & uinum cibi cauſa in menſam infertur.

Obtemperare ius dicenti non dicitur, niſi qui quod extremum in iuriſdictione eſt fecit. l.1.§.1. D. ſi quis ius dic.

Obtinere, pro iudicio uincere. Vlpianus. l.5.§.5.D. iudi. ſol.

Obvenire hæreditas, uide Deferri hæreditas.

Obventiones, dicuntur emolumenta omnia, quę tum ex corpore ipſo rei, tum ex hominum opera & induſtria obueniunt: ueluti penſiones urbanorum prædiorum, uecturæ iumentorum, &c. l.1.§. exercitorem, D. de exercit. l.34.D. de uſur. l.7.D. de uſufr.

Occidisse dicitur uulgò is qui mortis cauſſam quolibet modo præbuit. ſed lege Aquilia is demum teneri uiſus eſt, qui adhibita ui & quaſi manu cauſam mortis præbuiſſet: tracta uidelicet interpretatione uocis à cædendo, & à cæde. l.51.D. ad leg. Aquil. Itaque Vlp. in l.7.§.1. eod. titu. Occiſum, inquit, accipere debemus, ſiue gladio, ſiue fuſte, uel alio telo: uel manibus, ſi fortè ſtrangulauit eum, uel calce petiit, uel capite, uel qualiter qualiter.

Occipere magiſtratum, inire. Liuius lib.23. Creatur Marcellus qui extemplo magiſtratum occiperet. Item li.41. Collegam, qui extemplo magiſtratum acciperet creauit.

Occvpare pecuniam exercere, ocioſam non relinquere. Collumella lib.1.ca.8. de uillico loquens, Neve negocietur ſibi, pecuniamq; domini, aut animalibus, aut rebus alijs promercalib. occupare. Quæ eadem uerba ipſe idem iterat lib.11.cap.1. Hinc occupare pecuniam, pro locare fœnori. Cicero pro Flacco, Pecuniam adoleſcentulo grãdi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauiſti. Idẽ Verrin.3. Præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat.

Ociosa pecunia, uide Otioſa.

Odofredvs, uide Ioannes Odofredus.

Odonvm Vlpianus meminit in l.25.§.17.D. de aur. arg. Alia, inquit, cauſſa eſt odonum: quia uſum ealceamentorum præſtãt. Significare uidetur ſoleas laneas aut lineas, quarum alteras caloris, alteras mundiciei cauſſa induimus. Vdones tamen apud Martialem legimus. nam de Vdone cilicio hoc ex Epigramm.

Non bos lana dedit, ſed olentis barba mariti,
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

Nam de calceo loquitur, ut apparet, non de ueſte. ut qui de ueſtibus Vndulatis Vlpiani locum intelligunt, uehementer errare uideantur, quum Vlp. de calceis loquatur, non de ueſtibus.

Oenomeli, οἰνόμελι, mellitum uinum, ut origo uerbi declarat, Latinè mulſum. Vlpian. l.9. D. de tri. uin. ol. Oenomeli planè, id eſt dulciſsimũ uinum, uini legato continetur.

Offerre ſe liti dicitur, qui ſine mandato in aliena lite iudicium accipit. l.4.D. de re iudic. l. Plautius 61.D. de procur. Item.

Offerre ſe liti dicitur, qui rei ad ſe non pertinẽtis actionem excipit. l. qui ſe, 45.D. de hæred. petit. l. is qui, 25.D. de rei uindic.

Officiales, miniſtri magiſtratuum. Paulus libro. Sent.5.c. de fiſci aduoc. Quoties ſine auctoritate iudicati officiales alicuius bona occupant, uel deſcribunt, uel ſub obſeruatione eſſe faciunt, adito procuratore iniuria ſubmouetur. Vlp. l.1.§. ſiquis ultro, 19.D. de quæſt. Potes itaq; decreti gratiam facere, & eam per officium diſtrahi iubere.

Officivm, pro Irenarchis. Imp. l.7. C. de accuſat. Ea quidem quæ per officium præſidibus denunciatur, & citra ſolennia accuſationem poſſe perpẽdi, incognitum eſt.

Officivm, pro cuſtodia liberiore. Paulus l.4. De fugit. Magiſtratus municipales ad officium præſidis prouinciæ uel proconſulis comprehenſos fugitiuos rectè tranſmittunt.

Officivm Prætoris, cellula, opinor, erat, in qua ſcripta quædam ad ea quæ pro tribunali agenda erant pertinentia reponebantur. Aſcon. in Verri. 2. Moris erat, celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina iudicum ſelectorum. Modeſtin. l.72. D. de furt. Sempronia libellos compoſuit, quaſi datura centurioni ut ad officium tranſmitterentur: ſed non dedit. Lucius pro tribunali eos recitauit, quaſi officio traditos: quæro, non ſunt inuenti in officio, neq; centurioni traditi. Paulus l.17.D. de in ius uoc. Eum pro quo quis apud officium cauit, exhibere cogitur. Item eum qui apud acta exhibiturum ſe eſſe quem promiſit, & ſi officio non caueat, ad exhibendum tamen cogitur.

Officivm, pro eo qui gerit officium ſiue magiſtratum, ſiue quam aliam poteſtatem. unde deponere apud officium, l. ſi fideiuſſ.7.§. ult. ff. Qui ſatiſd. cog. Sic cauere officio & apud officium cauere, id eſt apud eum qui poteſtatem exercet. Differunt autem promittere apud acta, & officio cauere. qui promittit apud acta, is obligatur quidẽ, ſed non tam ſolenniter atq; is qui apud officium cauet.

cauet. Hæc differentia notatur in l. Eum pro quo 17. ſi quis in ius uoc. non ierit.

Officium & Artificium in ſeruis diſtinguũtur apud Marcianum in l. legatis, 65. D. de legat. tertio.

Officium eorum dicitur, qui ad corpus dominici cultum deſtinati ſunt: quales ſunt tonſores, uncto res, cubicularij, miniſtratores: de quibus in l. 103. D. de uerb. ſig. Artificium autem eorum, qui artẽ aliquam exercent: quales ſunt textores, fullones, lecticarij, pictores, medici. d. l. 65. & l. pen. D. de reb. dub.

Officio iudicis contineri dicitur, quod ei tacitè pro ſuo iure permiſſum eſt, quamuis nullam Prætor in formula mentionẽ eius fecerit. Imp. §. ult. De perpet. & temp. Si ante rem iudicatam is cum quo actum eſt, ſatisfaciat actori: officio iudicis cõ tinerit eam abſoluere. Pompon. l. 9. D. de furt. Sed ſi eam à fure uindicaſſem, condictio mihi manebit. ſed poteſt dici officio iudicis qui de proprietate cognoſcit, contineri, ut non aliter iubeat reſtitui, quàm ſi condictionem petitor remitteret.

Oneris ferendi ſeruitus dicitur, quę ut uicini onera ſuſtinere quis cogatur, imponitur. l. 1. & l. 33. D. de ſeruit. urb. Alia autem eſt ſeruitus Oneris ferendi, alia Tigni immittendi. nam cui prior debetur, agere cum uicino poteſt, ut ruinoſum parietẽ reficiat, eumq; oneri ferendo idoneum præſtet. at qui tigni immittendi ius habet, cogere uicinum ut parietem reficiat, non poteſt. l. etſi fortè, 6. §. 2. 1 8. §. competit, D. ſi ſeruit. uindic. l. eum debere, 33. D. de ſeruit. urb.

Oneris nomine, quæcunq; in nauem uehendi cauſſa imponũtur, intelliguntur. l. 6. D. ad leg. Rhod. l. 31. & l. pen. §. pen. D. locati. unde.

Onerandae libertatis cauſſa facta, ita definiuntur, quæ ita imponuntur, ut ſi patronum libertus offenderit, petantur ab eo, ſemperq; ſit metu exactionis ei ſubiectus, propter quem metum quiduis ſuſtineat, patrono præcipiẽte. l. 1. §. 5. D. quar. rer. act. non det.

Oneris auerſi actio, uide Actio oneris auerſi.

Ope conſilio furtum factum dicitur, non coniunctim, ſed ſeparatim: quia aliud factum eſt eius qui ope, aliud eius qui conſilio furtum facit. l. ſæpe, 53. D. de uerb. ſig. Conſilium autem dare uidetur qui perſuadet & impellit atq; inſtruit conſilio ad furtum faciendum.

Opem fert, qui miniſterium atq; adiutorium ad ſurripiendas res præbet. l. in furti, 50. D. de furt.

Operae libertorum officia ſunt quæ liberti patronis in gratiæ & remunerationis loco præſtant. nã (ut ait Caius in l. cum patronus. 22. D. de oper. libert.) operarum editio nihil aliud eſt, quàm officij præſtatio. Earum autem duo genera ſunt ſumma, Officialium & Artificialium. Officiales dicuntur, quæ non in arte ulla certa, ſed in patrono quibuſcunq; officijs adiuuando uerſantur: & perſonam eius potiſsimum attingunt; ueluti, cum nullo ſuo detrimento negocia eius gerendi, peregrè cum eo proficiſcendi. l. hæ demũ, 38. D. de oper. libert. Tironem enim erga Ciceronẽ officioſum eſſe, ſemper ei præſtò eſſe, ab eo dum ęgro uel corpore, uel animo eſt, non diſcedere, doctiſsimis eũ ſermonibus & colloquijs oblectare: Dionyſium porrò Attico idem præſtare, Ciceronum liberos erudire, humanitatis eſt potius, quam ullius artificij munus, atq; hoc eſt quod Vlp. ait in l. opere. 9. D. eod. proprietatem officialium & in dantis, & in accipientis perſona conſiſtere. Artificiales autem appello generaliter omnes, quæ artis alicuius propriæ ſunt, neq; ſine illa præſtari poſſunt: ueluti ſi libertus pictor, medicus, faber, architectus ve ſit, & patroni ſui iuſſu pingat, medeatur, fabricet, architecteturve, hoc officium non tanquam libertus patrono, ſed ut quiuis alius cuiuis alij præſtabit. Quid enim illum libertum, aut hunc patronũ eſſe neceſſe eſt, ut ille nauim domumve huic ædificet? Hinc Vlp. eas operas quę hoc in genere ſunt ſcribit quaſi in pecuniæ præſtatione conſiſtere: l. fabriles, 6. D. eod. nam fabriles, pictorias, cæteraſque generis eiuſdem artificialium nomine complector, atq; ut omnes complectar, Latinæ linguę ratio poſtulat. Hinc idem Vlpianus in l. operæ. 9. eod. ſcribit fabriles; aliasve generis eiuſdem, ut a quocunque & cuicunque ſolui poſſe: & iubente patrono etiam aliis edi poſſe. Hinc idem in. l. 6. D. eod. illam inter utraſque differentiam exponit: quòd fabriles, cęteræq; ad hæredẽ tranſeunt: officiales verò, nequaquam. Cuius rei non obſcura cauſſa eſt. nam hæ, ut antè dixi, perſonales ſunt, nec ab altero facilè præſtari poſſunt: illæ uerò, & à quouis, & cuiuis.

Operis noui nuntiatio, uide Nuntiatio noui operis.

Opere locato, conducto. His uerbis Labeo ſignificari ait id opus quod Græci ἀποτέλεσμα uocant: nõ ἔργον: id eſt ex opere facto corpus aliquod perfectum. hæc Paulus l. 5. D. de uerb. ſig.

Opinio plena dicitur in l. inter. 6. §. 1. D. de interdict. pro, Exiſtimatione pręſidis ſiue ſentẽtia nõdum pronuntiata, cui acta & defenſio rei, ſupplementa partium adiuncta ſunt. l. ſciendum. 6. D. de appell. recip. l. 1. C. de relat. l. eos. §. ſuper his, l. a proconſ. C. de appellat.

Opisthographum, ὀπισθόγραφον, opinor eſſe chartam non utraq; ex parte ſcriptam, uti doctiſsimo cuiq; placere uideo, ſed quæ una ex parte deleta, ὄπισθεν, id eſt ponè ſcripta eſt. quam opinionem meam Vlpiani uerba confirmant, quæ ſubijciam ex l. 4. D. de bon. poſſ. ſec. tab. Chartæ appellatio inquit, & ad nouam chartam refertur, & ad deletitiam: proinde & ſi in opiſthographo quis teſtatus ſit, hinc peti poteſt bonorum poſſeſsio. Veteres plerunq; una tantum in parte ſcribebant, quia

ſcriptas

ſcriptas chartas poſtea inuoluebant: unde uolumina dicta ſunt.

OPORTERE uerbum, ait Paulus, non ad facultatem iudicis pertinet, qui poteſt uel pluris uel minoris condemnare: ſed ad ueritatem refertur. l. 37. D. de uerb. ſig.

OPORTET, in ſtipulatione quod te mihi dare facere oportet, quod præſenti die duntaxat debetur, complectitur: & ideo adijcitur uerbum Oportebit, uel ita, Præſens in diemve. l. ſi ſtipulatus, 76. l. cum ſtipulamur, 125. D. de uerb. oblig.

OPPIDUM, inquit Pompo. ab ope dicitur, quòd eius rei cauſſa mœnia ſint conſtituta. l. 239. §. 7. D. de uerb. ſig.

OPTIMA lex quum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui uulgò Dictator appellatur, quàm plenißimum poſſet ius eſſe ſignificabatur, ut fuit M. Valerij Marci filij Voluſi nepotis: qui primus magiſter populi creatus eſt. poſtquam uerò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitū eſt dici, ut optima lege utpote imminuto iure poſteriorum magiſtratuum. Hæc Feſtus. Verba etiam quibus Pontifex Max. uirginem Veſtalem capiebat, hæc Gellius lib. 1. ca. 12. recenſet, ſacerdotem Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ ius fiet ſacerdotem Veſtalem facere pro populo Quiritibus, uti quòd optima lege fiat, ita te Amata capio.

OPTIMUS maximuſque fundus dicitur, qui ſeruitute omni, & obligatione pignoris ac tributo immunis eſt. Paulus l. 169. De uerb. ſignif. Non tantùm in traditionibus, ſed & in emptionibus, & ſtipulationibus, & teſtamentis adiectio hæc UTI optimus maximuſque eſt, hoc ſignificat, ut liberum præſtetur prædium, non ut etiam ſerui tutes ei debeantur. Quod idem tradit Vlpianus l. 90. & 126. eiuſd. tit. & l. pen. D. de euict. & l. 59. De cōt. empt. Cicero de lege Agr. Optimo enim iure ea ſunt profectò prædia, quæ optima cōditione ſunt: libera meliore ſunt quàm ſerua. Capite hoc omnia quæ ſeruiebant, non ſeruient: ſoluta meliore in cauſſa ſunt, quàm obligata. Eodem capite legis tuæ ſubſignata omnia, ſi modò Syllana ſunt, liberantur: immunia meliore conditione ſunt, quàm illa quæ penſitant.

OPTIO, cuiuſuis muneris adminiſter dicitur (mea quidem ſententia) Paterno in l. ult. D. de iur. immunit. Menſores, optio, ualetudinarij, & infrà, Venatores, uictimarij, & optio fabricæ. nam ut ſcribit Vegetius, Optiones ab optando appellati ſunt: quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, ij tanquā adoptati eorum atque uicarij ſolent uniuerſa curare. Varro in primo De lingua Latina Primi, inquit, ſingularum decuriarum decuriones dicti: quos ij primos adminiſtros ſibi adoptabant, Optiones uocari cœpti, quos nunc propter ambitiones Tribuni faciunt. Feſtus: Optio, inquit, eſt optatio: ſed in re militari is appellatur, quē decurio aut centurio optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum, quo facilius obeat officia publica. Idem: Optio, inquit, qui nunc appellatur, antea appellabatur accenſus. Is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum: qui quia cooptare quē uelint Centurionibus permiſſum eſt, ex facto nomē ſortitus eſt. Nonius: Optiones, inquit, in cohortibus dicuntur, qui ſunt honeſti gradus, ut optatos: hoe eſt electos: & adoptatos, hoc eſt aſcitos. Varro De uita patrum lib. 1. exiſtimat appellatos, qui referentibus Centurionibus adoptati in cohortes ſubibant, ut ſemper plenæ eſſent legiones. à quo optiones Decurionum in turmis & in cohortibus centurionum appellati.

OPTIONES, poni uidentur pro Lictoribus: & apparitoribus eius magiſtratus qui damnatum ad ſupplicium deducit. Paulus l. penul. D. de bon. damnat. Ita neque ſpiculatores ultrò ſibi uindicent (loquitur de damnati ſpolijs) neque optiones ea deſiderent, quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt, hanc rationem non compendio ſuo debent Præſides uetare: ſed nec pati opiones, ſiue Commentarienſes ea pecunia abuti.

OPTIONIS legatum eſt, cùm teſtator ex ſeruis ſuis, uel alijs rebus optare legatarinm iuſsit. unde Rub. De optione legata. Eius autem hæc uis eſt, ut cui optio legata eſt, etiam eius hæredibus ſi uiuus ipſe non optarit, optio debeatur leg. ult. C. commun. de legat. §. optionis, 22. Inſtit. De legat.

ORATIONES principum in iure dicuntur, quibus illi Senatum aut corām oratione, aut abſentes per epiſtolam conſulebant. l. 3. C. de legib. & conſtit. Huiuſmodi pleræque extant D. Marci, ut de tranſactione alimentorum, de bonis maternis, de fugitiuorum requiſitione. D. Antonini, de donationibus inter uirum & uxorem. Seueri, de rebus eorum qui ſub tutela ſunt non alienandis. Adriani, de petitione hæreditatis: quæ ob eam cauſſam Senatuſconſultū appellatur. l. item ueniunt, 20. §. 6. in ſi. D. de hæred. petit. Tacitus libro XI. Oratione Principis ſecuto patrum conſulto, primi Hedui ſenatorum in urbe ius adepti ſunt.

ORACULUM Imperatores in Codice appellant iuſſum principis ipſius ore, ſine ullo reſcripto & annotatione pronunciatum. l. iubemus, 10. C. De ſacroſ. eccleſ. ult. C. de diuin. reſcrip.

ORCINUS libertus dicitur, qui directam ex teſtamēto libertatem accepit: nec unquam patronum uiuum habuit. Orcū enim Latini Ditem patrem appellarunt. quare cum libertus ille nullius libertus ſit, ut ſcribit Paulus l. 4. D. de bon. libert. Ditis ſiue Orci libertus nominatur. Vlpianus l. 4. §. 7. D. de fideicom. libert. Hi qui ad libertatem peruenerunt, quorum liberti fiant, inſtitutio oſtendit: ut qui directā libertatem, Orcini erunt liberti. quod idem Iuſtin. ſub Tit. De ſingul. reb. affirmat. Impp. l. directis, 10. C. de teſtam.

OSSVARIAE, ciſtæ in quibus defunctorum oſſa recondebantur. Vlpia. l. 2. D. de ſep. uiol. Et Celſus ſcribit ſic eſſe monumenti, ut oſſuariam: & ideo quod ui aut clàm interdicto locum fore.

OTIOSA pecunia dicitur à Iuriſconſultis quæ in arca iacet, nullum ſuo domino fructum afferens: eique tanquam eregionè reſpondet, occupata. nam occupare pecuniam alicui, eſt fœnori apud eum collocare, & quaſi exercere, ne otio & inertia langueſcat. Scæuola l. 13. §. 1. D. de uſur. Quæſitum eſt, an iudicio negociorum geſtorum, uel mandati pro pecunia otioſa uſuras præſtare debeat. Vlpianus in l. 3. §. uſuras, D. de cont. tut. Sterilem pecuniam appellat. Plin. lib. epiſt. x. Pecuniæ publicæ & exactæ ſunt, & exiguntur: quæ uereor, ne otioſæ iaceant.

OSTOFREDVS Iuriſconſultus, Bercenonti natus, ius ciuile Bononiæ publicè magna cum laude interpretatus eſt: ibidemque relictis compluribus de iure ciuili commentarijs diem ſum obijt anno M.CC.LXV.

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus. Vlpianus in l. 6. §. 3. D. de off. proconſ. ex Impp. epiſtola, Quantum ad xenia pertinet, inquit, audi quid ſentimus. uetus prouerbium eſt, οὔτε πάντα, &c. nam ualde humanum eſt, à nemine accipere, ſed paſsim uiliſsimũ eſt, & omniũ auariſsimũ.

DE LITERA P.

P. PROPOSITVM ſignificant in Codicis conſtitutionibus. Leges enim & edicta, & conſtitutiones palam publico in loco promulgabantur, ut eas legere quiſque poſſet.

P P. AVG. Perpetuò Auguſtus: in fin. procemij Inſtitut. ubi ſic legendum eſſe docet uetus inſcriptio. quam in Iuſtiniani uita poſuimus.

Παχυμερῶς, ἁδρῶς, παχέως, inquit Heſychius: id eſt craſsè, pinguiter. Hinc

Παχυμερέστερον in comparatiuo, pinguius, per maiores partes. Vlpianus l. 7. D. de pecul. Scire autem non utiq; ſingulas res debet, ſed παχυμερέστερον. Paulus in l. 14. D. de except. rei iud. pinguius Latinè dixit, Idem corpus in hac exceptione non utique omni priſtina qualitate uel quantitate ſeruata, nulla adiectione deminutioneve facta: ſed pinguius pro communi utilitate accipitur. Item in l. 49. D. de re iudic. Pinguius enim donatori ſuccurrere debemus, quàm ei qui uerum debitum perſoluere compellitur. Gellius lib. XIIII. cap. 1. Sed coniectari pauca quædam, ut uerbo ipſius utar, παχυμερέστερον nullo ſcientiarum fundo concepta. In quibuſdam libris, παχύτερον legitur.

PACISCI & tranſigere hoc differunt, quòd is qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta neque finita tranſigit: qui uerò paciſcitur donationis cauſſa, rem certam & indubitatam liberalitate remittit. l. 1. D. de tranſact.

PACTIO, eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus. l. 1. D. de pact.

PACTVM à pactione dicitur. inde etiam pacis nomen appellatum eſt. l. 1. D. de pact.

PACTVM, eſt quod inter aliquos conuenit: ait Cic. lib. De inuent. 2.

PACTVM, inquit Vlpianus, eſt duorum conſenſus atque conuentio: Pollicitatio uerò offerentis ſolius promiſſum. l. 3. D. de pollicit.

PACTA quæ modò nuda, modò conuenta, modò pacta ſimpliciter in iure ciuili appellantur, ea ſunt, quę neque nomen certum, neque præſentem & ſubiectam negocij gerendi cauſſam habent. nam quæ nomen habent certum ac proprium, ea contractus nominati appellantur: ueluti emptio, uenditio, locatio, conductio, depoſitum, commodatum, pignus. nam etſi pignus pacto conuento contrahatur, l. 1. D. de pig. act. l. 4. & l. 13. D. §. in ſuperficiarijs, & l. ult. D. de pignoribus tamen quoniam ex iure ciuili nomen habet, contractus appellatur. Cauſſam autem cum dicimus, eam intelligimus, quæ ex alterius datione, factove naſcitur: hoc eſt, quoniam alter uel dedit. uel fecit. ueluti ſi conuenerat inter me & Titium, ut ſuum annulum cum meo mutaret, contractus iſte nõ eſt uſque eò à iure comprobatus, ut ex ſola illa conuentione obligationẽ pariat: quemadmodũ in emptione & locatione uſuuenit. ſed tũ demũ obligationẽ parit cùm ab alterutro tradita res fuerit. nã ſi ego annulum meũ Titio tradidi, & ab eo ſuum poſtulẽ quæratque ex me apud Prætorem, quo iure id poſtulem, reſpondebo, hanc cauſſam eſſe, quia dedit ut dares. quæ omnia Vlpia. in l. 1. D. de rer. permut. demonſtrat. Eiuſdem generis illæ ſunt conuentiones, Do. ut facias, Facio ut des, Facio ut facias: quæ idcirco in iure ciuili contractus innominati appellantur: & hoc à nominatis differũt, ꝙ horũ cauſſa certæ formulæ prætoris edicto cõſtitutæ ſunt quibus agi poſsit: illorum uerò nomine præſcribenda quædã & concipienda uerba ſunt, data opera, quibus ea conuentio qua de agitur, apud Prætorem exponatur. præterea nominati contractus & cauſſam & nomen habent: illi non nomen, ſed cauſſam habent. Huius rei exemplum nobis apud Vlpianum ſuppeditat in l. ſolent, 15. D. de præſcript. uerb. ubi ait, eum qui pactus eſt ob certam pecuniam ſe ſeruum Titij fugitiuum ei indicaturum, cùm illum indicarit poſſe agere: Non enim, inquit, nuda cõuentio iſta eſt, ut quis dicat ex pacto actionem nõ naſci: ſed habet in ſe negociũ aliqđ. Perſpicuè pactũ Vlpia. definit cõuentionem nudã: quam ipſam conuentionẽ ei opponit, quæ negocium in ſe

aliquod complectitur. negocium enim indicandi ſerui actor habuit. At ſi Titius antequam & ſeruus indicaretur, & pecuniā numeraſſet, agere cùm eo uoluiſſet, ut indicaret, nulla id actione potuiſſet: quoniam (ut Paulus ſcribit) ex pacto nudo ciues Romani non obligantur. nudum autem illud pactum fuit, id eſt nihil aliud quàm conuētio ſimplex. non enim fuit contractus nominatus, neque rurſus cauſſam habens, cur id ab illo poſtularet cùm ei pecuniam nullam dediſſet. cum autem nulla ſubeſt cauſſa præter conuentionem, hic conſtat non poſſe conſtitui obligationem: inquit Vlpianus in l. Iuriſgentium. D. de pact. ſimiliter olim cum per ſtipulationem ſponſalia contrahebantur. nudum pactum non ſatis fuiſſet, ad patrem obligandum ut uel filiam ſuam uxorem daret, uel litis æſtimationem perſolueret. Itaque Agoraſtocles in Pœnulo ſtipulationem poſt pactum adhibere uoluit:

Audin' tu patrue, dico, ne dictum neges:
Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.
P. pactam rem habeto. A. ſpondesne igitur?
P. Spondeo.

Sic intelligendum eſt illud Imp. in l. legem, 10. C. de pact. Nec obeſſe tibi poterit, quod dici ſolet, ex pacto actionem non naſci. tunc enim hoc iure utimur, cùm pactum nudum eſt. alioqui cùm pecunia datur, & aliquid de reddenda ea conuenit, utilis eſt condictio. Sic etiam illud ſub eodem tit. Traditionibus & uſucapionibus non nudis pactis dominia rerum transferuntur. quem locum qui arbitratu meo interpretatus ſit, reperi adhuc neminem. nam qui ad conuentionē in emendo factam id referunt, quaſi dominium rei uenditæ non ante traditionem mutetur tametſi conſenſu perficiatur emptio, errāt lōgè mea quidē ſentētia. non enim emptionis cōuentio nudum pactum appellatur: ſed rem omnem uno uerbo demonſtrare ſatis eſt. nam Traditionis uerbum generaliter Imperator accipi uoluit: ut ſiquidem res eſſent nec mancipi, traditione: ſi mancipi, mācipatione aut in iure ceſsione aut adiudicatione dominiū earū transferrei. Cum enim quinque ſint transferendi dominij rationes, mancipatio, in iure ceſsio, adiudicatio, traditio, & uſucapio: tres autē priores traditionis ſpecies quædā ſint, duas poſtremas enumerare ſatis habuit. Nuda aūt pacta nō ſatis ad dominiorū translationem ualuiſſe, nemini mirum uidebitur, qui populi R. ritus & formulas in omnibus propè rebus uſitatas cognouerit.

Palmarium, uictoria. Vlpianus ex Imperatoris Reſcripto in l. 1. §. 5. D. de extra cognit. Si uerò poſt cauſſam actum eſt, honoraria ſumma peti poterit uſque ad probabilem quantitatem: etſi nomine palmarij cautum ſit.

Palus, pedamenti genus, quo uites innixæ ſuſtinētur. Varro De re ruſt. 1. ca. 8. è pertica hoc genus eſſe tradit. Eius apud Vlp. eſt mentio in l. 9. §. 6. D. de uſufr. & l. 12. §. 7. D. de inſtruct. leg. & apud Paulum in l. 168. D. de uerb. ſig. Hinc

Palaris ſylua, ex qua palus ſumitur: apud Vlp. d. l. 9. §. 6. D. de uſufr.

Papinianiſtae dicebantur, qui biennium in legum ſtudio uerſati, tertium etiam adiungebant Imp. ad Anteceſſ. Ne autem tertij anni auditores, quos Papinianiſtas uocant, nomē & feſtiuitatem eius amittere uideantur, &c.

Παρατατικῶς, ἀντὶ τοῦ ἐκτεταμένως, ut ait Heſychius: id eſt extēſiuè, ut ita loquar: nō preſsè, nō anguſtè, ſed laxè, & ſolutè: deniq; id ipſū qđ alibi Iuriſcōſulti dicūt ἐν πλάτει. Iulia. l. 1. D. unde legit. Hęc uerba edicti, Tū quē ei hæredē eſſe oporteret, ſi inteſtatus mortuus eſſet: παρατατικῶς & cū quodā tēporis ſpacio accipiūtur. Vlp. l. 2. D. quibus ex cau. in poſſ. Hæc uerba defenderei, παρατατικῶς ſcripta ſunt, ut neque ſufficiat unquam defendiſſe, ſi non duret defenſio: neque obſit, ſi nunc offeratur.

Paragraphus id propriè dicitur, quicquid ſub una ſententia clauditur: ait Marcianus Coſsias antiquus Pandectarum interpres in illū locū, uerſuū tricies centena millia: Verſuum, inquit, id eſt, paragraphorum: Paragraphus, id eſt, &c.

Pancratium, παγκράτιον. Gell. lib. XII. cap. 26. ex Panetij lib. Oportet animo ſēper eſſe prōpto, atq; intēto, ut ſunt athletarū qui Pancratiaſtæ uocantur. nam ſicuti illi ad certandū uocati, proiectis altè brachijs conſiſtūt, caputque & os ſuū manib. oppoſitis, quaſi uallo præmuniunt: membraq; eorū omnia priuſquā pugna mota eſt, aut ad uitādos ictus cauta ſunt, aut ad faciēdos parata: ita animus, &c. Ergo Pancratiaſtæ dici uidentur, non qui, ut Budæo placet, omnibus corporis aduocatis uiribus (omnibus enim id certatoribus cōmune eſt) ſed qui ratione omni decertāt, quū alij & certa ratione, & certis duntaxat mēbris depugnēt. Vlpia. l. 7. §. 3. D. ad leg. Aquil. Si quis in colluctatione, uel in pācratio, uel pugiles dū inter ſe exercētur alius aliū occiderit, &c. Meā ſentētiam Iulij Pollucis uerba cōfirmāt, quæ ſubijciam. Ἐπὶ δὲ τούτων εἴποις ἄν, ὡς εἰσὶ πάμμαχοι, καθάπερ Πλάτων τῶν περὶ τὸν Εὐθύδημον, τοῦτο ἀρεστὸν καμμάχῳ παμμάχῳ, κατὰ τοὺς Ἀκαρνᾶνας τοὺς παγκρατιαστάς. Hos, inquit, omni certaminis genere utētes poſsis dicere, ſicuti Plato Eutydemū: Hoc admodū placet omni certamine utenti, ſecundum Acarnenſes pancratiaſtas.

Panormitanus Iuriſconſultus, nomen habuit Nicolai, natione Siculus fuit, uir acutus & ſagax ut Siculus: ſed cum Senis iura perdiu profeſſus eſſet, tandem Archiepiſc. Panormitanus factus, circiter annū M.CCCC.L. è uita migrauit.

Panniculiaria, à panniculis dicta, ea ſunt, quæ in cuſtodiam receptus ſecū attulit, ſpolia quibus quis indutus eſt quum ad ſupplicium ducitur. de quibus copioſè Vlpia. in l. 6. D. de bon. damnat.

Panthera, πάνθηρα, pro uniuerſo aucupio & co quicquid

eo quicquid auceps capit. Vlpian. l. 11. §. 1 t. de act. empt. Veluti quum futurum iactum retis a piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis a uenatore, uel pantheram ab aucupe.

PANTOMIMVS παντόμιμος, hiſtrio qui quamuis perſonam effingit atque imitatur. Iulianus l. 27. D. de op. lib. Si libertus artem pantomimi exerceat, uerum eſt debere eum, non ſolùm ipſi patrono, ſed etiam amicorum ludis gratuitam operã præbere. Item in l. 25. D. eod. Item Vlp. l. 43. in fi. De act. empt. Planè ſi in tantum precium exceſsiſſe proponas, ueluti ſi ponas agitatorem poſtea factum uel pantomimum.

PAR, eſt quod inter omnes æquabile eſt: ait Cice. lib. de Inuen. 2. ſimiles cauſſas ſignificans, de quibus agitur in l. 12. & 13. D. de legib. & ſen.

PARABOLANOS dici eos qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur, teſtis eſt, l. parabolanos, 18. C. de epiſc. & cler. Nomen autem confictum puto ex eo, quod ſeſe audacter periculis omnibus obijcerent, neque ullius quamuis peſtiferi morbi contagionem timerent. nam παράβολα dicuntur à Græcis quæ ſummis periculis obiecta ſunt, ut quum Plutarchus ait de Cæſare, τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα καὶ μεγάλα πράττειν ἔφη δεῖν.

PARAPHERNA, παράφερνα. iuncto ex παρὰ & φερνὴ nomine, dicuntur ea quæ præter dotis cauſſam ad uiros deferuntur. Vlp. l. 9. §. 2. D. de iur. dot. Dotis autem cauſſa accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Ceterùm ſi res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæq; Galli peculium appellant, uideamus an ſtatim efficiantur mariti. Exemplum apud Liuium extat in libro. 26. de Scipione Africano, qui capta Carthagine uirginem nobilẽ Allucio adoleſcenti Celtiberorum principi deſpõſatam, ita reddidit, ut pecuniam ad illam redimendam a parentibus allatam adijceret: Super dotem, inquiens, quam accepturus a ſocero es, hæc tibi a me dotalia dona accedant. aurumq; tollere, ac ſibi habere iuſsit. Cic. Philip. 11. His quaſi præter dotem quam in ciuilibus malis acceperunt, agrum Campanum eſt largitus Antonius.

PARASYNAXES, παρασυνάξεις conuentus, coitiones, conuenticula hæreticorum, in l. quicunq;, 8. C. de heret. & Manich.

Παράτιτλα, argumenta & quaſi ſummæ tractatuum, ad quenq; titulum ſeu rubricam appoſitæ, unde fieri de toto tractatu coniectura poſsit: quaſi cauſſæ quædam coniectio. Imp. De concep. Dig. §. 9. Sed ſufficiat per iudices tantummodo & titulorum ſubtilitatem, quæ παράτιτλα nuncupantur, quædam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum uitio oriundo.

PARATVM ab empto quid differat, uide Emptum & paratum.

PARENTEM quidam uſq; ad Tritauũ appellari aiũt: ſuperiores Maiores dici. ſed C. Caſsius omnes in infinitũ Parentes dicit, quod & honeſtius eſt, & meritò obtinuit. leg. 4. D. de in ius uoc. Parentes (ait Paulus) uſq; ad Tritauũ apud Romanos proprio uocabulo nominantur: ulteriores qui nõ habent ſpeciale nomen, Maiores appellantur. l. 10. §. 1. D. de grad. & adfin.

PARENTIA, pro obſequio. Imp. l. 1. C. quia pro ſua iuriſd. Quòd ſi quis alienæ iuriſdictionis cauſſam crediderit delegandam: nec præcepto cognitorẽ datum, parentiam accommodare cenſemus.

PARIA facere eſt, tantundem in expenſi paginam referre, quãtum in illam acceptum relati erat: quod quum fit, quadrare rationes Ciceroni dicuntur Verrina 11. Quomodo D. C. eodem modo quadrarint, ut illa Cn. Carbonis ſexcenta facta, &c. QVADRARINT, inquit Aſconius, ſolida facta ſint ut neq; plus quicquam neq; minus inueniatur in ſumma. Scæuola l. 40. §. 5. D. de ſtatu lib. Si Dama ſeruus meus actus ſui rationes reddiderit, pariaq; fecerit, &c. Item apud Calliſt. l. 5. §. 10. D. de iur. immunit. Niſi ſi paria fiſco feciſſe dicãtur. Columella lib. 1. cap. 8. de uillico loquens, Neve negocietur, ſibi pecuniamq; domini aut animalibus aut reb. alijs promercalibus occupet. hæc enim negociatio curam uillici auocat, nec unquam patitur eum cũ rationibus domini paria facere. Sed ubi numeratio exigetur, rem pro numis oſtẽdit.

PARIARE, paria facere: quod tum fit, quum expenſi rationes cum accepti rationibus quadrant, pareſq; ſunt. Vlpian. l. 4. §. 1. D. de manum. Proinde etſi ei numos prorogauit emptor, quum ei pariauerit, poterit ad libertatem peruenire. Hinc

PARIATIO, ſcriptura qua quadrare rationes cauetur. Scæuola leg. ult. §. 3. D. de cond. ind. Idem quæſiit, an pactum quod in pariationibus adſcribi ſolet in hunc modum, ex hoc contracta, &c. Hinc

PARIATOR, qui ſic rationes retulit, ut expenſa paria ſint acceptis, nam ei Reliquator opponitur. Paulus l. 81. D. de condit. & demonſt. An Sticho mortuo antequam rationes redderet, uel pariatore, uel reliqua habente libera eſſet mulier.

PARIES eſt, ſiue murus, ſiue maceria eſt: ait Gallus l. 157. D. de uerb. ſig.

PARIES directus dicitur, cuius extremitas parietem alterum attingit. Cicer. in Top. Omnibus eſt ius parietem directum ad parietem communem adiungere, uel ſolidum, uel fornicatum. Cuius loci ſenſus eſt apertiſsimus: ſi directum parietem eum eſſe intelligamus, qui exempli cauſſa ſic attingit communem, ut in litera T pendens in imum lineam tranſuerſam ſuperiorem attingat quare ſi uicinus fornicatum parietem ad communẽ adiunxerit, alter qui in pariete cõmuni demoliendo dãni infecti promiſerit, non debebit preſtare ꝙ fornix uitii fecerit. Quã meã interpretationẽ alii nunc cum Boetii & aliorũ cõmentationibus

 conferant

conferant, licebit. Vide Obſeruat. mearum lib. 1. cap. 24.

Parvm eſt ut, non locutio eſt idem ſignificās quòd parum abeſt quin. Iauolenus l. 202. De reg. iur. Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt: parū eſt enim ut nō ſuberti poſsit. Quod Harmenop. ſic expreſsit. πᾶς νομικὸς κανὼν σφαλερὸς ἐστιν· ὀλίγα γὰρ ἃ μὴ ἀνατρέπεται. Similiter Demoſth. περὶ στεφάνου: τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ὑπομιμνήσκειν, μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν: Sua uerò commemorare beneficia, propè exprobare eſt. quam ſententiam uſurpat & Terentius.

Partiaria pecora, id eſt ut fœtus eorum certis portiunibus inter dominum & paſtorem diuidantur: inquit Imp. l. ſi paſcenda, 8. C. de pactis.

Partiarivs colonus, à partiendo dictus: qui non pacta pecunia, ſed certa fructuū parte agrum colit. Caius l. 25. §. 5. D. locat. Apparet autem de eo nos colonu dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin Partiarius colonus quaſi ſocietatis iure & damnum & lucrum cum domino fundi partitur. Cato De re ruſt. c. 137. Vineam curandam partiario, bene curet fundū, arbuſtum, agrū frumentarium. Partiario fœnum & pabulū, quod bubus ſatis ſiēt, qui illic ſient: cetera omnia pro indiuiſo. Item l. 16. D. de furt.

Partiarivs legatarius, is erat cui pars bonorū legabatur. quæ ſpecies legati Partitio uocabatur: quia cum hærede legatarius partiebatur hæreditatem: ait Imp. §. 3. De fideic. hæred.

Partivm Iuriſconſulti duo genera conſtituunt. aliæ nanq; naturales ſunt, aliæ intellectæ. Naturales appello, quæ pondere, numero, menſura conſtant, quæ oculis cerni tangiq; poſſunt: ueluti ſi quis corpus aliquod ſecare uelit, duas partes conſtituet, quas nemo ſenſus communis compos, nō facilè cognoſcet. Intellectas dico quæ tāgi demōſtrarive non poſſunt, cerni tamē animo atq; intelligi poſſunt: ueluti ſi ſeruum aut nauem duo communem habeant, partem quiſq; ſuam in his rebus obtinet, quam oculis cernere non poteſt, animo & intelligentia poteſt. Quod ſignificans Caſſelius noſter apud Macrobium, mercatori, quemadmodum cum ſocio nauem diuideret, interroganti reſpondet, Nauem ſi diuidis, nec tu, nec ſocius habebitis. Vlp. l. 5. D. de ſtipul ſeru. Seruus cōmunis ſic omniū eſt, non quaſi ſingulorū totus: ſed pro partibus utiq; in diuiſis, ut intellectu magis partes habeāt, quā corpore. Ergo partes intellectu Vlpianus eas appellat, quæ animo & intelligētia tātum cernuntur. Alias aūt partes idē alibi numero fieri dicit: hoc eſt in l. 29 D. de ſol. Quū Stichus, ait, & Pāphilus communi ſeruo promiſsi ſunt, nō alteri Stichus, alteri Paphilus ſolui pōt: ſed dimidiæ ſingulorū partes debentur: atq; utriuſq; rei dominiū duobus modis intelligi pōt. Sed in numis, & oleo, & frumento, & ſimilibus quæ communi ſpecie cōtinentur, apparet hoc actum ut numero diuidatur obligatio. Eandem diuiſionem duplicem Papinianus notat in l. 94. eiuſdem tit. & l. 66. §. 1. D. de leg. & fideic. libro 30. ubi ait plures in uno fundo dominium iuris intellectu, non diuiſione corporis obtinere. Notat & Paulus in l. 25. §. 1. D. de uerb. ſig. ubi Seruio aſſentitur, qui partes alias eſſe dixit pro diuiſo, alias pro indiuiſo: quom Mutius putaret partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari. nam quod pro diuiſo noſtrū ſit, id non partem, ſed totum eſſe: cui conſentit Vlpianus in l. 6. §. 1. D. commun. præd. Ariſtoteles autē in lib. De ſenſu, hanc quoq; diuiſionem attingit: ſed in Categorijs planius rē omnē exponit. ait. n. Quantitatem aliam continuam, aliam ſeiunctā eſſe. cōtinuam cuius partiū terminus aliquis cōmunis eſt: ueluti corporis, cuius partes communē habēt terminum lineam: aut lineę, in qua partes finem quo inter ſe cohæreant, communem habent, punctum ſcilicet. Itaq; poculum cum anſa quantitatis eſt continuæ: uti cōſtat ex l. 21. §. 4. D. de furt. & pars lancis priuſquā eraſa ſit. l. 22. eo. tit. Ex quib. intelligitur fundum qui inter duos diuiſus eſt, quia terminum habet cōmunem, quo inter ſe partes adaptantur, in quantitate cōtinua numerandum eſſe. qua de cauſſa nō tam in partes diuidi fundus a Iuriſcōſultis dicitur, quàm in regiones, ut in tract. D. fin. regund. Seiunctam uerò Ariſtoteles eam appellat quantitatem, cuius partes communem terminum non habent: ut in numero. Nā ſi bis quinque, inquit, ſunt partes decem, quinq; & quinque nullo communi termino coniuncta ſunt, ſed ſecreta & ſeparata: cui ea omnia adiungamus licet, quæ communi ſpecie continere dicuntur ab Vlpiano d. l. 29. De ſolut. ueluti uinum, oleum, frumentū. Nam ſi duobus amphora uini legata eſt, ſeiuncta utriq; quantitas legata eſt. Nam urnæ duæ finem in amphora quo inter ſe cohæreant, communem non habeant, neq; duo ſemimodij in modio, neq; bis quinquaginta, in centum. quod eodem modo de ponderibus quoq; iudicandum eſt. Nam in uncia duæ ſemunciæ communem terminum non habent. Quantum hoc deiunctum in teſſeris & numis quoque intelligitur, quæ ſi pluribus legata ſint, tot habebunt deiunctas & ſecretas inter ſe partes, quot erunt legatarij. Qua ex diſputatione intelligimus quamobrem Vlpianus ab Ofilio & Trebatio diſſentiens, neget eum qui ex frumenti aceruo modium, aut ex uini dolio ſextarium abſtulerit, totius nomine furti teneri. l. 21. D. de fur. nec magis intereſſe affirmet inter hanc ſpeciem, quàm ſi quis ex armario rem unam auerterit: utranque enim quantitatem ſeiunctā eſſe. Quod uerò Trebatius dicebat, ſi quis aurem attingat, eū totū corpus attingere, Vlpianū non mouit, perſpicientem ſine dubio, quantitatē illā eſſe continuā, hanc uerò deiunctam. Qua quidem ex diſpoſitione quàm neceſſaria iuris ſtudioſo Dialecticæ cognitio ſit, cuius ignoratione tanti uiri, & in

iure

iure ciuili tantopere exercitati parua in re peccarunt, facilè intellectu eſt. Partium autem aliā quoque tradere oportet diuiſionem: nam aliæ principales dicuntur, quibus ſublatis totum interit: aliæ minus principales, quibus ademptis totum tamē manet. ut caput in corpore humano, & pectus, & brachia, partes ſunt principales: crines autem, & ungues, & ſupercilia minus principales. Ita intelligendum eſt quod ait Vlpianus l. 13. S. 2. D. de accepitilation. ubi ait nec cemēta, nec feneſtras, nec parietem, nec diætam domus eſſe partes: quū tamen Ariſtoteles tam frequenter domum ex partibus ſic definiat, operculum quod ex lapidibus, lateribus, cemento, trabibusq; conſtat. Sed Vlpianus illam partium diuiſionem ſpectans, ita diſputat, quaſi eæ demum ueræ partes eſſent, quibus ſublatis totum interit, ut in fundo uſusfructus perpetuus, & uia perpetua. d. l. 13. & l. 58. D. de uerb. obli. ubi & in uia iter aut actus: in fructu, fructus & uſus: in decem, bis quinque numerantur. Eas uerò quibus ademptis totum nihilominus manet integrum, non eſſe partes: ut in ſcypho, emblemata: & in domo, columnæ marmoreæ: in fundo, uſusfructus non perpetuus, l. 25. D. de uerbor. ſignific. in uſufructu, uſus: quum poſsit uſus ſine uſufructu conſtitui, inquit. Vlpia. d. l. 13. S. 3. De acceptil. in grege, aliquot capita, quib. ſublatis & grex manet, & poteſt uſucapi, quum illa nec poſsideantur, nec uſucapiantur, ait Pompo. l. 30. D. de uſurpat. & uſucap.

Patres conſcripti, uide Allecti. uide pręterea libellum de Senatu, in Appendice.

Passvm, Varro De uita P. R. apud Noniū, Paſſum nominabant, ſi in uindemia uuam diutius coctam legerent, eamq; paſsi eſſent in ſole aduri. Paſſum ergo uinū eſt, quod ex uua paſſa exprimitur, Vlp. in l. 9. D. de trit. uin. & ol. leg. Vini legato paſſum quoq;, niſi mens alia teſtatoris fuit contineri ſcribit. Proculus l. ult. eo. Cui dulcia uina legata eſſent, omnia hæc eſſe legata, mulſum, paſſum, defrutum, & ſimiles potiones.

Pastinare uerbum ad culturam agrorum pertinens: ſignificat fodere. à Paſtino, quod ferramentum eſt bifurcum, quo ſemina panguntur. Vlpianus l. 15. S. 1. D. Quod ui aut clàm, Is cui fundum paſtinandum locaueras, lapides ſuſtulit, & in uicini proiecit prædium. Paulus l. 79. D. de uerb. ſig. Vtiles impenſas, ex quib. reditus mulieri acquiratur: ſicuti arbuſti paſtinatione, ultrà quàm neceſſe fuerat.

Paterfa. appellatur, inquit Vlpianus, qui in domo dominium habet: recteq; hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat: non enim ſolam perſonam eius, ſed & ius demonſtramus. deniq; & pupillum patremfa. appellamus. & quum paterf. moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. ſinguli enim patrum fa. nomen ſubeunt: idēq; eueniet & in eo, qui emācipatus eſt: nam & hic ſui iuris effectus propriam familiam habet. l. 195. D. de uerb. ſign.

Patresfa. ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis: ſiue puberes, ſiue impuberes. l. 4. D. de his qui ſunt.

Patrimonivm propriè eſt pecunia quam liberi ex paterna hæreditate accipiunt. Cicero pro Poſth. Qui uerò duo lauta & copioſa patrimonia accepiſſet: remq; præterea bonis & honeſtis rationib. auxiſſet. duo patrimonia Poſthumus acceperat, alterum à naturali, alterum ab adoptiuo patre. Hoc enim ab hæreditate differt, quòd illo uerbo, res ipſæ: hoc ius à patre relictum intelligitur. Cic. li. de Offi. 1. Optima autem hęreditas à patribus traditur liberis, omniq; patrimonio præſtantior, gloria uirtutis, rerumq; geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & uitium iudicandum eſt. Sed cōſuetudine loquendi res eò deducta eſt, ut iam plerunq; cuiuſuis generis bona, ſiue à patre relicta, & aduentitia ſiue patrisfa. opera ac diligentia parta eo nomine intelligantur. Sic Vlpi. l. bona. de bon. poſſ. Bonorum poſſeſsio, inquit eſt ius perſequendi retinendiq; patrimonij. Iuuenalis,

Non propter uitam faciunt patrimonia quidam,
Sed uitio cæci propter patrimonia uiuunt.

Pompon. l. 112. S. 1. D. de uerbor. obligat. Plerunq; idonei non tam patrimonio, quàm fide æſtimantur.

Patronvs, eſt qui ex ſeruitute manumiſit. l. 8. D. de in ius uoc.

Patronvs, quaſi pater dictus: eodē modo quo Matrona. Seruius in illud Virgil. Et fraus innexa cliēti. Ex lege, inquit, duodecim tabularum uenit, in quibus ſcriptum eſt, Patronus, ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto. Si enim clientes, quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi patres: tantundem eſt clientē, quantum filium fallere.

Patronvs, orator eſt qui cauſſam agit. hoc ex Romuli inſtituto, qui ex patrum numero plebi quos ei commodum eſſet, deligendi poteſtatem fecit qui ipſius cauſſas ſuſciperent: ex quo illi quidem Patroni, hi uerò Clientes dicebantur. uide Clientes.

Patronvs, uide Aduocatus.

Patritiatvs honos, fuit Iuſtiniani tempore, cuius uis non ſatis adhuc, quod ſciam, intellecta eſt: niſi quod Suidas ſcribit, eos legationes ex Senatu mittere conſueſſe. Caſsiodorus autem lib. Variarum VI. perpetuum eum fuiſſe honorem ſignificat, & cingulo ornatum, eùm iuriſdictionem tamen exerceret nullam. Quod a Zenone ſignificari arbitror in l. 3. C. de conſul. ubi Patritiatum honorarium Conſulatum appellat. Quod niſi me animus fallit, Caſsiodorus hunc Epiſcopis honorem tribui ſolitum ſignificat: ijs, opinor, qui Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præfecti Patriarchæ dicebantur. Videtur enim hæc illius fuiſſe ſententia, ut quando in populi R. religione Patritij ſoli ſacrorum procurationem Romuli inſtituto gerebant,

& rex quidam ſacrorum eſſet: non incommodũ uideretur, ſi i religione Chriſtiana, qui ſacris præeſt, idem etiam magiſtratus ſummi ornamentis atque inſignib. decoretur. Obſeruo etiam hoc ex eodem auctore, Patritiatum non magiſtratus, ſed ordinis nomen fuiſſe: neq; enim unus erat patritius, ſed complures, quaſi Senatus principes, qui certis antea magiſtratibus perfuncti erant. deniq; quales Romæ florente Rep. Conſulares, Prætorij & Aedilitij fuerũt: quibus in Senatu curuli ſella uti, primisq; ſentẽtias dicere ius erat. Quare quod in l. 3. C. de conſul. legimus, Patritiatus honorem ceteris omnibus anteponi, non ita accipiendum eſt quaſi ſummus eſſet aliquis magiſtratus: primùm quia magiſtratus (ut docui) non erat: deinde quia Caſsiodorus in formula patritiatus ſcribit, co. ſu latum patritiatu ſuperiorem fuiſſe. Præfectorios, inquit, & aliarum dignitatum uiros præcedit, uni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis conſtat aſſumi: hoc eſt, ut ego interpretor, Conſulatui: tametſi uerba hæc apud Caſſiodor. corruptè legantur. nam VNITATVM pro VNI TANTVM uulgò legitur. præterea præfectum urbis ſummum omnium magiſtratum geſſiſſe conſtat ex l. 1. & 3. C. de offi. præf. urb. Et qđ Caſsiodorus de præfectorijs ſcribit, conſtat de iis qui iam præfectura functi ſunt intelligendum eſſe. Nomen autem à Ro. patritiorum ſplendore ductum eſſe, res indicat. nam cum ij propter familiæ antiquitatem ceteris antecellerent, & plerunque ijs honores mandarentur: tranſlato Conſtantinopolim imperio eos ſenatores qui curulibus magiſtratibus erant functi, patritios dici placuit. Quibus ius patrumfa. conceſſum fuiſſe, Caſsiodorus quoq; eodem loco teſtatur.

PATRITII non iidem ſunt qui nobiles: ut uulgò creditur. Nobiles enim omnes ſunt ex plebeiis: ut modò demonſtrabimus. Nam populus Romanus ita diſtinguitur, ut alii patritii eſſent, alii plebeii. Patritij, qui eorum Senatorum progenies erant quos Romulus crearat. hac tamen ætate, inquit Liuius, antiquiſsimæ cuiuſq; ſenatoriæ familiæ liberi. patritii appellantur. tales erant Clodius, Piſo, Catilina. Plebeii uerò qui ex populo à Romuleis Senatoribus reliquo dimanarunt. ut C. Antonius, C. Caſsius, M. Cicero, T. Pomp. Atticus. Horum plebeiorum alii Nobiles, alii uerò Noui homines dicebantur. Nobiles, quorum parentes curuli aliquo magiſtratu erant functi. Noui, qui primi ex ſua ſtirpe magiſtratum curulem erant adepti. Quod Aſconii auctoritate uerum eſſe docebimus. Is enim in argumento in Orat. in toga cand. Sex, inquit, competitores in Cõſulatus petitione Cicero habuit: duos patritios, P. Sulpitium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium Marci Oratoris filium, L. Caſsium longinum: duos qui tantum non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equeſtri erat loco natus, atq; in petitione patrem amiſit. Apertè Aſconius nobiles in plebeiis numerat: & nobiles à nouis hominibus diſtinguit, qualis erat Cicero, ut illi perſæpe obiectum eſt. Itaq; Verrem & Hortenſium ſignificãs Verrina ſexta, ſic loquitur, Nec iſta præclara nobilitas deſinat queri, populum Ro. hominibus nouis atq; induſtriis honores mandare, ſemperq́ue mandaſſe. Neq; ut opinor, reperietur, quenquam è patritia familia hominem Nouũ appellari. Itaq; nec M. Scaurum, cuius parentes ignoti Romæ & contempti iacuerant, Aſconius Nouum appellat, ſed ei non minus quàm nouo homini laborandũ fuiſſe. Scaurus, inquit, ita fuit patritius, ut tribus ſupra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neq; pater, neq; auus, neq; etiam proauus, ut puto, propter tenues opes, & nullius uitæ induſtriam honores adepti ſunt: itaq; Scauro æquè ac nouo homini laborandum fuit.

PATRVELES à conſobrinis hoc differunt, quod Cõſobrini propriè dicuntur, ex auunculo aut matertera prognati: Patrueles uerò ex patruo Titii prognati: Amitini ex amita. unde Cic. in Ligariana filium Titi Bocchi auunculi Ligarii conſobrinum appellat. indeq; intelligi facilè poteſt illuſtris differentia: patrueles quippe non minus quàm duo eſſe poſſunt, ex fratribus ſcilicet duobus nati: amitini autem inter ſe duo eſſe nequeunt. quem enim amitinum Titius appellat, ab eo conſobrinus nominatur §. 4. de grad. apud Iuſtin. Ita ergo poterit Titius appellari cõſobrinus, patruelis debebit, amitinus non poterit. quanquam confundi plerũque ſoleat diſcrimen: ac generaliter Conſobrini pro quibuſlibet fratrum ac ſororum liberis, ſicut apud Græcos ἀνεψιοὶ uſurpari. l. 19. C. de nupt.

PATRVELES, fratres uel ſorores ſunt, ait Caius, qui quæve ex duobus fratribus progenerantur. l. 1. §. 1. D. de grad. & adfi.

PATRVVS, eſt patris frater: ait Paul. l. 10. §. 7. D. de gradib.

PATRVVS magnus eſt frater aui: inquit Paul. l. 10. §. 8. D. de gradib.

PATRVVS maximus eſt (ut ait Paul.) abaui frater, atauiui & atauiæ filius, patris uel matris patruus maior l. 10. §. 10. D. de gradibus.

PATRVVM Plautus appellat patrui magni filium, id eſt propiorem ſobrino. nam in Pœnulo cum Pœnus Agoraſtocli dixiſſet patrem eius ſibi patruelem fuiſſe, continuò reſpondens Agoraſtocles,

Mi patrue, ſalue. & ſcena inſequenti,

Patruo aduenienti cœna curetur uolo.

itemq; deinceps.

PAVLVS Caſtrẽſis Iuriſc. Patauii, Florẽtiæ, & Bononiæ iura interpretatus ẽ: editisq; libris quampluri mis, Patauii tãdẽ ann. M. CCCC. XXXVII. prid. Calen. Mart. uitæ ſupremum diem confecit.

Pauperies,

Pavperies, eſt damnum ſine iniuria facientis datum: nec enim poteſt animal iniuria feciſſe, quod ſenſu caret. l. 1. §. 1. D. Si quad. paup.

Pecvarii, uide Mancipes.

Pecvdes eas intelligimus quadrupedes quæ gregatim paſcuntur. l. 2. §. 1. D. ad leg. Aquil.

Pecvliariae res, pro peculiares dicuntur ab Vlp. l. 4. in fi. D. de doli excep.

Pecvlatvs, inquit Feſtus, furtum publicum dici cœptum eſt à pecore, quia ab eo initium eius fraudis eſſe cœpit: ſiquidem ante æs aut argentum ſignatum ob delicta, pœna grauiſsima erat duarum ouium, & triginta boum.

Pecvlatvs definitur (in l. 9. §. 1. D. ad leg. Iul. de pecul.) pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum, non ab eo factum, cuius periculo fuit. & ideo æditū peculatum non admittere. Qui ergo ex pecunia ſacra, religioſa, publicave quid abſtulerit, aut interceperit, aut in rem ſuam uerterit, quive in aurum, argentum, æs publicum quid indiderit, aut immiſcuerit, peculatus tenetur. l. 1. D. eod.

Pecvliatvs ſeruus, qui peculium habet. Caius l. 18. in fi. D. de Aedil. edict. Aequè ſi quis ſimpliciter dixerit, peculiatum eſſe ſeruum, ſufficit ſi is uel minimum habeat peculium. Plautus in Rud. Peculioſum uocat. In perſa etiam uerbo Peculiandi eſt uſus, Atque iſtanc ob rem, ego aliquid te peculiabo.

Pecvlivm dictum eſt, quaſi puſilla pecunia, ſiue patrimonium puſillum. Peculium autem Tubero ſic definit, quod ſeruus domini permiſſu ſeparatum à rationib. dominicis habet, deducto inde ſi quid domino debetur. l. 5. §. 2. D. de pecul.

Pecvlivm eſt non tantum quod dominus ſeruo conceſsit: uerùm id quoque quod ignorante quidem eo acquiſitum ſit, tamen ſi reſciſſet, paſſurus erat eſſe in peculio. l. 49. D. de pecul.

Pecvlivm erat priſcis temporibus particula quædam gregis (unde etiam nomen inuenit) quod patres ſuis filijs, domini ſuis ſeruis induſtriæ ſuæ exercendę cauſſa concedebant: nunc uerò ſumma quædam eſt pecuniæ eadem de cauſſa conceſſa, & à paternis dominicisque rationibus ſeiuncta. l. depoſiti, 5. & ſeq. D. de pecul. Dignum etiam obſeruatu eſt, quod ex Plauto notauimus, filiosfa. quibus patres uendendas merces tradebant, peculium ex ijs pluris uenditis quàm quanti pater eas æſtimaſſet, locupletaſſe. nam in Mercatore ſic loquitur:

Lucrum ingens facio, præterquam mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces, ita peculium
Conficio grande.

Pecvlii autē quatuor ſunt ſpecies. eſt enim aliud Caſtrenſe, aliud Quaſi caſtrenſe, aliud Profectitium, aliud Aduentitium. Caſtrenſe eſt, quod per militiæ cauſſam tum in caſtris, tum etiam alibi adeptus eſt. l. caſtrenſe, 2. D. de caſtr. pecul. ſtipendia enim Romani adoleſcentes omnes faciebant. Quaſi caſtrenſe eſt quod in togata militia parauit: ueluti in forenſi opera, uel profeſsione artiū. l. ult. C. de inoff. teſt. Profectitium, quod à patre accepit, neque induſtria operave ſua parauit. l. 5. D. de iure dot. Aduentitium uerò quod ab extraneis cognatisve accepit, quo in genere ſunt maternæ maternive generis hæreditates: amicorum item, & legata, & hæreditates: item lucra nuptialia. Sciendum eſt autem, iure quidem antiquo & florente Rep. nullum peculium non ipſius patris pleno iure fuiſſe. Nam (ut ait Diony. lib. 8.) ῥωμαίοις οὐδὲν ἴδιον ἐςὶ κτῆμα, ζώντων ἔτι τῶν πατέρων ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅ, τι, βούλονται τοῖς πατράσιν ἀποδίδοται Romani propriū nihil poſsident, quamdiu patres eorum in uita manent: ſed & pecuniæ & corpora filiorum, parentum poteſtati arbitrioque permiſſa ſunt. Verùm Imperatores ut præmio aliquo adoleſcentes ad militiæ labores inuitarent, Caſtrenſe peculium ijs pleno iure conceſſerunt, quod Iuuenalis XVI. Sat. ubi militiæ præmia enumerat, his uerſibus declarat:

Solis præterea teſtandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus,
Omne tenet, cuius regimen pater. ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorumque ære merentem
Quamuis iam tremulus captat pater.

Itaque Vlp. in l. 2. D. de S. C. Maced. ſcribit filiosfamilias in Caſtrenſi peculio ius ac uicem Patrumfa. obtinere.

Pecvlivm caſtrenſe eſt, ait Macer, quod à parentibus uel cognatis in militia agenti donatum eſt, uel quod ipſe filiusfa. in militia acquiſijt, quod niſi militaret, acquiſiturus non fuiſſet. l. 11. D. de caſtren. pecul.

Pecvlivm caſtrenſe eſt, quod in caſtris acquiritur & quod proficiſcenti ad militiam datur. Paulus lib. Sentent. 3. capite quarto.

Pecvlivm nuptę, Iuriſconſulti appellant, quæ prętor dotem ei dantur, & marito traduntur. Papinianus l. 31. §. 1. D. de donation. Species extra dotē à matre, filiæ nomine, uiro traditas, filiæ quæ præſens fuit, donatas, & ab eo uiuo traditas uideri reſpondi. & paulo pòſt, Sed peculium à dote puellæ diſtingueretur. Item Vlp. l. 9. §. 2. D. de iur. dot. Dotis autem cauſſa data accipere debemus, ea quæ in dotem dantur. Ceterùm ſi res dentur in ea quæ Græci παράφερνα dicunt: quæque Galli peculium appellant, uideamus an ſtatim efficiantur mariti.

Pecvnia, à pecu: à paſtoribus enim horum uocabulorum origo, quòd in pecore pecunia tum conſiſtebat paſtoribus. Varro.

Pecvniaris damnatio, pro Pecuniaria, apud Macrum in l. 10. in fin. D. de pœn.

Pecvniae uerbum, inquit Vlpianus, non ſolū numeratam pecuniam complectitur, uerùm omnē

omnino

omnino pecuniam.hoc eſt omnia corpora. nam corpore quoque pecuniæ appellatione contineri nemo eſt qui ambiget.l.178.D.de uerbo. ſignif.

PECVNIAE nomine,inquit Hermogenianus, non ſolùm numerata pecunia: ſed omnes res tam ſoli quàm mobiles,& tam corpora quam iura continentur.l.222.D.de uerb.ſig.

PEDAMENTVM, palus quo uinea innitens recta cõſiſtit.Pomponius l.10.D.de uſufruct. Ex ſilua cædua pedamenta & ramos ex arbore uſufructuarium ſumpturum.

PEDANEI iudices dicti ſunt,ijdem qui dati, & delegati,ut de controuerſia cognoſcant.l.1. D.de poſtul.l.ſi quis,38.§.iudices.D.de pœn.l.4.D.de tut.dat.ab.Dicti etiam ſunt ab Impp. qui humiliora negocia diſceptabant.l.ult.& paſſ.C. de pedan. iudicib.l.penult.C.de pact.l.ſancimus, 13. C.de iudic.Nomen reperiſſe uidentur item ut Pedarij ſenatores,à pedibus:quòd magiſtratus cum iudicarent,in tribunali,edito & ſuperiore loco conſidebant:hi uerò in imo loco, ubi magiſtratus ſubſellia pedum habebant.

PEDARII ſenatores,auctore C. Baſſo dicebantur, qui quia magiſtratum curulem nondum ceperãt, pedibus in curiam itabãt.nam Senatores qui curulem magiſtratum geſſerant, ueterum ætate curru ſolebant honoris gratia in curiam uehi: in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſſam curulis appellaretur. Gell. lib. 3.cap.18.

PEDARIVM ſenatorem,Feſtus appellatum ſcribit, quia tacitus tranſeundo ad eum cuius ſententiam probãt,quid ſentiat,indicat.

PEDESTRE iter quod uulgò Terreſtre. Vlp l.1.§.9.D. de flaminib. Si pedeſtre iter impediatur, non ideo minus iter nauigio deterius ſit. Cic.ad Attic.lib.

PEDICVLOS Paul.in l.32. D. de aur. arg. uocat, quib.ſigna ſuſtinentur, baſes, ſed tenues. Et ſic plerunque Pediculi à Columella dicũtur, quibus arborum rami baccis onuſti ſuſtinentur:quaſi par ui pedes.

PEDVLES faſciæ apud Vlp.in l.25.§.1.D.de aur. & arg.dici uidentur ex quibus pedes uinciuntur.M. Tull.in Clod.apud Non. Tunc quum uincirentur pedes faſcijs, quum calanticam capiti accommodares.Haud ſcio tamen an uerius legeretur PEDALES.

PEGMATA, πήγματα ornamẽta quædam quib. ſtatuæ & ſigna uoluptatis cauſſa imponuntur. Vlp. l.12.§.14.D.de inſt.uel inſt. Nam & in emptione domus & ſpecularia, & pegmata cedere, ſiue in ædificio ſint poſita, ſiue ad tempus detracta.

PEIORARE, pro deteriorem reddere. Paul. lib. Sent.2.cap.19. Homo liber, qui ſtatum ſuum in poteſtate habet, & peiorare eum,& meliorem facere poteſt.

PELLICEM Ser.Sulpicius ait appellatam, probroſamque habitam,quæ iuncta conſuetaque eſſet cũ eo in cuius manu mancipioque alia matrimonij cauſſa foret;quod hac antiquiſsima lege oſtenditur,quam Numæ regis fuiſſe accepimus: Pellex ædem Iunonis ne tangito:ſi tangit, Iunoni crinibus dimiſsis agnam fœminam cædito. Pellex autẽ quaſi πάλλαξ, id eſt,quaſi παλλακίς, ut pleraque alia, ita hoc quoque uocabulum de Græco flexum eſt.Hæc Gellius lib.4.cap.3.

PELLEX apud antiquos habebatur ea, quæ cũ uxor non eſſet,cum aliquo tamen uiuebat: quam nunc uero nomine Amicam,paulo honeſtiore concubinam appellant.nũc uerò uulgò Pellex uocatur, quæ cum eo cui uxor ſit, corpus miſcet:uel quæ uxoris loco ſine nuptijs in domo ſit:quam Græci παλλακὴν uocant. l. 144. D. de uerb.ſignif. Feſtus autem ſic:

PELLICEM eam antiqui propriè nominabant, quæ uxorem habenti nubebat. cui generi mulierum etiam pœna conſtituta eſt à Numa Pompilio.

PENVS ea omnia continet,quæ eſui potuique ſunt l.3.D.de pen.leg. Cicero lib. De nat.deorum 1. Penus,inquit,eſt omne quo homines ueſcuntur. Noſtri in l.3.D.illo tit.Penori attribuunt omnia eſculenta & poculenta quæ paterfa. uſus ſui cauſſa, eiusque familiæ, quam circa ſe & ſuos habet, parauit.

PELLIONES, à pellibus conficiendis dicti ſub quibus milites hyemabant, apud Paternum in l. ult. D.de iur.immunit.ubi tamen POLLIONES legitur.Cicero in Academ.In quo magna rei militaris eſſe occupatio ſolet: ut non multum Imperatori ſub ipſis pellibus ocij relinquatur, id eſt, in ſtatiuis.

PENDERE pœnas propriè dicitur,qui ob delictum pecuniã ſoluit,quia pẽſo ere utebantur.Feſtus.

PENDERE pœnas ſoluere ſignificat:ab eo quòd ære graui quum uterentur Romani, penſo eo non numerato debitum ſoluebant.unde & penſiones dictæ. Feſtus.

PENES te,inquit Vlpianus,amplius eſt, quàm apud te.nam apud te eſt,quod qualiter qualiter à te tenetur:penes te eſt,quodãmodo poſsidetur.l.63. D.de uerb.ſign.Plerunque tamen ea non ſeruatur proprietas ſed alterum pro altero promiſcuè uſurpatur.ut l.1.& l.3.§ ſi penes, D.de tab. exhib. l. eum qui,23.in fi.D.de uſurpat.l. & habet, 15.§. eum qui,D.de precar.

PENSIO, ſolutio.Varro,Ab ære impendendo, Diſpenſator:& in tabulis ſcribimus Expenſum: & prima penſio,& ſic aut ſecunda,aut quę alia. Paulus l.40.D.de reb.cred.Igitur finito primo menſe primæ penſionis uſuras currere.Item, Et ideo non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus,ex die ſtipulationis uſuras deberi.Cicero pro Q. Roſcio, Falſum ſubornauit teſtem Roſcius Clunium: cur tam ſerò:cur,quum altera penſio ſoluenda eſſet, non tum quum prima?

PEN-

PENSIO, ferè dicitur pecunia quæ ex prædiorum urbanorum locatione percipitur: quæ uerò ex ruſticorũ, Merces. uide l. 27. & 29. D. de hæred. pet.

ΠΕΝΘΕΡΟΣ, uide Socer.

PENVS, auctore Q. Mutio, eſt quod eſculentum aut poculentum eſt: quod enim ipſius patrisfa. aut liberorum patrisfa. eiusq́ue familiæ quæ circum eos aut liberos eius eſt, & opus non facit, cauſſa paratum eſt, ut Mutius ait, penus uideri debet. nã quæ ad edendum bibendumq́ue in dies ſingulos prandij aut cœnæ cauſſa parantur, penus nõ ſunt: ſed ea potius quæ huiuſce generis longæ uſionis gratia contrahuntur, & reconduntur, ex eo quòd non in promptu ſint, ſed intus & penitus habeantur, Penus dicta ſunt. Gell. lib. 4. cap. 1.

PER genium principis iurare: uide Per principis.

PER indicem, prouerbium eſt apud Iuſtinianum in extremo Inſt tut. pro ſummatim, ſtrictim curſimq́ue, obiter & quaſi per tranſennam: Vt uobis, inquit, poſsibile ſit, ſummo digito & quaſi per indicem ea tetigiſſe. quaſi libros Inſtitutionum pro παρατίτλοις (quæ appellat) id eſt argumentis Pandectarum eſſe uelit. nam Indicem pro eo quòd titulum uulgò appellamus Latini uſurpant: quinetiam idem Imp. l. 1. §. pẽ. C. de uet. iur. enucl. hoc in paratitlorum mentione ſignificat. Sed ſufficiat, inquit, per indices tantummodo & titulorum ſubtilitatem, quæ παράτιτλα nuncupantur, quædam admonitoria eius facere. Aſconius in Verrin. 3. Quò quum eſſet uentum, antequam cauſſa ageretur, quaſi per indicem rem exponebant: quod ipſum dicebatur Cauſſæ conjectio, quaſi cauſſæ ſuæ in breue coactio.

PER lancem & licium furtum quærere: uide Furtum per lancem.

PER principis iurare, Græca defectione dicitur, pro, Per principis genium iurare. l. 2. C. de reb. cred. l. 13. §. ult. D. de iureiur.

PER te non fieri ſtipulatio, non hoc ſignificat, nihil te facturum, quo minus facere poſsis, ſed curaturum ut facere poſsis. l. in illa, 50. D. de uerb. oblig.

PERAGERE reum, eſt uſque ad condemnationem illum perſequi, & ut condemnetur efficere. l. . D. de adulter. l. pen. D. de public. iudic. l. 6. §. deſtitiſſe, D. ad Turpill.

PER Satyram, uide Lex Satyra.

PERCEPTIONEM fructus accipere debemus, non ſi perfectè collecti, ſed etiam cœpti ita percipi ut terra continere ſe fructus deſierint. l. 78. D. de rei uind.

PERDVCTA, pro perinducta, ſiue omnino inducta, ac deleta. Vlp. l. 1. D. de his quæ in teſt. del. Sed nolentibus inducta accipiendum eſt, & ſi perducta ſint.

PERDVELLES ab antiquis dicebantur, quos nos hoſtes appellamus, inquit Caius in l. quos nos, De uer. ſignif. Varro lib. De lingua VI. Apud Ennium eſt, Quin inde inuicteis ſumpſerant perduellibus. Perduelles ſunt hoſtes. ut perficit, ſic Perduellum Duellum: id poſtea bellum. ab eadem cauſſa facta Duellona, Bellona. Hinc factum ut qui hoſtili animo in Rempublicam aut Imperatorem eſſet, Perduellionis iudicio teneretur. ut ait Vlpianus in l. ult. D. ad Iul. maieſt. Aliud eſt enim maieſtatis, aliud perduellionis crimen: hoc enim ſub illo, tanquam ſpecies ſub genere ita comprehenditur ut crimẽ ſit imminutæ maieſtatis & grauiſsimum & atrociſsimum, quippe quod ad uniuerſæ Reipublicæ ſtatum labefactandum pertineat: ueluti ſi quis aut regnum affectaſſe, ut Spurius Caſsius Viſcellinus: aut magiſtratum populi Romani ſacroſanctum uiolaſſet, ut C. Rabirius, ꝓ quo extat Ciceronis oratio: ac proinde qui poſtremis temporibus hoſtile aliquid in perſonam Imperatoris molitus eſſet, uti Iuriſconſulti ſignificant. Tribunitiam enim poteſtatem Imperatores totam in ſe tranſtuliſſe, nemo neſcit. Item qui ciuis Romani libertatem uiolaſſet, ueluti qui eum ſecuri percuſsiſſet, aut in crucem ſuſtuliſſet: qua de re Cicero Verrina III. ſic ſcribit, Hoc in illo maieſtatis iudicio ſi licuiſſe ſibi oſtenderit, ego oportuiſſe concedam. Ex hoc quoque euaſerit: proficiſcar eò quò me iampridem uocat populus Romanus. de iure enim libertatis & ciuitatis ſuũ putat eſſe iudicium: & rectè putat. Confringat iſte ſanè ui ſua conſilia ſenatoria, quæſtiones omnium perrumpat euoluat ex ueſtra ſeueritate. mihi credite, arctioribus apud pop. R. laqueis tenebitur. Credet ijs equitib. Ro. populus Ro. qui ad uos antea producti teſtes ipſis inſpectantibus, ab iſto ciuem R. qui cognitores homines honeſtos daret, ſublatum eſſe in crucem dixerunt. Credent omnes quinque & triginta tribus, homini grauiſsimo atque ornatiſsimo, M. Antonio qui ſe præſente ciuem R. ſecuri percuſſum eſſe dixit. Audietur à pop. Ro. uir primarius eques R. L. Flauius, qui ſuum familiarem Herennium negociatorem ex Africa, cum eum Syracuſis amplius centum ciues R. cognoſcerent, lacrymanteſque defenderent, ꝓ teſtimonio dixit, ſecuri eſſe percuſſum. Probabit fidem, & auctoritatem, & religionem ſuam L. Suetius, homo omnib. ornamentis præditus, qui iuratus apud uos dixit multos ciues Rom. in latumijs iſtius imperio crudeliſsimo per uim morte eſſe mulctatos. Hanc ego cauſſam, cum agam beneficio populi Ro. de loco ſuperiore, non uereor, ne aut iſtum uis ulla ex populi Rom. ſuffragijs eripere, aut à me ullum munus Aedilitatis amplius aut gratius populo Romano eſſe poſsit. Quadruplicem igitur inter maieſtatis & perduellionis crimẽ differentiam reperio. prima eſt, quòd maieſtatis crimine tenentur ij, qui uel partem aliquam Reipublicæ læſerunt: ueluti ſi quis duces hoſtium accepta pecunia liberauit, aut priuatus domi ſuę hoſtium duces tenuit: quod Verres feciſſe dicitur in

illa

illa eadem Oratione, aut ſi magiſtratui quippiam pro ſua poteſtate agenti aliquis officiat, ueluti C. Cornelius, quem Cicero defendit. Perduellionis autem crimen in eos cadit, qui ſummam Reipub. labefactare conati ſunt. uti ſuperius docuimus. Altera differentia eſt, quòd maieſtatis crimen in foro apud ſuum Prætorem, pro tribunali, iudicio certa lege conſtituto, agebatur: ut ex Verrina 3. & 7. cognoſcitur. Perduellio uerò primis quidem tēporib. à Duumuiris data opera creatis, pòſt autē à populo R. comitijs centuriatis in campo Martio cognoſcebatur: quemadmodum ex Oratione Ciceronis pro C. Rabirio perduellionis reo, in campo Martio habita, itemque ex Valerij libro 6. cap. 5. ſatis planè conſtat. Tertia differentia eſt, quòd maieſtatis crimen non morte, ſed exilio multabatur: Perduellionis uerò damnatum carnifex in urbem euocatus in crucem Martio in campo fixam tollebat. quod ex eadem Oratione cognoſcitur, in qua crucis mentio fit, & ex Dionis lib. 37. ubi de hoc iudicio commemorat. Quartā differentiam Vlpianus oſtēdit in d.l.ult. De crim. maieſt. ubi ait, maieſtatis imminutæ crimen rei morte obliterari: perduellionis autem memoriam etiam poſt mortem damnari. quomodo intelligēdus eſt Imperator in §. 2. De public. iudic. Is qui in reatu decedit (inquit Vlpian.) integri ſtatus decedit. extinguitur enim crimen mortalitate. niſi fortè quis maieſtatis reus fuit. nā hoc crimine niſi à ſucceſsoribus purgetur, hæreditas fiſco uindicatur. Planè non quiſque legis Iuliæ maieſtatis reus eſt, in eadem conditione eſt: ſed qui perduellionis reus eſt, hoſtili animo aduerſus rem publicam uel principem animatus. Ceterùm ſi quis ex alia cauſſa legis Iuliæ maieſtatis reus ſit, morte crimine liberatur.

Peregrinvs dicitur, qui ciuis Romanus non eſt, ad quem ius Quiritium non pertinet. Imp. l. 1. C. de hære. inſt. Qui deportantur ſi hæredes ſcribantur, tanquam Peregrini capere non poſſunt. quod idem traditur in l. ſed etſi, §. ſolemus, D. de hæred. inſt. Hinc

Peregrinitas, peregrinorum conditio. Vlp. l. 10. §. 4. D. de in ius uoc. Sed ſi per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus ſit patronus, putat Pomp. eum amiſiſſe honorem. Quibus ex locis apparet eos etiam Peregrinos dici, quib. ciuitas adempta eſt: quos Vlpia. ἀπολιδες appellat in l. 1. §. 2. De legat. 3. Suetonius in Claudio, Splendidum uirum, Græciæque prouinciæ principem, uerum Latini ſermonis ignarum, non modò albo iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatē redegit.

Peremptorivm edictum inde hoc nomen ſumpſit, quòd perimeret diſceptationem, hoc eſt ultrà non pateretur aduerſarium tergiuerſari. Ad illud autem hoc ordine uenitur, ut primò quis petat per abſentiam aduerſarij edictum primum, mox alterum, per interuallum non minus decem dierum, & tertium. quibus propoſitis, tum peremptorium impetratur. l. 68. 69. 70. D. de iud. uide Contumax.

Peremptoriae exceptiones, uide Exceptiones.

Perfecisse ædificium is uidetur, inquit Vlp. qui ita conſummauit, ut iam in uſu eſſe poſsit. l. 139. D. de uerb. ſig.

Perfectissimi & perfectiſsimatus, uide Dignitatum.

Perfectvm omnibus in rebus eſt, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat. l. 1. D. de orig. iur.

Perfvsorie, ſubobſcurè, diſsimulanter, non diſertè, planeque aliquid dicere. Vlpianus l. 5. §. 1. D. Quod ui aut clàm. Debebit enim & diem & horam denunciatione cōplecti, & ubi, & quod opus futurum ſit: neque perfuſoriè, aut obſcurè dicere, aut denunciare. id eſt, non ab alijs ſermonibus diſcretè, ut notari & exaudiri poſsit: ſed fusè per alios ſermones, & permiſtè. Scæuola l. 69. §. 2. D. de euictio. Sed etſi quis in uenditione ſtatuliberum perfuſoriè dixerit, conditionem autem libertatis celauerit. Item, Sicuti qui fundum tradit, & quum ſciat certam ciuitatem deberi, perfuſoriè dixerit, Itinera, actus, &c.

Perisse uerbo & ſciſſum & fractum & ui raptum continetur: ait Vlpianus l. 9. D. de uerb. ſig.

Perlvsorivm iudicium, id eſt: colluſorium, colluſionis cauſſa inſtitutum, cum aliud agitur, aliud ſimulatur. Vlp. l. 14. D. de appellat. Si perluſorio iudicio actum ſit aduerſus teſtamentum, an ius faciat iudex uidendum. Exhæredatus filius querelæ inofficioſi aduerſus inſtitutum per colluſionem mouerat, ut quum inofficioſum eſſe teſtamentū per inſtituti conniuentiam ac diſsimulationem probaſſet, & legata & libertates interciderent. Budæus tamen Prolvsorivm corrigendum putat, & de proluſione multa tractat. ſed nihil ad mentem Vlpiani: ut mea fert opinio.

Permvtatio, eſt conuentio iuriſgentium à populo R. ita recepta & comprobata, ut ei tamē neque ſuum nomen dederit (ſunt enim emptio & locatio quædam permutationis formæ) neque certam actionis formulam conſtituerit: adeò ut ſeſe inter ſe contrahentes cogere rem mutuò præſtare non poſsint. ſed quum alter rei acceptione obligatus eſt, uel quanti alterius intereſt, Præſcriptis uerbis actione præſtare cogitur: uel rem acceptā, quaſi cauſſa non ſecuta, reddere: aut ſi eam dederit quæ euincatur, in factum actione quanti interfuerit, exoluere. uti cōſtat ex l. 1. D. de rer. permu.

Pernoctare intra urbem intelligendus eſt, inquit Pomponius, qui nulla parte noctis in urbe eſt. Per enim totam noctem ſignificat. l. 166. §. 1. D. de uerb. ſig.

Pero, propriè ruſticum calciamentum: ut Seruius Gramm. teſtatur. hinc capſæ ex ulna paluſtri, aut alia ſimili materia confectæ, quòd peronis ad formam accedant, Perones dictæ. Alfenus l. 3. D. loca.

D.loca.Quòd ſi ſeparatim tabulis,aut peronibus aut in alia cupa cluſum uniuſcuiuſque triticum fuiſſet,&c.Locum Budæus reſtituit, quum antea HERONIBVS legeretur.Peronis uerbo uſus eſt Plinius hac in re lib.36.cap.14. ut Vitruuius lib.5.cap.12.

PERPETVARIVM ius dicitur pro Emphyteuſi, in l.1.2.& 3.C.de locat.præd.ciuil.l.1.C.de off. com. ſacr.palat.quia ſcilicet ager ea lege fruendus datur,ut quandiu merces ſoluātur,nunquam ad dominum redeat. Sed &

PERPETVA conductio pro Emphyteuſi.l.uiam, 10.C.locat.

PERPETVVM edictum,uide Edictum.

PERPETVAE actiones erant olim ciuiles omnes, quia nullo temporis ſpacio terminabantur. cùm enim perpetua & legum, & S. C.& conſtitutionum uis eſſet, conſentaneum erat, ut natæ ex in actiones ius quoque perpetuum obtinerent. at Impp.conſtitutiones tam in rem quàm in perſonam actiones certo temporis ſpacio terminarunt ne ſcilicet amplius XXX. aut quadraginta annis durent.l.3.C.de præſcript.30.ann.l.5. C. ad Macedon.l.6.§.ult.D.de re iudic.

PERPETVAE exceptiones,uide Exceptiones.

PERSECVTIONIS uerbum longè ab actione ſeparatur.eſt enim Perſecutio genus:cuius altera ſpecies Actio,altera generis ſui nomine Perſecutio appellatur. Actio eſt,in qua legitima formularum conceptio obſeruatur:qua de cauſſa iuris ordinarij eſſe dicitur.Perſecutio uerò eſt, cum prætermiſſo legitimo agendi ordine ac formularum ritu apud magiſtratum experimur: qua de cauſſa Extraordinaria nominatur in l.pecuniæ, 178.D. de uerb.ſign.ubi Vlpianus exemplum fideicommiſſorum profert, Et ſi quæ,inquit,aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinarij executionem. Quē locum idem Vlpianus cap.Inſt.25.ſic explicat: Fideicommiſſa non per formulam petūtur, ut legata:ſed cognitio eſt Romæ quidem conſulum, aut Prætoris,qui fideicommiſſarius uocatur: in prouincijs uerò Pręſidum prouinciarum.

PERSONALES actiones,uide Actiones.

PERSONALES ſeruitutes,uide Seruitutes. Et ſic in ceteris.

PERSVADERE τῶν μέσων ἐςίν.nam & bonum conſilium quis dando poteſt ſuadere, & malum.l.1.§.2.D.de ſer.corr.

PERTINERE uerbum & eis rebus petendis aptum eſt,quæ dominij noſtri ſunt: & eis quas iure aliquo poſsidemus, quamuis non ſint noſtri dominij.Pertinere ad nos etiam ea dicimus, quæ in nulla eorum cauſſa ſint, ſed eſſe poſsint. l. uerbum, 181.D.de uerb.ſignif.

PERVENISSE propriè illud dicitur, quod eſt remāſurum:ait Vlp.in l.71.D.de uerb.ſign.l. 164.D. eod.cum effectu enim accipiendum eſt.

PETITIO, uide Actio.

PETITORIVM iudicium, eſt quo res uindicatur. Caius l.36.D.de rei uind. Qui petitorio iudicio utitur.ne fruſtra experiatur requirere debet, an is cum quo inſtituat actionem poſſeſſor ſit.

PETRVS Ancharanus Iuriſconſultus Bononiæ natus,Baldi diſcipulus,patria in urbe ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M.CCCC.LXXX. quo tempore Bartholomæus Salietus in eodem gymnaſio florebat.

PETRVS Belliperticus Iuriſconſultus patria Burgūdus,Bononiæ ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M.CCC.cumq́ue non pauca de iure uolumina reliquiſſet,ibidem eſt mortuus.

PHILANTROPIVM Vlp.uſurpat in l.2.D. de proxenet. pro φιλανθρωπία, uel φιλανθρώπευμα, id eſt liberalitas,munificentia.Idem dico,inquit,& ſi aliquid philanthropij nomine acceperit. De proxeneta loquitur qui ſi mercedis aliquid pro opera ſua receperit,ex conducto non tenetur.

PHILIPPVS Corneus Iuriſconſultus Peruſij natus,Peruſij,Ferrariæ, & Piſis publicè iura annos propè quinquaginta profeſſus eſt: nonnulliſq́ue confectis de iure cōmentarijs ferè octogenarius, anno M.CCCC.LX. in urbe patria uita ceſsit.

PHILIPPVS Decius Iuriſconſultus Mediolani natus,cùm annos triginta iura in Italia publicè interpretatus eſſet,certis de cauſsis in Galliam profugit:unde à Florentinis reuocatus, iterum Piſis, deinde Senis docuit:accepto mille quingētorum aureorū ſtipēdio annuo. mortuus Senis anno M.D.XXXV.quāplurima de iure uolumina reliquit.

PHILOSOPHIA uera eſt iuſticiam colere, boni & ęqui noticiam profiteri.l.1.D.de iuſt.& iur.

PHILYRA, membrana pertenuis inter lignum & corticem tiliæ interiecta,in qua ueteres ſcripſiſſe Plinius lib.13.cap.11. teſtatur. Vlpian.l.52.de legat.3.Librorum appellatione continentur omnia uolumina,ſiue in charta,ſiue in mēbrana ſint. ſed & ſi in philyra, aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, &c.

PHORMIONES, φορμίονες, tegetes ex iuncis aut ſtraminibus contextę.apud Vlp.l.12.§.12.D. de inſt. uel inſt.Legitū tamē Formiones, errore puulgato.

PIGMENTARIVS, poni uidetur pro pharmacopola,id eſt medicamentorum uenditore. Marcian.l.3.§.1.D.ad leg.Cor.de ſicar.Alio S.C. effectum eſt,ut pigmentarij ſi cui temerè cicutam, ſalamandram,&c.Opinor quòd pharmacopolarum muneris hæc pars quædam eſt,ut ea quæ ad pigmenta pertinent,diuendant.

PIGNVS eſt contractus quo res aliqua creditori ea lege obligatur, ut in illa ipſa cùm primum ei ſatisfactum erit, reddenda,dolum & leuem culpam præſtet.

PIGNVS, inquit Caius, appellatum à pugno: quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. unde etiam uideri poteſt uerum eſſe, quod quidam putant, pignus propriè rei mobilis conſtitui.

PIPER, arbor cuius fructus Piper quoq; nominaē, condimentis aptus: cuius tria genera celebrantur album, nigrum, & longum, de quibus Pli. lib. 12. cap. 7. De pipere Paulus in l. 5. D. de pen. leg. de lōgo & albo. Marcian. in l. ult. §. 6. D. de publican.

PITYOCAMPE, uermiculi a pinu arbore naſcentes, uenenato ac peſtifero morſu. de quib. Pli. lib. 23. c. 2. Itaq; inter uenena connumeratur a Marciano in l. 3. §. 1. D. ad leg. Corn. de ſicar.

PLACENTINVS Iuriſconſultus Italus, Mompeſſuli ius ciuile publicè profeſſus eſt, circiter annum M. CC. argumentaq; in ſingulos tum Inſtitutionum, tū Codicis tractatus ſcripſit: quibus Azo poſtea in ſuis componēdis magnopere eſt uſus, ut librorum collatio demonſtrat.

PLAGAE grande linteum tegmen, quarum diminutiuum eſt plagulæ. Varro, Chlamydes, plagæ, uela aurea. Vlp. l. 23. §. D. de aur. ar. inter muliebres ueſtes Plagulas recenſet.

PLAGIVM, eſt cùm quis hominem ingenuum, uel libertinum inuitum celat, uinctumq; habet, emitve ſciens dolo malo, in earumve qua ſocius eſt: aut cum ſeruo alieno ſeruæve perſuaſit, ut a domino dominave fugiat, uel eum eamve inuito uel inſciēte domino dominave celauit, uinctū habuit, emit ſciens dolo malo, quive in ea re ſocius fuit. l. pen. D. de plagiar. Suidas ex eo dictum putat, quòd πλαγίως, id eſt δολίως fiat. Hinc

PLAGIARIVS, qui plagij crimen commiſit. in Rub. D. & C. ad leg. Fab. de plagiarijs.

PLANARIA interpellatio, pro compellatione magiſtratus quæ fit de plano, id eſt antequam in tribunal aſcenderit. Conſtantiu. l. 4. C. de dilation. Et cognitio cauſſæ non interpellatione planaria, ſed conſidente magis iudice colligatur. uide De plano.

PLEBS, ait Iuſtiu. a populo eo differt, quo ſpecies a genere. nam appellatione populi, uniuerſi ciues ſignificantur, connumeratis etiam patricijs & ſenatoribus. Plebis autem appellatione, ſine patricijs & ſenatoribus ceteri ciues ſic ſignificantur §. 4. De iur. nat.

PLEBS a populo eo differt, quòd in populo omnis pars ciuitatis, omneſq; eius ordines contineantur plebs uerò ea dicitur, in qua gentes ciuium patriciæ non inſunt. ut ſcribit Atteius Capito apud Gell. lib. 10. c. 20.

PLEBISCITVM, eſt ius quod plebs R. Tribuno pl. rogante, Tributis tantùm comitijs conſtituebat. Triplex autem inter Legem & Plebiſcitum differentia eſt. Lex a maioribus magiſtratibus ferebatur: Plebiſcitum a minore & ſolo Tribuno pl. Illa ab uniuerſo populo: hoc a plebe tantùm iubebatur. illa comitijs omnibus ſiue centuriatis, ſiue coniuratis, ſiue tributis: hoc uerò tributis tantùm.

PLEBISCITVM (ut ſcribit Atteius Capito) eſt lex quam plebes, non populus accipit. ſed totius huius rei iuriſq;, ſiue cùm populus, ſiue cū plebs rogatur, ſiue quod ad uniuerſos pertinet, caput ipſum & origo, & quaſi fons Rogatio eſt. iſta enim omnia uocabula, cenſentur continenturq; rogationis principali genere ac nomine. nam niſi populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iuſſum fieri poteſt. Hæc Gellius lib. 10. c. 20.

PLEBISCITA primū uocata ſunt ea iura, quę plebs ſibi tum conſtituit, quum in diſcordiam cum patribus deducta, ſeceſſit. l. 2. §. 4. D. de orig. iur.

PLEBISCITA, uide Scita pleb.

PLEBISCITVM, eſt lex quam Trib. pleb. a plebe rogauit. l. 1. D. ad leg. Aquil.

PLENA proprietas, uide Proprietas.

PLENA pubertas, id eſt integra & abſoluta. Imp. §. 5. De adopt. Debet itaque is qui ſibi filium per adoptionem uel adrogationem facit, plena pubertate, id eſt decem & octo annis præcedere. l. 40. §. 1. D. de adopt.

PLENO iure dominus is dicitur, qui rem non tātùm in bonis, ſed etiam ex iure Quiritium habet. uti docet Theoph. §. ult. De libert. Gaius l. 29. D. qui & a quibus. Generaliter pignori datus ſeruus, ſine dubio pleno iure debitoris eſt, & iuſtam libertatē ab eo conſequi poteſt. Sub conditione ſeruus legatus pendente quidem conditione pleno iure hæredis eſt, &c.

PLVMBARII, apud Tarruntinum in l. ult. D. de iur. immunit. artifices qui opera ex plumbo factitant. Vitruuius lib. 8. cap. 7. de opere plūbario loquēs, Non eſt dubium quin ipſum quoque non ſit ſalubre. exemplar autem ab artificibus plūbarijs poſſumus accipere, quòd palloribus occupatos habent corporis colores.

PLVMBATVRA eſt conglutinatio quarumuis materiarum, quæ ſolo fit plumbo. Paulus l. 23. §. 4. D. de rei uind. Si ſtatuæ ſuę ferruminatione iunctum brachium ſit, unitate maioris partis conſumi. Nō idem in eo quod adplumbatum ſit: quia ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem: plumbatura non idem efficit. Pompo. l. 17. D. de acq. rer. dom. Quicquid in facto argento alieni argēti addideris, nō eſſe tuum totum argentū fatendum eſt. at contrà ſi tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaueris, alienove argento ferruminaueris: non dubitatur fundum tuum eſſe.

PLVRIS petitio in re, tempore loco & cauſſa uerſatur. §. plus autem, 29. Inſtit. De actionibus. aut. n. res aliter petitur quàm quæ debetur: aut eadem, ſed alio uel tempore, uel loco, uel modo: ut etiam tradit Paulus 1. ſent. c. x.

PLVTEI, quæ tabulæ affixæ & parietibus adiunctæ dicūtur in l. 41. §. 7. De legat. j. Vlp. l. 17. §. 2. De act. empt. Reticuli circa columnas: plutei circa parietes, item cilicia uela ædium non ſunt.

PODIVM locus extra ædes, inſtar meniani, ſpectandi cā proiectus. Vlp. l. 12. §. 1 :. De inſt. uel iſt. itē ſpōgiæ, quib. colūnæ, pauimenta, podia extergantur.

POETAE nomine Homerus aut Virgilius intelligitur. Iuſtin.§.2. De iur. nat. Sicuti quum Poetam dicimus, nec addimus nomen: ſubauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius.

POENA a puniendo, uel a ponendo, aut quod peccatum ſequitur poſt Varro.

POENA & Multa multum differunt: ait Vlp. quum pœna generale ſit nomen, omnium delictorum coercitio: multa ſpecialis peccati, cuius animaduerſio hodie pecuniaria eſt. pœna autem non tantùm pecuniaria, uerum capitis & exiſtimationis irrogari ſolet. & multa quidem ex arbitrio eius uenit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, niſi quæ quaq; lege, uel quo alio iure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt. quinimò multa ibi dicitur, ubi ſpecialis pœna non eſt impoſita. Item multã is dicere poteſt, cui iudicatio data eſt, magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum poſſe multam dicere, mandatis permiſſum eſt. pœnam autẽ unuſquiſq; irrogare poteſt, cui huius criminis ſiue delicti executio competit l. 131. §. 1. D. de uerbor. ſignific.

POENA, pro eo quod intereſt. Paulus l. ult. D. de eo quod cert. Centum ſolutis ex uniuerſitate, tam ex ſorte quàm ex pœna ſolutum uideri. Item apud Venul. l. 29. D iudic. ſol. uide Damnum.

POENA, pro uſura. Paulus l. 40. D. de reb. cred. Si die ſuprà ſcripta, ſumma data nõ erit, tũc eo amplius quo poſt ſoluam, pœnæ nomine in dies triginta, inq; denarios centenos, denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt, &c. Idem l. 11. De uſuris, Fuit conſuetudo, ut intra certa tempora nõ illatis uſuris, grauiores infligerentur. Et paulo poſt, Quæſitum eſt an illud quod amplius ex conſuetudine pœnæ nomine a quibuſdam exactum eſt, &c. Item Pompo. l. 23. §. 2. D. de hæred. inſtit.

POENA tamen ſic differt ab uſura, quòd quum uſura ex uſu pendeat, ſiue ut planius loquamur, uſus diuturnitas eam pariat, pœnam contra ſucceſſus temporis non parit, ſed contumacia debitoris ſola. Itaq; uſura quidem pro rata temporis exigitur, & ſimul cum eo creſcit, atque augetur, l. 75. §. 6. De uerb. oblig. at pœna non creſcit ex temporis productione, ſiquidem uti conuenta eſt ita ſoluitur, neq; adaugetur. l. 68. D. eod Meritò ergo inter ſe tanquam diuerſa diſtinguuntur: ut in l. 44. D. de uſur. l. 13. D. de pignor.

POENA, uide Fraus.

POENAE nomine legari uidetur, quod coercendi hęredis cauſſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat. ait Imp. §. 41. De legat.

POENAE ſeruitus & Romanæ ciuitatis & agnationis ius extinguit. l. qui ultimo, 29. D. de pœn. Pœnæ autem ſeruus ideo dicitur is qui ad beſtias uel metallum damnatus eſt, quia nullius planè niſi ſupplicij ſui ſeruus eſt: quippe cui in perpetuum eſt addictus, adeò ut ſi quid ei legatum fuerit, pro non ſcripto habeatur: quaſi, ait Marcianus, non Cæſaris ſeruo datum, ſed pœnæ. l. ſunt quidam, 17. D. dę pœn. Et ut rem paucis abſoluam, ſerui pœnæ olim dicebantur, qui ſummo ſupplicio ſic addicebantur, ut ſi liberi eſſent, libertatem, ſi ſerui, domini familiã quaſi abalienati amitterent: adeò ut ne à pœna quidem liberati, in ueteris domini poteſtatem redirent. l. 8. §. 3. & 20. & l. 29. D. de pœn. l. 8. C. de ſent. paſſ. l. 24. §. 5. D. de fideicom. libert.

POENAE ſummæ, mediocres, minimæ, uide Supplicia.

POENALES actiones, uide Actiones pœnales.

POLIA, φυλεία, quæ & πώλευσις, armentum equorum. Varro Equariam appellat. Vlpian. l. 38. in fin. D. de ædil. edict. Et ſi polia uenierit, dicemus unum equum qui uitioſus eſt, non nomen poliã redhiberi oportere.

POLITOR, artifex agri diligenter excolendi & quodammodo poliendi. Nonius Marcellus, Politores, agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta, & ad nitorem deducta. Ennius Satyra lib. 3. Teſtes ſunt lati campi, quos gerit Africa terra politos. Et Annali IX. Raſtros dentefabres carpſit cauſſa poliendi agri. Varro, Quid mirum ex agri ne politionibus eijciuntur, hic in cœnaculo polito recipiuntur. Vlpianus l. 52. §. 1. D. pro ſoc. Si in coeunda ſocietate artem operamve pollicitus eſt alter, ueluti quum pecus in communi paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt.

POLLICITATIO dicitur offerentis ſolius promiſſum. l. 3. D. de pollicit. In libris noſtris plerunque eſt, cùm quis ludos, opusve aliquod publicum Reipub. promiſit. l. prima, & paſſ. D. eodem. l. 6. §. debitores, D. de mun. & hon. l. quinta, D. ad leg. Falcid.

POLLINCTOR, qui mortui corpus pollincit, id eſt unguit. Serui erant, & ex libitinarij familia. Vlp. l. 5. §. 1. D. de inſt. act. Idẽ ait, Si libitinarius, quos Græcè νεκροθάπτας uocant, ſeruum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſepeliuerit, &c.

POLYPVS, πολύπους, eſt caruncula, modò alba, modò ſubrubra, quæ narium oſsi inhæret, & modò ad labra pendens, narẽ implet, modò retrò per id foramen quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit. ait Corn. Celſus lib. 6. cap. 8. unde,

POLYPOSVS, qui eo uitio affectus eſt: apud Vlp. l. 12. D. de ædil. edict.

POMOERIVM, locus poſt mœnia. Plura cognoſce ex Liuio lib. 1. Papinian. l. 5. De ſeru. export. Cui pacto uenditoris pomœrio cuiuslibet ciuitatis interdictum eſt, urbe etiam interdictum eſſe uidetur.

PONDVS, infectæ materiæ: Numerus, ſignatæ: Species, factæ dicitur. l. 6. D. de rei uind.

PONT. max. qꝫ maximus rerũ q̃ ad ſacra & religiones ꝑtinent, iudex ſit, uindexq; contumaciæ priuatorum

torum

rum,magiſtratuumque. Minorum Pontificum Maximus dicitur,qui primus in id collegium uenit:item Minimus,qui Nouiſsimus. Feſtus.

Pontifices (ut Q.Scæuola Pontifex Max. dicebat)à poſſe & facere. At Pontifices ego à ponte arbitror: nam ab ijs Sublicius eſt factus primùm & reſtitutus ſæpe, quum ideo ſacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Hæc Varro. Facere autẽ Scæuola dixit,pro ſacrificare. Apud Varronem Ius turpiter pro Vls legitur. Pontificẽ in ius uocare dũ ſacra facit, non licet: ait Vlp. l.2.D.de in ius uocãd.Sine decreto Põtificũ oſſa quæ ab alio illata ſunt,uel corpus, domino loci effodere uel eruere non licet:ait idem Vlp. l. 8.D. de relig.& ſumpt.

Pontificem unum duntaxat à Numa inſtitutum legimus apud T.Liuium:Marcum ſcilicet M.F. cui ſacra omnia exſcripta: exſignataq; attribuit. quibus hoſtijs,quibus diebus, ad quę templa ſacra fierent: atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. cetera quoque omnia publica priuataq; ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit. nec cœleſtes modò cerimonias,ſed iuſta quoq; funebria,placãdosq; manes ut idem Pontifex edoceret. Hæc Liuius.Hunc autem ſolùm à Numa Pontificem creatum Liuius teſtatur, quem Maximum etiam non nominat,quòd alij ſcilicet Minores non eſſent.& initio lib.2.quum de Rege ſacrificulo cõmemorat,non dicit eum Pontificibus,aut Pontifici Maximo ſubiectum eſſe, ſed tantùm Põtifici, qui tamen Maximus(ut dixi.) ſacerdotum omniũ habebatur.non multo pòſt tamen quatuor ſunt creati Pontifices,qui numerus ad M. Valerium, Q. Apuleium Coſs.id eſt annos amplius quadringentos permanſit. quo tempore octo primum lege Ogulnia Pontifices creati ſunt: de quibus quum poſtea Liuius loquitur,alios minores Põtifices appellat,unum maximum. Cicero etiam in Orat.de Haruſp.reſp.tres minores nominauit. Pontificis uerò Maximi tanta poteſtas in reliquos ſacerdotes fuiſſe dicitur, ut L. Metellus eũ honorem adeptus,Poſthumium Conſulẽ: eundẽ quę Flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, multa indicta: urbem ingredi uetuerit. quemadmodum Cicero & Valerius teſtantur. Idem Pontifex de uiolatis ſacris cum collegio cognoſcebat.Liuius narrat L.Cantilium ſcribam Pontificum,qui cũ Veſtali uirgine ſtuprum fecerat, à Pontifice Max. euſque uirgis in comitio cęſum fuiſſe,ut inter uerbera expiraret.Idem res omnes ſingulorũ annorum mandabat literis, efferebatque in album,& proponebat tabulam domi,poteſtas ut eſſet populo cognoſcẽdi:ut Cicero lib. de Orat.2.commemorat.Creati autẽ poſtea plures ſunt à uictore Sylla,eorumque numerus ampliatus,ut eſſent quindecim.

Pontones, naues pontis uſum in traiiciendis amnibus præſtantes.Paulus l.ultim. De ſeruit.ruſtic: Flamine interueniente uia conſtitui poteſt, ſi aut uado tranſiri poteſt,aut pontem habeat:diuerſum,ſi pontonibus traijciatur. Et paulo poſt, Qui a uia conſummari ſolet uel ciuitate tenus, uel uſq; ad uiam publicam, uel uſque ad flumen in quo pontonibus traijciatur.

Populares actiones, uide Actiones populares.

Populitari, populari diripi. Papirius l. uigeſimaprima,in fi.D.de appel. Tamen quum fructus populitarentur ab aduerſario, æquum ſibi uideri fructus apud ſequeſtres deponi.

Populus,uide Plebs.

Porcae appellantur rari ſulci, qui ducuntur aquæ deriuandæ gratia:dictæ quòd proceant,id eſt prohibeant aquam frumentis nocere.nam crebriores ſulci limi uocantur.Porcas quæ inter duos ſulcos fiunt,ait Varro dici,quòd porrigant frumentum. Hæc Feſtus. Alfenus l.24.D.de aqua & aquæ arc. Vicinus loci ſuperioris pratum ita arabat, ut per ſulcos, itemque porcas aqua ad inferiorem ueniret. Αὔλακες Græcè appellantur in l.1.§.Sabinus, D. de aq.pluu.

Porrectum, Varro interpretatur directum: uide Anfractus.

Porrina, idem quod porrus. Scæuola l. 58.§. 1. De uſufruct. Sempronio do lego ex redactu fructuum holeris porrinæ partem.

Portari, uide Ferri.

Porticatio, porticus. Macer l.36.§. 1. De relig. & ſumpt. Si amplum quid ædificari teſtator iuſſerit, ueluti in circum porticationes, eos ſumptus funeris cauſſa non eſſe.

Portitores, vide Mancipes.

Portorium, uectigal quod pro exportandis mercibus ſoluitur. unde qui hoc uectigal publicani redemerunt, Portitores dicuntur. Labeo l.60. §. 8.D.locat. Vehiculum conduxiſti, ut onus tuum portaret, & ſecum iter faceret: id quum pontem tranſiret,redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat. quærebatur an etiam pro ipſa ſola rheda portorium daturus fuerit.

Portus, inquit Vlpian. appellatus eſt concluſus locus,quo importantur merces, & inde exportantur. eaque nihilominus ſtatu eſt concluſa atque munita. inde Angiportum dictum eſt.l.59.D.de uerb. ſignific.

Positiones, ſitus, regiones. Vlpian. l. 1. §. 1. D. de iuſt. & iur. Huius ſtudij duæ ſunt poſitiones: quaſi diceret partes, ſiue regiones. hoc eſt, Hoc ſtudium, ſiue hæc diſciplina poſita eſt duabus in rebus: nempe in ediſcendo iure publico & priuato. minus enim planè & explicatè hoc dictum eſt: neque uero de iure loquitur Vlpia. ſed de ſtudio ac diſciplina.

Positio, fundum, ſors. Vlpian. l.3.D.de annu. legat.Hoc ſequemur,ut propoſitione patrimonij

ſine uexatione & incommmodo hæredis fiat. id eſt pro uiribus, pro facultatibus. Idem l. 2. §. 1. D. de pecul. Si uerò eandem poſitionem peculij reliquit, debere eum deducere.

POSSESSIO, inquit Paulus, appellata eſt à ſedibus, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo qui ei inſiſtit. quã Græci κατοχὴν dicunt. l. 1. D. de acq. uel am. poſſ.

POSSESSIO eſt, ut definit Gallus Aelius, uſus poſsidendi agri aut ædificij: non ipſe fundus aut ager. non enim poſſeſsio ẽ rebus quæ tãgi poſſunt: ſed qui dicit poſsideri res, is uerè poteſt dicere. itaq; in legitimis actionib. nemo ex ijs qui litigãt poſſeſsionẽ ſuã uocare audet. ſed ad interdictũ uenit, ut Prætor his uerbis utatur, Vti nũc poſsidetis eũ fundũ q. d. a. (id eſt quo de agitur) qđ nec ui, nec clàm, nec precario alter ab altero poſsidetis, ita poſsideatis: aduerſus ea uim fieri ueto. Hæc Feſtus. quem locum ita correctum ſic interpretor, ut actio nulla ſit his concepta uerbis, Hanc poſſeſſionem meam eſſe aio.

POSSESSIO. Interdum ait Paulus, proprietatem quoque uerbum Poſſeſsionis ſignificat: ſicut in eo qui poſſeſsiones ſuas legaſſet, reſponſum eſt. l. 78. D. de uerbor. ſignific.

POSSESSIO & quaſi poſſeſsio differunt. nam illa tũ dicitur, quum aliqua res corporalis naturaliter tenetur: hæc uerò, quum incorporalibus rebus utimur, q̃ naturaliter teneri nõ poſſunt, ut ſeruitutib.

POSSESSIONES appellantur agri latè patentes publici priuatique: quia non mancipatione, ſed uſu tenebantur, & ut quiſque occupauerat, colebat. Alibi Poſſeſsio eſt uſus agri, aut ædificij, non ipſe fundus, aut ager. Feſtus.

POSSESSIO, uide Fundus.

POSSESSIONE capere, pro uſucapere: Iulianus l. nõ ſolùm, 33. §. Si docuimus, D. de uſurpat. Lex Plautia & Iulia ea demum uetuit longa poſſeſsione capi, &c. Iauolen. l. emptor, 4. D. pro empt. Nihil eum ex eo fundo longa poſſeſsione capturum. Itẽ Iulianus l. qui fundum, 7. §. ſeruus, eod.

POSSESSIO bonorum, & Bonorum poſſeſsio quid differant, uide Bonorum poſſeſsio.

POSSIDERE uerbum eſſe à ſedibus deductum, coniugata uerba declarant: ut Aſsidere. Obſidere, Deſidere. Sedes autem dicuntur, in quibus quis habitat. ut apud Vergilium, Sedes ubi fata quietas oſtendunt. Varro autem Pos uetus uerbum eſſe ait, pro quo nunc dicimus Potens: cui contrarium eſt Impos. unde Poſſum: quaſi coniunctia uerbis Pos, Sum. unde Poſsidere dicitur, qui poteſt ſedere: id eſt ſedẽ atq; habitationem ſuã aliquo in loco collocare. Atq; hæc quidem etymologia eſt, ex qua uerbum hoc in prædijs primùm poſitum fuiſſe cõſtat. ſed poſtea mobiles ẽt ad res & mãcipia trãſlatũ eſt. Quũ igit Poſsidere dicatur is, qui põt ſedere: ſequitur poſſeſsionẽ ita non incõmodè definiri poſſe, ut dicatur Ius eſſe utendi re corporea pro domino: id eſt pro imperio ac poteſtate domini. ſic. n. ueteres loquebãtur. nam ſi ſoli ei ſedes licet in prædio conſtituere qui dñs eſt, aut certè pro domino ſe gerit, poſſeſsionẽ in aliũ cadere dici nõ poteſt. Ius autem iccirco etiã dixi, quia (ut uerbi notatio demõſtrat) poſsidere, nõ eſt omnino ac ſimpliciter ſedere, ſed ſedendi uim ac poteſtatem habere. Itaq; p alios, ut colonos, ſeruos, cõmodatarios, depoſitarios poſsidere rectè dicimur. l. 3. §. 7. & l. 6. §. ult. D. de acquir. uel amitt. poſſ. & alijs locis innumeris. Pro domino autem ob eã cauſſam adieci, ut eas rerũ detentiones exciperem, quæ ꝓ domini poteſtate non habent: ueluti quũ tutor pupilli res poſsidet. Liuius lib. 24. Cum clauſis Andronodorus inſulæ portis hæreditatẽ regni creuerit: quæq; procurator tenuerat, ꝓ dño poſſederit. Itẽ quũ creditor rei ſeruãdæ cauſſa mittitur in poſſeſsionem. Is. n. poſsidere nõ dicitur, ſed cuſtodire. l. tertia, in fi. eod. tit. Item qui rogauit, ut præcario in fundo moretur, nõ poſsidet, ſed poſſeſsio apud eum qui cõceſsit, remanet: ait Vlpianus l. 6. §. 1. D. de precar. nã & fructuarius, inquit, & colonus, & inquilinus ſunt in ꝓdio, & tamen nõ poſsident. Et Alex. l. 1. C. cõmu. de uſucap. Qui ex cõducto poſsidet, quãuis corporaliter teneat, nõ tamen ſibi, ſed dño rei creditur poſsidere. Item l. 2. C. de præſcript. 30. annor. Eos poſſeſſores non conuenit appellari, qui ita tenent, ut ob hoc ipſum ſolitã debeant præſtare mercedem. Aliud ergo Tenere eſt, aliud Poſsidere. Tenere dicitur, qui corporaliter quidẽ obtinet, ſed nõ animo ac poteſtate dñi: ueluti ſeruus, in quẽ domini uocabulũ nõ cadit, ne peculiũ quidẽ ſuũ poſsidere dicitur: ſed tenere. Iauolenus lib. 24. De acq. poſſ. Et peculium qđ ſeruus ciuiliter quidẽ poſsidere nõ poſſet, ſed naturaliter tenet, dominus creditur poſsidere. At. n. Põponius in l. 15. §. 4. D. de precar. affirmat eum quoq; qui præcariò rogauit, poſsidere. Placet, inquit, penes utrunq; eſſe eũ hominẽ. qui præcariò datus eſſet, penes eũ qui rogaſſet, quia poſsideat corpore: penes dominum, quia non diſceſserit animo poſſeſſione. Reſpõdeo, poſsidere hoc loco dictum eſse pro Tenere: quemadmodũ poſseſsio pro uſu ſæpe uſurpatur. & ſi maximè poſsideret, non ſibi tamen, ſed domino eum poſsidere. quod uel hinc licet intelligatur, quia re commodata, non pro ſua, ſed pro aliena utitur: uerum quia commodum poſseſsionis ei conceſsum eſt, ob eam cauſsam poſsidere uidetur: quemadmodum fructuarius, qui in d. l. 6. ab Vlp. poſsidere negatur, ab eodẽ tamen in l. 12. De acq. poſs. naturaliter uideri poſsidere dicitur. quid ita? nimirum quia quicquid emolumenti uerus dominus ex poſseſsione ſua poſset ꝑcipere, id omne fructuarius percipit: ut non malè in aliena re ac poſſeſsione poſside-

ne poſsidere dici poſsit. Similiter Iauol. l. 16. De uſurp. Qui pignori dedit, ad uſucapionem tãtum poſsidet. quod ad reliquas omnes cauſſas pertinet qui accepit, poſsidet. Quomodo? quia emolumẽta omnia, quæ percipi ex poſſeſsione poſſunt, aliena in poſſeſsione conſequitur, ſic ut poſsidere ipſe uideatur. uerum hæc inter illum & hunc poſſeſſorem differentia eſt, quòd ille pro ſuo iure, hic pro alieno: ille tanquam dominus, hic tanquã procurator ac uicarius: ille pro ſua poteſtate & in omne tempus, hic fiduciaria opera & ad tempus poſſidet. Quòd ſi cui dubium id etiã uideatur, is Celſum audiat, qui in l. 18. D. de acq. poſſ. ſic loquitur. Quod meo nomine poſsideo, poſſum alieno nomine poſsidere. nec. n. muto mihi cauſſam poſſeſsionis, ſed deſino poſsidere: & alium poſſeſſorẽ miniſterio meo facio. nec idem eſt poſsidere, & alieno nomine poſsidere. nam poſsidet, cuius nomine poſsidetur. procurator alienæ poſſeſsioni præſtat miniſterium. Hæc Celſus. Quæ quum ita ſint facilis, opinor, eius diſputationis explicatio eſt, quam Paul. in l. 3. §. 4. De acq. poſſ. his uerbis tractat: Ex cõtrario plures eãdem rem in ſolidum poſsidere non poſſunt. contra naturã quippe eſt, ut cùm ego aliquid teneam, tu quoq; id tenere uidearis. Sabinus tamẽ ſcribit, eum qui precariò dederit, & ipſum poſsidere: & eum qui precariò acceperit. Idem Trebatius probabat, exiſtimãs poſſe alium iuſtè, alium iniuſtè poſsidere: duos iniuſtè, uel duos iuſtè non poſſe: quem Labeo reprehendit, quoniam in ſumma poſſeſsionis non multum intereſt, iuſtè quis an iniuſtè poſsideat. quod eſt uerius. non magis enim eadem poſſeſsio apud duos eſſe poteſt, quàm ut tu ſtare uidearis in eo loco in quo ego ſto, uel in quo ego ſedeo tu ſedere uidearis. Sabinum & Trebatium Labeo reprehendit. Rectè, inquit Paulus. quid ita? quia ut non plures in ijſdẽ poſſunt ueſtigijs conſiſtere, ſic non plures idem poſsidere poſſunt. optimè. Poſſeſsio nanq; ab eorum cõſuetudine manauit, qui primi ſedes in locis uacuis collocabant, ut idẽ inquit in l. 1. eod. Verùm quòd hominum auaritia ſede una contenta non fuit, pluribus in locis eas collocare cœperunt: & quia plurib. in locis unũ eſſe corpus non potuit, iccirco uicarios habuerunt, colonos ſcilicet & inquilinos, qui quòd corpore in ijs locis inſiſtebant, corporaliter tenere, & interdum poſsidere dicti ſunt: quum ipſi domini animo ac mente poſſeſsionem retinerent. Papin. l. 44. §. 2. D. de acq. poſſ. Multum intereſt per noſmetipſos, an per alios poſsideamus. nã eius quidẽ quòd corpore noſtro teneremus, poſſeſsionẽ amitti uel animo, uel corpore: ſi modò eo animo inde digreſsi fuiſſemus, ne poſsideremus. eius uerò qđ ſerui uel etiam coloni corpore poſsidetur, non aliter amitti poſſeſsionem, quàm eam alius ingreſſus fuiſſet. Vlp. l. 29. D. eod. Poſſeſsionem pupillum ſine tutoris auctoritate amittere poſſe conſtat: non ut animo, ſed corpore deſinat poſsidere. quod eſt enim facti, poteſt amittere: alia cauſſa eſt ſi fortè animo poſſeſsionem uelit amittere. hoc enim non poteſt. Paul. in. l. 41. Qui iure familiaritatis amici fundum ingreditur, non uidetur poſſidere: quia non eo animo ingreſſus eſt, ut poſsideat, licet corpore in fundo ſit. Hactenus cur PRO DOMINO in definitione ſit adiectum, expoſuimus. Supereſt ea pars in qua diximus, Re corporea: quæ quidem adiecta propterea eſt, quia iura non propriè poſsidentur, ſed quaſi poſsidentur. d. l. 3. & quãuis interdum poſsideri dicantur, abuſione tamen id fit uocabuli. Ex his igitur illud conſtat, quicunq; poteſtatem habet utendi re pro iure domini, eum poſſeſſorem dici: ſiue iure, ſiue iniuria eam poteſtatem habeat. Quum enim ius in definitione diximus, non legis permiſſum, ſed uim illam, qua natura potentiores (ut ſcribit Heſiod.) utuntur, intelligimus. ut quum Alexander ui Thraciam aut Aſiam occupauit, quamuis id iniuria feciſſet: eius tamen poſſeſſor dicebatur. Neq; ratio ulla eſset dicere, ius illud ipſi à belli uictoria tributum eſse: quum ſatis conſtet, ius illud quod æquitas definitur, non minus in Alexandrum Magnum ſuis copijs inſtructum, quam in quemuis tenuem ac ſolitarium nomine ualuiſſe. Poſseſsio ergo ius eſt, ſiue ea legibus permiſsa ſit, ſiue non ſit. qua propter & fur & ereptor res ablatas poſsident. Si rem inquit Paulus, apud te depoſitam furti faciendi cauſsa contrectaueris, deſinis poſsidere. l. 3. §. 13. eo. & qui ui dominum deiecit, ſi in poſſeſsione turbetur, interdictum recuperatorium habebit. l. 1. D. de ui arm. & uxor cui maritus donationis cauſſa poſſeſsionem iniuſtè ceſsit, poſsidet. l. 1. §. 2. D. de acq. poſſ. deinde ait Pau. l. 3. §. 4. eo. In ſumma poſſeſsionis nõ multũ intereſt, iuſtè quis an iniuſtè poſsideat. Diſtingui ergo poſſeſsiones oportet, ut aliæ iuſtæ ſint ac legitimæ, aliæ iniuſtę ac illegitimę: ut cognatio alia iuſta dicitˀ, quæ ex matrimonio legitimo contracta eſt: alia iniuſta, quæ ex ſtupro, uel illegitimo matrimonio & quẽadmodũ cognatio, ſiue proles ex meretrice quæſita natura tamen ualet: id eſt reuera cognatio eſt, ſed Romæ uim eã non habet: eoq; Naturalis cognatio à Iuriſc. uocatˀ. l. 4. §. 2. D. de grad. ea uerò quę ex iuſto legitimoq; matrimonio ſuſcepta eſt, ciuilis, aut potius mixta dr̃: ſimiliter poſseſsio quæ natura. i. reuera poſſeſſio eſt, & occupatio pro ptãte dñi, ſi iuſta eſt, Ciuilis dicitˀ: ſin minus, Naturalis. non quò ciuilis, naturalis ẽt nõ ſit, ſed ꝙ nõ omnis naturalis, cõtinuò ẽt ciuilis ſit. ut ſi ciuilẽ eã cognationẽ appellaremus quã Modeſt. mixtã appellat (pinguius. n. hoc uerbũ Modeſt. uſurpauit: ut initio libelli De gradib. obiter admonuimus) eamq; intelligamus quæ ex iuſto matrimonio cõtracta eſt, omnis ciuilis cognatio etiam naturalis erit: at non omnis naturalis cõtinuò ciuilis. Vlp. l. 1. §. 5. D. de ui ar.

Deijcitur is qui poſsidet, ſiue ciuiliter, ſiue naturaliter poſsideat (id eſt, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè poſſideat:) nam & naturalis poſſeſsio ad hoc interdictum pertinet. denique etſi maritus uxori donauit, eaq; deiecta ſit, poterit interdicto uti. Aperte igitur iniuſta uxoris poſſeſsio, naturalis poſſeſsio appellatur. aperiè quoq; eadē à Paulo in l. 26. D. de do. int. uir. & ux. appellatur non ciuilis. at in l. 23. §. 2. De acq. poſſ. is qui liberum hominem uinxerit, ſic ut eum in poteſtate haberet, eum poſsidere diſertè dicitur: ſed non ciuiliter, uerùm naturaliter. quæ quum ita ſe habeant, ſcire tamen illud oportet, Iuriſconſultos nonnunquā abuſione & tranſlatione quadā uocabuli, eos dicere naturaliter poſsidere, qui corporaliter duntaxat tenent. ut quum Vlp. ait in l. 7. §. 6. D. com. diuid. Neque colonis, neq; ijs qui depoſitum ſuſceperunt, hoc iudiciū competit: quamuis naturaliter poſsideāt. Nam in l. 1. §. 5. De ui arm. Vlp. apertiſsimè negat eum etiā naturaliter poſsidere. Hoc interdictū, inquit, ei competit qui deiectus eſt, ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter poſsideat. ut uiolento poſſeſſori, & uxori cui uir donauit: at non colono, quia nullo modo poſsidet. Similiter quum Theophilus ait, ſub tit. Quib. mod. toll. oblig. Κρατεῖν ἐστὶ φυσικῶς κατέχειν, Tenere, eſt naturaliter detinere: φυσικῶς dixit, pro σωματικῶς. id eſt corporaliter. item ut Iulianus l. 24. De acq. poſſ. quum ſeruos naturaliter tenere dixit ſuum peculium. Et Papi. in l. 49. De acq. poſſ. naturaliter à fructuario teneri. Similiter ergo abuſus eſt Iulianus in l. 2. D. pro hæred. quū ait Colonum, depoſitarium, commodatarium, naturalem habere poſſeſsionem. Naturalem enim dixit, pro Corporalem: quum ipſum dominum reuera poſſeſſorem eſſe conſtet. Reuera autem nihil aliud eſt, quàm naturaliter. quamobrē ὄντως, apud Platonem ita crebrò pro ἀληθῶς uſurpatur, ut nihil magis: & conſtat Ciceronem pro Eſſentia, & Subſtantia, Naturæ uerbum uſurpare. præterea corporaliter plures ſimul eandem rem poſſidere non poſſunt, quemadmodum antè dictum eſt duos neque iuſtè neque iniuſtè ſimul poſsidere poſſe, d. l. 3. §. 4. De acquir. poſſeſſ. Sed quemadmodum ſuperius dicebamus, Colonus, depoſitarius, commodatarius, in alterius naturali poſſeſſione naturaliter alieno nomine poſsident, item ut filiusfam. quem Papin. d. l. 49. naturaliter poſsidere dicebat ea quæ uiuus pater ei donarat: nimirū in patris poſſeſsione naturali: ob eamque cauſſam ſeruos qui dominum ſuum animo domini detinent, non malè diceremus naturaliter poſsidere niſi poſſeſsio non minus eſſet iuris quàm facti, inquit Paulus: id eſt, ſi uerbum illud in ſeruum poſſet cadere. Reuera enim ſeruus poſsidet, & animo domini poſsidet. ſed naturaliter tantùm tenere dicitur: id eſt, tanquam domini inſtrumentum: ut uerius dominus adminiculo ſerui, quaſi inſtrumenti, poſsideat.

Posſidere animo aut corpore: id eſt uoluntate, aut re ipſa. Similiter apud Ciceronem Philip. 12. Scimusne igitur Panſa, quibus in locis nunc ſit Lentonis auctoritas? nobiſcum nec animo certè eſt, nec corpore.

Possidere iuberi, & in poſſeſsionem mitti ſic differunt: nam Prætor in poſſeſsionem mittit primo decreto, poſsidere autem iubet 2. l. 7. D. de damn. infec. ob eum qui in poſſeſsionem miſſus eſt, dominus decedere non cogitur, at cùm poſsidere quis iuſſus eſt, decedere cogitur. Vlpianus l. ſi finita, 15. §. ſi quis autem, eod. Si quis in poſſeſsionem miſſus nondum poſsidere iuſſus ſit, an dominus decedere poſſeſsione iubeat, uideamus. & ait Labeo, non decedere: ſicuti nec cùm creditores, uel legatarij mittuntur. idq; eſt uerius. Et paulo pòſt Vbi autem quis poſsidere iuſſus eſt, dominus deijciendus erit poſſeſsione.

Posteriorum nomine generaliter liberi omnes continentur. l. quod his, 83. in fine, D. de legat. 3. id eſt filij, nepotes, pronepotes, uſque ad trinepotem, Sic Vlpianus in l. 10. D. de relig. & ſumpt. Si uenditor fundi receperit locum ſepulcri ad hoc, ut ipſe poſteriq; eius illò inferrentur. ſic in l. 1. §. 1. & l. 4. D. de iur. immunit. Cic. 1. in Rull. Et ut uos de ueſtris maioribus prędicatis, Hunc agrum nobis maiores noſtri reliquerunt: ſic ueſtri poſteri de uobis prædicabunt, Hunc agrum patres noſtri acceptum à patribus ſuis perdiderunt. Itaque quod apud Suetonium Caligula negat intelligi debere poſteros ultra gradum filij, id ex tyranni conſuetudine dictum exiſtimandum eſt. Propriè autem Poſteri dicuntur, qui ſunt ultra trinepotem. l. ult. D. de gradib. Itaq; Iauol. in l. 13. D. de mun. & hon. Vacatio, inquit, itemq; immunitas, quæ liberis, & poſteris alicuius data eſt. Cic. Phil. 9. Conſul locum ſepulcro aſsignat, quò Ser. Sulp. inferatur. quod ſepulcrum ipſius liberorum poſterorumq; eius ſit.

Postica idē quod poſticum: quo uerbo uſum quoque Varronem Nonius teſtatur. Vlp. l. 13. §. 7. D. de uſufr. Sed neq; diætas transformare ei permittetur, uel aditus poſticasve uertere.

Postliminium eſt, ait Paulus, ius amiſſæ rei recipiēdæ ab extraneo, & ī ſtatū priſtinū reſtituēdæ, inter nos ac liberos populos Regesq;, moribus, legibus conſtitutum l. 19. D. de capt. & poſtl.

Postliminium, ait Imper. dictum eſt à limine & poſt. Vnde eū qui ab hoſtibus captus, & in fines noſtros poſtea peruenit, poſtliminio reuerſum rectè dicimus. nā Limina ſicuti in domo finē quendā faciunt, ſic & Imperij finem eſſe limen ueteres uoluerūt. Hinc & Limen dictū eſt, quaſi finis quidā & terminus. ab eo poſtliminiū dictū eſt, quia ad idē limen reuertebatur, quod amiſerat. §. 4. Quib. mod. ius pat. Cic. aūt in Top. Seruius, inquit, nihil putat eſſe notādū, niſi Post. & Liminiū illud productionem eſſe uerbi uult: ut in Finitimo, Legitimo,

mo, non plus ineſſe Timum, quàm in Meditullio Tullium. Scæuola autem iunctum eſſe putabat uerbum ut ſit in eo & poſt, & Limen: ut quæ à nobis alienata ſunt, cùm ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanquã limine exierint, dein cùm redierint poſt ad idẽ limen, poſtliminio uideantur rediſſe.

Postliminio receptum Gallus Aelius lib. primo ſignificationum quæ ad ius pertinerent, ait eſſe eum, qui liber ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatem redit eo iure, quod conſtitutum eſt de poſtliminijs. Item qui ſeruus à nobis in hoſtium poteſtatem peruenit, poſtea ad nos redit, in eius poteſtatem cuius antea fuit, redit. In iure poſtliminium equi, & muli, & nauis, eadem ratione. Hæc Feſtus.

Postliminium in rebus inanimatis & immobilibus. Pompon. in l. 36. D. de relig. Loca capta ab hoſtibus, deſinunt eſſe religioſa. quòd ſi liberata ſint, quaſi quodam poſtliminio reuerſa priſtino ſtatui reſtituuntur.

Postulare, eſt deſiderium ſuum uel amici ſui in iure apud eum qui iuriſdictioni præeſt, exponere: uel alterius deſiderio contradicere. l. 13. §. primo, D. de poſtul.

Postulare capitis, pro reum facere criminis capitalis. Papin. l. 53. D. de fideiuſſ. Capitis poſtulati fideiuſſores ex contractu citra ullam præſcriptionem à creditore qui reum poſtulabit, rectè conueniuntur.

Postulare neque accuſare eſt, neque nomen deferre, mirarique hominum eruditorum argutias in huius uerbi interpretatione cogimur. nam Poſtulare cùm ad publica iudicia refertur, ꝓpriè ſignificat, petere à Prætore ut ſibi liceat lege aliqua publicorum iudiciorum quempiã interrogare, utrum in eam legem commiſerit, necne: ut ſi fateatur ei lis æſtimetur: ſi neget, eius nomen in reos referatur. Cicero ad Q. Fratrem, lib. 1. Quod cum de ambitu Gabinium uellet poſtulare, neq; Prætores diebus aliquod adiri poſſent, uel poteſtatem ſui facerent, in concionem aſcendit. Cælius Ciceroni: Inſolentiſsimi homines Circenſibus ludis poſtulandum me lege Scantinia curarunt. Idem. Illud mihi occurrit, quòd inter poſtulationem & nominis delationem uxor à Dolabella diſceſsit. Cicero in Diuinatio. Nuper cùm in P. Gabinium L. Piſo delationem nominis poſtularet.

Postulatio, inquit Donatus, propriè eſt querela de eo qui peccauit, apud alterum: Expoſtulatio apud illum ipſum qui peccauit. Terent. Hecyra, Neque lites ullæ inter eas, poſtulatio nunquã. Idem in Andr. Expoſtulatio eſt aduerſus eum quem incuſamus. nam Expoſtulare eſt querelam apud eum ipſum deponere, de eo ipſo qui fecit iniuriam. Poſtulare autem, querelam dicere de altero apud alterum.

Posthumus, inquit Feſtus, cognominatus poſt mortem patris natus. Plaut. Aulularia, Poſt mediã ætatem qui ducit uxorẽ domũ, Si eam ſenex prægnantem perpetuò fecerit, Quid dubitas quin fiet paratum nomen puero Poſthumus.

Posthumum non eum ſignificare tantùm, qui patre mortuo, ſed & qui poſtremo loco natus eſt. Ceſelius uindex ex uerſibus Vergilianis diſputat apud Gell. lib. 2. cap. 16.

Posthumos, inquit Vlpianus, dicimus eos duntaxat, qui poſt mortem parentis naſcuntur. l. 3. §. 1. D. de iniuſt. rupt.

Posthumus alius dicitur ſuus, alius uerò alienus. Poſthumus ſuus dicitur, qui ſi uiuo patref. natus fuiſſet, in ipſius poteſtate fuiſſet, proximumque ab eo locum in familia tenuiſſet. §. 3. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. ueluti filius: aut, filio de familia ſublato, nepos, & qui deinceps. Poſthumus alienus dicitur, qui ſi teſtamenti tempore natus fuiſſet, ſuus hæres non fuiſſet. hoc eſt, qui ſi teſtamenti faciendi tempore natus fuiſſet, in familia quidẽ & poteſtate teſtatoris fuiſſet, at primum in familia gradum non obtinuiſſet: utpote a ſuperiore iã occupatum. ueluti nepos uiuo filiofa. natus in poteſtate aui ſui eſt: at non ſuus tamen, quia principem in familia locum non obtinet. Verè igitur & propriè hic dicendus eſſet, Non ſuus. uide §. poſthumo, 25. Inſt. de legat. l. ex facto, 17. §. ſi quis ita, D. ad Trebell.

Potestatis uerbo, inquit Paulus, plura ſignificantur. in perſona magiſtratuum, imperium: in perſona liberorum, patria poteſtas: in perſona ſerui, dominium. at quum agimus, de noxæ deditione cum eo qui ſeruum non defendit, præſentis corporis copiam facultatẽque ſignificamus. In lege Atinia, in poteſtatem domini rem furtiuam ueniſſe uideri, & ſi eius uindicandæ poteſtatem habuerit, Sabinus & Caſsius aiunt. l. 215. D. de uerbor. ſignific.

Potitus hoſtium, in hoſtium poteſtatem redactus Papinian. l. 11. D. de capt. & poſtlimin. Exinde ſui iuris uidetur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt. Plautus in Epidico, MVL. Tum filiam quam ex te ſuſcepi. PER. Quid eam? M. Eductam perdidi: atque hoſtium eſt potita. Sic enim paulo pòſt, Nam poſtquam audiui illicò, Ex meo ſeruo illam eſſe captam: continuò argentum dedi ut emeret. Sic in l. 15. D. ex quib. cauſſ. maior. l. 10. D. de mil. teſt. l. 12. & l. 22. D. de capt.

Potius nonnunquam apud Iuriſconſultos ſubauditur, pro conſuetudine Hebraici ſermonis. Paul. l. 2. D. de reb. cred. Eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie. Vlpian. l. 2. §. 6. in fi. D. de iud. Alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos qui ſatis ꝓ eo dent. Idem l. 7. D. depoſ. Quum poſſet non ſuſcipere talem cauſſam, quàm decipere. Item in l. 20. in fi. D. de acqu. uel omitt. & l. 49. §. 3. D. de legat. & fidei-

fideiuſ.libro trigeſimo.

Pragmaticae ſanctiones dicuntur Principum reſcripta non de priuatorum negocijs, ſed corporum ordinum,& collegiorum cauſsis de conſilij ſententia emiſſa:inde,opinor, deducto uerbo, ꝙ pragmaticis & peritis uiris in conſilium adhibitis interponuntur.Zeno in l.ult. C.de diuerſ.reſcript. & pragmat. ſanct. Pragmaticis præterea ſanctiones non ad ſingulorum preces ſuper priuatis negocijs proferri, ſed ſi quando corpus .aut ſchola,uel officium,uel curia, uel ciuitas, uel prouincia,uel quædam uniuerſitas hominũ ob cauſſam publicã fuderit preces,manare decernimus: ut in his etiam ueritatis quæſtio reſeruetur.

Pragmatici à Iuriſconſultis hoc differunt,quo ſpecies à genere.itaque Pragmaticos Græci iuris interpretes appellant:ut ait Fab. lib.3. cap.6. ut Pragmaticus ſit iuris eius quod in ordine iudiciorum,cautionibus, & formulis uerſatur, peritus. quum Iuriſconſultus etiam de negocijs de quibus certum ius erat nullum,conſuleretur:ueluti, ut ſcribit Quintilianus,de uerborum proprietate,aut æqui diſceptatione, aut uoluntatis coniectura. Vlpianus l.9.§.1.D.de pœnis. Solet autem ita uel iuris ſtudioſis interdici,uel aduocatis, uel tabellionibus,ſiue pragmaticis. Cicero libro de Orat.primo,Itaque non ut apud Græcos, infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbẽt in iudicijs Oratoribus:ij qui ab illis Pragmatici uocantur.Fabius lib.12.cap.3 .Neque ego ſum noſtri moris ignarus, oblitusve eorum qui uelut ad arculas ſedent,& tela agentibus ſubminiſtrãt: neque idem Græcos quoque neſcio factitaſſe:unde nomen his Pragmaticorum datum eſt.

Prata, inquit Varro, ab eo quòd ſine opere parata.

Pratum, eſt ait Vlpia.in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt: ex eo dictum, quòd parata ſit ad fructum capiendum.l. 31.D. de uerb.ſig.

Prae manu,ad manum,in promptu, Vlpian. l.27. D.de pig.act.Petenti mutuam pecuniam creditori,quum prę manu debitor non haberet, ſpecies auri dedit.

Praecipuum dicitur, quod hæredibus per præceptionem legatum eſt: id eſt, quod ijſdem quibus hæreditas relicta eſt,ita eſt legatum, ut in iudicio familiæ erciſcendæ id antè quàm partes diſtribuantur,capiant.l.90.D.ad leg. Faleid. l. 35. §.1.l.ult. D. de legat. 2.l.27.§. ſi præcep.D. ad Trebell.Eius autem legati hanc formulam Vlp. cap.Inſt.24.prodit: L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO. Item, TITI fili, hoc amplius de medio ſumito,& cet.l.uxorem,41.§.3.D.de legat.3.Denique Per præceptionem legare, & Prælegare idem ſunt.l.Sextiam,32.D.de legat.tertio uide Prælegatum.

Praecones in comitijs legum, ſubijciente ſcriba leges pronunciabant:in comitiis magiſtratuum; tribus citabant,qui deſignati eſſent,renunciabãt: in iudicijs,iudices,reos,& teſtes citabant, audientiam faciebant,Oratores dixiſſe pronunciabant: in auctionibus rei precium indicabant,ad dictam à Magiſtro rem uenditam pollicebantur.

Praedes, uide Prædia.

Praedia dicta, inquit Varro, item ut Prædes à præſtando,quòd ea pignori data publicentur, ni mancupes fidem præſtent.

Praediatores, de quibus Caium ſcripſiſſe cõſtat ex indice l.54.D. de iur. dot. dici putantur, qui iuris ad prædia & prædes pertinentis periti ſunt. Cicero pro Balbo,Etenim Q. Scæuola ille Augur quum de iure prædiatorio conſuleretur, homo iuriſperitiſsimus conſultores ſuos nónunquam ad Furium & Caſſelium prædiatores reijciebat.Quod idẽ ſcribit etiam Valer. Max. apud quem tamen PRAETORIO corruptè legitur, pro PRAEDIATORIO: quod me aliquando in errorem induxit.

Praedium, uide Fundus.

Praedones propriè ſunt,qui cùm bellum non indixerint,hoſtiliter tamen graſſantur.qui & latrones,ſiue latrunculi appellantur.l.hoſtes,24.D.de captiu.Eiuſmodi ſunt quos Cic.in 11.de Inuentione deſcribit:Craſſus Cõſul,inquit,quoſdã in citeriore Gallia nullo illuſtri,neque certo duce neque eo nomine neq; numero præditos, ut digni eſſent qui hoſtes populi R.dicerentur. ꝙ tamen excurſionibus & latrocinijs infeſtã prouinciã redderẽt,cõſectatus eſt, &c. Trãslatè aũt & abuſiuè.

Praedones poſtea dicti ſunt,iniuſti & malę fidei poſſeſſores.l.22.§.ſi prædo.D.de pign. act.l.5.l.13.§.ex facto,D.de acq.poſſ.l.55.D.de cond.inde.itaque omnes etiã bonæ fidei poſſeſſores poſt litem cõteſt.prædonum loco ac numero habentut.l.27.§.ſi ante,& l.33.ſicut,D.de hær. pet.

Praedonius, a,um,qui prædonis eſt,Vlp. l.25. §.3.D.de hæred.petit.Si uerò poſtea conſcius hæreditatem nihil ad ſe pertinere, prædonio more uerſari cœpit.

Praeesse, uerbum eſt proprium Iuriſconſultorum,cùm litigatori auctores erãt ut iure ageret.Hinc illud P.Mutij Scæuolæ in lib. de Orat. 1.Id,niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, multiſque præeſſem qui aut interdicto tecum cõtenderent,aut te ex iure manu conſertum uocarent.Hinc illud Ciceron. de Chelidone, amica Verris, Statuunt petere auxilium à Chelidone, quæ iſto Prætore non modò in iure ciuili, priuatorumque omnium controuerſijs populo R.præfuit,uerumetiam in his ſartis tectiſque dominata eſt.Superius enim ſic dixerat: Redite in memoriã quàm inanes domus eorum qui conſulebãtur quàm plena atque referta Chelidonis. Sic Pomponius in l.2.De orig.iur.Augeſcente ciuitate & qui præerant, agendi genera compoſuerunt.

PRAE-

Praefectvrae eæ appellantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum reſp. (neque tamen magiſtratus ſuos habebant) in quas legib. præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent. quarum genera fuere duo: alterum, in quas ſolebant ire præfecti quatuor ſex uirum, pro populi ſuffragio creati, in hæc oppida Capuam, Cumas, Caſilinũ, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſulã, Atellã, Calatiã. Alterũ quas prætor urb. quotãnis in quæq; loca miſerat legib. ut Fundos, Formias. Cere, Venafrum, Alicas, Piuernum, Anagniam, Fruſilonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque complura. Hæc Feſtus.

Praefectvrae dicebantur oppida quædam Italiæ, quorum incolæ ciues R. erant: hoc tamen à municipijs differebãt, ꝙ non ſuis legib. utebãtur, nec ullos è ſuo corpore magiſtratus, ut coloni, creare poterãt: ſed à magiſtratib. qui Roma quotannis mittebantur, R. legib. regebantur. ij magiſtratus Præfecti dicebantur, unde nomen Præfecturæ. Liuius lib. 36. De urbe agroque (de Capua loquitur) reliqua cõſultatio fuit, quibuſdã delẽdã cẽſentib. urbẽ prævalidã, ꝓpinquã, inimicã. Ceterùm pręſens utilitas uicit. Nam ꝓpter agrũ, quẽ omni fertilitate terræ ſatis cõſtabat primũ in Italia eſſe, urbs ſeruata eſt, ut eſſet aliqua aratorũ ſedes. Vrbi frequẽtãdæ multitudo incolarũ libertinorumq;, & inſtitorũ opificũq; retẽta. Ager omnis & tecta publica populi R. facta. Ceterùm habitari tñ tanq̃ urbẽ Capuã, frequẽtariq; placuit: nullũ corpus ciuitatis, nec Senatus, nec plebis cõciliũ, nec magiſtratus eſſe. Sine cõſilio publico, ſine imperio, multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore. Præfectum ad iura reddenda Roma quotannis miſſuros.

Praefecti urbi, prætorio, uigilum, annonæ, &c. uide in Appendice de Magiſtratibus.

Praefectiani ab Impp. dicebantur poſtremis temporibus, qui præfecti prætorio apparitores erant. l. 2. & 3. C. de apparit. pręf. præt. l. 8. C. de offi. rect. prouinc.

Praefixvm, ꝑclusum. Caius l. 6. D. de ſeruit. urb. præd. Si ego ꝑ ſtatutũ tẽpus feneſtras meas præfixas habuero, uel obſtruxero. In Florẽt. libris Perfixas legit: corruptè, meo iudicio. Virg. Georg. 3.

Multi iam excretos prohibent à matribus hœdos,
Primaque ferratis pręfigunt ora caniſtris.

Praegnans, uide Grauida.

Praeivdicivm, inquit Aſconius, dicitur res, quæ quum ſtatuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod ſequantur: Vel ſic:

Praeivdicivm propriè eſt ſuperius iudiciũ, quo ſequens aliqua cõtrouerſia iam tum quodammodo iudicata & terminata ſit. l. pen. D. de re iudic. l. 5. §. meminiſſe, D. de lib. agnoſc. l. penul. D. qui ſunt ſui uel alien. Hinc

Praeivdicivm in controuerſijs de ſtatu hominum dictum eſt, iudicium cuius ex euentu altera quædam cognitio, quæ tantiſper interea ſuſtinenda eſt, diſceptari debeat. Vnde etiam

Praeivdiciales actiones nomen inuenerunt. §. præiudiciales, 13. Inſt. De actionib. Quoties ergo de hoc contenditur, an libertus quis ſit, ſiue operæ, ſiue alimenta quaſi à liberto petãtur, ſiue obſequium deſideretur, ſiue in ius uocetur, qui ſe patronum dicit, præiudicium redditur. l. ult. D. ſi lib. ingen. eſſe dicat. l. 3. D. de agnoſc. lib. 50. circa, 14. l. quoties, 18. D. de probat. l. 1. D. de rei uindic. l adoptiuum, 8. D. de in ius uoc.

Praelatvs dies dicitur à Modeſtino in l. ſi à debitore, 28. D. de falſis, pro anticipato, & cum nondum ueniſſet, tamen quaſi iam ueniſſet, ſcripto. quod uulgus dicit, Antidato. Contrarium eſt Repetitus in l. 3. D. de fid. inſtr.

Praelegare, eſt uni alicui ex hæredibus præter partem hęreditariam legare, ut id ſibi præcipuũ haberet. unde illa prælegati uerba ſolennia fuerũt HAERES meus præcipito: præcipuum habeto. Differt autem Prælegatum à Legato: primum quòd illud ſolis hęredibus, hoc uerò ijs tantum qui hæredes non ſunt, attribuitur. deinde quòd illius in hęreditatis reſtitutione nulla portio reſtituitur: huius reſtituitur. l. in fideicommiſſaria, 18. D. ad Trebell. denique Pręlegare ferè eſt, alicui rem quæ iam quodammodo ipſius erat, legare: unde Prælegari filiæ dos dicitur, in l. Bæbius, 30. D. de pact. dotal. & peculium filio ſeruove, in l. 1. §. ſi ſeruus, D. de except. rei uend. l. 10. & l. ult. D. de pecul. leg. l. 3. §. cum igitur, D. de ſtatu lib. Et obligatio debitori. l. nõ ſolum, §. pen. D. de lib. legat. Eſt tamen intelligendum, non quicquid hæredi legatur, prælegatum appellari: quoniam hæredi legari aliter quàm præceptionem poteſt: ueluti: Titio hæredi fundum lego. l. prima, §. ſi quis ex. D. quod legat.

Praelegare dotem maritus dicitur, cum eam purè legat, propterea quòd eam antè ſolui iubet, quàm ab hærede debeatur. dos enim olim annua, bima, trima die debebatur tantum. l. prima, D. de dot. prælег.

Praeposterae ſtipulationes dicuntur, quæ obligationem ante conditionis euentum conſtituunt: ueluti, Si cras nauis uenerit, hodie dare ſpõdes? nam poſteriore parte obligationem & præſentem & certam eſſe uult: priore uerò incertam, & in futurum tempus collatam. itaq; qui ex hac formula naſci obligationem uellet, filiam ante ſuam matrem naſci poſtularet.

Praepostera ſtipulatio in dotib. eſt: ueluti, Si ſine liberis deceſſero, dotem mihi cum moriar dare ſpondes? l. præpoſteri, 25. C. de teſtam. §. item ſi, 11. Inſtit. De inutil. ſtipul.

Praes, uide Prædes.

Praescriptio pro uſucapione, uox eſt à Græcis hominibus in Latinæ linguæ conſuetudinem inducta.

inducta. παραγραφὴ enim à Grçcis dicitur, quæ à Latinis præſcriptio:& παραγράφειν, præſcribere, id eſt excipere. unde Præſcriptio paſsim pro Exceptione uſurpatur: ueluti ſub Rubr. de except. & præſcrip. l. 5. D. de accuſat. l. 12. §. 1. D. de inoff. teſt. l. 9. D. de tranſact. Cùm igitur uindicanti rem ſuam domino poſseſsio longi temporis obijcitur, præſcribi ei dicitur: eaque præſcriptio longi temporis appellatur: præciſa & imperfecta locutione, pro præſcriptio ex poſseſsione longi temporis. Sed Iuſtinianus Romani imperij, Latij que dominus uſucapionis uerbum ferè ad res mobiles, præſcriptionis ad immobiles reuocare atque contrahere conſueuit. Obſeruatum eſt ēt præſcriptionis uerbum ferè ad longi temporis acquiſitionem, uſucapionis autem ad alteram referri. l. quinque, C. fin. regund. l. ei à quo, D. de uſurpat. l. qui alienam, D. de euict.

PRAESCRIPTIS uerbis actiones quæ dicantur, ſic intelligemus. Oris Iuriſconſultorum opera certæ communium litium & cauſsarum actiones ac formulæ conſtitutæ fuerant, quas proponere Prætores in edictis ſuis conſueuerant: ueluti empti, locati, pro ſocio, quòd ſi qua fortè naſceretur inuſitata controuerſia, tum litigatores uel ſuo marte, uel Iuriſconſulti alicuius opera ſuę actionis formulã certis uerbis ſecundum pactum inter ipſos conuentum, concipiebant: in eaque uerba & ſponſionem faciebant, & iudicium à Prætore poſtulabant. Prætor in ea ipſa uerba iudicem Recuperatoresve dabat. SI PARET MAEVIVM fulloni polienda ſua ueſtimenta ea mercede, de qua inter ipſos poſtea conueniret, dediſse: neque Mæuius fulloni à quo effectum opus accepit, ſatisfaciat, tum Mæuius damnetur. Hæc actio ideo præſcriptis uerbis appellatur, quia Prætor hanc formulam non ex edicto ſuo ſumebat: ſed litigatores uerba ei præſcripſerant, ſecundum quæ iudicium dari poſtulabant. Itaque Celſus in l. 2. D. de prçſcript. uerb. Cùm deficiunt, inquit, uulgaria atque uſitata actionum nomina, præſcriptis uerbis agendum eſt. Imp. l. 6. C. de tranſact. Aut enim, inquit, ſtipulatio conuentioni ſubdita eſt, & ex ſtipulatu actio competit: aut ſi omiſsa uerborum obligatio eſt, utilis actio, quæ præſcriptis uerbis rem geſtam demonſtret, danda eſt.

PRAESENS dicitur, cum de iudicijs agitur, qui intra urbis continentia eſt. l. abſentem, 199. D. de uerb. ſignif. Itaque Vlpianus, Præſens, inquit, habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in urbe, & qui in continentibus ædificijs. l. 5. 6. 7. D. de procurat. At cùm de præſcriptionibus agitur, Præſentes habentur qui in eadem prouincia domicilium habent. l. ult. C. de præſcript. long. tēp.

PRAESENS obligatio dicitur quæ neque in diem neque ſub conditione concepta eſt. l. certi, 9. D ſi cert. petat.

PRAESENTIA legata quæ neque dici neque conditionis adiectione ſuſpēſa ſunt. l. 85. & l. 88. D. de cōd. & demōſt. l. 12. in fin. l. 30. D. de legat. pri.

PRAESIDES, uide Appendicem de Magiſtratibus.

PRAESTARE, uerbum eſt in libris noſtris frequentiſsimum.

PRAESTARE aliquem, eſt prædem eſse pro aliquo id eſt periculum quod ab eo timetur, in ſe recipere. Sic,

PRAESTARE dolum, culpam, caſum, nihil aliud eſt quàm euentum doli, culpæ caſus in ſe recipere.

PRAESTATVIRI, & Præſtituiri, uetuſte pro Præſtitum iri. Pomponius l. 66. D. de contrah. empt. Viam, iter, actum, aquæ ductum præſtatuiri. Iauolenus l. 10. D. de hæred. uel act. Quòd ſi in uenditione hæreditatis id actum eſt, ſi quid iuris eſset uenditoris, uenire, nec poſtea quicquam præſtituiri.

PRAESVMPTIO, dicitur exiſtimatio quæ ex ueriſimilibus argumentis & coniecturis ducitur. in Rub. D. de proba. & præſumpt. ueluti in l. 24. D. tit. ſi chirographum cancellarum fuerit, præſumptione debitor liberatus eſse dicitur. Et in l. ſeq. Is cui ſoluta pecunia eſt, præſumitur debitã accepiſse: quia ueriſimile eſt eũ qui ſoluit, non temerè ſuam pecuniam iactare. Itaque in eum contra quem præſumptio eſt, ſemper probationis onus tranſit. d. l. 25. & l. ult. D. quod met. cauſ. Cicero uidetur Exiſtimationem appellare Verrina v. In hoc genere facilior eſt exiſtimatio, quàm reprehenſio: ideo quòd eum, qui hoc facit, auarum poſsumus exiſtimare, crimen in eo conſtituere non tam facilè poſsumus.

PRAETERITI liberi dicuntur, qui à teſtatore neque hæredes inſtituti, neque ut oportet, exhæredati ſunt. §. eodem, 2. Inſt. De hæred. quæ ab inteſt. itaque etiam ſi qua eis legata uel fideicommiſsa relicta ſit, non ideo minus præteriti dicuntur. l. 4. C. de lib. præter.

PRAETERITI ſenatores quōdam in opprobio nō erant. quòd ut Reges ſibi legebant ſublegebantque quos in conſilio publico haberent: ita poſt exactos eos, Conſules quoque & Tribuni militum cōſulari poteſtate coniunctiſsimos ſibi quoſque patriciorũ, & deinde plebeiorũ legebãt. donec poteſtas Tribunitia interuenit, qua ſancitum eſt, ut Cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim in ſenatu legerent: quo factum eſt, ut qui prçteriti eſsent, & loco moti, haberentur ignominioſi. Hæc Feſtus.

PRAETORES, uide in Appēdice de Magiſtratibus.

PRAETORIAE ſtipulationes dicuntur in tit. De præt. ſtip. li. Dig. 49. non quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur, ut l. 5. D. de uerb. obl. ſed quę Prçtoris imperio ac iuſsu interponuntur. Venuleius enim in l. 9. eiuſd. tit. ſcribit in Prætorijs ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo acciderit, ipſius Prçtoris interpretationem fore. eius enim

mentem

mentem æſtimandam eſſe.

Praetorium, uilla urbana: id eſt, ędificium quod dominus qui in urbe habitat ſibi parauit: à uillici habitatione diſiunctum. Vlp. l. 198. D. de uerb. ſig. Vel ſi prætoria uoluptati tantùm diſeruientia. Neratius l. 2. D. de ſeruit. ruſt. Ruſticorũ prędiorũ ſeruitutes ſunt, licere altius tollere, & officere prętorio uicini. Sic in l. 13. §. ult. D. de iniur. l. 12. D. de uſu & hab. leg. l. 91. §. pr. D. de legat. 3.

Praetorius tutor dicitur, qui pupillo cum tutore ſuo litigaturo à Prætore urbis dabatur. auctor Iuſtin. ſub titul. De auctorit. tut. & Vlpia. in Iuſt. cap. 11.

Praevalentia, præſtãtia, precij ac ualoris exuperantia. Paulus l. 23. D. de rei uind. In omnibus igitur iſtis in quibus mea res per præualentiam alienam rem trahit, meamque efficit, &c.

Praevaricator eſt quaſi Varicator, qui diuersã partẽ adiuuat prodita cauſa ſua. quod nomen Labeo à uaria certatione tractũ ait: nã qui præuaricatur, ex utraque parte conſtitit: quinimò ex aduerſa. l. 4. §. 2. D. de his qui no. Legendum tamen uidetur Varicatione, & hoc loco, & l. 1. D. de præua.

Praevaricatores eos appellamus, inquit Vlp. qui cauſſam aduerſarijs ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt. à uaricando enim Præuaricatores dicti ſunt. l. 212. D. de uerbor. ſig. In quã eandẽ ſententiã illud eſt Ciceronis in Partit. Vt ſi in reo pecunia abſoluto, rurſuſque reuocato, præuaricationẽ accuſator eſſe definiat omnẽ iudicij corruptelã ab reo: defenſor aũt nõ omnẽ, ſed tãtũmodo accuſatoris corruptelã ab reo. Itẽ: Defenſor aũt uerbi uim ex nomine ipſo reperiet: quod ſignificat eum, qui in contrarijs cauſsis quaſi uariè eſſe poſitus uideatur.

Praevaricator, inquit Vlp. eſt quaſi uaricator, qui diuersã partẽ adiuuat prodita cauſſa ſua. quod nomen Labeo à uaria certatione tractũ ait. is aũt pręuaricator propriè dicitur, qui publico iudicio accuſauerit. ceterum aduocatus non propriè Præuaricator dicitur. l. 1. D. de pręuaric.

Praevaricari, ait Marcianus, eſt uera crimina abſcondere. l. 1. D. ad S.C. Turp. & paulo pòſt, præuaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & translatitiè munere accuſandi defungitur: eo quod proprias quidẽ probationes diſſimularet, falſas uerò rei excuſationes admitteret.

Praecarium eſt, ait Vlp. quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui conceſsit patitur. l. 1. D. de precario. Inter precarium autem & commodatũ has reperio differentias, Precarium primùm rerum immobilium ac iurium cauſſa inſtitutum uidetur. l. 2. & 3. D. eod. Commodatum autem ad res mobiles propriè pertinet. Qui precariò concedit, dare ad tẽpus uidetur. itaque donationis & liberalitatis genus appellatur in l. prima, & l. quæſitum, 8. §. 3. & l. interdictum, 14. D. eod. eoque cùm quis de re ſibi reſtituenda cautum habet, precarium interdictum ei non competit. l. & habet. 15. §. 3. eod. Qui uerò cõmodat, lõgè ab omni donationis ſpecie abeſt, ſibiq; cauere de reſtituendo cõſueuit. Cui precariò cõceſſum eſt, poſſeſsionẽ habet. l. 4. §. 1. d. l. & habet, §. 4. eod. Cõmodatarius uerò nõ poſsidet. Precariò utens, dolũ tantùm & latam culpam pręſtat. l. quæſitũ, 8. §. 3. eod. Commodatarius uerò, etiã leuiſsimam. Precarium magis ad donationis & beneficij, quàm ad negocij contracti cauſſam ſpectat, eoque nulla eo nomine iuris ciuilis actio eſt. d. l. interdictũ. Commodatũ autẽ contractus eſt, ſuamque iure ciuili actionem habet. Ex precario, tum interdictum, tum incerti condictio præſcriptis uerbis, quæ bonæ fidei eſt, conceditur. l. 2. & l. duo, 19. eod. ex cõmodato uerò ciuilis actio tantùm. Commodatũ uſus certi cauſſa fit, nec niſi eo expleto reuocatur. Precarium nec uſus certi cauſſa fit, & quouis tempore reuocatur. Hæc ex tit. De precario, ſummatim.

Precaria, ſiue Precatiua uerba dicuntur in teſtamentis, cùm teſtator non pro ſuo iure ac legũ auctoritate quid hæredibus ſuis mandat: ſed aliquid ab ijs precariò poſtulat: ueluti peto, rogo, uolo, mando. §. ult. Inſt. De ſign. reb. per fideic. relic. 2. C. commun. de legat. Deprecor, cupio, iniũgo, cupio des; opto des, credo te daturũ, exigo, deſidero uti des. l. etiam, 115. l. & eo modo, 118. D. de legat. primo, l. peto, 69. De legat. 2. & apud Paulum lib. Sent. 4, cap. 1. l. 2. & 4. C. de codicill. l. 24. C. famil. erciſc.

Preces paſsim in Cõſtitut. Impp. pro libellis ſupplicibus, ſiue poſtularis. l. 2. C. de uſuf. l. 5. C. de impub. l. 9. C. de li. cau. l. 10. & 17. C. de rei uindi.

Precium, quod æſtimationis emptioniſve cauſſa conſtituitur. dictum à Peritis, quòd hi ſolum poſſunt facere rectè. Hæc Varro, quaſi dicas Peritium.

Princeps delicti, id eſt inuentor, auctor, excogitator. Paulus l. 10. D. de ſer. corr. Iuſtius eſt enim teneri qui princeps fuit delicti, quàm eum quæri ad quem res perlatæ ſunt. Loquitur de eo qui ſeruum corruperat, quum ad alium res eſſent perlatæ.

Privatus, uerbum eſt ἐκ τῶν πρός τι, ſemperq; rationem habet cum altero. itaque generaliter is priuatus à Latinis dicitur, qui munus illud non gerit, quo alter fungitur. Hinc uetus inlicij uocãdi formula, ex lib. Varronis De lingua 5. Omnes Quirites, pedites, armatos, priuatoſque, curatores omnium tribuum: & cet. Vbi priuatos apparet dici, quos nunc Iuriſconſulti Paganos uocãt. Priuati ergo militibus eo loco opponuntur. Opponuntur etiam ijs qui cum poteſtate ſunt. Cicero De arte Rhet. 1. In fortuna quęritur, ſeruus ſit an liber: pecunioſus, an tenuis: priuatus, an cum poteſtate.

nolit,poſſidet.l.2.D.eod.& l.nemo,ubi Iulianus ait,neminem poſſe pro derelicto uſucapere, qui falsò exiſtimauerit rem pro derelicto habitam eſſe.unde aliorum titulorum cum hoc apparet differentia:cum in alijs uſucapio interdum ex opinione ualeat,in hac non ualeat.

Pro diuiſo,diuiſione facta:ꝑ indiuiſo,infecta.Paulus l.25.§.1.D.de uerb.ſig.Partis appellatione rẽ pro indiuiſo ſignificari. nam quod pro diuiſo noſtrum ſit, id non partem,ſed totum eſſe. Vlpian. l. 6.§.1.D.commun.præd.Planè ſi diuiſit fundum regionibus,& ſic partem tradidit pro diuiſo poteſt alterutri ſeruitutem imponere.

Pro domino, iure domini, pro eo ac ſi dominus quis eſſet. Marcellus l. Titia,48. D. de ſolut. Titia cùm propter dotem bona mariti poſſideret, omnia pro domina egit. Liuius libro 24. Palàm primò, cum clauſis Andronodorus inſulæ portis, hæreditatem regni creuerit: quæque procurator tenuerat,prò domino poſſederit. De tutore loquitur.

Pro donato poſſidet is,cui reuera donationis cauſſa res tradita eſt.nec enim ſufficit opinari: ſed uerẽ donatum eſſe oportet.l. 1. D.pro donat. l. 1. & 2.C.eod.

Pro dote poſſidet,cui res aliena inæſtimata, dotis nomine poſt iuſtas nuptias tradita eſt.l.1.& paſſ. D.eod.Inæſtimatã aũt dixi, quoniã æſtimata res pro emptore uſucapitur.l.plerunque,§.ſi ante, & l.quoties,D.de iure dot.& l.1.C.pro dote.

Pro emptore poſſidere dicitur,qui iure ae nomine emptionis poſſidet.Paulus l.2. D. eod. Pro emptore poſſidet,qui reuera emit.nec ſufficit, tantùm in ea opinione eſſe eum, ut putet ſe pro emptore poſſidere: ſed debet etiam ſubeſſe cauſſa emptionis.

Pro hærede gerere,eſt deſtinatione futuri dominij aliquid ex hæreditarijs rebus uſurpare. Et ideo pro hærede gerere uidetur qui fundorum hæreditariorum culturas rationesque diſponit, & qui ſeruis hæreditarijs, iumentis, rebusve alijs utitur.Paulus lib.Sent.4.cap.8.

Pro herede gererè quis uidetur, ſi rebus hæreditarijs tanquam hæres utatur,uel uendendo res hæreditarias,uel prædia colendo locandove,& quoquo modo uoluntatem ſuam declaret uel re, uel uerbo de adeunda hæreditate: dummodo ſciat eum in cuius bonis pro hærede gerit, teſtatum inteſtatumve obijſſe,& ſe ei hæredem eſſe. Pro hærede enim gerere eſt,pro domino gerere,Veteres enim hæredes pro dominis appellabant. ait Imp.§.2.De hæred.qual.& diff.

Pro hærede gerit,qui rebus hæreditarijs tanquam dominus utitur:uelut qui actionem rerum hæreditariarum facit, aut ſeruis hæreditarijs cibaria mandat.Vlpianus cap.Inſt.22.

Pro hærede gerere uidetur is, qui aliquid facit quaſi hæres:& generaliter Iulianus ſcribit eum demum pro hærede gerere, qui aliquid quaſi hæres gerit.l.20.D.de acq.uel amit.

Pro hærede poſſidet,qui cum uerè hæres non ſit, iuſtam tamen & probabilem cauſſam habuit exiſtimandi ſe hæredem eſſe:ſi modò teſtamenti factionẽ habuerit.l.pro hærede, 11. D. de hæredit. petit.l.non ſolùm,33.§. 1. D. de uſurpat. l. 4. & paſſ.D.pro.hæred.l.1.& paſſ.C.eod.

Pro fideicommiſſo poſſidet, qui fideicõmiſſi nomine poſſidet:hoc eſt, cui fideicõmiſſum relictũ eſt,ſed uſucapiẽdo ius Quiritiũ adipiſci conatur. l.Pomponius,13.§.ſedet,De acq. poſſ. non enim per fideicommiſſum dominium, ſed ſola poſſeſſio transfertur.l.3.D.ſi uſufr.petat.

Pro indiuiſo,promiſcuè,ſine ulla diuiſione.Cicero in Rulliana,promiſcuè.Equidem exiſtimo, ſi iam campus Martius diuidatur,& unicuique ueſtrum ubi conſiſtat, bini pedes aſsignentur: tamen promiſcuè toto, quàm propriè parua frui parte malletis. Hine

Pro indiuiſo & Certa pars opponuntur,l. placer. 25.D.quib.mod.uſuf.amitt.l.1.D.de euict.l.1.§. hoc interd.D.uti poſsi.l.ſeruus,5.D.de ſtip.ſeru. l.5.§.ult.D.commod.

Pro legato poſſidet,qui legati nomine poſſidet,id eſt, cui uerè aliquid legatum eſt, ſiue teſtatoris res eſſet, ſiue non eſſet, aut teſtatoris quidem eſſet,ſed adempta codicillis ignoraretur. l. 1.& paſſ.D.pro legato.

Pro noxæ dedito poſſidet,qui cum ſeruus ei noxæ deditus ſit, iuſtam uſucapiendi cauſſam ex ea poſſeſſione nactus eſt.l. 3. §. genera, D. de acq. poſſ.l.5.D.de publ.

Pro poſſeſſore bona fide,ac iuſto titulo poſſidet, qui pro bonorum poſſeſſore poſſidet:id eſt, qui uel iuſtam cauſſam habuit exiſtimandi ſe bonorum poſſeſſorem eſſe, uel cùm reuera bonorum poſſeſſor eſſet, exiſtimauit res quaſdam ex ijs bonis eſſe, quæ alienæ tamen erant.l.non ſolum,33. §.1.D.de uſurpat.& ſub tit.Pro hærede, & l.pro hærede,11.D.de hæred. petit. ubi tamen bonorum poſſeſſor etiã pro hærede poſſidere dicitur.

Pro poſſeſſore mala fide poſſidet prædo, qui interrogatus cur poſſideat,reſponſurus ſit,quia poſſideo:nec ullam afferre cauſſam poſſeſſionis pôt.l. pro hærede,11. cum ſeq.D.de petit.hæred.

Pro poſſeſſore is poſſidet, qui nullo iure rẽ hæreditariam,uel etiam totam hæreditatem ſciens ad ſe non pertinere,poſſidet.ait Imp.§.2.De interd.

Pro ſoluto poſſidet,qui rem uel debitam uel indebitam quaſi debitam, ab eo qui ſoluit bona fide accepit.l.non ſolum,33.§.ſi mihi.l. pro ſoluto, 46. & l.pe.D.de uſurpa.

Pro ſuo poſſidere propriè dicitur is, qui falsò, ſed probabili tamen harum cauſſarum errore poſſidet:nimirum occupationis,alluuionis,partus empta uel hæreditariæ ancillæ, fructus rei emptæ, aut donatæ,aut in hereditate repertæ. l.2.3. & 4.

T §.ult.

§.ult.& l.ult.D.eod. At hic quidem propriè, ut dixi, Pro ſuo titulus appellatur: quippe qui ad uſucapionem ualet: alioqui pro ſuo etiam poſsidet is qui per emptionem, aliamve iuſtam cauſſam poſſidet: uerùm is non uſucapit.

Pro tranſacto poſsidet is, cui iudicio per errorem accepto res aliqua per tranſactionem conceſſa eſt, ut eam uſucapere, & iure Quiritium facere ſuam poſsit. l. cùm ſolus, 29. D. de uſurpat. l. ex cauſſa. 8. D. pro empt.

Proavvs, Proauia, aui pater, mater.

Proavvncvlvs, Promatertera, proauiæ frater & ſoror.

Propatrvvs, Proamita, proaui frater & ſoror.

Pronepos, Proneptis, nepotis filius, filia. l. 1. §. ult. D. de gradib.

Prosocer, Proſocrus, uxoris meæ auus, auia.

Progener, neptis meæ maritus.

Pronvrvs, nepotis mei uxor. l. 4. §. 4. D. de gradib.

Probata ſarta tecta dicuntur, quum ex lege, id eſt pactione redemptionis ſacta eſſe iudicata ſunt. Macer l. 7. §. 1. D. de leg. Iul. repet. Ne in acceptũ ferantur ſarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præſtita, lege fuerint. Lege, id eſt ex lege, ſiue ſecundum legem ac pactionem. Cicero Verrina tertia, Locatur opus id quod ex mea pecunia reficiatur. ego me refecturum eſſe dico. probatio futura eſt tua, qui locas. Sic in l. opus, 36. l. ult. D. locat.

Probatio apud Iuriſconſultos dicitur, qđ ex teſtium dictis, aut inſtrumentorum ſcriptura ſumitur ad fidem neceſſariò faciẽdam. uti patet ex tit. De probat. lib. Dig. 22, Itaque neque præſumptio, probationis nomine intelligitur, neque iuſiurandum eo nomine propriè continetur. neutrum enim probat neceſſariò, tam etſi uim utrunque probationis interdum obtineat. ut. l. 16. C. de probat. & l. 12. §. 2. & l. 30. D. de iureiur. Inſtrumentorum autem nomine cenſus & monumenta publica complectimur ex l. 10. D. de probat.

Probrvm Feſtus propriè dici putat, de ſtupris & flagitijs, cum Attius in Helenibus ſic ſcribat: Qui niſi probrum, omnia alia indelicta æſtimãt. Iuriſconſulti pro omni infamia uſurpant. Vlpianus in l. probrum, 42. D. de uerbor. ſignific. Probra quædam natura turpia ſunt, ut furtum, adulterium: quædam ciuiliter & more ciuitatis, ut tutelæ damnari. Marcellus l. probrum, 41. D. de ritu nupt. Probrum intelligitur etiam in his mulieribus eſſe, quæ turpiter uiuerent, uulgoque quæſtum facerent, etiam ſi non palàm.

Procedit, uerbum eſt Iuriſconſultis uſitatum: pro ualet, locum habet. Vlpianus l. 7. §. 3. D. ad leg. Aquil. Hoc autem in ſeruo non procedit. in filiofam. uulnerato procedit.

Processvs, tranſuectiones equitum, de quibus in l. 2. D. de in ius uoc. Licinius l. quadrageſima prima, De donat. int. uir. Nam & Imperator Antoninius conſtituit, ut ad proceſſus uiri uxor ei donare poſsit. uide Tranſuectio.

Procitvm dicebatur teſtamentum, quaſi uelut procatum, id eſt, prouocatum, id eſt irritum ac ruptum. Feſtus.

Procinctvm teſtamentum appellatur à Iuſtiniano in §. 1. Inſtit. De teſtam. quod ueteres In uel Endo procinctu nominabant, ut apud Cice. in 1. De nat. deor. & 1. De orat. item apud Vlpia. cap. Inſt. xx. & Gell. lib. 15. cap. 25. Id autem militiæ tantum fiebat, cùm uiri ad prælium faciendum in aciem uocabantur: auctore Gell. lib. 15. cap. 27. Plutarchus autem in Coriolani uita rem ſic explicat, ἦν τότε ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους γίνεσθαι τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Eo tempore, inquit, mos erat Romanis prælium inituris, ſcutaque ſumpturis, togam præcingere, ſimulque teſtamenta ſine ſcripto facere, hæredemque tribus aut quatuor audientibus, nuncupare. Feſtus libro quinto, Endo procinctu, in procinctu. ſignificat autẽ cùm ex caſtris in prælium exitum eſt. Procinctos, quaſi præcinctos atq; expeditos. nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur. Idem in eod. Procincta claſsis dicebatur, cùm exercitus cinctus erat Gabino cinctu confeſtim pugnaturus. uetuſtius enim fuit multitudinem hominum, quàm nauium, Claſſem uocari.

In procinctu uerſari dicuntur, qui pro patria in hoſtico ſunt, quamuis milites non ſint. l. un. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.

Procvrator, eſt qui aliena negocia mandatu domini adminiſtrat. l. 1. D. de procur.

Procvratorvm quatuor genera Paulus facit lib. Sẽt. 1. cap. 3. aut ad litẽ, aut ad omne negociũ, aut ad partẽ negocij, aut ad res adminiſtrandas.

Procvrator ad litem, ſiue litis dicitur, cui inſtituendæ ſuſtinendęve litis negocium datum eſt. §. 1. Inſt. De ijs per quos eog. poſſ.

Procvrator ad omne negocium is eſt, quem Cicero in Orat. pro Cæcina ſic deſcribit: omniũ rerum eius qui in Italia nõ ſit, abſitve Reipub. cauſſa quaſi quidam penè dominus, hoc eſt alieni iuris uicarius. Sic l. 12. D. de ſolut. l. 13. D. de pact. l. 7. D. de calumn. l. 63. D. de procur. ubi eiuſmodi procurator rerum omnium, & totorum atque uniuerſorum bonorum procurator appellatur.

Procvrator ad partem negocij, eſt cui propriè ac ſpecialiter certa res mandata eſt, l. 3. §. 1. D. iud. ſol. l. 17. §. ult. D. de iniur.

Procvrator ad res adminiſtrandas is dicitur, quẽ propriè Negociorum geſtorum appellamus: hoc eſt, qui non quæſtuario negocio præficitur. ſiue autem eius rei mandatum habeat, ſiue nõ habeat, procurator dicitur. l. ſi quis, 58. D. de ſolut. l. 9. §. ſi hæres,

§.ſi hęres, D.de lib.legat.l.ult.D. rem rat. hab.l. 15.§.ſi quis, D.de hære.petit. Et hoc ab Inſtitore differt, quòd hic quæſtuariæ negociationi præfectus eſt.l.quinta,§.3.D.de inſt.act.

PROCVRATOR uerus dicitur, qui uel eius rei quam gerit mandatum, uel omnium negociorum adminiſtrationem habet.l.1.in fi.D.quod iuſſ.l.12. D.de ſolut.l.40.§.1.D.de procurat.

PROCVRATOR, uide Cognitor.

PROCVRATOR, uide Aduocatus.

PROCVRATIO, adminiſtratio. Cicero Acad. 1. Dum me ambitio, dum honores, dum cauſſę, dũ Reip. non ſolum cura, ſed etiam procuratio multis officijs implicatum & conſtrictum tenebat. Idem libro 3.de Legibus, Sed quæro, quid reapſe ſit turpius, quàm ſine procuratione Senator? Loquitur de legationibus liberis, quæ ſine ulla publici negocij, aut Reip.adminiſtratione obibant.

PRODERE, pro emittere, dimittere. Modeſt.l.14. D.de cuſt.& ex lib.reor. Non eſt facilè tironi cuſtodia credẽda. nam ea prodita, is culpæ reus eſt, qui eam ei commiſit. Item; Quod ſi fugitiuum domino reddendum prodiderit, &c.

PRODERE legem dicitur, qui præuaricatur, & accuſatione inſtituta deſiſtit. Vlpianus l.2.§.1. D. de adult. Marito iure mariti accuſanti, illa præſcriptio obijcitur, ſi legem prodidiſſe dicatur ob hoc, quòd aggreſſus accuſationẽ adulteri deſtitit.

PRODIGVS deſcribitur ab Vlpiano, qui neque tempus neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſsipando profundit. l.1. D. de curat.furioſ.

PRODVCERE aduerſarium ad album, Vlpianus dixit pro deducere eum cum quo lis inſtituitur ad Prætoris album, & formulam actionis demonſtrare, qua uti uelit quis ex earum numero, quas Prætor ſe daturum in albo edictoque ſuo denunciauit. Eum quoque, inquit, edere Labeo ait, qui producat aduerſarium ſuum ad album, & demonſtret quod dictaturus eſt, uel id dicendo quo uti uelit. id eſt, qua edicti parte.l.1.D.de edendo.

PRODVCERE obligationem, diuturniorem reddere. Paul.l.91.§.3.D.de uerb. obl. Primò quæramus quæ perſonæ efficiant perpetuam obligationem: deinde quib. eam producant. Item, An filius fam. qui iuſſu patris promiſit, occidendo ſeruum producat patris obligationem.

PROFARI, propriè dicuntur fatidici, qui futura prædiuinando ſolent fari: qui ijdem & Vaticinatores dicuntur, quod ueſana mente faciunt: inquit Varro. Itaque cùm Vlpian.l.1.§.6. D. de ædil. edict. ſic ſcripſiſſet, Si ſeruus inter fanaticos non ſemper caput iactaret, & aliqua profatus eſſet, ſic infert, Quamuis aliquando quis circa fana bacchatus ſit, & reſponſa reddiderit. Item, Ceterùm ſi nihilominus permaneret in eo uitio, ut circa fana bacchari ſoleret, & quaſi demens reſponſa daret.

PROFITERI cenſum dicebantur, qui apud Cenſores Romæ precium ſuarum omnium fortunarum edebant: aut apud Cenſitores in prouincijs, qui agros ea ratione declarabant quæ pręſcripta eſt in l.4.D.de cenſibus. unde Cenſuales profeſsiones dicuntur ab Arcadio, l. ultima, §.1.in fine, D.de mun.& hon. l.cenſualis, C. de donat.

PROFITERI natales dicebantur parentes, qui diem quo ſibi nati eſſent liberi, apud Præfectos ærarij edebant. Terentius l. etiam, 16. D. de probat. Etiam matris profeſsio liberorum recipitur. Scæuola l.Imperatores, 29.§.1.D. eod. Mulier grauida repudiata, filium enixa abſente marito, ut ſpurium in actis profeſſa eſt. Iul. Capitolinus harum profeſsionum primum auctorem fuiſſe M. Antoninũ Pium auctor eſt, intra diem trigeſimũ nomine impoſito. per prouincias autem tabulariorum uſum inſtituiſſe, apud quos de originibus idem fieret, quod Romæ apud Præfectos ærarij: ut ſi fortè aliquis in prouincia natus cauſſam liberalem diceret, teſtationes intus ferret, Celſus l. cùm de ætate, 13.D.eod. Iniquum eſt, quum de ſtatu ætatis alicuius quæreretur, & diuerſæ profeſsiones proferrentur, ea potiſsimum ſtare, quæ nocet. Eiuſdem profeſsionis mentio fit in l.nec omiſſa, 15.l. parentes, 21.C.de lib.caũ.

PROFECTIIA dos, uide Dos.

PROFECTITIVM peculium, uide Peculium.

PROFLVENS aqua, uide Aqua profluens.

PROGENERVM appellat annus neptis ſuæ uirum. Feſtus.

PROGENER, uide Socer magnus, & Proſocrus.

PROGRAMMA, πρόγραμμα, proſcriptio, ſcriptura publico in loco, ut ab omnib. legi poſsit, propoſita. quemadmodum edicta proponebantur, aut principum reſcripta: ut l.3.C. de legib. & conſtit.princip.

PROIECTVM & immiſſum hoc differunt, ait Iauolenus, quòd proiectum eſt id quod ita proueheretur, ut nuſquã requieſceret: qualia Mœniana & ſuggrundæ ſunt. Immiſſum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requieſceret: ueluti tigna, trabes quæ immitterentur, l. 242. §. 1. D. de uerb. ſign.

PROLETARIVS in duodecim tabulis pro inope & nullis facultatibus prædito. Aſsiduo, inquit lex, uindex aſsiduus eſto. proletario ciui quiuis uolet, uindex eſto. nam qui in plebe Ro. tenuiſsimi pauperrimique erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebãt, Proletarij appellati ſunt. qui uerò nullo aut perquàm paruo ære cenſebantur, Capite cenſi uocabantur. Gellius lib.16.capite 10.

PROLYTAE, προλύται dicebantur, qui quatuor annorum ſpacio in legum ſtudijs decurſo, quintum & poſtremum adijciebant. Imperator in præfat. ad Anteceſſ §.6. Quibus, inquit, ſi bene ſeſe imbuerint, & in quinti anni quo prolytæ nuncupan-

tur, metas conſtitutionum, &cet. Heſychius προλύδιες interpretatur, παρειμένους, παραλελυμένους, ut ij ſint, qui ab illa præſcipta & præfinita ſtudiorum lege ſunt ſoluti, & tanquam emeritis ſtipendijs honeſtam à magiſtrorum ſcholis miſsionem impetrarunt, unde hodie quoque Licentiati appellantur. uide Lytæ.

PROMERCIVM, mercimonium, quodcunque uendendi cauſſa ſeponitur. Paulus l. 4. §. 1. D. de pen. leg. Si quis ſolitus fructus ſuos uendere, penum legauerit: non omnia quæ & promercij cauſſa habuit legaſſe uidetur. Vlpianus l. 41. §. 4. D. de legat. & fid. eos qui Reipub. ad opus promiſerint, poſſe detrahere, & ad id opus uti: quia hi quoque non promereij cauſſa id haberent. Hinc

PROMERCALES res, quæ uenales exponũtur. Paul. l. 10. D. de imp. in res dot. Quod ſi hæres in quib. impenſæ factæ ſunt, promercales fuerint: tales impenſæ utiles ſunt.

PROMISSVM à dicto quid differat, uide Dictum à promiſſo.

PROMVLSIDARIA uaſa, dicuntur Vlp. in quibus promulſis, id eſt, condimentum ex mulſo confectum ponitur. l. 19. §. 3. D. de aur. argẽ. Et ideo, inquit, ſcutellas & promulſidaria contineri.

PROMVTVVM dicitur à noſtris, pro Repræſentata pecunia, & proerogata, ſiue prænumerata. quod Gallicè dicimus, *Auancé*. Vlp. l. ex conducto, 15. §. item, D. locat. Cùm quidam nauè amiſſa, pecuniam quam promutuam acceperat, repoſceretur, reſponſum eſt meritò uecturã ab eo repeti, cùm munere uehendi functus non ſit. Scæuola l. Sticho, 40. §. 3. D. de ſtatu lib. Quod neque à conductorib. prædiorum, neque à uillicis penſiones exegerit, & inſuper etiam promutuum eis dederit.

PRONVNCIARE, quod eſt in XII. lingua nuncupare, id eſt, nominatim ac disertè proferre. Vlp. ex edicto in l. 1. D. de ædil. edict. Eademque omnia, quum ea mancipia uenibunt, palàm rectè pronuncianto. Item, Ea omnia in uenditione pronũcianto. Item in l. 31. eiuſdem tit. Si uenditor pronunciauerit, uel promiſerit furem non eſſe, tenetur ex ſua promiſsione, &c. Cic. li. de Off. 3. Itaque Cato ita pronunciauit: Quum in uendendo eam rem ſciſſet, & non pronunciaſſet, emptori damnum præſtari oportere.

PRONVNCIARE paſsim præcisè dicitur, pro, Sententiam pronunciare. Hinc Vlp.

PRONVNCIATVM, inquit, & ſtatutum idẽ poteſt. promiſcuè enim & pronunciaſſe & ſtatuiſſe ſolemus dicere eos, qui ius habent cognoſcendi. l. 49. D. de uerb. ſignif.

PROPATRVVS, proamita, id eſt, pro aui frater & ſoror: ait Caius l. 1. §. 1. D. de grad. & adfin.

PROPE, eſt genus loquendi pudorem affirmantis, & modeſtiam ſignificans. Papin. l. 95. §. 9. D. de ſolut. Si creditor à debitore petens culpa ſua cauſſa ceciderit, propè eſt ut actione mandati nihil à mandatore conſequi poſsit. Idem l. 41. D. de mort. cau. donat. Et quod ab alio nomine ipſius eo præſente datur, propè eſt ut ab ipſo datũ intelligatur. Arrius l. 5. §. 6. D. de re milit. Si bonus miles antea æſtimatus fuit propè eſt ut affirmationi eius credatur. Idem, Propè affirmarem ei credi oportere.

ΠΡΟΠΗΛΑΚΙΖΕΣΘΑΙ apud Demoſthenem in l. 16. §. 4. D. de pœn. affici contumelia. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους αὐτῶν ἀήθεις ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι. Hæc mouent, inquit, hæc de ſtatu mẽtis homines deijciunt, contumeliæ non aſſuetos.

PROPIOR ſobrino, propior ſobrina ſunt, inquit Caius, patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia. l. 1. D. de grad. & adfin. hoc eſt, infert Vlpian. patris eius cuius de cognatione quæritur, conſobrinus conſobrina, ſiue frater patruelis.

PROPIVS ſobrinis. Paul. l. 10. §. 9. D. de gradibus. Perſonæ quas enumerauimus à patrui magni filio, ei de cuius cognatione quæritur, propius ſobrinis uocantur. nam, ut Maſurius ait, quem quis appellat propiorem ſobrino, qui eſt patris matrisve conſobrinus aut conſobrina, ab eo conſobrini cõſobrineve filius filia nominatũ. Et paulo pòſt, His omnibus quod à patrui nepote ꝓpoſuimus, is de cuius cognatione quęritur, ꝓpius ſobrino eſt: nam patris uel matris eorum cõſobrinus eſt.

PROPIVS ſobrino mihi eſt conſobrini mei filius, & conſobrinæ meæ filia, & patris mei conſobrinus & matris meæ conſobrinus. Feſtus.

PROPRAETORES, uide in Appendice de Magiſtratibus.

PROPRIETAS uocabulum eſt à Iuriſconſultis diſtinguendorum definiendorumque dominiorum cauſſa confictum. nam Dominij nomine ſolidum dominium ferè intelligitur: id eſt, in quo uſusfructus ineſt. unde uſusfructus pars dominij appellatur. l. 3. D. de uſuf. quum igitur dominium uſufructu deminutum ſignificare uellent, Proprietatẽ dixerunt. ut patet ex titulo De uſufruct. locis innumeris, in quibus uſusfructus proprietati opponitur. Itaque Neratius in l. 13. D. de acqui. rer. dom. quum dominium dixiſſet, & illud quod uſusfructus expers eſt ſignificaret, continuò proprietatis nomine hoc interpretatus eſt. Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique ſit tradita meo nomine, dominium mihi, id eſt proprietas acquiritur, etiam ignoranti. poſtea tamen quum ſuo more ſubtiliter omnia perſequerentur, uti Proprietatis uocabulo non contenti, Proprietatem nudam dixerunt, quæ uſufructu deminuta eſt: plenam uerò, quę uſufructũ in ſe haberet. Papinianus l. 2. D. quibus mod. uſusfr. amitt. Si duobus ſeparatim alternis annis uſusfru-

uſusfructus relinquatur, continuis annis proprietas nuda eſt: quum ſi legatarium unum ſubſtituas, cui alternis annis legatus ſit uſusfructus, plena ſit apud hæredem proprietas eo tempore quo ius fruendi legatario non eſt.

PRORETA, πρωράτης, πρωρεύς, qui proram regit: quum puppim Gubernator. Plautus in Rud. Si tu proreta iſti naui es ego gubernator ero. Paulus l. 31. §. 2. D. de public. Quod ſi abſente domino id à magiſtro, uel gubernatore, aut proreta, nautave aliquo id factũ ſit, & cetera. Xenoph. ἀναβασ. 5. χαλεπαίνει μὲν πρωρεὺς τοῖς ἐν πρώρᾳ. χαλεπαίνει δὲ κυβερνήτης τοῖς ἐν πρύμνῃ. Succenſet proreta ijs qui in prora ſunt: ſuccenſet gubernator ijs qui in puppi.

PROROGARE, propriè eſt populi rogati lege ac iuſſu proferre atque producere. ut Prorogare magiſtratum, aut prouinciam. Hinc

PROROGARI, uulgò dicitur quòd producitur. Vlpianus l. ſecunda, §. tertio, D. de iudic. Si & iudex ad tempus datus & omnes litigatores conſentiãt, niſi ſpecialiter principali iuſſione prorogatio fuerit inhibita, poſſunt tempora intra quæ iuſſus eſt litem dirimere, prorogari. Sic l. 24. D. locat. l. 19. & l. 30. De legat. primo.

PROROGARE, ante diem erogare, repræſentare: Vlpianus l. quinquageſima tertia, D. de pact. Sumptus quidem prorogare, litiganti honeſtum eſt: paciſci autem ut non quantitas eo nomine expenſa cum uſuris licitis reſtituatur, ſed pars dimidia eius quod ex ea lite datum erit, non licet. id eſt, Honeſtum eſt litigatori pecuniam ad futuros ſumptus litis neceſſariam procuratori uel aduocato ſuo numerare. Hinc apud Vlpianum in l. 4. D. de manum. pro præſentem pecuniam ſoluere. Proinde, inquit, ſiue ex peculio quod ad uenditorem pertinet, ſiue ex aduentitio lucro, ſiue etiam amici beneficio, uel liberalitate, uel prorogante eo, uel repromittente, &c. Vlp. l. ſed addes, 19. §. ſi quis, 6. D. locat. nam inter eum qui per errorem ſoluit, & eum qui penſionem integram prorogauit, multum intereſt.

ΠΡΟΣ ἔπος, ad propoſitum. Vlpia. l. 11. §. 4. D. de interrog. Quod autem ait Prætor, Omnino non reſpondiſſe: poſteriores ſic exceperunt, ut omnino non reſpondiſſe uideatur qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt, πρὸς ἔπος. Hæc ille. Hinc οὐδὲν πρὸς ἔπος, nihil ad propoſitum. nam ut ait Heſychius, ἔπος ῥῆμα. λόγος φωνή. Lucian. in Philopſeude, οὐδὲν πρὸς ἔπος, ταῦτά φασιν, οὐδὲ περὶ τούτων ἠρόμην. Hæc nihil ad propoſitum, ut aiunt: neq; de his percontabar. Sunt tamen qui Nihil ad uerſum interpretentur, & originem locutionis longius exquirant. Cicero pro Flacco, Nunquam nobis ad rogatum reſpondent, ſemper accuſatori plus, quàm ad rogatum.

PROSCENIVM, locus ante ſcenam: ut ſcribit Diomedes. in eo pulpitum erat, quo hiſtriones prodibant. Paulus l. 8. D. de pollicit. Probè facies Statius Rufinus, ſi opus proſcenij, quod ſe Gabinia extructurum promiſit, perficiat.

PROSCRIBERE, eſt publicè fixo libello aliquid edicere & denunciare. l. 11. §. 1. D. de inſtit. l. 4. C. de diſt. pig. l. 34. §. ult. D. de ſtatu lib.

PROSCRIBERE palam, ſic accipimus, claris literis, unde de plano rectè legi poſſit. l. 11. §. 2. D. de inſtit. act.

PROSCRIBI bona dicuntur, quum fixis publicè libellis, uenditio eorum bonorum in diem certam edicitur, ac ſignificatur.

PROSOCRVS mihi uxoris meæ auia eſt, ego illius ſum progener: ait Modeſt. in l. 4. §. 4. D. de grad. & affin.

PROSPECTVS & luminis ſeruitus ſic differunt: quòd in proſpectu plus quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem proſpectum & liberum. In luminibus autem, ne lumina cuiuſquam obſcuriora fiant, Item proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. l. 15. & 16. D. de ſeruis. urb.

ΠΡΩΤΑ τὰ πρῶτα Iuſtinianus appellat primam Pandectarum partem, à principio aduſque tractatum De iudicijs. Ipſe ad Anteceſſ. In reliquam uerò, inquit, anni partem, primam legum partem eis tradi ſancimus, quæ Græco uocabulo πρῶτα nuncupatur, qua nihil eſt anterius: quia quod primum eſt, aliud ante ſe habere non poteſt. Idem De confir. digeſt. §. 2. Igitur prima quidem pars totius contextus: quæ Græco uocabulo πρῶτα nuncupatur, in quatuor libros ſepoſita eſt.

PROTHYRVM, πρόθυρον, quod ante fores eſt: ut origo uocabuli declarat. Vlpianus in l. 12. §. 13. D. de inſtruct. poſuiſſe uidetur, pro tegillo conſimili eorum quibus mercatores uti in tabernis ſolẽt, quibus uelamen quoddam appendunt. Sicut prothyrum domus, inquit, ſi uelamen eſt, inſtrumento domus continetur. Pomponius l. pen. D. uerb. ſig. Idem Labeo ait, prothyrum quod in ædibus interdum fieri ſolet, ędium eſt. Vitruuius autem libro 6. cap. 10. Prothyra, inquit, Græcè dicuntur, quę ſunt ante in ianuis ueſtibula. nos autem appellemus πρόθυρα, quæ Græcè dicuntur διάθυρα. Significare uidetur ea repagula, quæ cum rib. ab ædium aditu arcendis ante fores tranſuerſaria duobus arrectarijs imponuntur.

PTOCHIA, πτωχεῖα, domus alendis pauperib. deſtinata. idem quod πτωχοτροφεῖον. l. ult. C. de ſacroſ. eccl.

PTOCHOTROPHIVM, πτωχοτροφεῖον, locus alendis pauperibus paratus. πτωχὸς enim pauper, & τρέφω alo ſignificat. Vtitur Iuſt. l. illud, 16. & l. ſancimus 38. C. de ſacroſ. eccl.

PROVINCIALES, inquit Vlpianus, eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: non eos qui ex prouincia oriundi ſunt. l. 190. D. de uerbor. ſignific.

PROVINCIA, onus dicitur cuiuslibet rei gerendæ. nam acquiſitæ bello longè ab Italia regiones, Prouinciæ dictæ ſunt: à porrò, uel à procul uincẽdo: ad quas prætores quia cum officio mittebantur, officia quoque prouinciæ nominantur. Hæc interpres Terent. Heautont.

PROVINCIAE dicebantur regiones extra Italiam, quæ populi R. imperio parebant, & ad quas administrandas magiſtratus cum imperio ac poteſtate mittebantur, qui in ijs ius dicerent. Aliæ in quibus ius dicere Magiſtratibus populi Ro. non licebat, quæ ſcilicet populi R. imperio non parebant, ſed comiter eius maieſtatem tuebantur; Liberæ appellabantur. Vnde

PROVINCIAE liberari dicebantur, cum ſtatuebatur, ut ſuo iuri, ſuisque legibus relinquerentur, neque Romani magiſtratus amplius in ijs ius dicerent.

PROVINCIARVM duplex diuiſio eſt. nam ſtante Repub. aliæ Conſulares, aliæ Prætoriæ fuerunt: Imperio conſtituto, aliæ populi R. aliæ Cæſaris factæ ſunt.

PROVINCIAE Conſulares erant, quæ ab ijs qui in urbe Conſulatum geſſerant, conſulari imperio obtinebantur, unde etiam Proconſule, & Proconſules dicebantur.

PROVINCIAE Prætoriæ, quas qui Prætores in urbe proximo anno fuerant, prætorio imperio obtinebantur, unde Proprætore, & Proprętores appellabãtur. Neque enim certæ erant prouinciæ, in quas ſemper uiri Conſulares, & aliæ in quas ſemper Prętorij mitterentur: ſed ex magiſtratuum qui eas obtinebant, nomine, nomen ſumebant. Atq; hæc quidem nota propè omnibus, atque à multis tradita ſunt. Illud uerò quod ex Orat. Ciceronis. De prouincijs conſul. animaduertimus, haud ſcio an ab ullo adhuc traditum ſit. Vtraſque prouincias in Senatus quidem poteſtate fuiſſe, ſed longè diſsimilem illius poteſtatis rationem in illis decernendis fuiſſe. nam lege Sempronia utræque à Senatu decernebantur: ſed Conſulares & Cõſulibus anno proximo futuris ante comitia mandabãtur, ut eas poſt menſes demum ſeptendecim obtinerent: & in Senatus poteſtate ſic erãt, ut Tribuni pl. intercedere decretis quæ de ijs Senatus fecerat, nõ poſſent: & in incertũ tẽpus, quandiu ſcilicet Senatus nõ alios ſummitteret, obtinerentur. Prætoriæ uerò Prætoribus anni præſentis mandabantur, ut eos proximis kal. Ian. depoſita Prætura ſtatim obtinerent: in populi autẽ poteſtate iccircò erant, quia Tribuni pl. decreto à Senatu de ijs facto intercedere poterant: & annuo tantũ imperio obtinebantur. Quinetiam de Senatus poteſtate hoc animaduertimus: ius fuiſſe Senatui, quæ prouinciæ Conſulares erãt, eas Prætorias facere: hoc eſt, anni præſentis Prætoribus mandare: qua mutatione ſimul eæ prouinciæ è poteſtate Senatus in populi poteſtatem tranſibant. Sed hac de re & alijs copioſè olim diximus in Cõmentarijs Orat. de prouinc. Conſul. quibus aliquando fortaſſe lucem non inuidebimus.

PROVINCIARVM altera diuiſio, Republica (ut ſuperius dixi) ad unum translata, facta eſt. de qua Strabonis uerba in calce operis ſui hæc ſunt: Prouinciæ ſępenumero aliter atque aliter diuerſæ ſunt: nunc autem ex Auguſti Cæſaris inſtituto ita ſunt partitæ. Nam cum ei patria totius imperij ſummam permiſerit, pacisque ac belli poteſtatem habeat, uniuerſum imperiũ bipartitò ſic diuiſit, ut partem ſibi ſumeret, eam ſcilicet, quæ militũ præſidio indigeret; partẽ uerò populo attribueret, eã quæ pacata eſt, & ſine armis facilè retinetur. Cõplures igitur prouincias fecit, quarum aliæ Cæſaris, aliæ Populi appellantur. Ipſe in ſuas Præſides cum imperio mittit: Populus in ſuas Proconſules & Proprætores, Hęc Strabo: cui Suetonius in eius uita conſentiens, ita ſcribit, Prouincias ualidiores, & quas annuis magiſtratuum imperijs regi nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, ceteras Proconſulib. ſortitò permiſit: & tamen nonnullas commutauit interdum, atque ex utroque genere pleraſque ſæpius adijt. Hæc ille: quibus conſentanea ſunt, quę tum apud Dionem lib. LIII. tum in Pandectarum lib. I. de Prouinciarum Rectorib. legimus, quorum qui Cæſaris erant, Præſides: qui populi, Proconſules appellantur. l. 1. & paſſ. D. de off. præſ. & ſub Rubric. de officio Proconſulis.

PROXENETA, interpres, ſiue conciliator rerum contrahendarum: qui operam ſuam nauat ijs, qui negocium aliquod gerere cupiunt. Vlp. l. 2. D. de proxenet. Si proxeneta interuenerit faciendi nominis, ut multi ſolent, uideamus an poſsit quaſi mandator teneri. Hinc

PROXENETICVM, merces quæ pro opera proxenetis datur: quæ iure licito peti poteſt. ut idem ait in l. 1. & 3. illo tit.

PROXIMITAS, uerbũ eſt quo propriè cognatio, id eſt communio ſanguinis p muliebrẽ ſexũ contracta, ſignificatur. uti patet ex tit. De ſucceſſ. cognat. multis locis, ſed pſertim in fine. ubi Iuſtin. ait agnationis iure admitti aliquẽ etiã ex decimo gradu: proximitatis uerò nomine, uſque ad ſextũ gradum. Ratio autem eſt, quia in agnatorum ſucceſsionibus non proximitas, ſed agnatio ſpectatur. itaque qui agnatus erit gradu decimo, ei qui multo proximiore gradu cognatus erit, anteponetur. §. repetitis, & §. ult. De ſeruil. cognat. Vlpia. l. 4. D. unde cogn. Si Spurius deceſſerit, iure conſanguinitatis aut agnationis hæreditas eius ad nullum pertinet: proximitatis autem nomine mater eius, aut frater eadem matre natus bonorum poſſeſsionem petere poteſt. Sic in l. 5. C. de legit. hæred.

PROXIMVS, uerbum eſt ex ijs quæ cum aliquo conferuntur.

Proximvs agnatus dicitur, qui teſtatori ſic coniunctus eſt, ut enm nemo antecedat.l.92.D. de uerb.ſign.l.2.§.3.D.de ſuis & legit.l.1.§. proximus, D.unde cognat. Et ſi nullum teſtamentũ factum eſt, proximus intelligitur qui morienti eſt ꝓximus: ſi factum eſt, tũ demum cum deſtitutũ eſſe teſtamentum conſtiterit. l. 2.§.4.& 5.D. de ſuis & legit. Quamuis autẽ proximus propriè de pluribus dicatur, tamen quo magis ualeat id q́d actum eſt, Proximus accipitur non ſolum qui ante aliquem eſt, ſed etiam is ante quem nemo eſt, quamuis ipſe ſolus ſit.l.ex duobus,34.D.de uulg. & pupill l.155.D.de uerb.ſignif.

Proximvs pubertati dicitur, qui rei intellectum capere poteſt.l.excipiuntur,14.in fi.D.de ſen.Silania.§.in ſumma, Inſtit. De oblig ex delict. Itaq; capax dicitur & furandi, & iniuriæ faciendæ.l. pupillum,111.D.de reg.iur.l.23.& 24. D. de furt.

Proximvs autẽ pubertati uidetur eſſe is, qui à pubertate ſex menſium interuallo abeſt. Calliſtrat.l. nó tantũ,17.D.de excuſat. Nã ſi pupillorũ ętas prope pubertatem ſit, ita ut tãtummodo ſemeſtre tẽpus reliquum fuerit, &c. Quod cum ita ſit uidendum eſt, an Proximus infantiæ dici poſsit, qui ſex mẽſibus infantiã ſuperarit. ſed cũ Proximus infantiæ, ubi de illius agitur cómodo, proximo pubertati cóparetur, nulla ratio eſt ita rem ad uiuum reſecare. Itaque cómodius, opinor, eſſet, ſeptẽ annos qui inter Infantiã & Pubertatem interſunt, ſic diuidere, ut tres ꝓrimos & dimidiatũ Infantiæ proximitati, reliquos pubertatis attribueremus, & qui intra decimum annum ac ſex mẽſes uiueret, is ꝓximus infantiæ: qui ſuperaſſet, pubertati uicinus iudicaretur. Sic accipio l. 1. D. de oblig.& act.§.pupillus,7.Inſt.De inutil.ſtipul.

Pseudomenos, ψευδόμενος, Latinè mentiens à Cicerone dicitur lib. De diuin. 2.& eſt, quũ quicquid conſtituitur uerum eſſe, ſtatim reperitur falſum. uti docet Africanus in l.88. D. ad leg. Falcid. ubi huius rei exemplum affert. Pomponius quoq; in l.9.D.de uerb.oblig.eiuſdẽ modi ſpóſionis formulã hanc profert, Tibi fundũ dabo, niſi illi dedero: & illi dabo, niſi tibi dedero. Alia ſuppeditat exempla Gell.lib.5.cap.10.& lib. 9.cap.16.

Pvberem Caſsiani quidẽ eũ eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id eſt, qui generare poteſt: Proculeij aũt, eũ qui quatuordecim annos expleuit. uerùm Priſcus eum puberem eſſe, in quem utrunq; concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum. Vlp.cap. Inſt.2.

Pvbertatem, inquit Iuſtin. ueteres quidẽ non ſolum ex annis, ſed etiã ex habitu corporis in maſculis æſtimari uolebãt. noſtra aũt cóſtitutione promulgata, pubertatẽ in maſculis decimũ quartum annum cópletum illico initiũ accipere diſpoſuimus: antiquitatis normã in fœminis bene poſitã in ſuo ordine relinquẽtes, ut poſt duodecim annos cópletos uiripotentes eſſe credantur. hęc ille tit. Quib. mod. ius pat. in princ. Sic in l. ult. C. quãd.tut.eſſe deſin.l.5.D.de teſta.l.2. D.de uulg. & pupil.§.1.Inſt.De nup. Macrob.li. in Somniũ 5.ca.6. Poſt annos bis ſeptem ipſa ætas neceſsitate pubeſcit: tunc enim moueri incipit uis generationis in maſculis, & purgatio fœminarum. Tertull.lib. De uirginib.uel. Tempus, inquit, etiam Ethnici obſeruant, ut ex lege naturæ iura ſua ætatibus reddant. nã fœminas quidẽ à duodecim annis, maſculum uerò à duobus amplius ad negocia mittunt: pubertatẽ in annis, non ſponſalibus aut nuptijs decernentes.

Pvbertas plena in maſculis anno ætatis 18. in fœminis anno 14.l.arrogator,49. §.1. D. de adopt. §.4.Inſt.eo.§.ult.Inſt.Quib.manumitt.lic.l.Mela,14.D.de alim.& cibar. l. quidam, D. de re iudic.l.1.§ pueritiam, D.de poſtul.

Pvblica. Vlp.l.15.D. de uer. ſig. Bona ciuitatis abuſiuè Publica dicta ſunt: ſola enim ea Publica ſunt, q́ populi R.ſunt & Caius l. ſeq. Nã publica appellatio in cõpluribus cauſsis ad populũ R.reſpicit. ciuitates enim priuatorum loco habentur.

Pvblica ergo propriè ſunt uectigalita. ut l.34.D. ex quib.cauſ.maior. Cic.ad Q.frat. Vt & publicanis ſatisfacias, præſertim publicis malè redemptis. Hinc

Pvblicani dicuntur pop.R. qui Coloni priuatis nimirum qui publica. id eſt populi R. uectigalia conducunt. unde Vlp. Publicani ſunt, ait, qui publico fruuntur. nam inde nomen habent, ſiue fiſco uectigal pendant, uel tributũ conſequãtur. & omnes qui quid à fiſco códucunt, rectè appellantur Publicani l.1.D.de publ. & uectig. Caius l. 16.D.de uer.ſign. Eum qui uectigal pop.R. conductum habet, Publicanum appellamus.

Pvblica uectigalia intelligere debemus ex quib. uectigal fiſcus capit, quale eſt uectigal portus, uenalium rerum, item ſalinarum, & metallorum, & picariarum.l.17.D.de uerb.ſig.

Pvblica dicuntur, propriè quorum uſus populi totius communis eſt: quaſi Populica l.5. D. de rer.diuiſ. ueluti forum, campus Martius, theatrum, baſilicæ.

Pvblica iudicia, uide Iudicia.

Pvblica actio, actio qua cuiuis experiri licet: ad quam exercendam cuiuis aditus patet. Vlpia l.1. §.4.D.de ſuſpect.tut. Conſequens eſt, ut uideamus qui poſsint conſpectos poſtulare. & ſciendũ eſt, quaſi publicam eſſe hanc actionẽ, hoc eſt omnibus patere. Ergo ut Publicus locus dicitur, ad quẽ cuiuis licet accedere: ſic actio ſuſpecti, eſt tanquã publicæ illæ actiones, ſiue iudicia, quorũ aditus unicuique patet. Hinc popularis actio, Publica nominatur in l.30.§.3.D.de iureiur. In popularibus actionibus, inquit Paulus. iuſiurandum exactum ita demũ aduerſus alios ꝓderit, ſi bo. fi. exactũ fuerit. nã etſi qs egerit, ita demũ cóſueuit publicã actionẽ, ſi nó ꝑ colluſionẽ actũ ſit.

PVBLICA lex conciſa locutione dicitur, lex publici iudicij. ut quum dicimus, Iudicia bonæ fidei, in quibus iudici poteſtas ex bona fidei iudicandi. Marc. l. 1. §. 1. D. ad leg. Corn. de ſica. Qui ve magiſtratus, iudexve quæſtionis ob capitale cauſſam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. Imper. l. 1. C. Vbi ſenat. uel clar. Intra prouinciã in qua facinus perpetrauit, publicis legibus ſubiugetur.

PVBLICARE bona, idem quod cõfiſcare. Marc. l. 3. in fin. D. de bon. eor. qui ant. An non prius bona in fiſcum cogenda ſint, quàm ſi de crimine fuerit probatum: an uerò omnimodo publicanda ſunt. ſed D. Pius reſcripſit, ſi parati ſint hæredes defenſiones ſuſcipere, nõ eſſe bona publicãda. Sic l. 23. §. ſi fundus. D. de ſeruit. ruſt. l. 27. D. de adulter.

PVBLICVM crimen Impp. in l. 4. C. de hæred. id interpretatur, quod ad omnium pertinet iniuriam. Ac primum quidem, inquiunt, hæreſim uolumus eſſe publicum crimen: quia quod in religionẽ diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Vide Iudicium publicum.

PVBLICIANA actio, uide Actio publiciana.

PVERI appellatione, inquit Paulus, etiam puella ſignificatur: nam & fœminas Puerperas appellant recentes ex partu, & Græcè παῖδας communiter appellatur. l. 163. D. de uerb. ſig.

PVERI appellatio, inquit Paulus, tres ſignificationes habet: unam quum oẽs ſeruos pueros appellaremus: alteram quũ puerũ contrario nomine puellæ diceremus: tertiam, quum ætatem puerilem demonſtraremus, l. 204. D. de uerb. ſig.

PVGILLARES tabellę, in quib. quid ſcribitur. Paulus l. 17. D. commod. Si pugillares mihi cõmodaſti, ut debitor mihi caueres, non rectè facies importunè repetẽdo. Alfen. l. 6. D. de ſupp. leg. Sed nec pugillares & codices in ſuppellectili ſunt.

PVLMENTARIVM, cibus pultis inſtar factus: apud Paulum in l. 18. §. 2. D. de inſt. uel inſt. Pli. lib. 18. c. 8. Pulte autem non pane uixiſſe longo tempore Romanos, manifeſtum: quoniam inde & pulmentaria hodieq; dicuntur.

PVLSARE & Verberare Ofilius ſic diſtinguit, ut hoc ſit cum dolore cædere, illud uerò ſine dolore. l. 5. §. 1. D. de iniur. Quod tamen non frequenter obſeruatur. Cic. Verrin. VII. Videtis pendere alios ex arbore, pulſari autem alios & uerberari. Et in ead. Sex lictores circumſiſtunt ualentiſsimi, & ad pulſandos uerberãdosq; homines exercitatiſsimi itaq; uidendũ ne hæc uerior ſit differentia: ut Verberare propriũ ſit uirgarũ, & flagrorum. Pulſare autem generalius ſit, & ad quoduis teli genus pertineat: ſiue gladijs, ſiue lapidibus quis uſus eſſe dicetur.

PVLSARI, pro conueniri, in iudicium uocari. Vlp. l. 11. §. 10. D. de inter. in iur. Qui interrogatus reſpõderit, ſic tenetur quaſi ex cõtractu obligatus, pro quo pulſabitur. Cic. Verrin. V. Pro decuma cũ pulſatus a Venerio eſſet, dedit HS. ſexdecim millia. Sic. l. 2. §. & quoq;, D. de iudic.

PVPILLVS eſt, ait Pomponius, qui quum impubes eſt, deſijt in patris poteſtate eſſe, aut morte aut emancipatione. l. 239. D. de uerb. ſig.

PVPILLVS, pro impubere qui in patris poteſtate eſt nam à Pupus deminutum nomẽ eſt. Caius l. 141. §. 1. D. de uerb. obl. Pupillus licet ex quo fari cœperit, rectè ſtipulari poteſt: tamẽ ſi in parentis poteſtate eſt, ne auctore quidem patre obligatur. Indidem etiam ſubſtitutio Pupillaris nomẽ ſumpſit Cic. De inuent. 2. Quidam pupillum hæredem fecit: pupillus autem antè mortuus eſt, quàm in ſuã tutelam ueniret. Item, Pater enim & ſibi & filio dum is pupillus eſſet teſtamẽtum ſcripſit. & multa deinceps.

PVPILLARIS ſubſtitutio, uide Subſt.

PVRA lanx opponitur cælatæ in l. 6. §. 1. D. de rei uind. Similiter Cic. Verrin. VI. Purum argumentum appellat, ſine emblematis. Emblemata detrahuntur. ſic Saluntini, excuſsis delicijs, cum argento puro domum reuertuntur.

PVRA ſtipulatio dicitur, cui neq; dies, neq; cõditio adiecta eſt eoq; confeſtim ex ea & debetur, & peti põt. ut docet Imperator. §. 2. De uerb. oblig.

PVRGARE moram, uide Moram purgare.

PVRGARE uiam, inquit Vlpianus, propriè dicitur ad libramentum propriũ redigere, ſublato eo quod ſuper eam eſſet. l. 1. D. de uia publ.

PVRVM iudicium, cui adiecta non eſt exceptio. C. de inuent. lib. 2. Agit is cui manus præciſa eſt, iniuriarum. Poſtulat is, qui cum agitur, a Pretore exceptionem, EXTRA quam in reum capitis præiudicium fiat. Hic is qui agit, iudiciũ purũ poſtulat; ille qui cũ agitur, exceptionem addi ait oportere.

PVRVS locus dicit, qui neq; ſacer, neq; ſanctus eſt, neque religioſus: ſed ab omnibus huiuſmodi nominib. uacare uidetur. l. 2. §. 2. D. De relig. & ſumptibus.

PVRVM putũ argentũ, uide Argentum purũ putum.

PVRPVRA Tyria, rubea eſt quam Tyrus inſula procreat: ut Vitr. lib. 7. c. 13. & Pli. lib. 5. c. 19. declarant: quorum hic quoq; nobiliſsimam Tyriã appellat. Vnde Imp. §. 34. De act. Si quis, ait, generaliter purpurã ſtipulatus ſit, deinde ſpecialiter Tyriam petat, plus petere intelligitur.

PVSTVLATVM argentum, excoctum, igne perpurgatum, obryzum: a puſula, ſi coniecturæ locus eſt, quo nomine ignis acerrimus ſignificatur. Columella lib. 7. c. 5. Eſt etiam inſanabilis ſacer ignis, quem Puſulam uocant paſtores. Alfenus l. 31. D. locati, Veluti quum argentum puſulatum fabro daretur, ut uaſa fierent: aut aurum, ut annuli. PVSTVLATVM Budæo magis placeret: cuius tamen origo uerbi æquè obſcura eſt. Sueto. Nerone, Exegit ingenti faſtidio & acerbitate numum aſperũ argentum puſtulatum, aurum obryzũ, ut pleriq;

omnem

omnem collationem palàm recuſarent. Verùm quid ſi & hic quoq; PVSVLATVM legendum eſt? quare melius erit Amplius pronũciare. Nã quod Alciatus POSTVLATVM utrobiq; reponit, id nos ut commentum homine docto indignum aſpernari, quàm refellere malumus.

PVTEA, apud Vlpian. l. 17. §. 5. De act. empt. legi uidetur pro PVTEALIA: ut quod ſequitur OPERCVLA PVTEORVM gloſſa ſit ſub illo uerbo ſubſcripta. De quo tamen Amplius deliberandum cenſeo.

PVTEAL, id eſt quo puteum operitur. ait Pópōnius in l. 14. D. de act. empt. & uend.

PYRRHICHARII, qui pyrrhicham exercent: id eſt ſaltationem pugnæ ſimilem: armati enim ſaltabant, qua de re cognoſces ex lib. Platon. De legib. 7. Vlpia. l. 8. §. 9. D. de pœnis. Inſtituuntur ne natores aut pyrrhicharij, aut in aliam quam uoluptatem, geſticulandi, uel aliter ſe mouendi gratia.

DE LITERA Q

QVA, pro qua ratione, Celſus l. cui ſeruus, 25. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. Cui ſeruus ipſi' ſubſtitutus eſt, ſeruum ſuũ adire iuſſit. ſi idcirco fecit, ne legata præſtaret, utraq; præſtabit, & qua hæres eſt, & qua omiſſa cauſſa teſtamenti poſſidet ex ſubſtitutione hæreditatem. Paulus l. precia rerum, 63. D. ad leg. Falc. Sed nec ille qui filiũ alienum poſſidet, tantum habet, quanti eum patri uendere poteſt: nec expectandum eſt dum uẽdat, ſed in præſentia non qua filius alicuius, ſed qua homo æſtimatur. Cicero pro partim uſurpat, ad Atticum: Quàm expedita conſilia tua? quàm euigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua nauigationis, qua cõgreſſus ſermonisq; cum Cæſare. Noſtri etiam pro Qua ex parte uſurpãt. Vlpia. l. 1. §. ſi pater, D. Silanian. Attamen ubi deceſsit, qua extinctum legatum & libertas eſt, ſenatuſconſulto fore locum dicit. Idem l. falſus creditor, 44. in fi. D. de furt. Planè ſi uſusfructus meus in eo ſeruo eſſe cœperit, dicẽdũ eſt furti actionẽ nõ extingui, qua fructuarius dominus nõ eſt. Video etiam pro Quatenus poſitum a Iauoleno in l. litus, 112. D. de uerb. ſig. Litus publicum eſt eatenus, qua maximè fluctus exæſtuat.

QVADRVPLATORES dicebantur, qui eo quæſtu ſe tuebantur, ut eas res perſequerentur, quarum ex legibus quadrupli erat actio. Feſtus.

QVAERERE uerbum eſt proprium rerum capitalium, pro cognoſcere. quòd qui accuſatur, nocens ſit, an innocens, cum conſilio diſquiritur. ueteres Anquirere dicebant. Cic. ad Att. in 1. Senatus cenſuit, ut de ijs qui ob iudicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur. Item in Miloniana: Decernebat enim, ut ueteribus legibus extra ordinem quæreretur. Hinc

QVAESTIONES, publica iudicia. inde ducto nomine, quòd in ijs reus in iudicium uocatus, nocens ſit, an innocens conſtituto iudicio quæritur. ut l. 2. De orig. iur. ubi Pomp. ſcribit quæſtiones publicas conſtitutas a Sylla de falſis, de ſicarijs, de ueneficijs, de parricidijs. Hinc

QVAESITORES, Prætores rerum capitalium: de quibus cognoſce ex Appendice De magiſtratibus.

QVAESTORES, uide in eadem Appendice.

QVAESTIO numaria, pro iudicio priuato, in quo nõ de capite, ſed de pecunia diſceptatur. Calliſtratus l. ult. D. ne de ſtat. def. D. Claudius reſcripſit, ſi per quæſtionem numariam præiudicium ſtatui uidebitur fieri, ceſſare quæſtionem.

QVAESTIO alia facti dicitur, alia iuris.

QVAESTIO facti eſt, in qua factum necne ſit, quæritur: Iuris autem, in qua de iure ambigitur. uelutí cum dicimus, quatenus cuiuſq; interſit, in facto, non in iure conſiſtere. l. quatenus, 21. D. de reg. iur. Similiter diſtinctiones reperiuntur in l. 1. D. quæ res pig. l. ult. D. de iureiur. l. 16. D. de ſtat. hom. l. 2. §. ult. D. de Donat. & paſsim in iure noſtro: ut intelligatur, ſolas iuris quæſtiones ad Iuriſconſultos pertinere: alteras uerò quæ totæ in coniecturali ſtatu poſitæ ſunt, ab ijs remotas eſſe. unde illud Cic. in Top. Nihil hoc ad ius. Ad Ciceronem inquibat Gallus noſter: ſi quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quæreretur. Neq; uerò prætermittendum eſt, ad facti quæſtiones eas referri, quę uoluntatis ſunt: id eſt, in quibus de uolũtate, puta teſtatoris ambigitur. l. 3. D. de aur. & argen. leg. l. 41. l. 94. D. de uerb. oblig. l. 122. D. de uerb. ſig. l. 8. §. ſi debitori, D. quib. mod. pig.

QVAESTIO in Rub. de Quæſtionibus eſt tormẽtum quod reo ad ſcelerum & ſociorum ſuorum ueritatem eruendam adhibetur. l. item apud. §. quæſtionẽ. D. de iniur. l. 1. D. de quæſtionibus. l. inde Neratius. §. ſed etſi. D. ad leg. Aquil.

QVAESTORIVS ager dictus eſt, qui ex hoſtibus captus per quæſtores populo R. limitibus actis diuiſus, eſt uenditus. Hæc Flaccus.

QVAESTORII agri dicuntur, quos populus R. deuictis pulſisq; hoſtib. poſſedit, mandauitq; Quæſtoribus, ut eos uenundarent. Hæc Hygenus.

QVAESTVS intelligitur qui ex opera cuiuſq; deſcendit. l. 7. & 8. D. pro ſoc. hoc eſt, ſi quòd lucrum ex emptione, uenditione, locatione, conductione deſcendit. deniq; quod non per ſe natum, ut hæreditas, legatum, donatio: ſed labore & opera cuiuſq; quæſitum eſt. Minus tamen eſſe Lucrum quàm Quæſtum patet ex his Ciceronis uerbis in Orat. in Piſo. Quo quidẽ in ſpectaculo mira Reip. æquitas erat: uter eorum periſſet, tanquã laniſta, in eiuſmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem uerò quæſtum, ſi uterq; cecidiſſet.

QVALITAS in libris noſtris eſt, quæ ſpecię̃ ex differẽtibus declarat. itaq; quã Vlp. in l. hæredes, 21. §. ſed etſi, D. de teſta. numorũ ſpecię̃ appellat, eã Papinianus in l. qui non, 78. §. 1. D. de hæred. inſt. ſpecię̃ uocat. Similiter Caius in l. 74. D. de uerb. oblig. qualitatẽ demõſtrari ait, cũ certã ſpecię̃ nominamus: ueluti fundus Tuſculanus, homo Stichus, & l. ſeq. Cum uinum Campanum optimum dicimus, ea res, inquit, efficit, ut ea appellatio certi ſignificatiua ſit.

QVALVS, ſporta uiminea: ad calcem portandam accommodata. l. 15. §. 1. D. de uſuf. item ad uuas, uel uinum. l. 8. D. de inſt. uel inſtrum.

QVAM pro Magis uel potius quàm, uideo à Iuriſconſultis uſurpari locis quàm plurimis. Paulus l. 2. D. de reb. cred. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ põdere, numero, mẽſura cõſiſtunt: quoniã earũ datione poſſumus in creditũ ire: quia in genere ſuo functionẽ recipiũt per ſolutionẽ, quã ſpecie. Vlp. l. 2. D. de iudic. Alioquin compelletur iudicium accipere, q̃ inuenire eos, qui ſatis ꝓ eo dẽt. Idẽ l. ꝓ hærede, in fin. D. de acq. hære. Si ſepulcri uiolati filius aget, quamuis hæreditarij, quia nihil ex bonis patris capit, non uidetur bonis immiſcere. hæc enim actio pœnã, quàm rei ꝓſecutionẽ cõtinet. Idẽ l. ſi hominẽ, in prin. D. depoſ. Quia cùm ſciret cui rei pararetur, intempeſtiuẽ miſericordiã exercuit, cùm poſſet non ſuſcipere talẽ cauſam, quàm decipere. Idẽ l. ſuſpectus, De ſuſp. tut. Expedit enim pupillo rem ſuam ſaluam fore, quàm tabulas Rem ſaluam fore cautionis habere. Idẽ l. ſi cui, §. ſi Titio, D. de legat. 1. Intereſt enim eius ſolui mihi, quàm ipſum conuentũ mandati actionẽ intẽdere. Idẽ l. prætor. §. hoc interdictũ, D. de oper. noui nũc. Nõnulli putãt in factũ eſſe dãdam, quàm interdictum. quod uerum eſt.

QVANDOQVE, pro quandocunq;. l. 13. §. 1. D. de reb. cor. qui ſub. l. 31. D. de uulg. & pup.

QVANDOQVE, id eſt poſt aliquod interuallum. Caius l. 42. D. de iure dot. Res in dotem datę quę pondere, numero, menſura cõſtant, ut quandoq; ſoluto matrimonio alias maritus reſtituat. Vlpia. l. 22. D. de adopt. Ceterum ſi fidei eius committat, ut quandoque reſtituat: non oportet admitti fideicommiſſum.

QVANTI ea res erit, & Quanti eam rẽ eſſe apparet, idem ualent: in utraque enim clauſula patet uerã rei æſtimationem fieri, ait Vlpia. l. inter, 179. D. de uerb. ſig. hoc eſt, non ad id quod extrinſecus intereſt, ſed ad uerum rei precium pertinent. ut l. arbitro, D. de dol. mal. l. Prætor, 4. §. hæc autem, D. ui bon. rap. ubi Vlp. ſic ſcribit, Hæc autem actio in factum eſt, & datur in duplũ quanti ea res erit. quod ad uerum rei preciũ refertur. Sic in l. ſi fundus, 33. D. locat. l. un. in fi. D. ſi quis ius dic. l. Stichum, 55. D. ad leg. Aquil. l. 4. §. in eum, D. de damn. infe. Interdũ tamen hæc uerba: QVANTI ea res eſt, etiã id quod extrinſecus intereſt, continent. Itaque cùm lex Aquilia ſcripta ſic eſſet, QVANTI ea res plurimi fuerit, Iuriſcõſulti in l. ait lex, 21. & l. ſeq. ſcribunt, non ſolum corpus æſtimandum eſſe quanti fuerit, ſed etiam quanti noſtra interfuit: Similiter Vlp. in l. 4. §. in eũ, D. de damn. inf. In eum, inquit, quanti ea res eſt, iudiciũ datur: quod non ad quantitatẽ refertur; ſed ad id qđ intereſt. quod eodẽ modo licet animaduertere in l. 9. 10. & 11. D. de ſeru. corrup. l. 3. in fi. D. uti poſſid. l. quoties, 81. D. de uerb. obl. Hinc illæ notæ apud Valerium, Q. F. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. D. D. D. P. F. Quanti ea res erit, tantæ pecunię iudicium recuperatorium dabo. teſtibuſque duntaxat decem denunciandi poteſtatem faciam.

QVANTI, pro Quot: uide Tanti.

QVANTITATES appellantur quæ numero, pondere, & menſura conſtant: quæ longè à ſpecieb. differunt. nam Quantitates ſingulæ propriam ſpeciem non habent. ſed communi ſpecie cõtinentur: ait Vlp. l. cũ Stichus, 29. D. de ſolut. Itàque ſi numus pro numo reddatur, & oleum pro oleo, & uinum pro uino: non aliud pro alio, ſed eadem species reddi uidetur. nam qđ in eiuſmodi rebus genere idem eſt, etiam ſpecie idem uidetur. l. 2. D. ſi cert. petat. Species uerò ſingulæ ꝓpriã ſpeciem habent, & cõmuni omnes genere cõtinẽtur: ut Pãphilus & Dauus cõmuni hominis genere cõprehenduntur: ſed alius eſt Pamphilus, alius Dauus. Itaq; qui illum pro hoc, uel hunc pro illo ſolueret, aliud pro alio ſoluere diceretur. Quantitates numero diuiduntur: d. l. cum Stichus, 29. quippe in qua nõ corpus, ſed uis ac momẽtum ſpectetur. l. ſi is cui, 9. D. de ſolut. l. 87. D. de legat. ſecundo. Species autem partibus diuiduntur.

QVANTITAS in iure ciuili quæ opponitur corpori, ſic definienda uidetur, Res cuius uis ac momẽtũ uel ſolùm, uel præcipuè ſpectatur: Corpus uerò res cuius materia uel ſola, uel præcipuè ſpectatur. Vlp. l. 34. §. 2. D. de leg. 1. Eadem ſumma uolente teſtatore multiplicari poteſt. ſed hoc ita erit accipiendum, ſi non certum corpus numorũ ſæpius ſit reiictũ: utputa centũ quæ in arca habet ſæpius legauit. tunc enim fundo legato comparandum eſſe credo. Paulus l. 87. D. de leg. ſecundo: Ei de quo quæritur preciũ teſſeræ ſpectandũ: quoniam tale fideicõmiſſum magis in quantitate, quàm in corpore cõſiſtit. Idem in l. 1. D. de cõtr. empt. Electa eſt materia cuius publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationũ æqualitate quãtitatis ſubueniret. Papinian. l. ſi is cui, 94. D. de ſolut. Siue in ſingulis numis cõmunionem ꝓ indiuiſo quis eſſe intelligat: ſiue in pecunia non corpora cogitet, ſed quãtitatem. Sic Florent. l. 65. §. 1. D. de uerb. oblig. Vlp. l. 15. §. 3. D. de re iudic. l. nã etſi, 13. in fi. & l. ſi ſocius, 16. D. ſi cert. petat.

QVANTITAS pro precio, & ualore. Paulus lib. Sent. 2. cap. 32. Seruus qui furtum fecerit, damnumve dederit, niſi id pro ſui quantitate

tate

tate dominus ſarcire paratus ſit, noxæ dedi pôt.

QVANTO maioris actiones in iure ciuili duæ repeririuntur, quarũ altera ciuilis, altera ædilitia eſt. Ciuilis eſt, quãto minoris empturus erat emptor, ſi uitium ſciſſet. l. Iulianus, D. de act. empt. Aedilitia eſt, Quanto minoris res fuit cõtractus tẽpore, quàm quanti empta eſt. l. qđ ſi nolit, 31. §. ſi plures, D. de ędil. edict. Per ciuilem actionẽ emptor ſi nihil daturus fuiſſet, omne quod dedit, recuperat: at per Aedilitiam ſi res nullius precij eſt redhibetur. l. bouem, 43. §. aliquando, eod. Illa perpetua eſt: hæc uerò annua. l. ædiles, 38. eod.

QVARTA quæ in iure noſtro frequentiſsimè appellatur, multiplex eſt: & quadrãtem eius aſsis quo de agitur, ſignificat. Præcisè nanque Quarta, pro Quarta pars ferè nominatur. Quartas igitur literarum ordine deſcribemus.

QVARTA agnatorum erat quadrãs hæreditatis inteſtato mortui, quã agnati ſi filij non extabant, nepotibus ex filia auferebant. l. ſi defunctus, 4. De leg. hære. lib. Cod. Theod. v. at ex lege Iuſtiniani quandiu poſteri ulli ſunt, quamuis ex fœmina pgnati ſint, agnati nõ admittũtur. l. ult. C. de ſuis & legit. qua. l. Quartã illã agnatorum abrogauit.

QVARTA arrogati dicitur, cùm impubes cauſſa cognita arrogatus, ſine cauſſa tamen emancipatur. tum enim quartam bonorum arrogatoris cũ ſuis bonis obtinet. l. Papinianus, 8. §. ſi quis impubes, D. de inoffic. teſt. & l. 1. §. ſi impubes, D. de collat. l. ſi arrogator, 22. D. de adopt. Hoc autẽ, periculi qđ uitæ pupillorum ab arrogatoribus impendebat, euitandi cauſſa, inſtitutũ eſt. Duo quippe cauenda fuerũt in iſtis adoptionibus: quia duplex ad deprædandum arrogati patrimoniũ aditus patebat: primùm ſi puer è medio tolleretur: deinde ſi emanciparetur. nam utroque modo illius bona arrogatori quærebantur. conſtitutum ergo eſt, primum ut ne arrogator impuberis, eius ante pubertatem mortui hæres eſſet: deinde, ut impubes minimùm quartam arrogatoris ſui bonorum partem lucraretur.

QVARTA curiæ dicitur, quadrans eius hæreditatis, quam alienus aliquis (hoc eſt, non ex numero decurionum) qui curiali ſucceſsit, ſiue aſſe, ſiue ex parte ſucceſsit, obtinuit. tum enim conſtitutum eſt, ut quadrantem curia poſtulare poſsit, non tamen de ſingulis rebus: ſed ita, ut hæres uniuerſum patrimonium in partes quatuor diuidat: & ſors ducatur, ut uel curia quadrantem, uel hæres dodrantem obtineat. l. 1. & 2. C. quando & quib. quart. pars. libro 10.

QVARTA ex tribus maribus eſt, quæ per S. C. Sabinianum inducta eſt: ut qui ex tribus maribus in adoptionem datus fuerit, ei quarta pars bonorũ naturalis patris relinquatur. §. ſed ea omnia, Inſtit. De hæred. quæ ab inteſt.

QVARTA Falcidiæ dicitur in iure, quam hæredes beneficio legis Falcidiæ retinent ex legatis, ſi forte amplius dodrante in ijs conſumptum eſt à teſtatore. Lex autem id ſtatuit non de ſingulis legatarijs, ſed de uniuerſis: ut ſcilicet legare ita liceret, dum modò pars quarta patrimonij penes hæredẽ remaneret. Itaque tametſi plures legatarij ſint, nõ tamen amplius eis quàm dodrantem licet attribuere. Viciſsim autem non uniuerſi hæredes, ſed ſinguli quartam ex ſua cuiuſque parte retinere poſſunt. modusque patrimonij, non qui hæreditatis adeundæ, ſed qui tempore mortis fuit, ſpectatur. & antequam ea quarta detrahatur, æs alienũ, funeris ſumptus, & precia manumiſſorum ſeruorum detrahenda ſunt. l. 1. & paſsim, D. & C. de leg. Falcid.

QVARTA fideicommiſſarij dicitur: cum hæres poſt mortem ſuam rogatus eſt hæreditatis ſuæ partẽ quartam reſtituere. Valet enim fideicommiſſum, perinde ac ſi de hæreditate ſua reſtituenda rogatus eſſet: & eatenus reſtituenda eſt, quatenus hæreditas teſtatoris patitur, ſecundum uulgatam formam iuris. l. filiusfam. 114. §. ut quis, D. de fideic. primo. Excẽplũ etiã extat in l. ita tamẽ, 27. §. Trebellianum, & l. epiſtolam, 75. §. 1. D. ad Trebell.

QVARTA filiæ maieſtatis damnati ab Impp. Arcadio & Honorio inſtituta eſt. nam cum olim ad liberos damnati maieſtatis bona pertinerent, l. eorum, D. ad leg. Iul. maieſt. is conſtituit, ut filijs nihil omnino relinqueretur: filiabus autem quolibet numero eſſent, quarta tantum ex bonis matris ſiue teſtato, ſiue inteſtato deceſsiſſent, attribueretur. ut haberent mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen hęredis. l. quiſquis, 5. C. eod.

QVARTA fiſci quæ ſit, docet Paulus in l. peu. D. de iur. fiſc. Qui tantam fidem accommodauit, ut nõ capienti reſtituere hæreditatem: ſi deducta parte quarta, reſtituit, nihil retinere debet. quadrans autem qui hæredi imponitur ipſius, eripiatur, & ad fiſcum tranſferatur. unde dodrantis ſemiſſem ſolum capit, qui ſe detulit.

QVARTA liberorum appellatur, quadrans eius partis hæreditariæ, quæ ſi paterfa. inteſtato deceſsiſſet, ad eos peruentura erat qui quadrans liberis, qui uel inofficiosè exhæredatis, uel minorem in partem inſtitutis quàm quantus ille eſt, attribuitur. ueluti ſi duo ſint filij, quia legitima cuiuſque pars ab inteſtato eſt ſemis, iccirco ſeſcuncia illis attribuetur: quæ ſemiſsis pars quarta eſt. l. 8. §. ſi quis, l. 25. C. de inoff. teſt. l. omnimodo, 30. C. de inoff. teſt. & Nouell. v. & XXII. Iuſtinian. hunc quadrantem in trientem aut ſemiſſem pro numero perſonarum mutauit. nam ſi duo ſint, ſextantẽ uterque auferet: quæ legitimæ portionis tertia pars eſt. ſi uero ſex ſint, uncia ſingulis attribuetur: qui eſt legitimæ partis ſemis. Nouell. XVIII.

QVARTA matris auiæ curialis à Iuſtiniano inſtituta eſt, ut ſi mater mortui uel auia tẽpore quo filius

neposve

neposve moritur,in collegio eiuſdem ciuitatis curialis reperta fuerit,quartam partem ipſorum hæreditatis obtineant.l.2.C.quando & quibus.

QVARTA ſuperſtitis filij dicitur,cum paterfa. uxorem grauidam reliquit:& dubitatur,quot liberos paritura ſit.nam auctores iuris conſtituerunt, ut pars pro tribus in ſuſpenſo maneat, uſquedũ mulier: pepererit: quarta pars ſuperſtiti filio attribuatur.quod enim fieri non rarò admodum poteſt,ſpectarunt:id eſt,quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, quartã partem ſuperſtiti filio aſsignauerunt.l.3.D.ſi pars hæred.petat.

QVARTA Trebellianica quæ nunc uocatur, Pegaſiana olim fuit. nam Pegaſiano S.C. inſtitutum eſt,ut qui fideicommiſſum,ſiue uniuerſale, ſiue particulare reſtitueret,quadrantem ſibi retinere poſſet.§.ſed quia,De fideicom.hære. unde intelligi poteſt,quòd lex Falcidia eſt in legatis,id Pegaſianum in fideicommiſsis eſſe. nam quemadmodum hæres à quo plus dodrante legatum eſt,uſq; ad quadrãtẽ integrũ retinere poteſt: eodẽ modo is qui plus dodrante reſtituere eſt rogatus, ſiue uni,ſiue multis plus dodrante reddere ſit rogatus quartam ſibi retinere poterit. ueluti ſi domum quæ ſemiſſem ualeat,Titio: ſeruos qui trientem ualeant,Scio.tum enim duas uncias retinebit: nõ quo ab utroq; ſemunciã unã detrahat, ſed ut hæc uncia excedens in partes XII.diuidatur, quarum ſex Titius,quatuor Seius auferet, duæ reliquæ apud hęredem remanebunt.Atque hæc quidem inter quartam Falcidiam,& Pegaſianam ſimilitudo eſt:differentia autem illa,quòd in Falcidiam legata non imputantur, in Pegaſianam imputantur. itaque ſi teſtator quadraginta in bonis habens,hęredi centum,Mæuio ducenta,Valerio cẽtũ leget: hæres ultra centũ quæ prælegati nomine retinebit,Mæuio quinquaginta, Valerio uigintiquinq; quartę nomine detrahet.at ſi hęredem cui centũ legarit,roget hęreditatem reſtituere,centum quidem illa ſibi legata retinebit hęres: quartam autẽ eo amplius non detrahet.cuius differentię rationem animaduerti hanc eſſe,quòd lex Falcidia uoluntati pręſumptæ teſtatoris ſubſeruiat, eique cõſentanea ſit.exiſtimatur enim teſtator legatis hęreditatem exhauriens, errore id facere, & putare plus in hæreditate eſſe,quàm reuera ſit: crediturque uoluntas eius ea fuiſſe,ut hæres aliquid obtineret.At S.C.Pegaſianum directò uolũtati teſtatoris aduerſatur,conſtat enim teſtatoris hanc fuiſſe uoluntatẽ,ut nihil apud hæredẽ niſi nomen ac titulus, maneret:reuera alius hæres eſſet. Cũ igitur aliquo præmio Senatuſconſultũ hæredes allicere uoluerit aduerſus teſtatorum uoluntatem ad hæreditates adeundas,credibile eſt ſatis habuiſſe,ſi quadrans iſte quoquo titulo ad hæredem peueniret.Itaque Marcianus in l.in quartam,91.D. ad leg.Falcid.ſiue legatum,ſiue fideicommiſſum datum ſit hæredi,ſiue præcipere, uel deducere, uel retinere iuſſus eſt,uel accepta pecunia hæreditatem reſtituere rogatus ſit, uel conditionis implendæ cauſſa fideicommiſſum ei ſit, ea omnia in quartam ei imputari ſcribit:in Falcidiam autem, nequaquam.Atque hæc quidem de quarta Pegaſiana.Iuſtiniani uerò conſtitutione Pegaſiani uis in Trebellianum ita transfuſa eſt, ut iam quarta Trebellianica uocitetur:quoniam hæres uel quartam,uel quod ei deeſt retinere,ſolutumve repetere poteſt:actiones autem pro rata communicantur.at ſi totam ſponte coactusve reſtituit, omnium tum commodorum, tum incommodorum fit expers.§. ſed quia, De fideic.libert.

QVASI contractus in iure appellantur, qui non propriè contractus ſunt, ſed tantùm ad contractuum ſimilitudinem accedunt. nam ut in contractibus, ſic etiam in hiſce actionibus rei priuatæ negocium geritur.uerùm hoc intereſt, quòd in contractibus conuentio interuenit, & uoluntas utriuſque non modò concurrit: uerùm etiam declaratur:in his,unius ſolius actione tum ipſe,tũ etiam alter tacitè obligatur: ut facilè appareat, eos ſi minus re ac ueritate,ac certè,tacitè ac præſumptè, id eſt ipſo iure contraxiſſe. præſumitur enim ac iudicatur negociorum geſtor eo animo negocium gerere,ut ex dolo & culpa obligetur: uiciſsimque etiam dominus eo animo eſſe iudicatur,ut lubenter ſe negociorum geſtori obligatũ uelit,ſi quid ſuo nomine impenderit.quare naſci dicitur hæc obligatio, quaſi ex contractu: id eſt, non ex uero & actuoſo(ut ſic dicam) contractu, ſed ex tacito & præſumpto. l. 5. D. de oblig. & act.l.2.& 6.D.de negot.geſt.

QVASI delictum dicitur, cùm culpa punitur ita quaſi reuera delictum eſſet. Culpa enim propriè à delicto ſic diſtinguitur,quòd in hoc dolus eſt, in illa non eſt.ueluti cũ iudex malè ꝑ imprudentiã iudicando litem ſuam fecit. Imprudentia.n.pars culpę eſt,culpa autem pars quædam delicti.pœna igitur damnato ſic imponitur. ut ſi deliquiſſet: cum tamen eius factum propriè delictum dici non poſsit.l.5.§. ſi iudex, D.de oblig.& act.§. 2. Inſtit.De oblig.quę quaſi ex delict.

QVASI uſusfructus dicitur earum rerum quæ in abuſu conſiſtunt:id eſt quę utẽdo conſumuntur. proprietario enim ſatiſdatur. ſatiſdatio uerò in corporum locum apud illum ſuccedit. l. 2. & 7. D.de uſuf.ear.rer.& §.2.Inſt.De uſufruct.

QVASI Seruiana,uide Seruiana.

QVASI poſſeſsio,uide Poſſeſsio.

QVASI caſtrenſe peculium, uide Caſtrenſe peculium.

QVERELAE nomine tres in iure ciuili actiones appellantur: una Inofficioſi teſtamenti: altera quæ ad illius ſimilitudinem introducta eſt, Inofficioſę donationis;tertia,Inofficioſę dotis.

QVERELA inofficioſi teſtamenti eſt, qua poſtulatur ut ſi iudices uiolatum à teſtatore officium cognoſcant,

gnoſcant, reſciſſo teſtamento hæreditatem ijs quibus naturæ iure debetur adiudicent, quaſi non ſanæ mentis teſtator fuiſſet: quia uel in ſuos liberos iniurius, uel in ſuos parentes impius fuerit. l. 1. & paſſ. D. de inoff. teſt. Eadẽq; interdũ Actio, interdum etiam Accuſatio nominatur. l. 3. l. 8. l. 21. l. 25. l. 27. C. de inoff. teſt. l. 6. l. 22. l. 27. D. eod.

QVERELA inofficioſæ donationis eſt, qua poſtulatur ut quod contra officij rationem donatum eſt, reuocetur. l. 1. & paſſ. C. de inoff. donat. Vtriuſq; autem hoc commune eſt, ut tum demum concedantur, cum uel alia ratione nulla liberi ius ſuum recuperare poſſunt, uel quadrans hæreditatis eius relictus non eſt: quæ pars legitima dicitur. nam ſi minus eis relictum eſt. quod deerit ſupplebitur. l. ſi totas, 5. & l. ſi mater, 7. C. eod.

QVERELA inofficioſæ dotis eſt, per quam liberi quorum mater ſecundo ſuo marito uel omnia bona ſua, uel magna eorum partem dedit, poſtulant ut debita ſibi emolumenta præſtentur. l. 1. C. de inoff. dot. Hoc autem duæ priores inter ſe differunt, quòd prima non niſi & iure facto teſtamento, & adita ex eo hæreditate, & aduerſus hæredem ſcriptum conceditur: l. Papinia. §. ſi conditione, D. de inoff. l. ſcimus. §. illud. C. eod. Secunda uerò plerunque & ab inteſtato, & ei qui ab inteſtato hæres eſt competit. l. 3. C. de inoff. donat. Illa reſcindit teſtamentum, & planè ad inteſtati cauſſam reuocat, ut nihil ex eo ualeat. d. l. Papinia. & l. cum mater, D. eod. hæc nunquam reuocat, niſi uſque ad legitimam tantùm. l. 1. & paſſ. C. illo tit.

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt. Notæ quib. ueteres in Senatuſconſultis perſcribendis utebantur. Vide D. E. R. I. C.

QVINQVE pedum uſucapionem Cic. nominat in li. De legib. 1. eo loco quem ſubijciam, &, ſi poſſum, explanabo. Ex hac, inquit, non rerum, ſed uerborum diſcordia controuerſia nata eſt de finibus: in qua (quoniam uſucapionem XII. tabulæ intra quinque pedes eſſe noluerunt) depaſci ueterem poſſeſsionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus, nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus. Depaſci Academiæ poſſeſsionem, refert ad uſucapionem ſpacij quinquepedalis. Senſus eſt, Vt in controuerſia uicinorum de finibus, termini requiruntur, quibus reperti, quinque quaqua uerſus pedes definiuntur, qui quamuis longo tẽpore ab alterutro poſſeſsi ſint, finibus tamen dirimendis reſeruantur: ſic in controuerſia de finibus bonorum & malorum quæ philoſophos exercet, termini Academicæ diſciplinæ a Socrate poſiti peruestigandi ſunt: & Antiochi arrogantia illius gloriam depaſcentis regenda & coercenda eſt. lex autẽ Mamilia unicum adigi arbitrum uolebat finibus agrorum regundis, ſed cum tres tum eſſent, facetè intulit: Nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus. De hac lege Aggenus Vrbicus his uerbis: De fine enim ex Mamilia quinque aut ſex pedum latitudinem præſcribit, quoniam hanc latitudinem uel iter ad culturas accedẽs occupat uel circumactus aratri, quod uſucapi non poteſt.

QVIRITIVM IVS dicebatur, quod ciuium Ro. cauſſa propriè inſtitutum ita erat, ut peregrini omnes eius planè expertes eſſent. Id autem quantum ad dominium acquirendum attinet (de quo ſolo tit. Codicis intelligendus eſt, De nudo iure Quiritium tollendo) ab Vlpiano quidem in Inſtitutionibus tribus in rebus ponitur, Mancipatione, Vſucapione, & in iure ceſsione: a Varrone autem lib. De re ruſtic. 11. ſex. nam præter ſuperiores addit iuſtam hæreditatem, emptionem è præda ſub corona, & emptionem in bonis ſectioneve alicuius. Verba eius hæc ſunt. In emptionibus (emptionem autem omnem acquirendi modum intellige, ut ſuo loco docuimus) dominum legitimum ſex ferè res perficiunt: ſi hæreditatem iuſtam adijt (intelligit autem legitimam duntaxat. arg. l. 3. D. pro ſoc. legitima enim ad ciues ſolos, id eſt Quirites pertinent:) ſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, à quo iure ciuili potuit (mancipationem ſignificat, de qua ſuo loco diximus, & quam Quiritium eſſe propriam Cicero & Boetius in Topic. demonſtrant:) aut ſi in iure ceſsit qui potuit cedere (ſic reſtituo ubi legebatur CVI) & id ubi oportuit (id eſt, apud eum apud quem legis actio eſt. hoc ſignificari cognoſces ex formula Ceſsionis in iure:) aut ſi uſucepit (uſucapionem enim Quiritium eſſe propriam indicat Cicero ex XII. tab. in libro Offic. primo.) aut ſi è præda ſub corona emit (quo de more Gellius libro ſeptimo cap. quarto.) tumve cùm in bonis ſectioneve cuius publicè uenit. qua de re ſuis locis explicauimus. Ius ergo Quiritium hoc erat, ut ſi aliquo illius generis modo acquiſita res eſſet, nihil eſſet periculi a litibus: quemadmodum in Orator. pro Cæcina Cicero declarat, Vt perueniat ad me fundus, inquit, teſtamento alicuius fieri poteſt: ut retineam quod meum factum ſit, ſine iure ciuili non poteſt. id eſt, ſine iure Quiritium. quia hæredis inſtitutio ius Quiritium non transfert, ſed iuſta, & legitima hæreditas: ut ſuperius dictum eſt, Item, Fundus a patre relinqui poteſt. at uſucapio fundi, hoc eſt finis ſolicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, ſed a legibus. aquæ ductus, hauſtus, iter, actus, a patre: ſed rata auctoritas harum rerum omnium, a iure ciuili ſumitur. Hinc ius euictionis, de quo ſuo loco commemorauimus.

QVIRITIVM ius, inquit Iuſtinianus, id dicitur, quo Quirites utuntur. Romani enim a Romulo, Quirites a Quirino appellantur. §. tertio. De iur. nat. Ouidius libro Faſt. 11.

Proxima lux uacua eſt, at tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit,
Siue quòd haſta Quiris, priſcis eſt dicta Latinis:
Bellicus à telo, uenit in aſtra Deus.
Siue ſuo regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanus uicerat ille Cures.

QVO bonum eſt? locutio Iuriſconſultis uſurpata, pro Quam ad rem utile eſt? Caius l. aliquãdo, 13. in fin. D. ad Velleian. Quo enim bonum eſt, expectare conditionem uel diem, cùm in ea cauſſa ſit prior iſte debitor, &c. Vlp. l. 3. §. ſi quis ex liberis, D. de bon. poſſ. cont. tab. Cùm enim poſsit ſecundum tabulas habere poſſeſsionẽ, quo bonũ eſt ei cõtra tabulas dari? Idem. l. ſi poſt morte, 10. §. liberi, eod. Quo enim bonũ eſt eis fauere, ut partẽ faciant, nihil habituris? Scæuola l. ſi duo, 93. D. de ſolut. ſi duo rei ſint ſtipulandi, & alter alterum hæredem ſcripſit, uidendum an confundatur obligatio. placet non confundi: quo bonum eſt hoc dicere?

QVO magis, pro Quo minus. Imper. l. 3. C. de iudi. Nihil prohibet, quo magis apud eum quoq; diſceptatio terminetur. Item l. 1. C. Qui dare tut. Non ideo oportuit impediri. quo magis liberali cauſſa ordinata, curator tibi daretur.

QVOD legatorum Interdictũ: uide Interdictũ quod legatorum, & ſic de Quorum bonorum, &c.

QVOD iuſſu actio, &c. uide Actio.

QVOT menſibus, & Quot dieb, eodẽ modo ut Quotannis. Vlpianus in l. nec ſemel, 12. §. 2. D. quãdo dies legat. Nihil intereſt utrũ in annos ſingulos, uel quotannis, an in ſingulos menſes, uel quot menſibus, an in ſingulos dies, uel quot diebus legetur. Idem in l. 8. §. 16. D. de tranſact. Si tamen ita tranſegerit, ut in uicem eorum numum quotannis, uel quot menſibus acciperet, &c. Sic apud Catonem, Varronem, & Vitruuium perſæpe.

DE LITERA R

R LITERAM ab Appio Claudio inuentam Pomponius ſcribit in l. 2. De orig. iur. eoq; factũ, ut qui antea Valeſij Fuſij, Papiſij, Auſelij dicebantur: pòſt Valerij, Furij, Papirij, Aurelij uocitati ſint. Cuius rei teſtes ſunt Cic. lib. Epiſt. IX. Macrob. lib. III. ca. II. Varro lib. De ling. VI. Liuius III. Feſtus I.

RAPHAELES Iuriſconſulti duo celebrantur, alter Fulgoſius, Comenſis alter: quorum uterque Pataulij ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M. CCCC. XX.

RAPINA eſt uiolenta rei ademptio. differt autem à Furto. I. quòd furtum latenter & clanculum fit: Rapina impudenter & ui. II. Furtum aliud eſt manifeſtum, aliud nec manifeſtum: Rapina non niſi manifeſta. III. Furti pœna non una eſt, ſed modò quadrupli, modò dupli: Rapinæ pœna una eſt tripli. IIII. Furti actio ſolam pœnam ſine re ipſa perſequitur: Rapinæ uerò, ſimul & rem & pœnam. V. Furti actio manifeſti, prætoria eſt: nec manifeſti, ciuilis: Rapinę actio tota honoraria eſt. VI. Furti actio perpetua eſt: Rapinæ uerò, annua. §. primo, Inſtit. ui bo. rap. §. ex malefic. Inſt. De actionib.

Ῥαπίσματα Iuſtinianus appellat colaphos, quibus cædi liberi cum manumitterentur, ſolebant. l. ult. C. de emancip. & Nouella LXXXI. opinor, quòd abdicationis genus quoddam eſſe uideretur, qua Græcos ſolos uti conſueuiſſe, ſuo loco monuimus. hunc tamen cædendi morem etiam in ſeruorum manumiſsionibus ſeruari ſolitum, Iſidorus teſtatur, lib. Etymol. IX. cap. IIII. Cornutus in Perſium: Quoties, inquit, manumittebant, eos alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde Manumiſsio dicta eſt, eo quòd manus eis immitteretur. Claudianus in lib. de IIII. Conſul. Honorij.

Famulusq; iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In ciuem, rubuere genæ, tergoq; remouit
Verbera, promiſſi felix iniuria uoti.

RATAM rem haberi hoc eſt, comprobare agnoſcereq; quod actum eſt a falſo procuratore. l. quo enim, 12. D. rat. rem hab. non tantum autem uerbis habere poteſt: ſed etiam actu. l. quinta eod.

RATIARIVS, qui ratem exercet: ut Nauicularius, qui nauem. Paulus l. 30. D. de pign. act. Qui ratiario crediderat, quum ad diem pecunia non ſolueretur, ratem in flumine ſua auctoritate detinuit. &c.

RATIO eſt, ultrò citrò dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſſa negotiatio. l. 6. §. 3. D. de edendo.

RATIONES reddere & edere multum differunt. nam Rationes reddere iuſſus intelligitur & ſummam pecuniæ, quæ ex reliquis colligitur, iuſſus dare. l. qui libertatis, 69. §. ſeruus, D. de euict. l. 32. D. de condit. & demonſt. At edere iuſſus inſpiciendi tantum poteſtatem facere debet non etiam reliquum facere cogitur. l. boues, 89. D. de uerbor. ſignif.

RATIONES reddere, eſt legendas offerre rationes primùm, deinde computandas ut explorari poſſit, imputationes probè an improbè referantur: accepta rectè relata, an non rectè. ita enim incipit quidem res a facto, peruenit autem ad pecuniam: reliqua enim reddi oportet. l. cum ſeruus, 82. & ſimilib. D. de cond. & demonſt.

RATIONIBVS diſtrahendis actio: uide Actio tutelæ.

RATIONALES officiales, dicũtur a Cõſtãtino pro ijs qui quũ ĩ aliqua poteſtate curationeq; fuerint nõdũ rerũ a ſe geſtarũ rõnẽ retulerunt [illegible] a

Græcis

Græcis appellantur, id eſt reddendis rationibus obnoxij. l. 4. C. de epiſ. & cler.

RATIOCINATOR, qui tabernæ rationes tractat. l. 5. §. 7. D. de trib. act.

RAUCA, uermis radices arrodens. Plin. lib. 17. ca. 18. Olea ubi quercus effoſſa ſit, malè ponitur: quoniam uermes, qui Raucæ uocantur, in radice quercus naſcuntur & tranſeunt. Vlp. l. 13. §. t. D. locati, Si qua tamen uitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe: ueluti ſi uinum coacuerit, ſi raucis aut herbis ſegetes corruptæ ſint.

RECEPTI in libris noſtris appellantur, Arbitri: ex eo quòd a Prætore ad arbitrandum delecti, recepti atque admiſsi ſunt, ſiue quia ex recepto, id eſt ex compromiſſo cauſſas dirimendas recipiunt. l. 1. & paſſ. D. de recept. & l. 12. C. de iudic.

RECEPTI in reos, uide Reum facere. Venul. l. 12. §. 1. D. de accuſat. Hoc beneficio etiam in reos recepti uti poſſunt. item in fine, Cornelia iniuriarũ ſeruum non debere recipi reum, Cornelius Sulla auctor fuit.

RECEPTITIA actio, uide Actio receptitia.

RECEPTITIA dos eſt, quam is qui dedit ſoluto matrimonio ſibi reddi ſtipulatus eſt: ait Vlp. cap. Inſt. vi. & l. mortis cauſſa, 31. §. 2. D. de mort. cauſſ. donat.

RECIPERE, excipere, ſibi reſeruare. Iauol. l. 5. D. cõmun. præd. Seruitutem recipere niſi ſibi, nemo poteſt. adiectio itaq; uicini pro ſuperuacuo habẽda eſt: ita ut tota ſeruitus ad eũ qui receperit, pertineat. Alfen. l. 205. Qui fundum uendidit, pomũ recepit, nuces & ficos & uuas duntaxat duricinas receptas uideri. Labeo l. 30. §. 3. D. de legat. & fid. lib. 32. Si fundũ mihi uendere certo precio damnatus es, nullũ fructũ eius rei ea uenditione excipere tibi liberũ erit. Plaut. in Trinummo, Poſticulũ hoc recepit: quum ędes uenderet. Cic. de Orat. 2. Sed dicis te, quũ ædes uenderes, ne in rutis quidẽ & cæſis ſoliũ tibi paternũ recepiſſe. Eodẽ modo Gell. lib. 17. cap. 6. hunc Catonis locũ interpretatur: Principiò nobis mulier magnã dotẽ attulit. tũ magnã recipit, quã in uiri poteſtate nõ cõmittit: Eam pecuniã uiro dat mutuã poſtea ubi ira facta eſt, ſeruũ receptitiũ ſectari atq; flagitare uirum iubet. Recipit, inquit Gell. id eſt, retinet. Itẽ. Quando mulier dotẽ marito dabat, tũ quæ ex ſuis bonis retinebat, neq; ad id uirũ trãſmittebat, ea recipere dicebatur. Hinc ſeruus Receptitius, id eſt, proprius ſeruus ſuus, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, ſed retinuerat.

RECEPTITIUM ſeruũ Nonius inde dici tradit, quẽ in dãda dote, aut donatione quis exceperit, q̃d eſt receperit, Cato; Mulier & magnã dotẽ dat, & magnam pecuniã retinet. ex ea igitur re familiari, ex qua ſibi dote data retinuit pecuniã, uiro fortè irata repetere inſtituit. apponit ei flagitatorẽ receptitium. hoc eſt proprium ſeruũ, quem reliqua pecunia receperat, nec dederat doti & exceperat.

RECIPERE in edicto De ſer. corrup. propriè eſt, refugium abſcondendi cauſa ſeruo præſtare, uel in ſuo agro, uel in alieno loco ædificatioue. l. 1. §. 1. D. de ſer. corrupt.

RECISUM, conciſum, breue. Calliſtratus l. 2. D. de term. mot. Et poſſunt in tẽpus ut cuiusq; patiatur ætas, relegari. id eſt ſi iuuenior, in lõgius: ſi ſenior, reciſius.

RECTE atq; ordine, id eſt rectè ac ſapiẽter. quippe ex ſapiẽtia, cõſideratio: ordo autẽ ex cõſideratione naſcitur. In edicto Vell. l. 2. D. ad S. C. Vell. Arbitrari Senatũ, rectè atq; ordine facturos ad quos de ea re in iure aditũ erit? Cic. in Anton. 3. Rectè atq; ordine, eq; Rep. feciſſe & facere. Vlpia. l. diui, 27. §. 1. D. de liber. cauſſ. Rectè atq; ordine iudices puto facturos, ſi hanc formã fuerint cõſecuti.

RECTE, in ſtipulationibus tantundẽ ualet, ut Arbitratu boni uiri: ĩquit Vlp. l. hæc uerba, 73. De uer. ſig. Hinc Rectè defendere, arbitratu boni uiri defenderet: apud eundẽ in l. iã tamẽ, 5. §. 3. D. Iudic. ſol. Hinc illa formula apud Paulũ in l. lecta, 40. D. ſi cer. petat. Et hæc quindecim proba rectè dari kalendis futuris ſtipulatus eſt Mæuius. Cato de re ruſt. cap. C. XLIIII. Oleam cogi rectè, ſatiſdato arbitratu L. Manlij. Idẽ cap. 146. Rectè hæc dari, fieriq́;, ſatisq́; dari domino, promittito. Varro li. De re ruſt. 2. cap. 4. Illaſce ſues ſanas eſſe, habereq́; rectè licere, ſpõdes ne? Scæuola l. qui Romę, §. 15. D. de uerb. obli. Eaq́; ſic rectè dari fieri promiſit Callimachus. Vlp. l. aliud eſt, 71. De uerb. ſig. His rebus rectè præſtari.

RECTO iure apud Imp. §. 1. De fideic. hære. ſic interpretor. Rectè atq; ordine, è legibus, iure, ut leges permittũt. In primis igĩ ſciendũ eſt, inquit, opus eſſe ut aliquis recto iure teſtamẽto hæres inſtituatur: id eſt quem ius legesq́; permittant inſtitui.

RECUPERATORES primùm dicti ſunt, qui inter populũ R. & ciuitates peregrinas de reb. priuatis reddẽdis recipiẽdisq́; cognoſcebãt. Ea enim, ut ex Feſto conſtat, Recuperatio dicebatur. Hinc

RECUPERATORES, iudices qui a Prætore in priuatis controuerſijs quacunq; de re ageretur, dabantur: quos a recuperando dictos apparet, quòd per eos ſuum quiſq; ius recuperare poſſet.

RECUSARE & Repudiare hæreditatem differunt. Recuſare non modò hæres poteſt, uerumetiam fideicommiſſarius. l. cogi, 16. §. 3. & §. ſi ſeruo, D. ad Trebell. Repudiare autẽ ſolus hæres põt: quippe cum alij nulli hæreditas deferatur. rurſus, Repudiatio in iure tantum fieri poteſt. l. 3. & 4. C. de repud. hęre. Recuſatio uerò quouis loco & modo rectè fit. Itaq; recuſare, inquit Vlpia. non tantùm præſentes, ſed ẽt abſentes, uel per epiſtolam poſſunt. l. recuſare, 6. D. ad Trebell. & l. recuſari, 95. De acq. hære. Recuſari hæreditas non tantum uerbis, ſed etiam re poteſt: & alio quouis indicio uoluntatis.

RECUSATIO, exceptio. Cicero De inuent. lib. 1.

Iudiciale eſt,quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationẽ & defenſionẽ,aut petitionẽ & recuſationem.Hinc illud Celſi in l.48.D.mãdat.Si quis ſub uſuris creditã pecuniã fideiuſiſſet,& reus in iudicio cõuentus cùm recuſare uellet ſub uſuris creditam eſſe pecuniam , fideiuſſor ſoluendo uſuras poteſtatem recuſandi eas res ſuſtuliſſet, eam pecuniam a reo non petiturum.

Redatvs,tus,tui:pecunia ex frugib.ueuditis redacta.Scæuol l.58.§.1.D.de uſuf. Sempronio do lego ex redactu fructuum holeris & porrinæ , partem ſextam.

Redere, rẽ pro re dare. Seneca li.de Benef.vi.Cũ dicimus , Beneficiũ illi reddidi,non hoc dicimus, illud nos quod aceeperamus reddidiſſe : ſed aliud pro illo reddere.Eſt enim rẽ pro re dare. Quidni? cum omnis ſolutio non idem reddat,ſed tãtundẽ. nã & pecuniam dicimur reddidiſſe , quamuis numerauimus pro argento aureos,quamuis non interuenerint numi, ſed delegatione & uerbis perfecta ſolutio ſit.Item lib.vii.Reddere , eſt id quod debeas uolenti dare.

Redendi uerbum,ait Celſus, quanquam ſignificatum habet retrò dandi, recipit tamẽ & per ſe dãdi ſignificationẽ.l.94.D.de uer.ſig.l.21.De legat.2.

Reddi rationes,uide Rationes reddere.

Redditviri,uetuſtè pro Redditum iri. Proculus l.48.in fi.Sed qui petent cauere debebunt,ſi hæreditas euicta fuerit, quod legatorum nomine datũ ſit,reddituiri.Iulianus l.27.D.ad S.C.Trebell.Et cauit,quod amplius per legem Falcidiam liceret, cepiſſet,reddituiri.

Redemptor dicitur , qui certo precio opus aliquod faciendum ſuo periculo conduxit: & qui locat,uetuſtè Venditor opus uerò ipſum , Redemptoris bona:ut in Verri.iii.docuimus.

Redemptor eſt, qui opus certo precio faciẽdum ſuo periculo conduxit.Vlpia.l.39.D.de rei uind. Redemptores qui ſuis cementis ædificant, ſtatim cementa faciunt eorum in quorum ſolo ædificãt.

Redemptor litis dicitur,qui certa mercede pacta litis periculũ in ſe recepit,eiusq́; periculũ pręſtat. Vlp.l.6.§.6.D.mandat. Videbatur autem mihi iudicatum ſolui fideiuſsiſſe,& quaſi redemptor litis extitiſſet, uellet a Daphnide mandata iudicio conſequi quod erat condemnatus. Prius autem dixerat,Ex euentu litis cauerat ſibi certam quantitatẽ dari. Item l.ſequenti,An euentum litium maioris pecuniæ præmio redemerit.Quintil. lib.12.ca.7. in fi. de patronis eorumq́; honorario diſputans, Paciſcendi quidem ille piraticus mos , & imponentium periculis precia,procul abominanda negociatio , etiam a mediocriter improbis aberit. Impp.l.15.C.de procur. Litem te redimiſſe contra bonos mores precibus manifeſtè profeſſus es. Sic l. 22. C.mandat. l. 9. §. primo. D. de offic. proconſ.

Redemptor põtis dicitur,qui pontem ſartum tectum pecunia quæ pro mercium exportatione ſoluatur,tuendum conduxit. Labeo l.60.§.8.D. locat. Vehiculum conduxiſti ; id quum pontem tranſiret,redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat.

Redemptores propriè atque antiqua conſuetudine dicebantur, qui quum ad faciendum aut præbendum quid conduxerant , tum demum pecunias accipiebant , nam antiquitùs Emere pro accipere ponebant . At ij nunc dicuntur Redemptores,qui quid conduxere præbendum,utendumq́;. Feſtus.

Redemptvra,redemptio , cõductio publicorum. Vlpian.l.5.D.de inſtit.act.Si quis pecunijs fœnerandis,agris colendis, mercaturis, redempturisq́; faciendis præpoſuerit , &c. Liuius lib.3.bell.Punic.Exhortandos qui redempturis auxiſſent patrimonia,ut Reip.ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent.

Redhibere , eſt facere ut rurſus habeat uenditor quod habuerit:& quia reddendo id fiebat , idcirco Redhibitio eſt appellata , quaſi redditio.l.21. D.de edil.edict.uide l.facta,60.Vel ſic:

Redhibitio uenditionis reſolutio eſt : ait Vlp.l. 13.§.1.D.de acq.poſſ,Vel ſic:

Redhibere , dicitur uenditor qui rem uenditam ſibi ab emptore redditam recipit.Plautus Mercatore, C. Quid ſi igitur reddatur illi unde empta eſt? D. minimè gentium.C.Dixit ſe redhibere , ſi non placeat.nam(ut ait Feſtus)

Redhibetvr tum propriè dicitur , quod redditum eſt,improbatumq́;:& qui dedit , idemq; rurſus coactus eſt habere id quod antè habuit. Hinc

Redhibitoria actio,uide Actio redhibitoria.

Redimere,pro corrumpere:ut redimere delatorẽ, pecunia eum a delatione deducere.Vlp.l.29.D.de iur.fiſci , Sed enim hæc pœna magis eſt ut aduerſus ipſum locum habeat, qui delatorem redemit. Item , Nec enim exinde perit cauſſa , ex quo redempta eſt.

Redimere ſententiam , Redimere iudices . Macer.l.34.eod. Tu qui defenſione omiſſa redimere ſententiam maluiſti.Item, Ad defenſiones cauſæ bona fide ueniant:non aduerſarios aut iudices redimere tentent.

Reditvs pecuniæ,id eſt, uſura : inquit Scæuola l. 30.D.de adim.uel transf.l.87.§.ul.ad leg.Falcid. l.6.De præſcript.uerb.

Refectvs,reditus,prouentus. Scæuola l.78.§.10. D. ad.S.C.Treb. interim ex refectu paupertatis, qui ad uos peruenerit, alatis eum uſuris pro quantitate numorum redactis : id eſt, ex reditu partis tertiæ hæreditatis.nam paupertatem appellat exiguæ hæreditatis partem tertiam . Verbum fructibus agrorum & prouentibus accommodatum. Cice. in Paradox. Nunquam eris diues , antequam tibi ex tuis poſſeſsionibus tantum reficiatur,ut ex eo tueri ſex legiones poſsis.

Referre

REFERRE iuſiurandum, eſt delatũ ſibi ad aduerſario iuſiurandũ in eũ transferre. Paulus l. 38. D. de iureiur. Manifeſtæ, inquit, turpitudinis & confeſsionis eſt, nolle nec iurare, nec iuſiurandum referre. Et ſæpe in l. iuſiurandum. 34. cod.

REFERRE rem iudicatam, retractare. Ci. pro Dom. ſ. Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtũ iudicaſſent, tamen quotieſcunque uellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatã referre poſſe uoluerunt. Sic Referre myſteria dixit lib. De Orato. 3. pro Iterare: & Terent. in prol. Hecyr. Referre comœdiam, pro denuo agere.

REFERRE in reos, uide Reum facere. Vlp. l. 15. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult. Legis Iuliæ de adulterijs c. 7. ita cauetur, ne quis inter reos referat eum, qui tum ſine detractione Reip. cauſſa aberit: neque enim æquum uiſum eſt abſentem Reip. cauſſa inter reos referri, dum Reip. operatur.

REFICERE, ait Vlp. eſt quod corruptum eſt, in priſtinum ſtatum reſtaurare. l. 1. §. 2. D. de riuis. l. 1. D. de uia publ.

REGI fines dicuntur, inquit Boetius, cum proprijs ager quiſq; finibus terminatur. Hinc Finium regundorum, uel Finibus regundis iudicium, quod inter confines redditur, ut fines agrorum uicinorum dirigantur. l. 1. & paſſ. D. fin. regund. Cice. in Topic. Si in urbe de finibus controuerſia eſt, quia fines agrorum magis eſſe uidentur, quàm urbis, finibus regundis arbitrum adigere non poſsis.

REGVLA eſt, inquit Paulus, quæ rem quæ eſt breuiter enarrat: non ut ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. per regulã igitur breuis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ coniectio eſt, quæ ſimul cum in aliquo uitiata eſt, perdit officiũ ſuũ. l. 1. D. de regul. Iur. Vel ſic:

REGVLA eſt ſententia quædã generalis, quæ ex pluriũ legum mente a Iuriſconſultis notata atq; animaduerſa, paucis uerbis ſummã earũ conſenſionẽ & tanquã harmoniã cõplectiť. Differt autẽ Lex à Regula: quòd illa dicitur, quam populus certo & cognito omnibus iure conſtituit: Regula uerò, quã Iuriſconſulti ex pluribus legũ capitibus notatis inter ſeq; cõparatis elicuerunt: ut non omnino incõmodè dicere poſsimus, leges eſſe tanquã uoces, & ſonos ſingulos: Regulã uerò eſſe tanquam harmoniam & concentum. Vide plura li. Obſeruat. 11. ca. 1111.

REGVLA, capſa iuncea uel ſcortea, in qua incluſæ oleæ torcularis prælo ſubijciuntur: apud Vlp. l. 19. §. 1. D. locati: & Columell. lib. 12. ca. 52.

REIECTIO iudicum quid ſit, Aſconius ſic exponit: Moris erat celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio Prætoris, & in atca reponi nomina ſelectorum iudicum. Reiectio autem idcirco dicitur, quia quum multi iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent, qui Quæſitor fuiſſet in cauſſa publica. uerbi gratia repetundarum, ambitus, maieſtatis, neceſſe fuerat eos primùm de decuria ſenatoria conſcribi, quum ſenatus iudicaret: deinde in urnam ſortitò mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet: tertiò, id eſt poſt urnam, permitti accuſatori ac reo, ut ex illo numero reijciant, quos putauerint ſibi aut iniquos, aut ex aliqua re incõmodos fore. Reiectione celebrata. in eorum locum qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur: prima enim Sortitio dicebatur. his perfectis iurabant in leges iudices, ut obſtricti religione iudicarent.

RELEGARE dotem maritus dicitur, qui quam accepit, reddi ac reſtitui iubet: quo caſu recepiſſe magis quàm accepiſſe dotem mulier dicetur: ut ait Vlp. l. 2. in fi. D. de dot. præleg. quoniam reddi potius quàm dari dos uidetur, ait Papianus l. cum pater, ſeptuageſimaſeptima. §. fidei, duodecima De legat. 2.

RELEGATI, deportati, & exules quid inter ſe differant, & qui item Interdicti dicantur: uide Exilium.

RELIGIOSA, de quibus ſub Rubrica D. de religioſ. & ſumptibus fun. quæ fuerint, ſic licebit intelligere.

RELIGIOSVS locus non conſecratione & uerbis ſolennibus, ſed illatione mortuorum efficiebatur. l. 6. D. de rer. diuiſ. & l. 2. §. 2. D. de relig. ubi Celſus ait, non totum locum qui ſepulturæ deſtinatus eſt, religioſum fieri, ſed quatenus corpus humatũ eſt. Patet aũt ex Ciceronis 11. De legib. ea loca in quę mortuus illatus fuerat, neq; arari, neq; coli ius fuiſſe. unde Religio a relinquendo dicta putatur a Ser. Sulpitio, & Maſ. Sabino nam in arando locus ille ſepulturæ relinquebatur. Itaque ſi Pontifices purum eſſe locum aliquem decernebant, exarari iubebant. Cic. 11. De legibus, Sed cum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt. ſtatuit enim collegium, locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari. Sic Aelius Gallus apud Feſtum ait, Religioſum ſepulcrum dici, ubi mortuus ſepultus, aut humatus ſit.

RELIQVA, dicuntur pecuniæ quæ initis ſubductiſq; accepti & expenſi rationibus nobis ſuperſunt. Hinc Reliquari, & Reliquator, & Reliqua trahere dicit is, apud quẽ ea pecunia ſupereſt. Scęuola l. 24. D. ad munici. Humanum eſt reliquorũ uſuras neque ab ipſo qui ex adminiſtratione honoris reliquatus eſt, exigi. Paulus. l. 46. D. de adminiſt. tut. Debitum quod ex conductione reliquatus eſt, agnouiſſe eum uideri. & §. ſequenti, Ex quibus quidam quum reliqua traherent, idonei in ipſo tempore adminiſtrationis eſſe cœperunt. Scæuola l. 102. §. ſecundo. D. de ſolut. Quæ an hæc ſumma in proximum annum accepto ei ferri debeat, quum ſuperioris anni ſit reliquator. Hine

RELIQVATIO, reliquorum debitio. Paulus l. 44. D. de admin. tut. Si pupillus poſt pubertatem

rationib. a tutore acceptis reliquationem eius ſecutus uſuras acceptauerit,&c.

Reliqui,uide Ceterorum.

Remancipatam Gallus Aelius eſſe ait, quæ mancipata ſit ab eo cui in manum conuenerit. Feſtus.

Remansor, pro Emanſor. Arrius.l.4.§.13.D.de re milit. Edicta faciebant, qui diu abfuiſſet, ut is inter remanſores haberetur. Et l.5.§.6.Si remanſor,aut negligẽs ſuorum,aut ſegnis,aut extra con tubernium agens,non credetur ei.

Remissio ſub Rubri.D. de Remisſionib.eſt liberatio a nunciatione noui operis facta. Nunciatio enim eatenus duntaxat ualet, quatenus nunciandi ius fuit. Prætor enim ubi nunciandi ius nullum fuit,ibi eam ipſo iure remittit.unde illa edicti uerba in l.1.D.illo tit.Quod ius ſit illi prohibere, ne ſe inuito fiat,in eo nunciatio teneat: ceterum nunciationem miſſam facio. Sic l.1.& paſ.D.de oper. nou.nunciat.

Remissio quibuſdã in locis dicitur mercedis pen ſionisve detractio,ſiue demptio de mercede.l.16. & 17.D.locat.Tranquill.Iulio:publicanos remiſſionem petentes tertia mercedum parte releuarit.

Remittit iuſiurandum qui deferente ſe, quum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit, contentus uoluntate ſuſcepti iuriſiurandi.l.6. D. de iureiur.

Renunciare conductionem, eſt irritam nunciare,inquit Aſconius.& alibi:

Renunciatio, inquit, dicitur recuſatio eius rei, quæ in pactum & promisſionem uenerat. Hinc

Renunciatio ſponſaliorum & nuptiarum cùm ſponſalia,nuptiæve dirimuntur.l.2.D.de diuort. l.1.C. de ſponſal.l.quæſitum, 17.§.ult.D.de reb. auct.iudic.

Reparatio appellationis dicitur,cum poſt legitimi temporis lapſum ius peragendæ appellationis reſtituitur.ſub rubric.C de reparat.appellat.

Reparare eſt interdum ex uenditarum rerũ precio alias parare.l.122.§.Callimachus,D.de uerb. obli l.16.D.de in rem uerſ.

Repetundarum iudicium inde dictum eſt,quòd eo iudicio ſocij pecunias ſibi contra leges ereptas repetebant,quas ex condemnatorum litibus æſtimatis domum reportarent. Cic.Verr.7.Itaq; res ſuas negligunt:pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur,non repetunt.& paulo pòſt, Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam,domum,ſed ex tua calamitate cineri atque oſsibus filij ſui ſolatium uult aliquod reportare.Atq; hoc quidem ante annos,opinor, nouem ita ſcripſimus in Verrinarum commentarijs: poſtea uerò extitere Itali quidã boni uiri qui totidem literis ſuos in libros tranſtulerunt.Intelligendum eſt autem hoc iudicium olim in eos ſolos magiſtratus qui in prouincias mitterentur,inſtitutum fuiſſe: quemadmodũ Cicero in Diuinatione demonſtrat.pòſt uerò generaliter eo teneri cœperunt, quicunque in magiſtratu,poteſtate,curatione,legatione,uel quo alio officio munere,miniſterio ve publico, pecuniam ob iudicandum accepiſſent:quive magiſtratus urbani a ſorde ſe non abſtinuiſſent.l.1.& paſſ.D. ad leg.Iul.repetund.

Repetitio in legatis appellatur per hãc ſcripturã: Hoc amplius ei hæres dato.l.legata, 19.D. de legat.1.item,Quae a filio meo legaui, hæres meus dato.l.ſi quis,32.D.eod.item,Quoties cunque fructuarius capite minutus erit, uel Quoties uſusfr.amiſſus erit,ei lego.l.3.D.quib.mod.uſusfr.

Repeti rei dicuntur. cùm poſt abolitionem factã rurſus eiuſdem criminis poſt ulantur. l.ſi interueniente,12.& l.penul.D.ad Turpill.

Repetita die,id eſt, die quæ præterierat falsò re uocata: Vlpian.l.9.§.5.D.ad exhib. Abſolui cum oportet, niſi paratus ſit repetita die intentionem ſuſcipere.Paulus l.3.D.de fid. inſt. Repetita quidem die, cautionem interponi non debuiſſe: ſed falſi crimen contractum nõ uideri.id eſt,Die quæ iam præterierat falſo pro præſenti nominata. Vulgus dicit,Antidata.Vlp.l.5.§.7.D.de op. no.nũc. Et ſi nunciauit poſtea, & quod retrò ædificatum erit,deſtruendum erit,quaſi repetitio die nunciatione facta.

Repertorium (quod uulgò inuentarium appellant,ait Vlpianus in l.7.D.de adm. tut.& cur.)eſt codex in quem tutores ſingula ſuorum pupillorum bona referre ſolent.

Repignorare, eſt pignus luere, id eſt pecuniam ob quam oppoſitum erat pignus diſſoluere. Vlp. l.5.§.9. D.commod. Rem tibi dedi ut creditori tuo pignori dares:dediſti,non repignoras ut mihi reddas.item,Si s me culpa abſit repignorandi,creditor autem nolit reddere pignus, &c.

Replicatio uocatur ex eo, quòd per eam replicatur atque reſoluitur ius exceptionis: ait Imp. tit. De replicat.in princip. Ἀντιδιαστολή a Græcis nominatur.Eiusq; formula erat aut si.quemadmodum intelligitur ex l.48. D. de procur. Iulianus l.7.§.1.De curat. furioſ. Si hæredes dementis eaſdem res uindicẽt quas curator alienauit, & exceptio opponetur, si non curator uendiderit: replicatio dari debet, aut si ſatiſdatione interpoſita ſecundum decretum uendiderit. Iulian.l. 24.D.de except.rei iudi. Aduerſus exceptionem, Si non eius ſit res, replicatione hac adiuuabitur, Aut ſi res iudicata non ſit. Caius l.48.D.de procur. Tunc excipiente eo cum quo agitur,ſi nõ mihi mandatum ſit, ut a debitoribus peterem:actorem ita debere replicare, Aut ſi mihi mandatum eſt,ut a te peterem.

Replicatio dicta uidetur, uel quòd implicatam & quaſi tectam exceptionis iniquitatem replicet ac patefaciat:uel potius quòd æquitatem actionis ab excipiente reo tectam & quaſi complicatam explicet atque aperiat.

Replicationes,ait Vipian. nihil aliud ſunt quàm exceptiones,& a parte actoris ueniunt : quæ quidem ideo neceſſariæ ſunt , ut exceptiones excludant . ſemper enim Replicatio iccirco obijcitur, ut exceptionem oppugnet.l.2.§.2.D. de except.

Repraesentare,eſt ante diem ſoluere. Vlpian.in l.8.§.3.D.de tranſact . loquẽs de ijs qui de pecunia alimentorum nomine legata tranſigunt,Eam, inquit,tranſactionem Oratio improbat , quæ idcirco fit , ut quis repræſentatam pecuniam conſumat:id eſt,antequam debeatur ſolutam. Cicer. ad Att. lib. XII . Reliquæ pecuniæ uel uſuram Silio pendemus, dum a Faberio uel aliquo qui Faberio debet,repræſentabimus.Idem Philipp.2.Ego corpus libẽter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas ciuitatis poſſet : id eſt accelerari.Seneca libro epiſt.15.ep.1.Petis a me , ut id quod in diem ſuum dixeram debere differri,repręſentem,& ſcribam tibi,an hæc pars philoſophiæ, &c.Hoc quoque ex Marcelli uerbis apertè intelligitut in l.36. §.1.D.de cond.& demonſt. ubi iuſſerat teſtatrix, ut prædia , ſi filius ſedecim annos non impleret, alteri redderentur.Quæro,inquit,quum Seia deceſſerit , deinde filius quintumdecimnm annum agens,defunctus ſit,an repræſentetur fideicomiſſum quintodecimo anno impleto : id eſt ante tẽpus quo decimumſextum implere potuiſſet, præſtandum ſit.Item, Contra uolnntatem teſtatoris repræſentationem fideicom . deſiderari. Sic l.24. §.quoties,D.ſolu.mat.l.1.l.2.D.de dot.præleg.

Repraesentare , pro locum alterius ac numerũ obtinere,uel tantundem ualere. Vlp.l.1.§.1.D.Si is qui teſt . Culpa dolo proxima dolum repræſentat.

Repromittere,eſt ei qui nobis ſtipulátibus antea promiſit,nunc iam uiciſsim a nobis ſtipuláti promittere.Cicero pro Comœdo,Repromittis tu abhinc triennium Roſcio . Quod a Flauio abſtulero,partem dimidiam inde Roſcio me ſoluturum ſpondeo. Item , Repromiſiſſe Fannium Roſcio,ſi quid a Flauio exegiſſet,eius partem dimidiam,ſed omnino exegiſſe nihil . quid(tu non exitum exactionis , ſed initium repromiſsionis ſpectare debes . Roſcius Fannio ſtipulanti pecuniam certam ſpopondit,pro opera & labore quem in communi iudicio perſequendo ſumpſerat : ſed uiciſsim Roſcius ſtipulatus ab eo eſt dimidiam eius quod exigeret partem : Promiſſor igitur fuit Roſcius priore loco:repromiſſor Fannius,poſteriore:ſicuti ſtipulator priore loco Fannius, reſtipulator poſteriore Roſcius.

Repromittere porrò & ſatiſdare opponuntur. nam ſatiſdatur adhibito fideiuſſore : repromittitur nuda cautione ac ſiné fideiuſſore . uti patet ex l.1.§.1.D.de ſtip. Prætor . Sed hi quidem qui ſuo nomine cauent,repromittunt:qui alieno,ſatiſdãt. Sic l.ult.§.ſi legat.D.qđ legat.l.6.ut legat.nom. l.23.D.de uſuf.legat.

Repudium,uide Dinortinm.

Repudiare hæreditatem,uide Recuſare.

Repudium generale nomen eſt, & tam de coniugibus, quàm de ſponſis dicitur . Diuortium autem de maritis tantum.uide l.2.D.de diuort.& l.191. D.de uerb.ſigni.

Repudiare,alieni hæredis eſt:Abſtinere, neceſſarij.§.6. De hæred.qualit.& diff.

Reputationes ſub Rubri. C.de reputationibus, dicuntnr compenſationes quæ contra minores in integrum reſtitutos fiunt.ut enim illis contra uenditionem reſtitutis fundus cũ fructibus reſtituuntur , ſic illi precium cum uſuris reddunt. l. patri, 27.§.prædium,l.minor,40.§.1.l.tutor , 47.§.ult. D.de minorib.

Res,quantum ego exiſtimare poſſum, quatuor in libris noſtris ſignificat : primum id quod planè ac latinè Rem dicimus , quæ appellatio infinita eſt , deinde bona omnia , tertiò litem , poſtremò utilitatem.

Res propria ſignificatione dicitur ueluti cum Re contrahi obligationes dicimus, quæ neque nudo conſenſu,neque uerbis,neque literis , ſed tantum rei traditione contrahuntur.l.1.D.de obli.& act. Hinc In rem ſcriptæ actiones,& pacta in rem:denique qnoties indefinitè ſine certæ perſonæ uotatione aliquid fit . qno de genere dicendi ſcripſimus ſub litera I.Sub eodem genere ſunt, Rub.de rebus credit . Rerum amot . De rerum diuiſion.&c.

Res pro ijs omnibus quæ bona nominantur. unde In rem actiones dictæ , quibus ea omnia quæ bonorum appellatione continentur, petimus. Item

Rem pupilli ſaluam fore ſatiſdatio eſt,cum tutores cauent , bona pupilli finita tutela ſalua & integra redditum iri.l.1.& paſſ.D. rem pnpill.ſal. Item

Rei uxoriæ actio,id eſt actio dotis ſoluto matrimonio repetendæ.l.un.C.de rei ux.act.

Rei ſeruandæ cauſſa in poſſeſsionem mitti. l. 1. & paſſ.quib.ex cauſ.in poſſ.

Res pro hæreditate.ut cum dicimus bonorum poſſeſsionem aliam eſſe cum re,ſi is qui accepit , cum effectu bona retineat:ſine re,cum alius iure ciuili euincere hæreditatem poteſt : ueluti ſi ſuus hæres inteſtato ſit.ut ait Vlp.cap.Inſt.28.& ſic accipiẽda l.1.§.pen. D.ſi tab. teſt.null.l.poſthumus , 12. D.de iniuſt.teſt.

Res,pro lite.ut cum dicimus Res comperendinata: id eſt,inquit Feſtus,iudicium in tertium diem cõſtitutum . unde illnd Ciceronis contra Iuriſconſ. in orat.Muræniana : Tot homines,tam ingenioſos ſtatuere non potuiſſe, utrum rem an litem dici oporteat.Et in formulis,ut Varro in VI.De lingua ſcribit: QVAM rem ſiue litem dicere oportet. Hinc illud Vlpiani in l. 8. §.1. D. de inoff.teſt.Si quis poſt rem inofficioſi ordinatam litem de reliquerit,poſtea non audietur. Hinc

Res iudicata dicitur , quæ finem controuerſiarum pronun-

pero,& uocatur Ridica.

RIPA ita rectè definietur, inquit Vlp. id quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens l.1. De flumin. item in l.3. Ripa ea putatur, quæ pleniſsimum flumen continet.l.3.eod.

RIPA, fluminis dicitur: Litus uerò, maris. Itaq; inſulæ in flumine natæ extremitas, ripa: in mari, litus à Proculo appellatur. Si qua, inquit, in flumine tua eſt, nihil in ea publici eſt. Paulus, In eo genere inſularum, ripæ, flumini: & litora, mari, proxima publica ſunt. Hæc Paulus l.65.§.1.D. de acq. rer. do.

RISCVS in mundo muliebri ponitur ab Vlpiano in l.25.§.4.D.de aur.arg. Pollux ῥίσκον inter arculas memorat. unde ſuſpicor eam ſignificari capſulam in qua linteola munda mulieres reponunt, quibus lotam corporis partem abſtergunt. Riſcus enim cum lauatione coniungitur.

RIVALES Vlp. in l.1.§.20.D.de aqu. quot. & æſti. interpretatur, qui per eundem riuum aquã ducũt.

RIVVS, inquit Vlp. eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat, cui nomen eſt ἀπὸ τοῦ ῥεῖν l.1.D.de riuis.

RIXA, uide Turba.

ROFFEREDVS iuriſconſult. Beneuentanus, ius ciuile publicè Bononiæ, dein Aretij profeſſus eſt circiter annum M.CC.

ROSAM Pompo. in l.21.§.1.D.de aur.& arg. numerat inter ea unguenta, quæ ualetudinis cauſſa ſunt parata. Ergo Roſam pro oleo roſaceo poſuit: uti Celſus li.8.cap.4. Quòd ſi membrana per inflammationẽ intumuerit, infundenda erit roſa tepida.

RVBRICA terra rubra, qua ueteres interdum, interdum etiam minio, librorum indices, id eſt titulos, & capita notabant. unde Paulus in l.2.§. recup. D.de interd. Recuperandæ, inquit, poſſeſsionis cauſſa interdicta proponuntur ſub rubrica Vnde ui. Hinc illud Iuuenal. Sat. XIIII. Perlege rubras Maiorum leges. Hinc Perſij Sat.v. Si quid Maſuri rubrica notauit. Hinc Fab. lib.12.cap.3. Alij ſe ad album & rubricas tranſtulerunt: & formularij uel leguleij eſſe maluerunt. Ouid. lib.1.de Triſtib.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

RVDVS ruderis, lapides rudes, ut in dirutis ædificijs. Vlpianus l.3. De ſeruit. ruſt. Poſſe te cedere ius ei eſſe terram, rudus, ſaxa iacere, poſita habere.

RVDVSCVLVM non modò pro ære infecto uulgus uſurpat, ſed etiam pro ſignato: ut quum dicitur in mancipando, Ruduſculo libram ferito: id eſt aſſe tangito libram. Feſt.

RVMPI teſtamentum dicitur. cùm permanente ſuo in ſtatu teſtatore caſu aliquo euertitur. l.3.§.2. D. de iniuſt. rupt. ueluti agnatione poſthumi, adoptione uel arrogatione filij filiæve, alterius teſtamenti factione, dummodo hæres ex eo eſſe potuerit. uide Irritum fieri.

RVMPITVR teſtamentum, cùm in eodem ſtatu manente teſtatore, ipſius teſtamenti ius uitiatur: ait Imp. tit. quibus mod. teſt. in princ.

RVPISSE uerbum in Aquilia lege ferè omnes ueteres ſic intellexerunt, pro corrupiſſe. l.27.§.9.D. ad l. Aquil.

RVPITIAS in XII. ſignificat Damnum dederis: ait Feſtus.

RVPTVM intelligitur quod quoquo modo corruptum eſt: ait Imp.§.8. ad l. Aquil.

RVRA ueteres incultos agros dicebant, id eſt ſyluas & paſcua. Ex lib. uarior. auctor de limitibus.

RVTA cæſa quæ in prædiorum legibus excipiebantur, Vlp. ſic interpretatur in l. fundi, 17.§.3.D.de act. empt. ut Ruta ſint, quæ eruta ſunt: ut arena, creta & ſimilia: Cæſa uerò, ut arbores cæſæ, carbones, & his ſimilia. Quintus uerò Mutius: Ruta cæſa, inquit, ea ſunt, quæ neque ædium, neque fundi ſunt. l. in uendendo, 66. in fi. D.de cont. empt. Et in l.241.D.de uerb. ſign. In rutis cæſis, inquit, ea ſunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere ſtructili tectoriove non continentur. Itaque Iauolenus in l. granaria, 18. D.de act. empt. ſcribit granaria quæ ex tabulis fieri ſolent, & ſupra terram ſunt, ſic ut ſtipites eorum in terra defoſsi non ſint, itemq; tegulas quæ nondum ædificijs impoſitæ ſunt, in rutis & cæſis haberi. Cicer. II. de Orato. Te, cum ædes uenderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. ubi Solium, Iuriſconſulti ſellam ſignificat. Idem in Partit. Cum ex teſtamẽtis quæritur quid ſit penus, aut cum ex lege prædij quæritur, quæ ſint ruta cæſa. Idem in Topic. Feciq; quod ſæpe liberales uenditores ſolent: ut cùm ædes fundumve uendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa aptè & loco poſitum eſſe uideatur.

DE LITERA S.

S. F. S. Sine fraude ſua. ut in lege Iulia de adulterijs, Retinere adulterum horas uiginti: ſine fraude ſua iure liceat. ut ait Vlpia. in l. capite, 25. D.de adult. Valerius Probus inter notas refert.

SACCARIVS, operarius, qui ſaccis geſtandis quæſtũ facit. Paulus l.40.§.3.D.de cont. empt. Non magis quàm ſi quid ex ſacco ſaccarij cecidiſſet, aut ex eo quod auibus ex aere cecidiſſet.

SACCVLARII qui uetitas in ſacculo artes exercentes partem ſubducunt, partem ſubtrahunt: nominantur in l.7. D.de effractor.

SACERDOTES, curatores ſacrorum. Paulus l.32.§.3. D.de recept. qui arb. Sacerdote obueniente uidebimus, an cogatur arbiter ſententiam dicere: id enim nõ tantùm honori perſonarum, ſed & maieſtati Dei indulgetur, cuius ſacris uacare ſacerdotes oportet.

SACRA priuata gentis cuiusque fuiſſe quæ Dijs penatib. paterfamiliàs faceret, conſtat ex Ciceronis

nis lib. de legib. 2. Emancipati autem liberi arbitratu ſuo ſacra ſibi conſtituebant. Hinc filijfamiliàs in ſacris paternis eſſe dicuntur.l.2. C. de bon. quæ lib.in ſacris manere.l.filiæ, 12. C. de collation.l.pen.C.de adopt.in ſacris parentum conſtituti.l. ult. C. de inoff. teſta.l.ult. C.ad Tertull.l. ult.C.de cur.fur.in ſacris poſiti. l. in coniunctione,20.C.de nupt.in ſacris retineri.l.3.C. de bon. mater.Hinc adoptati qui in alterius gentem tranſibant, in eius gentis ſacra tranſire dicebantur: ut apud Val.Max.lib.7.ca.7.Et qui per mancipationem de familia demigrabant,a ſacris paternis dimitti, & abſolui.l.quidam, 31. C. de fideic. l. 1. C.de annal.except.l.de emancipatis, 13.C.de legit.hæred.

Sacra loca ea ſunt,quæ publicè ſunt dedicata,ſiue in ciuitate ſint,ſiue in agro.l.9.D.de rer. diuiſ.

Sacrae res ſunt,quæ publicè conſecratę ſunt,non priuatè. ſi quis ergo priuatim ſibi ſacrum conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. l. 6.§.2. D. de diuiſ.rerum.

Sacrae res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt,ueluti ædes ſacræ, & Donaria quæ ritè ad miniſterium Dei dedicata ſunt:ait Imp.§.6. De rer.diuiſ.Sic Trebatius, Sacrum eſt, inquit, quicquid eſt quod deorũ habetur. apud Macrob. Satur.lib.3.cap.3.Et Gallus Aelius apud Feſtum: Sacrum eſt, inquit,quodcunq; modo & inſtituto ciuitatis conſecratum ſit,ſiue ædes, ſiue ara, ſiue ſignum,ſiue locus, ſiue pecunia, ſiue quid aliud quod diis dedicatum & conſecratum ſit.

Sacramentum dicitur ea pecunia quæ uenit in litibus:a ſacro. Qui petebat & qui inficiabatur, de aliis reb. uterq; quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item, certum alium legitimum numerum aſsium. Qui iudicio uicerat,ſuum ſacramentum a ſacro auferebat:uicti, ad ærarium redibat. Varro lib. De lingua v.

Sacramentum,inquit Feſtus,æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſsium eſt, in aliis quingentorum inter eos qui iudicio inter ſe contenderent. qua de re lege L.Papirii Tribuni pl. ſancitũ eſt his uerbis: Quicunq; Prætor poſt hæc factus erit,qui inter ciues ius dicet, Treſuiros capitales populum rogato:iiq; Treſuiri * quicunque * eiere ſacramenta * exigunto,indicantoq;:eodemq; iure ſunto, ut quos ex legibus,plebisve citis exigere,indicareve oportet. Sacramẽti autẽ nomine id æs dici cœptum eſt, quod & propter ærarii rationem, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Sic enim optimi ſcriptoris diuulſos inter ſe locos reconciliarem: quibus quod afferre medicinæ potuimus, ſtudioſè attulimus. Videndum etiam an pro Capitales, Monetales legendum ſit: cum ſatis conſtet a Capitalium Treuirorum procuratione alienum hoc negocium fuiſſe.

Sacrarium & ſacer locus differunt. nam ſacer locus,eſt locus conſecratus: ſacrarium eſt locus in quo ſacra reponuntur: quod etiam in ædificio priuato eſſe poteſt.l.9.D.de diuiſ.rerum.

Sacratae leges ſunt, quibus ſancitum erat. ut ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet. Sunt, qui eſſe dicant ſacratas quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit. Feſtus.

Sacrosanctum quid ſit,uide Sancta.

Salamandra,uenenatum animal ac peſtiferum,ut ſcribit Plin.lib.10.cap.67.Itaque a Marciano inter uenena connumeratur. l. 3. §. 1. D. ad legem Cor.de ſicar.

Salariarius,cui ſalarium ſoluitur. Vlp.l.10.§.8. D.mandat. Niſi ſi ſalariarius fuit,& hoc conuenit ut ſumptus de ſuo faceret ad hæc itinera, hoc eſt de ſalario.

Salientes,fontes tubulis fiſtulisve aquam fundẽtes:nomine ex eo deducto, quòd aqua ex tubuli capite in labrum fluens, ſalire uideatur. Vlp.l.15. D.de act.empt.Lines,& labra, ſalientes, fiſtulæ quoque quæ ſalientibus iunguntur. Vlpia.l.12.§. 14.D.de inſt.uel inſt.Fiſtulæ autem & canales, & crateres,& ſi qua ſunt alia ad aquas ſalientes neceſſaria,&c.

Saltum Gallus Aelius lib.2. ſignificationum quæ ad ius ciuile pertinẽt,ita definit, Saltus eſt ubi ſyluæ & paſtiones ſunt quarum cauſſa caſæ quoque & ſi qua particula in eo ſaltu paſtorum aut cuſtodum cauſſa aratur, ea res non peremit nomen ſaltui:non magis quàm fundi, qui in agro culto, & eius cauſſa habet ædificium, ſi qua particula in eo habet ſyluam. Feſtus. Hinc

Saltuarii,a ſaltu.eorum duo genera fuere, quemadmodum ſcribit Vlpianus l. 12. §. 4. D. de inſt. uel inſt. alii enim fructuum ſeruandorum gratia parati erant: alii finium cuſtodiendorum cauſſa. De illis mentio fit apud eundem in l. 8. in fi. D. eod. de his apud Pompo. l. 16.§.1.De uſu & habit.& apud Alfenũ l.60.§.3.D.de leg.& fid.li.32.

Salvianum interdictum, uide Interdictum Saluianum.

Sanates dicti ſunt, qui ſupra infraq; Romam habitauerunt.quod nomen ijs fuit,quia quum defeciſſent a Romanis, breui pòſt rediere in amicitiã, quaſi ſanata mente. Itaque in XII. cautum eſt,ut idem iuris eſſet Sanatib.quod fortibus: id eſt bonis,& qui nunquam defecerant a pop. R.Feſtus.

Sancta propriè dicimus,quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam cõfirmata:ut leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ.quod enim ſanctione quadam ſubnixum eſt,id ſanctum eſt, etſi Deo non ſit conſecratum. & interdum in ſanctionibus adijcitur, ut qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur.l.9.§.2.D.de diuiſ.rerum.

Sanctio legum triplex eſt: ſumma, media & infima. Summa eſt,quæ id quod aduerſus legem com

Qvalitas in libris noſtris eſt, quæ ſpeciē ex differētibus declarat. itaq; quā Vlp. in l. hæredes, 21. §. ſed etſi, D. de teſta. numotū ſpeciē appellat, eā Papinianus in l. qui non, 78. §. 1. D. de hæred. inſt. ſpeciē uocat. Similiter Caius in l. 74. D. de uerb. oblig. qualitatē demōſtrari ait, cū certā ſpeciē nominamus: ueluti fundus Tuſculanus, homo Stichus, & l. ſeq. Cum uinum Campanum optimum dicimus, ea res, inquit, efficit, ut ea appellatio certi ſignificatiua ſit.

Qvalvs, ſporta uiminea: ad calcem portandam accommodata. l. 15. §. 1. D. de uſuf. item ad uuas, uel uinum. l. 8. D. de inſt. uel inſtrum.

Qvam pro Magis uel potius quàm, uideo à Iuriſconſultis uſurpari locis quàm plurimis. Paulus l. 2. D. de reb. cred. Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pōdere, numero, mēſura cōſiſtunt: quoniā earū datione poſſumus in creditū ire: quia in genere ſuo functionē recipiūt per ſolutionē, quā ſpecie. Vlp. l. 2. D. de iudic. Alioquin compelletur iudicium accipere, q̄ inuenire eos, qui ſatis pro eo dēt. Idē l. pro hærede, in fin. D. de acq. hære. Si ſepulcri uiolati filius aget, quamuis hæreditarij, quia nihil ex bonis patris capit, non uidetur bonis immiſcere. hæc enim actio pœnā, quàm rei pſecutionē cōtinet. Idē l. ſi hominē, in prin. D. depoſ. Quia cùm ſciret cui rei pararetur, intempeſtiuè miſericordiā exercuit, cùm poſſet non ſuſcipere talē cauſam, quàm decipere. Idē l. ſuſpectus, De ſuſp. tut. Expedit enim pupillo rem ſuam ſaluam fore, quam tabulas Rem ſaluam fore cautionis habere. Idē l. ſi cui, §. ſi Titio, D. de legat. 1. Intereſt enim eius ſolui mihi, quàm ipſum conuentū mandati actionē intēdere. Idē l. prætor. §. hoc interdictū, D. de oper. noui nūc. Nōnulli putāt in factū eſſe dādam, quàm interdictum. quod uerum eſt.

Qvandoqve, pro quandocunq;. l. 13. §. 1. D. de reb. cot. qui ſub. l. 31. D. de uulg. & pup.

Qvandoqve, id eſt poſt aliquod interuallum. Caius l. 42. D. de iure dot. Res in dotem datę quę pondere, numero, menſura cōſtant, ut quandoq; ſoluto matrimonio alias maritus reſtituat. Vlpla. l. 22. D. de adopt. Ceterum ſi fidei eius committat, ut quandoque reſtituat: non oportet admitti fideicommiſſum.

Qvanti ea res erit, & Quanti eam rē eſſe apparet, idem ualent: in utraque enim clauſula patet uerā rei æſtimationem fieri, ait Vlpia. l. inter, 179. D. de uerb. ſig. hoc eſt, non ad id quod extrinſecus intereſt, ſed ad uerum rei precium pertinent. ut l. arbitro, D. de dol. mal. l. Prætor, 4. §. hæc autem, D. ui bon. rap. ubi Vlp. ſic ſcribit, Hæc autem actio in factum eſt, & datur in duplū quanti ea res erit. quod ad uerum rei preciū refertur. Sic in l. ſi fundus, 33. D. locat l. un. in fi. D. ſi quis ius dic. l. Stichum, 55. D. ad leg. Aquil. l. 4. §. in eum, D. de damn. infe. Interdū tamen hæc uerba: qvanti ea res eſt, etiā id quod extrinſecus intereſt, continent. Itaque cum lex Aquilia ſcripta ſic eſſet, qvanti ea res plurimi fuerit, Iuriſcōſulti in l. ait lex, 21. & l. ſeq. ſcribunt, non ſolum corpus æſtimandum eſſe quanti fuerit, ſed etiam quanti noſtra interfuit. Similiter Vlp. in l. 4. §. in eū, D. de damn. inf. In eum, inquit, quanti ea res eſt, iudiciū datur: quod non ad quantitatē refertur; ſed ad id qđ intereſt. quod eodē modo licet animaduertere in l. 9. 10. & 11. D. de ſeru. corrup. l. 3. in fi. D. uti poſſid. l. quoties, 81. D. de uerb. obl. Hinc illæ notæ apud Valerium, Q. F. R. E. T. P. I. R. D. T. Q. D. D. D. P. F. Quanti ea res erit, tantæ pecunię iudicium recuperatorium dabo: teſtibuſque duntaxat decem denunciandi poteſtatem faciam.

Qvanti, pro Quot: uide Tanti.

Qvantitates appellantur quæ numero, pondere, & menſura conſtant: quæ longè à ſpeciеb. differunt. nam Quantitates ſingulæ propriam ſpeciem non habent. ſed communi ſpecie cōtinentur: ait Vlp. l. cū Stichus, 29. D. de ſolut. Itáque ſi numus pro numo reddatur, & oleum pro oleo, & uinum pro uino: non aliud pro alio, ſed eadem ſpecies reddi uidetur. nam qđ in eiuſmodi rebus genere idem eſt, etiam ſpecie idem uidetur. l. 2. D. ſi cert. petat. Species uerò ſingulæ ppriā ſpeciem habent, & cōmuni omnes genere cōtinētur: ut Pāphilus & Dauus cōmuni hominis genere cōprehenduntur: ſed alius eſt Pamphilus, alius Dauus. Itaq; qui illum pro hoc, uel hunc pro illo ſolueret, aliud pro alio ſoluere diceretur. Quantitates numero diuiduntur: d. l. cum Stichus, 29. quippe in qua nō corpus, ſed uis ac momētum ſpectetur. l. ſi is cui, 9. D. de ſolut. l. 87. D. de legat. ſecundo. Species autem partibus diuiduntur.

Qvantitas in iure ciuili quā opponit corpori, ſic definienda uidetur, Res cuius uis ac momētū uel ſolùm, uel præcipuè ſpectatur: Corpus uerò res cuius materia uel ſola, uel præcipuè ſpectatur. Vlp. l. 34. §. 2. D. de leg. 1. Eadem ſumma uolente teſtatore multiplicari poteſt. ſed hoc ita erit accipiendum, ſi non certum corpus numorū ſæpius ſit reiictū: utputa centū quæ in arca habet ſæpius legauit. tunc enim fundo legato comparandum eſſe credo. Paulus l. 87. D. de leg. ſecundo: Ei de quo quæritur preciū teſſeræ ſpectandū: quoniam tale fideicōmiſſum magis in quantitate, quàm in corpore cōſiſtit. Idem in l. 1. D. de cōt. empt. Electa eſt materia cuius publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationū æqualitate quātitatis ſubueniret. Papinian. l. ſi is cui, 94. D. de ſolut. Siue in ſingulis numis cōmunionem pro indiuiſo quis eſſe intelligat: ſiue in pecunia non corpora cogitet, ſed quātitatem. Sic Florent. l. 65. §. 1. D. de uerb. oblig. Vlp. l. 15. §. 3 D. de re iudic. l. nā etſi, 13. in fi. & l. ſi ſocius, 16. D. ſi cert. petat.

Qvantitas pro precio, & ualore. Paulus lib. Sent. 2. cap. 32. Seruus qui furtum fecerit, damnumve dederit, niſi id pro ſui quantitate

tate dominus ſarcire paratus ſit, noxæ dedi pôt.

QVANTO maioris actiones in iure ciuili duæ reperiuntur, quarũ altera ciuilis, altera ædilitia eſt. Ciuilis eſt, quãto minoris empturus erat emptor, ſi uitium ſciſſet. l. Iulianus, D. de act. empt. Aedilitia eſt, Quanto minoris res fuit cõtractus tẽpore, quàm quanti empta eſt. l. qđ ſi nolit, 31. §. ſi plures, D. de ędil. edict. Per ciuilem actionẽ emptor ſi nihil daturus fuiſſet, omne quod dedit, recuperat: at per Aedilitiam ſi res nullius precij eſt redhibetur. l. bouem, 43. §. aliquando, eod. Illa perpetua eſt: hæc uerò annua. l. ædiles, 38. eod.

QVARTA quæ in iure noſtro frequentiſsimè appellatur, multiplex eſt: & quadrãtem eius aſsis quo de agitur, ſignificat. Præcisè nanque Quarta, pro Quarta pars ferè nominatur. Quartas igitur literarum ordine deſcribemus.

QVARTA agnatorum erat quadrãs hæreditatis inteſtato mortui, quã agnati ſi filij non extabant, nepotibus ex filia auferebant. l. ſi defunctus, 4. De leg. hære. lib. Cod. Theod. v. at ex lege Iuſtiniani quandiu poſteri ulli ſunt, quamuis ex fœmina ꝓgnati ſint, agnati nõ admittũtur. l. ult. C. de ſuis & legit. qua. l. Quartã illã agnatorum abrogauit.

QVARTA arrogati dicitur, cùm impubes cauſſa cognita arrogatus, ſine cauſſa tamen emancipatur. tum enim quartam bonorum arrogatoris cũ ſuis bonis obtinet. l. Papinianus. 8. §. ſi quis impubes, D. de inoffic. teſt. & l. 1. §. ſi impubes, D. de collat. l. ſi arrogator, 22. D. de adopt. Hoc autẽ, periculi qđ uitæ pupillorum ab arrogatoribus impendebat, euitandi cauſſa, inſtitutũ eſt. Duo quippe cauenda fuerũt in iſtis adoptionibus: quia duplex ad deprædandum arrogati patrimoniũ aditus patebat: primùm ſi puer è medio tolleretur: deinde ſi emanciparetur. nam utroque modo illius bona arrogatori quærebantur. conſtitutum ergo eſt, primum ut ne arrogator impuberis, eius ante pubertatem mortui hæres eſſet: deinde, ut impubes minimùm quartam arrogatoris ſui bonorum partem lucraretur.

QVARTA curiæ dicitur, quadrans eius hæreditatis, quam alienus aliquis (hoc eſt, non ex numero decurionum) qui curiali ſucceſsit, ſiue aſſe, ſiue ex parte ſucceſsit, obtinuit. tum enim conſtitutum eſt, ut quadrantem curia poſtulare poſsit, non tamen de ſingulis rebus: ſed ita, ut hæres uniuerſum patrimonium in partes quatuor diuidat: & ſors ducatur, ut uel curia quadrantem, uel hæres dodrantem obtineat. l. 1. & 2. C. quando & quib. quart. pars. libro 10.

QVARTA ex tribus maribus eſt, quæ per S. C. Sabinianum inducta eſt: ut qui ex tribus maribus in adoptionem datus fuerit, ei quarta pars honorũ naturalis patris relinquatur. §. ſed ea omnia, Inſtit. De hæred. quæ ab inteſt.

QVARTA Falcidiæ dicitur in iure, quam hæredes beneficio legis Falcidiæ retinent ex legatis, ſi forte amplius dodrante in ijs conſumptum eſt à teſtatore. Lex autem id ſtatuit non de ſingulis legatarijs, ſed de uniuerſis: ut ſcilicet legare ita liceret, dum modò pars quarta patrimonij penes hæredẽ remaneret. Itaque tametſi plures legatarij ſint, nõ tamen amplius eis quàm dodrantem licet attribuere. Viciſsim autem non uniuerſi hæredes, ſed ſinguli quartam ex ſua cuiuſque parte retinere poſſunt. modusque patrimonij, non qui hæreditatis adeundæ, ſed qui tempore mortis fuit, ſpectatur. & antequam ea quarta detrahatur, æs alienũ, funeris ſumptus, & precia manumiſſorum ſeruorum detrahenda ſunt. l. 1. & paſsim, D. & C. de leg. Falcid.

QVARTA fideicommiſſarij dicitur: cum hæres poſt mortem ſuam rogatus eſt hæreditatis ſuæ partẽ quartam reſtituere. Valet enim fideicommiſſum, perinde ac ſi de hæreditate ſua reſtituenda rogatus eſſet: & eatenus reſtituenda eſt, quatenus hæreditas teſtatoris patitur, ſecundum uulgatam formam iuris. l. filiusfam. 114. §. ut quis, D. de fideic. primo. Exẽplũ etiã extat in l. ita tamẽ, 27. §. Trebellianum, & l. epiſtolam, 75. §. 1. D. ad Trebell.

QVARTA filiæ maieſtatis damnati ab Impp. Arcadio & Honorio inſtituta eſt. nam cum olim ad liberos damnati maieſtatis bona pertinerent, l. eorum, D. ad leg. Iul. maieſt. is conſtituit, ut filijs nihil omnino relinqueretur: filiabus autem quolibet numero eſſent, quarta tantum ex bonis matris ſiue teſtato, ſiue inteſtato deceſsiſſent, attribueretur. ut haberent mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen hęredis. l. quiſquis, 5. C. eod.

QVARTA fiſci quæ ſit, docet Paulus in l. pen. D. de iur. fiſc. Qui tantam fidem accommodauit, ut nõ capienti reſtituere hæreditatem: ſi deducta parte quarta, reſtituit, nihil retinere debet. quadrans autem qui hæredi imponitur ipſius, eripiatur, & ad fiſcum transferatur. unde dodrantis ſemiſſem ſolum capit, qui ſe detulit.

QVARTA liberorum appellatur, quadrans eius partis hæreditariæ, quæ ſi paterfa. inteſtato deceſsiſſet, ad eos peruentura erat qui quadrans liberis, qui uel inofficioſè exhæredatis, uel minorem in partem inſtitutis quàm quantus ille eſt, attribuitur. ueluti ſi duo ſint filij, quia legitima cuiuſque pars ab inteſtato eſt ſemis, iccirco ſeſcuncia illis attribuetur: quæ ſemiſsis pars quarta eſt. l. 8. §. ſi quis, l. 25. C. de inoff. teſt. l. omnimodo, 30. C. de inoff. teſt. & Nouell. v. & xxi. Iuſtinian. hunc quadrantem in trientem aut ſemiſſem pro numero perſonarum mutauit. nam ſi duo ſint, ſextantẽ uterque auferet: quæ legitimæ portionis tertia pars eſt. ſi uero ſex ſint, uncia ſingulis attribuetur: qui eſt legitimæ partis ſemis. Nouell. xviii.

QVARTA matris auiæ curialis à Iuſtiniano inſtituta eſt, ut ſi mater mortui uel auia tẽpore quo filius

nepoſve

neposve moritur,in collegio eiuſdem ciuitatis curialis reperta fuerit,quartam partem ipſorum hæreditatis obtineant.l.2.C.quando & quibus.

QVARTA ſuperſtitis filij dicitur,cum paterfa. uxorem grauidam reliquit:& dubitatur,quot liberos paritura ſit.nam auctores iuris conſtituerunt, ut pars pro tribus in ſuſpenſo maneat, uſquedũ mulier: pepererit: quarta pars ſuperſtiti filio attribuatur.quod enim fieri non rarò admodum poteſt,ſpectarunt:id eſt,quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, quartã partem ſuperſtiti filio aſsignauerunt.l.3.D.ſi pars hæred.petat.

QVARTA Trebellianica quæ nunc uocatur, Pegaſiana olim fuit. nam Pegaſiano S. C. inſtitutum eſt,ut qui fideicommiſſum,ſiue uniuerſale, ſiue particulare reſtitueret,quadrantem ſibi retinere poſſet.§.ſed quia,De fideicom.hære. unde intelligi poteſt,quòd lex Falcidia eſt in legatis,id Pegaſianum in fideicommiſsis eſſe. nam quemadmodum hæres à quo plus dodrante legatum eſt,uſq; ad quadrãtẽ integrũ retinere poteſt: eodẽ modo is qui plus dodrante reſtituere eſt rogatus, ſiue uni,ſiue multis plus dodrante reddere ſit rogatus quartam ſibi retinere poterit. ueluti ſi domum quæ ſemiſſem ualeat,Titio: ſeruos qui trientem ualeant,Seio.tum enim duas uncias retinebit: nõ quo ab utroq; ſemunciã unã detrahat, ſed ut hæc uncia excedens in partes XII.diuidatur, quarum ſex Titius,quatuor Seius auferet, duæ reliquæ apud hęredem remanebunt.Atque hæc quidem inter quartam Falcidiam,& Pegaſianam ſimilitudo eſt:differentia autem illa,quòd in Falcidiam legata non imputantur, in Pegaſianam imputantur. itaque ſi teſtator quadraginta in bonis habeus,hęredi centum,Mæuio ducenta,Valerio cẽtũ leget: hæres ultra centũ quæ prælegati nomine retinebit,Mæuio quinquaginta, Valerio uigintiquinq; quartę nomine detrahet.at ſi hęredem cui centũ legarit,roget hęreditatem reſtituere,centum quidem illa ſibi legata retinebit hęres: quartam autẽ eo amplius non detrahet.cuius differentię rationem animaduerti hanc eſſe,quòd lex Falcidia uoluntati pręſumptæ teſtatoris ſubſeruiat, eiq́ue cõſentanea ſit.exiſtimatur enim teſtator legatis hęreditatem exhauriens, errore id facere, & putare plus in hæreditate eſſe,quàm reuera ſit: crediturq́ue uoluntas eius ea fuiſſe,ut hæres aliquid obtineret.At S.C.Pegaſianum directò uolũtati teſtatoris aduerſatur,conſtat enim teſtatoris hanc fuiſſe uoluntatẽ,ut nihil apud hæredẽ niſi nomen ac titulus, maneret:reuera alius hæres eſſet. Cũ igitur aliquo præmio Senatuſconſultũ hæredes allicere uoluerit aduerſus teſtatorum uoluntatem ad hæreditates adeundas,credibile eſt ſatis habuiſſe,ſi quadrans iſte quoquo titulo ad hæredem ꝑueniret.Itaque Marcianus in l.in quartam,91.D. ad leg.Falcid.ſiue legatum,ſiue fideicommiſſum datum ſit hæredi,ſiue præcipere, uel deducere, uel retinere iuſſus eſt,uel accepta pecunia hæreditatem reſtituere rogatus ſit, uel conditionis implendæ cauſſa fideicommiſſum ei ſit, ea omnia in quartam ei imputari ſcribit:in Falcidiam autem, nequaquam.Atque hæc quidem de quarta Pegaſiana.Iuſtiniani uerò conſtitutione Pegaſiani uis in Trebellianum ita transfuſa eſt, ut iam quarta Trebellianica uocitetur:quoniam hæres uel quartam,uel quod ei deeſt retinere,ſolutumve repetere poteſt:actiones autem pro rata communicantur.at ſi totam ſponte coactusve reſtituit, omnium tum commodorum, tum incommodorum fit expers.§. ſed quia, De fideic.libert.

QVASI contractus in iure appellantur, qui non propriè contractus ſunt, ſed tantùm ad contractuum ſimilitudinem accedunt. nam ut in contractibus, ſic etiam in hiſce actionibus rei priuatæ negocium geritur.uerùm hoc intereſt, quòd in contractibus conuentio interuenit, & uoluntas utriuſque non modò concurrit: uerùm etiam declaratur:in his,unius ſolius actione tum ipſe,tũ etiam alter tacitè obligatur: ut facilè appareat, eos ſi minus re ac ueritate,ac certè,tacitè ac præſumptè, id eſt ipſo iure contraxiſſe. præſumitur enim ac iudicatur negociorum geſtor eo animo negocium gerere,ut ex dolo & culpa obligetur; uiciſsimq́ue etiam dominus eo animo eſſe iudicatur,ut lubenter ſe negociorum geſtori obligatũ uelit,ſi quid ſuo nomine impenderit.quare naſci dicitur hæc obligatio, quaſi ex contractu: id eſt, non ex uero & actuoſo(ut ſic dicam) contractu, ſed ex tacito & præſumpto. l. 5. D. de oblig. & act.l.2.& 6.D.de negot.geſt.

QVASI delictum dicitur, cùm culpa punitur ita quaſi reuera delictum eſſet.Culpa enim propriè à delicto ſic diſtinguitur,quòd in hoc dolus eſt, in illa non eſt.ueluti cũ iudex malè ꝑ imprudentiã iudicando litem ſuam fecit. Imprudentia.n.pars culpę eſt,culpa autem pars quædam delicti.pœna igitur damnato ſic imponitur. ut ſi deliquiſſet: cum tamen eius factum propriè delictum dici non poſsit.l.5.§. ſi iudex, D.de oblig.& act.§. 1. Inſtit.De oblig.quę quaſi ex delict.

QVASI uſusfructus dicitur earum rerum quæ in abuſu conſiſtunt:id eſt quę utẽdo conſumuntur. proprietario enim ſatiſdatur. ſatiſdatio uerò in corporum locum apud illum ſuccedit. l. 2. & 7. D.de uſuf.ear.rer.& §.2.Inſt.De uſufruct.

QVASI Seruiana,uide Seruiana.

QVASI poſſeſsio,uide Poſſeſsio.

QVASI caſtrenſe peculium, uide Caſtrenſe. peculium.

QVERELAE nomine tres in iure ciuili actiones appellantur: una Inofficioſi teſtamenti: altera quæ ad illius ſimilitudinem introducta eſt, Inofficioſę donationis;tertia,Inofficioſę dotis.

QVERELA inofficioſi teſtamenti eſt, qua poſtulatur ut ſi iudices uiolatum à teſtatore officium cognoſcant,

gnoſcant, reſciſſo teſtamento hæreditatem ijs quibus naturæ iure debetur adiudicent, quaſi non ſanæ mentis teſtator fuiſſet: quia uel in ſuos liberos iniurius, uel in ſuos parentes impius fuerit. l. 1. & paſſ. D. de inoff. teſt. Eadẽq; interdũ Actio, interdum etiam Accuſatio nominatur. l. 3. l. 8. l. 11. l. 25. l. 27. C. de inoff. teſt. l. 6. l. 22. l. 27. D. eod.

QVERELA inofficioſæ donationis eſt, qua poſtulatur ut quod contra officij rationem donatum eſt, reuocetur. l. 1. & paſſ. C. de inoff. donat. Vtriuſq; autem hoc commune eſt, ut tum demum concedantur, cum uel alia ratione nulla liberi ius ſuum recuperare poſſunt, uel quadrans hæreditatis eius relictus non eſt: quæ pars legitima dicitur. nam ſi minus eis relictum eſt. quod deerit ſupplebitur. l. ſi totas, 5. & l. ſi mater, 7. C. eod.

QVERELA inofficioſæ dotis eſt, per quam liberi quorum mater ſecundo ſuo marito uel omnia bona ſua, uel magna eorum partem dedit, poſtulant ut debita ſibi emolumenta præſtentur. l. 1. C. de inoff. dot. Hoc autem duæ priores inter ſe differunt, quòd prima non niſi & iure facto teſtamento, & adita ex eo hæreditate, & aduerſus hæredem ſcriptum conceditur: l. Papinia. §. ſi conditione, D. de inoff. l. ſcimus. §. illud. C. eod. Secuuda uerò plerunque & ab inteſtato, & ei qui ab inteſtato hæres eſt competit. l. 3. C. de inoff. donat. Illa reſcindit teſtamentum, & planè ad inteſtati cauſſam reuocat, ut nihil ex eo ualeat. d. l. Papinia. & l. cum mater, D. eod. hæc nunquam reuocat, niſi uſque ad legitimam tantùm. l. 1. & paſſ. C. illo tit.

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. V. C. Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt. Notæ quib. ueteres in Senatuſconſultis perſcribendis utebantur. Vide D. E. R. I. C.

QVINQVE pedum uſucapionem Cic. nominat in li. De legib. 1. eo loco quem ſubijciam, &, ſi poſſum, explanabo. Ex hac, inquit, non rerum, ſed uerborum diſcordia controuerſia nata eſt de finibus: in qua (quoniam uſucapionem XII. tabutæ intra quinque pedes eſſe noluerunt) depaſci ueterem poſſeſsionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus, nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus. Depaſci Academiæ poſſeſsionem, refert ad uſucapionem ſpacij quinquepedalis. Senſus eſt, Vt in controuerſia uicinorum de finibus, termini requiruntur, quibus repertis quinque quaqua uerſus pedes definiuntur, qui quamuis longo tẽpore ab alterutro poſſeſsi ſint, finibus tamen dirimendis reſeruantur: ſic in controuerſia de finibus bonorum & malorum quæ philoſophos exercet, termiui Academicæ diſciplinæ a Socrate poſiti perueſtigandi ſunt: & Antiochi arrogantia illius gloriam depaſcentis regenda & coercenda eſt. lex autẽ Mamilia unicum adigi arbitrum uolebat finibus agrorum regundis, ſed cum tres tum eſſent, facetè intulit: Nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus. De hac lege Aggenus Vrbicus his uerbis: De fine enim ex Mamilia quinque aut ſex pedum latitudinem præſcribit, quoniam hanc latitudinem uel iter ad culturas accedẽs occupat uel circumactus aratri, quod uſucapi non poteſt.

QVIRITIVM IVS dicebatur, quod ciuium Ro. cauſſa propriè inſtitutum ita erat, ut peregrini omnes eius planè expertes eſſent. Id autem quantum ad dominium acquirendum attinet (de quo ſolo tit. Codicis intelligendus eſt, De nudo iure Quiritium tollendo) ab Vlpiano quidem in Inſtitutionibus tribus in rebus ponitur, Mancipatione, Vſucapione, & in iure ceſsione: a Varrone autem lib. De re ruſtic. II. ſex. nam præter ſuperiores addit iuſtam hæreditatem, emptionem è præda ſub corona, & emptionem in bonis ſectioneve alicuius. Verba eius hæc ſunt. In emptionibus (emptionem autem omnem acquirendi modum intellige, ut ſuo loco docuimus) dominum legitimum ſex ferè res perficiunt: ſi hæreditatem iuſtam adijt (intelligit autem legitimam duntaxat. arg. l. 3. D. pro ſoc. legitima enim ad ciues ſolos, id eſt Quirites pertinent:) ſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, à quo iure ciuili potuit (mancipationem ſignificat. de qua ſuo loco diximus, & quam Quiritium eſſe propriam Cicero & Boetius in Topic. demonſtrant:) aut ſi in iure ceſsit qui potuit cedere (ſic reſtituo ubi legebatur CVI) & id ubi oportuit (id eſt, apud eum apud quem legis actio eſt. hoc ſignificari cognoſces ex formula Ceſsionis in iure:) aut ſi uſucepit (uſucapionem enim Quiritium eſſe propriam indicat Cicero ex XII. tab. in libro Offic. primo.) aut ſi è præda ſub corona emit (quo de more Gellius libro ſeptimo cap. quarto.) tumve cùm in bonis ſectioneve cuius publicè uenit. qua de re ſuis locis explicauimus. Ius ergo Quiritium hoc erat, ut ſi aliquo illius generis modo acquiſita res eſſet, nihil eſſet periculi a litibus: quemadmodum in Orator. pro Cæcina Cicero declarat, Vt perueniat ad me fundus, inquit, teſtamento alicuius fieri poteſt: ut retineam quod meum factum ſit, ſine iure ciuili non poteſt. id eſt, ſine iure Quiritium. quia hæredis inſtitutio ius Quiritium non transfert, ſed iuſta, & legitima hæreditas: ut ſuperius dictum eſt, Item, Fundus a patre relinqui poteſt. at uſucapio fundi, hoc eſt finis ſolicitudinis ac periculi litium, non a patre relinquitur, ſed a legibus. aquæ ductus, hauſtus, iter, actus, a patre: ſed rata auctoritas harum rerum omnium, a iure ciuili ſumitur. Hinc ius euictionis, de quo ſuo loco commemorauimus.

QVIRITIVM ius, inquit Iuſtinianus, id dicitur, quo Quirites utuntur. Romani enim a Romulo, Quirites a Quirino appellantur. §. tertio. De iur. nat. Ouidius libro Faſt. II.

Proxima lux uacua eſt, at tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen Romulus antè fuit,
Siue quòd haſta Quiris, priſcis eſt dicta Latinis;
Bellicus à telo, uenit in aſtra Deus.
Siue ſuo regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanus iunxerat ille Cures.

QVO bonum eſt? locutio Iuriſconſultis uſurpata, pro Quam ad rem utile eſt? Caius l. aliquãdo, 13. in fin. D. ad Velleian. Quo enim bonum eſt, expectare conditionem uel diem, cùm in ea cauſſa ſit prior iſte debitor, &c. Vlp. l. 3. §. ſi quis ex liberis, D. de bon. poſſ. cont. tab. Cùm enim poſsit ſecundum tabulas habere poſſeſsionẽ, quo bonũ eſt ei cõtra tabulas dari? Idem. l. ſi poſt morte, 10. §. liberi, eod. Quo enim bonũ eſt eis fauere, ut partẽ faciant, nihil habituris? Scæuola l. ſi duo, 93. D. de ſolut. ſi duo rei ſint ſtipulandi, & alter alterum hæredem ſcripſit, uidendum an confundatur obligatio. placet non confundi: quo bonum eſt hoc dicere?

QVO magis, pro Quo minus. Imper. l. 3. C. de iudi. Nihil prohibet, quo magis apud eum quoq; diſceptatio terminetur. Item l. 1. C. Qui dare tut. Non ideo oportuit impediri. quo magis liberali cauſſa ordinata, curator tibi daretur.

QVOD legatorum Interdictũ: uide Interdictũ quod legatorum, & ſic de Quorum bonorum, &c.

QVOD iuſſu actio, &c. uide Actio.

QVOT menſibus, & Quot dieb. eodẽ modo ut Quotannis. Vlpianus in l. nec ſemel, 12. §. 2. D. quãdo dies legat. Nihil intereſt utrũ in annos ſingulos, uel quotannis, an in ſingulos menſes, uel quot menſibus, an in ſingulos dies, uel quot diebus legetur. Idem in l. 8. §. 16. D. de tranſact. Si tamen ita tranſegerit, ut in uicem eorum nummi quotannis, uel quot menſibus acciperet, &c. Sic apud Catonem, Varronem, & Vitruuium perſæpe.

DE LITERA R

R LITERAM ab Appio Claudio inuentam Pomponius ſcribit in l. 2. De orig. iur. eoq; factũ, ut qui antea Valeſij Fuſij, Papiſij, Auſelij dicebantur: pòſt Valerij, Furij, Papirij, Aurelij uocitati ſint. Cuius rei teſtes ſunt Cic. lib. Epiſt. IX. Macrob. lib. III. ca. II. Varro lib. De ling. VI. Liuius III. Feſtus I.

RAPHAELES Iuriſconſulti duo celebrantur, alter Fulgoſius, Comenſis alter: quorum uterque Patauij ius ciuile profeſſus eſt circiter annum M. CCCC. XX.

RAPINA eſt uiolenta rei ademptio. differt autem à Furto. I. quòd furtum latenter & clanculum fit: Rapina impudenter & ui. II. Furtum aliud eſt manifeſtum, aliud nec manifeſtum: Rapina non niſi manifeſta. III. Furti pœna non una eſt, ſed modò quadrupli, modò dupli: Rapinæ pœna una eſt tripli. IIII. Furti actio ſolam pœnam ſine re ipſa perſequitur: Rapinæ uerò, ſimul & rem & pœnam. V. Furti actio manifeſti, prætoria eſt: nec manifeſti, ciuilis: Rapinę actio tota honoraria eſt. VI. Furti actio perpetua eſt: Rapinæ uerò, annua. §. primo. Inſtit. ui bo. rap. §. ex malefic. Inſt. De actionib.

Ραπίσματα Iuſtinianus appellat colaphos, quibus cædi liberi cum manumitterentur, ſolebant. l. ult. C. de emancip. & Nouella LXXXI. opinor, quòd abdicationis genus quoddam eſſe uideretur, qua Græcos ſolos uti conſueuiſſe, ſuo loco monuimus. hunc tamen cædendi morem etiam in ſeruorum manumiſsionibus ſeruari ſolitum, Iſidorus teſtatur, lib. Etymol. IX. cap. IIII. Cornutus in Perſium: Quoties, inquit, manumittebant, eos alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant. Vnde Manumiſsio dicta eſt, eo quòd manus eis immitteretur. Claudianus in lib. de IIII. Conſul. Honorij.

Famulusq; iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In ciuem, rubuere genæ, tergoq; remouit
Verbera, promiſsi felix iniuria uoti.

RATAM rem haberi hoc eſt, comprobare agnoſcereq; quod actum eſt a falſo procuratore. l. quo enim, 12. D. rat. rem hab. non tantum autem uerbis habere poteſt; ſed etiam actu. l. quinta eod.

RATIARIVS, qui ratem exercet: ut Nauicularius, qui nauem. Paulus l. 30. D. de pign. act. Qui ratiario crediderat, quum ad diem pecunia non ſolueretur, ratem in flumine ſua auctoritate detinuit. &c.

RATIO eſt, ultrò citrò dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſſa negotiatio. l. 6. §. 3. D. de edendo.

RATIONES reddere & edere multum differunt. nam Rationes reddere iuſſus intelligitur summam pecuniæ, quæ ex reliquis colligitur, iuſſus dare. l. qui libertatis, 69. §. ſeruus, D. de euict. l. 32. D. de condit. & demonſt. At edere iuſſus inſpiciendi tantum poteſtatem facere debet non etiam reliquum facere cogitur. l. boues, 89. D. de uerbor. ſignif.

RATIONES reddere, eſt legendas offerre rationes primùm, deinde computandas ut explorari poſſit, imputationes probè an improbè referantur: accepta rectè relata, an non rectè. ita enim incipit quidem res a facto, peruenit autem ad pecuniam: reliqua enim reddi oportet. l. cum ſeruus, 82. & ſimilib. D. de cond. & demonſt.

RATIONIBVS diſtrahendis actio: uide Actio tutelæ.

RATIONALES officiales, dicũtur a Cõſtãtino pro ijs qui quũ ĩ aliqua poteſtate curationeq; fuerint nõdũ rerũ a ſe geſtarũ rõnẽ retulerunt [illegible] a

Græcis

Græcis appellantur, id eſt reddendis rationibus obnoxij.l.4.C.de epiſ.& cler.

Ratiocinator, qui tabernæ rationes tractat.l.5.§.7.D.de trib.act.

Ravca, uermis radices arrodens. Plin.lib.17.ca.18. Olea ubi quercus effoſſa ſit, malè ponitur: quoniam uermes, qui Raucæ uocantur, in radice quercus naſcuntur & tranſeunt. Vlp.l.13.§.1.D.locati, Si qua tamen uitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe: ueluti ſi uinum coacuerit, ſi raucis aut herbis ſegetes corruptæ ſint.

Recepti in libris noſtris appellantur, Arbitri: ex eo quòd a Prætore ad arbitrandum delecti, recepti atque admiſſi ſunt. ſiue quia ex recepto, id eſt ex compromiſſo cauſſas dirimendas recipiunt.l.1.& paſſ.D.de recept.& l.12.C.de iudic.

Recepti in reos, uide Reum facere. Venul.l.12.§.1.D.de accuſat. Hoc beneficio etiam in reos recepti uti poſſunt. item in fine, Cornelia iniuriarũ ſeruum non debere recipi reum, Cornelius Sulla auctor fuit.

Receptitia actio, uide Actio receptitia.

Receptitia dos eſt, quam is qui dedit ſoluto matrimonio ſibi reddi ſtipulatus eſt: ait Vlp.cap. Inſt. vi. & l.mortis cauſſa, 31.§.2.D.de mort. cauſſ.donat.

Recipere, excipere, ſibi reſeruare. Iauol.l.5.D.cõmun.præd. Seruitutem recipere niſi ſibi, nemo poteſt. adiectio itaq; uicini pro ſuperuacuo habẽda eſt: ita ut tota ſeruitus ad eũ qui receperit, pertineat. Alfen.l.205. Qui fundum uendidit, pomũ recepit, nuces & ficos & uuas duntaxat duricinas receptas uideri. Labeo l.30.§.3.D.de legat.& fid. lib.32. Si fundũ mihi uendere certo precio damnatus es, nullũ fructũ eius rei ea uenditione excipere tibi liberũ erit. Plaut.in Trinumo, Poſticulũ hoc recepit: quum ędes uenderet. Cic.de Orat.2. Sed dicis te, quũ ædes uenderes, ne in rutis quidẽ & cæſis ſoliũ tibi paternũ recepiſſe. Eodẽ modo Gell. lib.17.cap.6. hunc Catonis locũ interpretatur: Principiò nobis mulier magnã dotẽ attulit. tũ magnã recipit, quã in uiri poteſtate nõ cõmittit: Eam pecuniã uiro dat mutuã poſtea ubi ira facta eſt, ſeruũ receptitiũ ſectari atq; flagitare uirum iubet. Recipit, inquit Gell. id eſt, retinet. Itẽ. Quando mulier dotẽ marito dabat, tũ quæ ex ſuis bonis retinebat, neq; ad id uirũ trãſmittebat, ea recipere dicebatur. Hinc ſeruus Receptitius, id eſt, proprius ſeruus ſuus, quem cum pecunia reliqua receperat, neque dederat doti, ſed retinuerat.

Receptitivm ſeruũ Nonius inde dici tradit, quẽ in dãda dote, aut donatione quis exceperit, qđ eſt receperit, Cato, Mulier & magnã dotẽ dat, & magnam pecuniã retinet. ex ea igitur re familiari, ex qua ſibi dote data retinuit pecuniã, uiro forte irata repetere inſtituit. apponit ei flagitatorẽ receptitium. hoc eſt proprium ſeruũ, quem reliqua pecunia receperat, nec dederat doti & exceperat.

Recipere in edicto De ſer.corrup. propriè eſt, refugium abſcondendi cauſa ſeruo præſtare, uel in ſuo agro, uel in alieno loco ædificatiove. l.1.§.1.D.de ſer.corrupt.

Recisvm, conciſum, breue. Calliſtratus l.2.D.de term.mot. Et poſſunt in tẽpus ut cuiusq; patiatur ætas, relegari. id eſt ſi iuuenior, in lõgius: ſi ſenior, reciſius.

Recte atq; ordine, id eſt rectè ac ſapiẽter. quippe ex ſapiẽtia, cõſideratio: ordo autẽ ex cõſideratione naſcitur. In edicto Vell.l.2.D.ad S.C.Vell. Arbitrari Senatũ, rectè atq; ordine facturos ad quos de ea re in iure aditũ erit. Cic.in Anton.3. Rectè atq; ordine, eũ Rep. feciſſe & facere. Vlpia.l.diui, 27.§.1.D.de liber.cauſſ. Rectè atq; ordine iudices puto facturos, ſi hanc formã fuerint cõſecuti.

Recte, in ſtipulationibus tantundẽ ualet, ut Arbitratu boni uiri: ĩquit Vlp.l.hæc uerba, 73. De uer. ſig. Hinc Rectè defendere, arbitratu boni uiri defenderet: apud eundẽ in l.iã tamẽ, 5 §.3.D.Iudic. ſol. Hinc illa formula apud Paulũ in l.lecta, 40. D.ſi cer.petat. Et hæc quindecim proba rectè dari kalendis futuris ſtipulatus eſt Mæuius. Cato de re ruſt.cap.CXLIIII. Oleam cogi rectè, ſatiſdato arbitratu L. Manlij. Idẽ cap.146. Rectè hæc dari, fieriq;, ſatisq; dari domino, promittito. Varro li. De re ruſt.2.cap.4. Illaſce ſues ſanas eſſe, habereq; rectè licere, ſpõdes ne? Scæuola l.qui Romę, §.15. D.de uerb.obli. Eaq; ſic rectè dari fieri promiſit Callimachus. Vlp.l.aliud eſt, 71.De uerb.ſig. His rebus rectè præſtari.

Recto iure apud Imp.§.1.De fideic.hære. ſic interpretor. Rectè atq; ordine, è legibus, iure, ut leges permittũt. In primis igit̃ ſciendũ eſt, inquit, opus eſſe ut aliquis recto iure teſtamẽto hæres inſtituatur: id eſt quem ius legesq; permittant inſtitui.

Recvperatores primùm dicti ſunt, qui inter populũ R.& ciuitates peregrinas de reb.priuatis reddẽdis recipiẽdisq; cognoſcebãt. Ea enim, ut ex Feſto conſtat, Recuperatio dicebatur. Hinc

Recvperatores, iudices qui a Prætore in priuatis controuerſijs quacunq; de re ageretur, dabantur: quos a recuperando dictos apparet, quòd per eos ſuum quiſq; ius recuperare poſſet.

Recvsare & Repudiare hæreditatem differunt. Recuſare non modò hæres poteſt, uerumetiam fideicommiſſarius.l.cogi, 16.§.3.& §.ſi ſeruo, D. ad Trebell. Repudiare autẽ ſolus hæres põt: quippe cum alij nulli hæreditas deferatur. rurſus, Repudiatio in iure tantum fieri poteſt.l.3.& 4.C.de repud.hęre. Recuſatio uerò quouis loco & modo rectè fit. Itaq; recuſare, inquit Vlpia. non tantùm præſentes, ſed ẽt abſentes, uel per epiſtolam poſſunt. l.recuſare, 6.D.ad Trebell. & l.recuſari, 95. De acq.hære. Recuſari hæreditas non tantum uerbis, ſed etiam re poteſt: & alio quouis indicio uoluntatis.

Recvsatio, exceptio. Cicero De inuent. lib.1.

Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationẽ & defenſionẽ, aut petitionẽ & recuſationem. Hinc illud Celſi in l. 48. D. mãdat. Si quis ſub uſuris creditã pecuniã fidciuſiſſet, & reus in iudicio cõuentus cùm recuſare uellet ſub uſuris creditam eſſe pecuuiam, fideiuſſor ſoluendo uſuras poteſtatem recuſandi eas res ſuſtuliſſet, eam pecuniam a reo non petiturum.

Redatvs, tus, tui: pecunia ex frugib. uenditis redacta. Scæuol l. 58. §. 1. D. de uſuf. Sempronio do lego ex redactu fructuum boleris & porrinæ, partem ſextam.

Reddere, rẽ pro re dare. Seneca li. de Benef. vi. Cũ dicimus, Beneficiũ illi reddidi, non hoc dicimus, illud uos quod aceeperamus reddidiſſe: ſed aliud pro illo reddere. Eſt enim rẽ pro re dare. Quidnis? cum omnis ſolutio non idem reddat, ſed tãtundẽ. nã & pecuniam dicimur reddidiſſe, quamuis numerauimus pro argento aureos, quamuis non interuenerint nmmi, ſed delegatione & uerbis perfecta ſolutio ſit. Item lib. vii. Reddere, eſt id quod debeas uolenti dare.

Redendi uerbum, ait Celſus, quanquam ſignificatum habet retrò dandi, recipit tamẽ & per ſe dãdi ſignificationẽ. l. 94. D. de uer. ſig. l. 21. De legat. 2.

Reddi rationes, uide Rationes reddere.

Redditviri, uetuſtè pro Redditum iri. Proculus l. 48. in fi. Sed qui petent cauere debebuut, ſi hæreditas euicta fuerit, quod legatorum nomine datũ ſit, reddituiri. Iulianus l. 27. D. ad S.C. Trebell. Et cauit, quod amplius per legem Falcidiam liceret, cepiſſet, reddituiri.

Redewptor dicitur, qui certo precio opus aliquod faciendum ſuo periculo conduxit: & qui locat, uetuſtè Venditor opus uerò ipſum, Redemptoris bona: ut iu Verri. iii. docuimus.

Redemptor eſt, qui opus certo precio faciẽdum ſuo periculo conduxit. Vlpia. l. 39. D. de rei uind. Redemptores qui ſuis cementis ædificant, ſtatim cementa faciunt eorum in quorum ſolo ædificãt.

Redemptor litis dicitur, qui certa mercede pacta litis periculũ iu ſe recepit, eiusq́; periculũ prẹſtat. Vlp. l. 6. §. 6. D. mandat. Videbatur autem mihi iudicatum ſolui fideiuſsiſſe, & quaſi redemptor litis extitiſſet, uellet a Daphnide mandata iudicio cou ſequi quod erat condemnatus. Prius autem dixerat, Ex euentu litis cauerat ſibi certam quantitatẽ dari. Item l. ſequenti, An euentum litium maioris pecuniæ præmio redemerit. Quintil. lib. 12. ca. 7. in fi. de patronis eorumq́; bonorario diſputans, Paciſcendi quidem ille piraticus mos, & imponeutium periculis precia, procul abominanda negociatio, etiam a mediocriter improbis aberit. Impp. l. 15. C. de procur. Litem te redimiſſe contra bouos mores precibus manifeſtè profeſſus es. Sic l. 22. C. mandat. l. 9. §. primo. D. de offie. proconſ.

Redemtpor pótis dicitur, qui pontem ſartum tectum pecunia quæ pro mercium exportatione ſoluatur, tuendum conduxit. Labeo l. 60. §. 8. D. locat. Vehiculum conduxiſti; id quum pontem tranſiret, redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat.

Redemptores propriè atque antiqua conſuetudine dicebantur, qui quum ad faciendum aut præbendum quid conduxerant, tum demum pecunias accipiebant, nam antiquitùs Emere pro accipere ponebant. At ij nunc dicuntur Redemptores, qui quid conduxere præbendum, utendumq́;. Feſtus.

Redemptvra, redemptio, cõductio publicorum. Vlpian. l. 5. D. de inſtit. act. Si quis pecunijs fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturisq́; faciendis præpoſuerit, &c. Liuius lib. 3. bell. Punic. Exhortandos qui redempturis auxiſſent patrimonia, ut Reip. ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent.

Redhibere, eſt facere ut rurſus habeat uenditor quod habuerit: & quia reddendo id fiebat, idcirco Redhibitio eſt appellata, quaſi redditio. l. 21. D. de edil. edict. uide l. facta, 60. Vel ſic:

Redhibitio uenditionis reſolutio eſt: ait Vlp. l. 13. §. 1. D. de acq. poſſ. Vel ſic:

Redhibere, dicitur uenditor qui rem uenditam ſibi ab emptore redditam recipit. Plautus Mercatore, C. Quid ſi igitur reddatur illi unde empta eſt? D. minimè gentium. C. Dixit ſe redhibere, ſi non placeat. nam (ut ait Feſtus)

Redhibitvr tum propriè dicitur, quod redditum eſt, improbatumq́;: & qui dedit, idemq; rurſus coactus eſt habere id quod antè habuit. Hinc

Redhibitoria actio, uide Actio redhibitotia.

Redimere, pro corrumpere: ut redimere delatorẽ, pecunia eum a delatione deducere. Vlp. l. 29. D. de iur. fiſci, Sed enim hæc pœna magis eſt ut aduerſus ipſum locum habeat, qui delatorem redemit. Item, Nec enim exinde perit cauſſa, ex quo redempta eſt.

Redimere ſententiam, Redimere Iudices. Macer. l. 34. eod. Tu qui defenſione omiſſa redimere ſenteutiam maluiſti. Item, Ad defenſiones cauſæ bona fide ueniant: non aduerſarios aut iudices redimere tentent.

Reditvs pecuniæ, id eſt, uſura: inquit Scæuola l. 30. D. de adim. uel transf. l. 87. §. ul. ad leg. Falcid. l. 6. De præſcript. uerb.

Refectvs, reditus, prouentus. Scæuola l. 78. §. 10. D. ad S.C. Treb. interim ex refectu paupertatis, qui ad uos peruenerit, alatis eum uſuris pro quantitate numorum redactis: id eſt, ex reditu partis tertiæ hæreditatis. nam paupertatem appellat exiguæ hæreditatis partem tertiam. Verbum fructibus agrorum & prouentibus accommodatum. Cice. in Paradox. Nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſsionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri ſex legiones poſsis.

Referre iuſiurandum, eſt delatũ ſibi ad aduerſario iuſiurandũ in eũ transferre. Paulus l. 38. D. de iureiur. Manifeſtæ, inquit, turpitodinis & confeſsionis eſt, nolle nec iurare, nec iuſiurandum referre. Et ſæpe in l. iuſiurandum. 34. cod.

Referre rem iudicatam, retractare. Ci. pro Dom. Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtũ iudicaſſent, tamen quotieſcunque uellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatã referre poſſe uoluerunt. Sic Referre myſteria dixit lib. De Orato. 3. pro Iterare: & Terent. in prol. Hecyr. Referre comœdiam, pro denuo agere.

Referre in reos, uide Reum facere. Vlp. l. 15. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult. Legis Iuliæ de adulterijs c. 7. ita cauetur, ne quis inter reos referat eum, qui tum ſine detractione Reip. cauſſa aberit: neque enim æquum uiſum eſt abſentem Reip. cauſſa inter reos referri, dum Reip. operatur.

Reficere, ait Vlp. eſt quod corruptum eſt, in priſtinum ſtatum reſtaurare. l. 1. §. 2. D. de riuis. l. 1. D. de uia publ.

Regi fines dicuntur, inquit Boetius, cum proprijs ager quiſq; finibus terminatur. Hinc Finium regundorum, uel Finibus regundis iudicium, quod inter confines redditur, ut fines agrorum uicino rum dirigantur. l. 1. & paſſ. D. fin. regund. Cice. in Topic. Si in urbe de finibus controuerſia eſt, quia fines agrorum magis eſſe uidentur, quàm urbis, finibus regundis arbitrum adigere non poſsis.

Regvla eſt, inquit Paulus, quæ rem quæ eſt breuiter enarrat: non ut ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. per regulã igitur breuis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quaſi cauſæ coniectio eſt, quæ ſimul cum in aliquo uitiata eſt, perdit officiũ ſuũ. l. 1. D. de regul. Iur. Vel ſic:

Regvla eſt ſententia quædã generalis, quæ ex pluriũ legum mente a Iuriſconſultis notata atq; animaduerſa, paucis uerbis ſummã earũ conſenſionẽ & tanquã harmoniã cõplectit. Differt autẽ Lex à Regula: quòd illa dicitur, quam populus certo & cognito omnibus iure conſtituit: Regulã uerò, quã Iuriſconſulti ex pluribus legũ capitibus notatis inter ſeq; cõparatis elicuerunt: ut non omnino incõmodè dicere poſsimus, leges eſſe tanquã uoces, & ſonos ſingulos: Regulã uerò eſſe tanquam harmoniam & concentum. Vide plura li. Obſeruat. 11. ca. 1111.

Regvla, capſa iuncea uel ſcortea, in qua incluſæ oleæ torcularis prælo ſubijciuntur: apud Vlp. l. 19. §. 2. D. locati: & Columell. lib. 12. ca. 52.

Reiectio iudicum quid ſit, Aſconius ſic exponit: Moris erat celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio Prætoris, & in arca reponi nomina ſelectorum iudicum. Reiectio autem idcirco dicitur, quia quum multi iudices in conſilio cum Prætore ſuo iudicaturi eſſent, qui Quæſitor fuiſſet in cauſſa publica, uerbi gratia repetundarum, ambitus, maieſtatis, neceſſe fuerat eos primùm de decuria ſenatoria conſcribi, quum ſenatus indicaret: deinde in urnam ſortitò mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet: tertiò, id eſt poſt urnam, permitti accuſatori ac reo, ut ex illo numero reijciant, quos putauerint ſibi aut iniquos, aut ex aliqua re incõmodos fore. Reiectione celebrata. in eorum locum qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Prætor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur: prima enim Sortitio dicebatur. his perfectis iurabant in leges iudices, ut obſtricti religione iudicarent.

Relegare dotem maritus dicitur, qui quam accepit, reddi ac reſtitui iubet: quo caſu recepiſſe magis quàm accepiſſe dotem mulier dicetur: ut ait Vlp. l. 2. in fi. D. de dot. præleg. quoniam reddi potius quàm dari dos uidetur, ait Papianus l. cum pater, ſeptuageſimaſeptima. §. fidei, duodecima De legat. 2.

Relegati, deportati, & exules quid inter ſe differant, & qui item Interdicti dicantur: uide Exilium.

Religiosa, de quibus ſub Rubrica D. de religioſ. & ſumptibus fun. quæ fuerint, ſic licebit intelligere.

Religiosvs locus non conſecratione & uerbis ſolennibus, ſed illatione mortuorum efficiebatur. l. 6. D. de rer. diuiſ. & l. 2. §. 1. D. de relig. ubi Celſus ait, non totum locum qui ſepulturæ deſtinatus eſt, religioſum fieri, ſed quatenus corpus humatũ eſt. Patet aũt ex Ciceronis 11. De legib. ea loca in quę mortuus illatus fuerat, neq; arari, neq; coli ius fuiſſe. unde Religio a relinquendo dicta putatur a Ser. Sulpitio, & Maſ. Sabino nam in arando locus ille ſepulturæ relinquebatur. Itaque ſi Pontifices purum eſſe locum aliquem decernebant, exarari iubebant. Cic. 11. De legibus, Sed cum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt. ſtatuit enim collegium, locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari. Sic Aelius Gallus apud Feſtum ait, Religioſum ſepulcrum dici, ubi mortuus ſepultus, aut humatus ſit.

Reliqva, dicuntur pecuniæ quæ initis ſubductiſq; accepti & expenſi rationibus nobis ſuperſunt. Hinc Reliquari, & Reliquator, & Reliqua trahere dicit is, apud quẽ ea pecunia ſupereſt. Scęuola l. 24. D. ad munici. Humanum eſt reliquorũ uſuras neque ab ipſo qui ex adminiſtratione honoris reliquatus eſt, exigi. Paulus. l. 46. D. de adminiſt. tut. Debitum quod ex conductione reliquatus eſt, agnouiſſe eum uideri. & §. ſequenti, Ex quibus quidam quum reliqua traherent, idonei in ipſo tempore adminiſtrationis eſſe cœperunt. Scæuola l. 102. §. ſecondo. D. de ſolut. Quæ an hæc ſumma in proximum annum accepto ei ferri debeat, quum ſuperioris anni ſit reliquator. Hinc

Reliqvatio, reliquorum debitio. Paulus l. 44. D. de admin. tut. Si pupillus poſt pubertatem

rationib. a tutore acceptis reliquationem eius ſecutus uſuras acceptauerit, &c.

Reliqvi, uide Ceterorum.

Remancipatam Gallus Aelius eſſe ait, quæ mancipata ſit ab eo cui in manum conuenerit. Feſtus.

Remanſor, pro Emanſor. Arrius. l. 4. §. 13. D. de re milit. Edicta faciebant, qui diu abfuiſſet, ut is inter remanſores haberetur. Et l. 5. §. 6. Si remanſor, aut negligẽs ſuorum, aut ſegnis, aut extra contubernium agens, non credetur ei.

Remiſſio ſub Rubri. D. de Remiſſionib. eſt liberatio a nunciatione noui operis facta. Nunciatio enim eatenus duntaxat ualet, quatenus nunciandi ius fuit. Prætor enim ubi nunciandi ius nullum fuit, ibi eam ipſo iure remittit. unde illa edicti uerba in l. 1. D. illo tit. ¶Quod ius ſit illi prohibere, ne ſe inuito fiat, in eo nunciatio teneat: ceterum nunciationem miſſam facio. Sic l. 1. & paſ. D. de oper. nou. nunciat.

Remiſſio quibuſdã in locis dicitur mercedis penſionisve detractio, ſiue demptio de mercede. l. 16. & 17. D. locat. Tranquill. Iulio: publicanos remiſſionem petentes tertia mercedum parte releuarit.

Remittit iuſiurandum qui deferente ſe, quum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit, contentus uoluntate ſuſcepti iuriſiurandi. l. 6. D. de iureiur.

Renvnciare conductionem, eſt irritam nunciare, inquit Aſconius. & alibi:

Renvnciatio, inquit, dicitur recuſatio eius rei, quæ in pactum & promiſsionem uenerat. Hinc

Renvnciatio ſponſaliorum & nuptiarum cùm ſponſalia, nuptiæve dirimuntur. l. 2. D. de diuort. l. 1. C. de ſponſal. l. quæſitum, 17. §. ult. D. de reb. auct. iudic.

Reparatio appellationis dicitur, cum poſt legitimi temporis lapſum ius peragendæ appellationis reſtituitur. ſub rubric. C de reparat. appellat.

Reparare eſt interdum ex uenditarum rerũ precio alias parare. l. 122. §. Callimachus, D. de uerb. obli l. 16. D. de in rem uerſ.

Repetvndarvm iudicium inde dictum eſt, quòd eo iudicio ſocij pecunias ſibi contra leges ereptas repetebant, quas ex condemnatorum litibus æſtimatis domum reportarent. Cic. Verr. 7. Itaq; res ſuas negligunt: pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt. & paulo pòſt, Non ex litibus ęſtimatis tuis pecuniam, domum, ſed ex tua calamitate cineri atque oſsibus filij ſui ſolatium uult aliquod reportare. Atq; hoc quidem ante annos, opinor, nouem ita ſcripſimus in Verrinarum commentarijs: poſtea uerò extitere Itali quidã boni uiri qui totidem literis ſuos in libros tranſtulerunt. Intelligendum eſt autem hoc iudicium olim in eos ſolos magiſtratus qui in prouincias mitterentur, inſtitutum fuiſſe: quemadmodũ Cicero in Diuinatione demonſtrat. pòſt uerò generaliter eo teneri cœperunt, quicunque in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, uel quo alio officio munere, miniſteriove publico, pecuniam ob iudicandum accepiſſent: quive magiſtratus urbani a ſorde ſe non abſtinuiſſent. l. 1. & paſſ. D. ad leg. Iul. repetund.

Repetitio in legatis appellatur per hãc ſcripturã: hoc amplius ei hæres dato. l. legata, 19. D. de legat. 1. item, qvae a filio meo legaui, hæres meus dato. l. ſi quis, 32. D. eod. item, qvoties cunque fructuarius capite minutus erit, uel Qvoties uſusfr. amiſſus erit, ei lego. l. 3. D. quib. mod. uſusfr.

Repeti rei dicuntur. cùm poſt abolitionem factã rurſus eiuſdem criminis poſtulantur. l. ſi interueniente, 12. & l. penul. D. ad Turpill.

Repetita die, id eſt, die quæ præterierat falsò reuocata: Vlpian. l. 9. §. 5. D. ad exhib. Abſolui eum oportet, niſi paratus ſit repetita die intentionem ſuſcipere. Paulus l. 3. D. de fid. inſt. Repetita quidem die, cautionem interponi non debuiſſe: ſed falſi crimen contractum nõ uideri. id eſt, Die quæ iam præterierat falso pro præſenti nominata. Vulgus dicit, Antidata. Vlp. l. 5. §. 7. D. de op. no. nũc. Et ſi nunciauit poſtea, & quod retrò ædificatum erit, deſtruendum erit, quaſi repetitio die nunciatione facta.

Repertorivm (quod uulgò Inuentarium appellant, ait Vlpianus in l. 7. D. de adm. tut. & cur.) eſt codex in quem tutores ſingula ſuorum pupillorum bona referre ſolent.

Repignorare, eſt pignus luere, id eſt pecuniam ob quam oppoſitum erat pignus diſſoluere. Vlp. l. 5. §. 9. D. commod. Rem tibi dedi ut creditori tuo pignori dares: dediſti, non repignoras ut mihi reddas. item, Si a me culpa abſit repignorandi, creditor autem nolit reddere pignus, &c.

Replicatio uocatur ex eo, quòd per eam replicatur atque reſoluitur ius exceptionis: ait Imp. tit. De replicat. in princip. Ἀντιδιαστολὴ a Græcis nominatur. Eiusq; formula erat avt si. quemadmodum intelligitur ex l. 48. D. de procur. Iulianus l. 7. §. 1. De curat. furioſ. Si hæredes dementis eaſdem res uindicẽt quas curator alienauit, & exceptio opponetur, si non curator uendiderit: replicatio dari debet, avt si ſatiſdatione interpoſita ſecundum decretum uendiderit. Iulian. l. 24. D. de except. rei iudi. Aduerſus exceptionem, Si non eius ſit res, replicatione hac adiuuabitur, Aut ſi res iudicata non ſit. Caius l. 48. D. de procur. Tunc excipiente eo cum quo agitur, ſi nõ mihi mandatum ſit, ut a debitoribus peterem: actorem ita debere replicare, Aut ſi mihi mandatum eſt, ut a re peterem.

Replicatio dicta uidetur, uel quòd implicatam & quaſi tectam exceptionis iniquitatem replicet ac patefaciat: uel potius quòd æquitatem actionis ab excipiente reo tectam & quaſi complicatam explicet atque aperiat.

Replica-

REPLICATIONES, ait Vlpian. nihil aliud ſunt quàm exceptiones, & a parte actoris ueniunt: quæ quidem ideo neceſſariæ ſunt, ut exceptiones excludant. ſemper enim Replicatio iccirco obijcitur, ut exceptionem oppugnet. l. 2. §. 2. D. de except.

REPRAESENTARE, eſt ante diem ſoluere. Vlpian. in l. 8. §. 3. D. de tranſact. loquẽs de ijs qui de pecunia alimentorum nomine legata tranſigunt, Eam, inquit, tranſactionem Oratio improbat, quæ idcirco fit, ut quis repræſentatam pecuniam conſumat: id eſt, antequam debeatur ſolutam. Cicer. ad Att. lib. XII. Reliquæ pecuniæ uel uſuram Silio pendemus, dum a Faberio uel aliquo qui Faberio debet, repræſentabimus. Idem Philipp. 2. Ego corpus libẽter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas ciuitatis poſſet: id eſt accelerari. Seneca libro epiſt. 15. ep. 1. Petis a me, ut id quod in diem ſuum dixeram debere differri, repręſentem, & ſcribam tibi, an hæc pars philoſophiæ, &c. Hoc quoque ex Marcelli uerbis apertè intelligitur in l. 36. §. 1. D. de cond. & demonſt. ubi iuſſerat teſtatrix, ut prædia, ſi filius ſedecim annos non impleret, alteri redderentur. Quæro, inquit, quum Seia deceſſerit, deinde filius quintumdecimum annum agens, defunctus ſit, an repræſentetur fideicomiſſum quintodecimo anno impleto. id eſt ante tẽpus quo decimumſextum implere potuiſſet, præſtandum ſit. Item, Contra uoluntatem teſtatoris repræſentationem fideicom. deſiderari. Sic l. 24. §. quoties, D. ſolu. mat. l. 1. l. 2. D. de dot. prælег.

REPRAESENTARE, pro locum alterius ac numerũ obtinere, uel tantundem ualere. Vlp. l. 1. §. 1. D. Si is qui teſt. Culpa dolo proxima dolum repræſentat.

REPROMITTERE, eſt ei qui nobis ſtipulãtibus antea promiſit, nunc iam uiciſsim a nobis ſtipulãti promittere. Cicero pro Comœdo, Repromittis tu abhinc triennium Roſcio. Quod a Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Roſcio me ſoluturum ſpondeo. Item, Repromiſiſſe Fannium Roſcio, ſi quid a Flauìo exegiſſet, eius partem dimidiam, ſed omniuo exegiſſe nihil. quid(tu non exitum exactionis, ſed initium repromiſsionis ſpectare debes. Roſcius Fannio ſtipulanti pecuniam certam ſpopondit, pro opera & labore quem in communi iudicio perſequendo ſumpſerat: ſed uiciſsim Roſcius ſtipulatus ab eo eſt dimidiam eius quod exigeret partem. Promiſſor igitur fuit Roſcius priore loco: repromiſſor Fannius, poſteriore: ſicuti ſtipulator priore loco Fannius, reſtipulator poſteriore Roſcius.

REPROMITTERE porrò & ſatiſdare opponuntur. nam ſatiſdatur adhibito fideiuſſore: repromittitur nuda cautione ac ſine fideiuſſore, uti patet ex l. 1. §. 1. D. de ſtip. Prætor. Sed hi quidem qui ſuo nomine cauent, repromittunt: qui alieno, ſatiſdãt. Sic l. ult. §. ſi legat. D. qd̃ legat. l. 6. ut legat. nom. l. 23. D. de uſuf. legat.

REPVDIVM, uide Diuortium.

REPVDIARE hæreditatem, uide Recuſare.

REPVDIVM generale nomen eſt, & tam de coniugibus, quàm de ſponſis dicitur. Diuortium autem de maritis tantum. uide l. 2. D. de diuort. & l. 191. D. de uerb. ſigni.

REPVDIARE, alieni hæredis eſt: Abſtinere, neceſſarij. §. 6. De hæred. qualit. & diff.

REPVTATIONES ſub Rubri. C. de reputationibus, dicuntur compenſationes quæ contra minores in integrum reſtitutos fiunt. ut enim illis contra uenditionem reſtitutis fundus cũ fructibus reſtituuntur, ſic illi precium eum uſuris reddunt. l. patri, 27. §. prædium, l. minor, 40. §. 1. l. tutor, 47. §. ult. D. de minorib.

RES, quantum ego exiſtimare poſſum, quatuor in libris noſtris ſignificat: primum id quod planè ac latinè Rem dicimus, quæ appellatio infinita eſt, deinde bona omnia, tertiò litem, poſtremò utilitatem.

RES propria ſignificatione dicitur ueluti cum Re contrahi obligationes dicimus, quæ neque nudo conſenſu, neque uerbis, neque literis, ſed tantum rei traditione contrahuntur. l. 1. D. de obli. & act. Hinc In rem ſcriptæ actiones, & pacta in rem: denique quoties indefinitè ſine certæ perſonæ uotatione aliquid fit. quo de genere dicendi ſcripſimus ſub litera I. Sub eodem genere ſunt, Rub. de rebus credit. Rerum amot. De rerum diuiſion. &c.

RES pro ijs omnibus quæ bona nominantur. unde

IN REM actiones dictæ, quibus ea omnia quæ bonorum appellatione continentur, petimus. Item

REM pupilli ſaluam fore ſatiſdatio eſt, cum tutores cauent, bona pupilli finita tutela ſalua & integra redditum iri. l. 1. & paſſ. D. rem pupill. ſal. Item

REI uxoriæ actio, id eſt actio dotis ſoluto matrimonio repetendæ. l. un. C. de rei ux. act.

REI ſeruandæ cauſſa in poſſeſsionem mitti. l. 1. & paſſ. quib. ex cauſ. in poſſ.

RES pro hæreditate. ut cum dicimus bonorum poſſeſsionem aliam eſſe cum re, ſi is qui accepit, cum effectu bona retineat: ſine re, cum alius iure ciuili euincere hæreditatem poteſt: ueluti ſi ſuus hæres inteſtato ſit. ut ait Vlp. cap. Inſt. 28. & ſic accipiẽda l. 1. §. pen. D. ſi tab. teſt. null. l. poſthumus, 12. D. de iniuſt. teſt.

RES, pro lite. ut cum dicimus Res comperendinata: id eſt, inquit Feſtus, iudicium in tertium diem cõſtitutum. unde illud Ciceronis contra Iuriſconſ. in orat. Muræniana: Tot homines, tam ingenioſos ſtatuere non potuiſſe, utrum rem an litem dici oporteat. Et in formulis, ut Varro in VI. De lingua ſcribit: QVAM rem ſiue litem dicere oportet. Hinc illud Vlpiani in l. 8. §. 1. D. de inoff. teſt. Si quis poſt rem inofficioſi ordinatam litem de reliquerit, poſtea non audietur. Hinc

RES iudicata dicitur, quæ finem controuerſiarum pronun-

pronunciatione iudicis accipit:quod uel condemnatione,uel abſolutione contigit.l. 1. D.de re iud.

Res pro utilitate & emolumento. unde Actio de in rem uerſo:lib.xv.tit.111.Item

In rem ſuam procurator,qui alienas actiones ſuo commodo exercet.l.41.D.de re iudic. Item

In rem ſuam fideiuſſor, ad quem emolumentum negocij peruenturum eſt. l. 8. §. 1. D. qui ſatiſd. cogant.

Resciſsio,præciſè ꝓ Reſciſsio matrimonij,quū ſcilicet Prætor matrimonium in danda poſſeſsione pro nihilo ducens:tacitè illud reſcindit,& quãtum ad ius impetrandæ poſſeſsionis pertinet, extinguit. Vlpianus l.3.§.5.D.de bono. poſſ. cont Si emancipatus filius uxore non ex uoluntate patris ducta filium fuerit ſortitus, de iu nepos patre iam mortuo ad bonorum poſſeſsionem aui uelit uenire: admittendus eſt ad eam.non enim per reſciſsionem is qui filius iuſtus eſt,efficietur non filius:quum reſciſsio, quo magis admittantur. non quo minus,adhibeatur. Senſus, eſt Non ſi filius a patre exhæredari potuit, iccirco nepos aduerſus aui tabulas petere bonorum poſſeſsionem non poteſt.nam Prætor cauſſam propter quam exhæredari filius potuit,nimirum turpe illud matrimoniũ, reſcindit,& quantum in ſe eſt extinguit. nec enim minus in hoc nepote merita nepotis, quàm patris eius delicta perpendit, uti continuo Vlpianus ſubiecit. Non ignoramus tamen aliter alijs placuiſſe:ſed doctoribus iudicium relinquimus.

Rescissoria actio:uide Actio reſciſſoria.

Rescribere dicebantur debitores, cum pecuniã reddebant: Scribere aut Dictare creditores,cum credebant. Hora. Satyr.lib.11.

Putidius multo cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis,quod tu nunquã reſcribere poſſis. Et ibi.
Scribe decem Nerio:non eſt ſatis,adde Cicuta.

Moris fuit ut creditores in argentariorum, apud quos ſuas pecunias collocarant,tabulis expenſum alieni ferrent, & argentario id nomen dictarent. Debitores autem cum eam pecuniam reddidiſſent, eidem argentario,ut nomen expungeret, & pecuniam in acceptum referret,dictabant. Donatus in Phormion. Reſcribi,inquit, eſt reddi, ſeu per menſæ ſcripturam dari. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit ſcriptura, Reſcribere dicebant,pro Renumerare. Per ſcripturam, id eſt de menſæ ſcriptura dari. Vnde hodie additur chirographis, Domo ex arca ſua: uel ex menſæ ſcriptura. Vide Tranſcribi:& Seruij locũ vii. Aenei.

Rescribere dicebantur Iuriſconſulti, cum ſua reſponſa conſulentibus ſcripta reddebant. Sic in l. ex contractu,44.D.de re iudi. rescripsit,pro Reſpondit.

Rescripta principum dicuntur, quibus illi uel ad libellos præſentium, uel ad magiſtratuum abſentium conſultationes quid ſibi de ea re fieri placeret,reſpondent.ut l.ſed ad.19.§.9.D.loc.l.diui fratres,17.D.de iur.patron.

Residvae pecuniæ dicebantur, quæ apud eum qui publicam pecuniam adminiſtrarat, ſupererãt: cùm uel in uſum publicum erogari, uel in ærariũ referri deberent. Paulus l.22.D.ad leg.Iul.de pecul. Lege Iulia de reſiduis tenetur,qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in eum conſumpſit,Et l.4.§.1.eod.Lege Iulia de reſiduis tenetur is,apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia quam accepit,aliave qua cauſſa pecunia publica reſedit.

Residvvm aliquando totum ſignificat. Antoninus l.2.C.de hæred.inſtit. Pater tuus ſi ex reſidua parte inſtitutus eſt quam alter hæres ſcriptus capere non poterat,isq; ad nullam partem hæreditatis per conditionem ſuam admitti potuit, ex aſſe hæres extitit: nam reſidui commemoratio etiam totum admittit.

Resticvlvs,paruus reſtis. Vlpianus l.5.§.ult.D. de his qui deiec.uel effud. Si amphora ex reſticulo ſuſpenſa decidiſſet. Legitur tamẽ reticvlo.

Restipvlari,eſt ab eo cui quid antè a nobis ſtipulanti promiſimus,uiciſsim aliquid ſtipulari. Cice. pro Comœdo,Cur igitur decidit, & non reſtipulatur neminem amplius petiturum? Loquitur de Flauio, a quo Roſcius tranſactionis nomine fundum ſtipulatus erat.quærit igitur ſi totius ſocietatis nomine fundum Roſcius ſtipulatus eſt, quid ita Flauius reſtipulatus non eſt,amplius eo nomine neminem petiturum? Item, Recita iſtam reſtipulationem clarius. Quid enim ſtipulatio clamat? Quid hic porrò nunc reſtipulatur, quod iamprìdem ipſe exegit? Loquitur de Roſcio, qui ſtipulatur iam a Fannio partem exactionis futuræ dimidiam,cum antea eidem ſtipulanti certam pecuniæ ſummam pro ſuſcepta in Flauio perſequendo moleſtia & opera,ſpopondiſſet. Stipulator igitur antea fuerat Fannius, reſtipulator poſtea Roſcius: quemadmodum promiſſor antea Roſcius, nunc promiſſor Fannius ut facilè appareat aliud a Cicerone repromiſsionem,aliud Reſtipulationem appellari. quod uix aſſcribendum huic operi putaſſem,niſi Franc. Connani miram in ea re hallucinationem animaduertiſſem, cùm tamen in l.damni, 43.§.1.D.de damn.inf. Alfenus apertiſsimè Reſtipulandi uerbo & in re ſit uſus.

Restitvere is intelligitur,inquit Paulus, qui ſimul & cauſſam actori reddit,quam is habiturus eſſet,ſi ſtatim iudicij accepti tempore res ei reddita fuiſſet: id eſt, & uſucapionis cauſſam & fructum. l.35.D.de uer.ſig.

Restitvit, ait Pomponius,non ſolùm qui ſolum corpus,ſed etiam qui omnem rem conditionemq; reddita cauſſa præſtet: & tota reſtitutio iuris eſt interpretatio.l.246.§.1.D.de uer.ſig.

Restitvere tutelam,pro rationem & reliqua tutelæ:apud Africanum in l.10.D.rem pup.ſal.

Restitvere in interdicto, Ne quid in loco pu-

blico.

blico,&c.uidetur(inquit Vlp.) qui in priſtinum ſtatum reducit.quod fit, ſiue quis tollit id quod factum eſt, uel reponit quod ſublatum eſt.l.2.§.27.D.ne quid in loco pub.Vide Exhibere.

Restitvere is uidetur,inquit Paulus, qui id reſtituit quod habiturus eſſet actor ſi controuerſia ei facta non eſſet.l.75.D.de uerb.ſig.

Restitvtoria actio,uide Actio reſtitutoria.

Restitvtoria inter. ſunt, per quæ Prætor aliquid reſtitui iubet. l.1.& 2. D. de inter. qua de cauſſa ita ſemper concepta ſunt, ut uerbum restitvas addat.ueluti,Quod precariò ab illo habes, id illi reſtituas. Reſtituendi autem uerbum duas ad res pertinet.aut enim res reſtitui iubetur: ut in Quorum bonorum, & Vnde ui:aut opus,ut De fluminib.De cloacis,&c.

Restitviri,uel,quod uerius eſt,Reſtituiri,uetuſtè pro Reſtitutum iri.Iulia.l.23.D. de act.empt. Et præterea cauere debet, quicquid ex hæreditate liberti ad eum peruenerit reſtituiri. Paulus l.52. in fi. D. de pecul. Vel interpoſita cautione,ſi priores agant qui priuilegium non habent, reſtituiri quod acceperunt.Item apud Vlp.l.5.§.1.D. de cond.cauſ.dati.

Restitvtio ab exilio duplex eſt, generalis & ſpecialis.hæc cùm indefinitè concepta eſt, ueluti, In integrum te reſtituo, iura omnia complectitur.l. prima,l.ultima,§.ultimo, C.de ſen.paſſ.l.1.D.eo. ueluti patriam poteſtatem, ius agnationis, aliaq; generis eiuſdem.cùm autem iura quædam nominatim continet,ultrà non ualet.l.2.in inſulam,C. eod.l.2.D.eodem Generalis uerò reſtitutio dicitur,quæ, ueniam duntaxat, & reditum in patriam indulget:itaque neque bona confiſcata reſtituit.l.4.C.de bon.damnat.neque ullas actiones ſiue pro illo,ſiue contra illum conceptę ſint.l.4.& 5.C.de ſent.paſſ.

Retare flumina,pro purgare.nam Retæ, arbores ſunt quæ aut ex ripis fluminum eminent, aut in alueis eorum extant: a retibus quòd prætereuntes naues impediant, quaſiq; irretiant.Hinc edictum uetus, Qui flumina retanda publicè redempta habent,ſi quis eorum ad me adductus fuerit, qui dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit,non feciſſe.Hæc ex Gellio lib.2.cap.17.

Reticvli,cancelli è funiculis tenuibus, aut è neruis:quibus beſtiæ ab loci alicuius aditu arcentur. Vlpian.l.17.§.2.De act. empt. Reticuli circa columnas,plutei circa parietes, itē cilicia uela ædiū non ſunt. Varro lib. De re ruſt 3.ca.5.Inter columnas exteriores pro pariete reticuli è neruis ſunt,ut perſpici in ſilua poſſit,& quæ ibi ſunt, neque auis eas tranſire.In l.41.§.7.De leg.1.ſimpliciter Cancelli appellantur.

Reticvlvm a reti,dictum,inquit Varro,quòd capillum retineret. Vlpianus in l.25.§.4.D.de aur. arg.inter mulierum ornamenta Reticula recēſet.

Revs antiquis dictus eſt a Re,id eſt lite: ut ſub uoce Res docuimus. itaque Cicero in 2. de Ora. Reos,inquit,appello, nón eos modò qui arguuntur,ſed omnes quorum de re diſceptatur.ſic enim olim loquebâtur.Et Gall.Aelius apud Feſt. Reus eſt,inquit, qui cum altero litem conteſtatam habet,ſiue is egit,ſiue cum eo actum eſt. Quibus ex uerbis apparet, Reos antiquis eoſdem fuiſſe, qui nunc Litigatores appellantur.Poſtea uerò diſtinguendarum appellationum cauſſa, & ne nomina confunderentur, Rei dici cœpti ſunt (ut Feſtus inquit)a re quam promiſerunt,ac debent:hoc eſt, ij unde quid iudicio petitur.Reus, inquit Feſtus, nunc dicitur, qui cauſſam dicit, & item qui quid promiſit,ac debet. Hinc

Revs ſtipulandi dicitur,qui ſtipulatus eſt.

Revs promittendi, qui promiſit.l.1.& paſſ. D. de duob. reis. & apud Gallū Aelium auctore Feſto.

Revs ſtipulando eſt idem, qui ſtipulator dicitur. quippe ſuo nomine ab altero ſtipulatus eſt,non is qui alteri aſtipulatus eſt.

Revs promittendo, eſt qui ſuo nomine alteri quid promiſit. Sic a Paulo in l. ſi duo, 34. D. de recept.arb.

Revs credendi dicitur,qui credidit.

Revs debendi,qui debet. Item

Revs ſatiſdandi,qui fideiuſſorem dedit.

Revs ſatiſaccipiendi, qui accepit. L qui hominem, 34.§.quidam,D.de ſolut. Hinc

Rei promittendi plures fieri dicuntur, qui coniunctim interrogati ſeparatim reſpondent.l.1.& 4. D.de duob.reis. Item

Rei eiuſdem pecuniæ,qui eandem pecuniam promiſerunt.l.non quocunque, 82.§.qui Caium,D. de legat.1.l.hæres,21.§.pen.D.de fideiuſſ.

Revm facere in publicis iudicijs, eſt eius nomen ad magiſtratum cuius de ea re notio eſt, deferre, ut ei dies audiendæ accuſationi dicatur.l 3.D. de accuſat.Hinc Aſconius:Quid eſt,inquit,Reum fieri,niſi apud Prętorem legibus interrogari?Quum enim in ius uentum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorē reo,Aio te Siculos ſpoliaſſe. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur,ut uictoi ſi negaſſet,petebatur à magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio.hæc ille. Interea autem eius nomen in reorum album referebatur,ut cauſſa ex ordine ageretur: dicebaturq; in reos receptus uel relatus. Libellorum autem conceptio qualis fuerit. Paulus in d.l.3.D. de accuſat. demonſtrat.

Reatvs,eorum conditio qui rei facti ſunt, quandiu pendet accuſatio.l.ſi.diutino,25.D. de pœn.l.aufertur,46.§.in reatu,D.de iur.fiſc.

Ridica, pedamentum uitium. Vlpian.l.11.§.3.D. quod ui aut cl. Si quis in uineas meas uenerit, & inde ridicas abſtulerit, hoc interdicto tenebitur. Varro de re ruſt.lib.1. cap. 8. Pedamentum item ferè quatuor generum.unum robuſtum,quod optimum ſolet afferri in uineam è quercu ac iunipero,

pero,& uocatur Ridica.

Ripa ita rectè definietur, inquit Vlp. id quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens l. 1, De flumin. item in l. 3. Ripa ea putatur, quæ pleniſsimum flumen continet. l. 3. eod.

Ripa, fluminis dicitur: Litus uerò, maris. Itaq; inſulæ in flumine natæ extremitas, ripa: in mari, litus à Proculo appellatur. Si qua, inquit, in flumine tua eſt, nihil in ea publici eſt. Paulus, In eo genere inſularum, ripæ, flumini: & litora, mari, proxima publica ſunt. Hæc Paulus l. 65. §. 1. D. de acq. rer. do.

Riscvs in mundo muliebri ponitur ab Vlpiano in l. 25. §. 4. D. de aur. arg. Pollux ῥίσκον inter arculas memorat. unde ſuſpicor eam ſignificari capſulam in qua linteola munda mulieres reponunt, quibus lotam corporis partem abſtergunt. Riſcus enim cum lauatione coniungitur.

Rivales Vlp. in l. 1. §. 20. D. de aqu. quot. & æſti. interpretatur, qui per eundem riuum aquã ducũt.

Rivvs, inquit Vlp. eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat, cui nomen eſt ἀπὸ τοῦ ῥεῖν l. 1. D. de riuis.

Rixa, uide Turba.

Rofferedvs iuriſconſult. Beneuentanus, ius ciuile publicè Bononiæ, dein Aretij profeſſus eſt circiter annum M. CC.

Rosam Pompo. in l. 21. §. 1. D. de aur. & arg. numerat inter ea unguenta, quæ ualetudinis cauſſa ſunt parata. Ergo Roſam pro oleo roſaceo poſuit: uti Celſus li. 8. cap. 4. Quòd ſi membrana per inflammationẽ intumuerit, infundenda erit roſa tepida.

Rvbrica terra rubra, qua ueteres interdum, interdum etiam minio, librorum indices, id eſt titulos, & capita notabant. unde Paulus in l. 2. §. recup. D. de interd. Recuperandæ, inquit, poſſeſsionis cauſſa interdicta proponuntur ſub rubrica Vnde ui. Hinc illud Iuuenal. Sat. XIIII. Perlege rubras Maiorum leges. Hinc Perſij Sat. V. Si quid Maſuri rubrica notauit. Hinc Fab. lib. 12. cap. 3. Alij ſe ad album & rubricas tranſtulerunt: & formularij uel leguleij eſſe maluerunt. Ouid. lib. 1. de Triſtib.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Rvdvs ruderis, lapides rudes, ut in dirutis ædificijs. Vlpianus l. 3. De ſeruit. ruſt. Poſſe te cedere ius ei eſſe terram, rudus, ſaxa iacere, poſita habere.

Rvdvscvlvm non modò pro ære infecto uulgus uſurpat, ſed etiam pro ſignato: ut quum dicitur in mancipando, Ruduſculo libram ferito: id eſt aſſe tangito libram. Feſt.

Rvmpi teſtamentum dicitur. cùm permanente ſuo in ſtatu teſtatore caſu aliquo euertitur. l. 3. §. 1. D. de iniuſt. rupt. ueluti agnatione poſthumi, adoptione uel arrogatione filij filiæve, alterius teſtamenti factione, dummodo hæres ex eo eſſe potuerit. uide Irritum fieri.

Rvmpitvr teſtamentum, cùm in eodem ſtatu manente teſtatore, ipſius teſtamenti ius uitiatur: ait Imp. tit. quibus mod. teſt. in princ.

Rvpisse uerbum in Aquilia lege ferè omnes ueteres ſic intellexerunt, pro corrupiſſe. l. 27. §. 9. D. ad l. Aquil.

Rvpitias in XII. ſignificat Damnum dederis: ait Feſtus.

Rvptvm intelligitur quod quoquo modo corruptum eſt: ait Imp. §. 8. ad l. Aquil.

Rvra ueteres incultos agros dicebant, id eſt ſyluas & paſcua. Ex lib. uarior. auctor de limitibus.

Rvta cæſa quæ in prædiorum legibus excipiebantur, Vlp. ſic interpretatur in l. fundi, 17. §. 3. D. de act. empt. ut Ruta ſint, quæ eruta ſunt: ut arena, creta & ſimilia: Cæſa uerò, ut arbores cæſæ, carbones, & his ſimilia. Quintus uerò Mutius: Ruta cæſa, inquit, ea ſunt, quæ neque ædium, neque fundi ſunt. l. in uendendo, 66. in fi. D. de cont. empt. Et in l. 241. D. de uerb. ſign. In rutis cæſis, inquit, ea ſunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere ſtructili tectoriove non continentur. Itaque Iauolenus in l. granaria, 18. D. de act. empt. ſcribit granaria quæ ex tabulis fieri ſolent, & ſupra terram ſunt, ſic ut ſtipites eorum in terra defoſsi non ſint, itemq; tegulas quæ nondum ædificijs impoſitæ ſunt, in rutis & cæſis haberi. Cicer. 2. de Orato. Te, cum ædes uenderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. ubi Solium, Iuriſconſulti ſellam ſignificat. Idem in Partit. Cum ex teſtamẽtis quæritur quid ſit penus, aut cum ex lege prædij quæritur, quæ ſint ruta cæſa. Idem in Topic. Feciq; quod ſæpe liberales uenditores ſolent: ut cùm ædes fundumve uendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa aptè & loco poſitum eſſe uideatur.

DE LITERA S.

SF.S. Sine fraude ſua, ut in lege Iulia de adulterijs, Retinere adulterum horas uiginti. ſine fraude ſua iure liceat. ut ait Vlpia. in l. capite, 25. D. de adult. Valerius Probus inter notas refert.

Saccarivs, operarius, qui ſaccis geſtandis quæſtũ facit. Paulus l. 40. §. 3. D. de cont. empt. Non magis quàm ſi quid ex ſacco ſaccarij cecidiſſet, aut ex eo quod auibus ex aere cecidiſſet.

Saccvlarii qui uetitas in ſacculo artes exercentes partem ſubducunt, partem ſubtrahunt: nominantur in l. 7. D. de effractor.

Sacerdotes, curatores ſacrorum. Paulus l. 32. §. 3. D. de recept. qui arb. Sacerdote obueniente uidebimus, an cogatur arbiter ſententiam dicere: id enim nõ tantùm honori perſonarum, ſed & maieſtati Dei indulgetur, cuius ſacris uacare ſacerdotes oportet.

Sacra priuata gentis cuiuſque fuiſſe quæ Dijs penatib. paterfamiliàs faceret, conſtat ex Cicero-

nis

nis lib. de legib. 2. Emancipati autem liberi arbitratu ſuo ſacra ſibi conſtituebant. Hinc filijſfamiliàs in ſacris paternis eſſe dicuntur.l.2. C. de bon. quæ lib.in ſacris manere.l.filiæ, 12. C. de collation.l.pen.C.de adopt.in ſacris parentum conſtituti.l. ult. C. de inoff. teſta.l.ult. C.ad Tertull.l. ult.C.de cur.fur.in ſacris poſiti. l. in coniunctione,20.C.de nupt.in ſacris retineri.l.3.C.de bon. mater.Hinc adoptati qui in alterius gentem tranſibant, in eius gentis ſacra tranſire dicebantur: ut apud Val.Max.lib.7.ca.7.Et qui per mancipationem de familia demigrabant,a ſacris paternis dimitti, & abſolui.l.quidam, 31. C. de fideic. l. 1. C.de annal.except.l.de emancipatis, 13.C.de legit.hæred.

SACRA loca ea ſunt,quæ publicè ſunt dedicata,ſiue in ciuitate ſint,ſiue in agro.l.9.D.de rer. diuiſ.

SACRAE res ſunt,quæ publicè conſecratę ſunt,non priuatè. ſi quis ergo priuatim ſibi ſacrum conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. l. 6.§.2. D.de diuiſ.rerum.

SACRAE res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt,ueluti ædes ſacræ, & Donaria quæ ritè ad miniſterium Dei dedicata ſunt:ait Imp.§.6. De rer.diuiſ.Sic Trebatius, Sacrum eſt, inquit, quicquid eſt quod deorũ habetur. apud Macrob. Satur.lib.3.cap.3.Et Gallus Aelius apud Feſtum: Sacrum eſt, inquit,quodcunq; modo & inſtituto ciuitatis conſecratum ſit,ſiue ædes, ſiue ara, ſiue ſignum,ſiue locus, ſiue pecunia, ſiue quid aliud quod diis dedicatum & conſecratum ſit.

SACRAMENTVM dicitur ea pecunia quæ uenit in litibus:a ſacro. Qui petebat & qui inficiabatur, de aliis reb. uterq; quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item, certum alium legitimum numerum aſsium. Qui iudicio uicerat,ſuum ſacramentum a ſacro auferebat:uicti, ad ærarium redibat. Varro lib. De lingua v.

SACRAMENTVM,inquit Feſtus,æs ſignificat, quod pœnæ nomine penditur, ſiue contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſsium eſt, in aliis quingentorum inter eos qui iudicio inter ſe contenderent. qua de re lege L.Papirii Tribuni pl. ſancitũ eſt his uerbis: Quicunq; Prætor poſt hæc factus erit,qui inter ciues ius dicet, Treſuiros capitales populum rogato:iiq; Treſuiri * quicunque * ciere ſacramenta * exigunto,iudicantoq;:eodemq; iure ſunto, ut quos ex legibus,plebisve citis exigere,iudicareve oportet. Sacramẽti autẽ nomine id æs dici cœptum eſt, quod & propter ærarii rationem, & ſacrorum publicorum multitudinem conſumebatur in rebus diuinis. Sic enim optimi ſcriptoris diuulſos inter ſe locos reconciliarem: quibus quod afferre medicinæ potuimus, ſtudioſè attulimus. Videndum etiam an pro Capitales,Monetales legendum ſit: cum ſatis conſtet a Capitalium Treuirorum procuratione alienum hoc negocium fuiſſe.

SACRARIVM & ſacer locus differunt.nam ſacer locus,eſt locus conſecratus: ſacrarium eſt locus in quo ſacra reponuntur: quod etiam in ædificio priuato eſſe poteſt.l.9.D.de diuiſ.rerum.

SACRATAE leges ſunt, quibus ſancitum erat. ut ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet.Sunt, qui eſſe dicant ſacratas quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit. Feſtus.

SACROSANCTVM quid ſit,uide Sancta.

SALAMANDRA,uenenatum animal ac peſtiferum,ut ſcribit Plin.lib.10.cap.67.Itaque a Marciano inter uenena connumeratur. l. 3. §. 1. D. ad legem Cor.de ſicar.

SALARIARIVS,cui ſalarium ſoluitur. Vlp.l.10.§.8. D.mandat. Niſi ſi ſalariarius fuit,& hoc conuenit ut ſumptus de ſuo faceret ad hæc itinera, hoc eſt de ſalario.

SALIENTES,fontes tubulis fiſtulisve aquam fundẽtes:nomine ex eo deducto, quòd aqua ex tubuli capite in labrum fluens, ſalire uideatur. Vlp.l.15. D.de act.empt.Lines,& labra, ſalientes, fiſtulæ quoque quæ ſalientibus iunguntur. Vlpia.l.12.§. 14.D.de inſt.uel inſt.Fiſtulæ autem & canales, & crateres,& ſi qua ſunt alia ad aquas ſalientes neceſſaria,&c.

SALTVM Gallus Aelius lib.2. ſignificationum quæ ad ius ciuile pertinẽt,ita definit, Saltus eſt ubi ſyluæ & paſtiones ſunt quarum cauſſa caſæ quoque & ſi qua particula in eo ſaltu paſtorum aut cuſtodum cauſſa aratur, ea res non peremit nomen ſaltui:non magis quàm fundi, qui in agro culto, & eius cauſſa habet ædificium, ſi qua particula in eo habet ſyluam. Feſtus. Hinc

SALTVARII,a ſaltu.eorum duo genera fuere, quemadmodum ſcribit Vlpianus l. 12. §. 4. D. de inſt. uel inſt. alii enim fructuum ſeruandorum gratia parati erant: alii finium cuſtodiendorum cauſſa. De illis mentio fit apud eundem in l. 8. in fi. D. eod. de his apud Pompo. l. 16.§.1.De uſu & habit.& apud Alfenũ l.60.§.3.D.de leg.& fid.li.32.

SALVIANVM interdictum, uide Interdictum Saluianum.

SANATES dicti ſunt, qui ſupra infraq; Romam habitauerunt.quod nomen ijs fuit,quia quum defeciſſent a Romanis, breui pòſt rediere in amicitiã, quaſi ſanata mente. Itaque in XII. cautum eſt,ut idem iuris eſſet Sanatib.quod fortibus: id eſt bonis,& qui nunquam defecerant a pop. R.Feſtus.

SANCTA propriè dicimus,quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam cõfirmata:ut leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ.quod enim ſanctione quadam ſubnixum eſt,id ſanctum eſt, etſi Deo non ſit conſecratum. & interdum in ſanctionibus adijcitur, ut qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur.l.9.§.2.D.de diuiſ.rerum.

SANCTIO legum triplex eſt: ſumma, media & infima.Summa eſt,quæ id quod aduerſus legem commiſſum

miſſum eſt,ipſa per ſe ac ui ſua id eſt,ſine magiſtratus opera reſcindit:ueluti Sanctio legis Aelię Sentiæ,quę libertatem eius qui in fraudem creditoris manumiſſus eſt , irritam eſſe iubet.§.2.Qui & quib.ex cauſsis.Media eſt,quæ non per ſe,ſed magiſtratus opera quod commiſſum eſt reſcindit ueluti ſi res uendita non ualet dimidium precij , uel precium nó ualet dimidium rei.l.2.C. de reſcind. uend.Item cum ea quæ in fraudem minorum aut creditorum facta ſunt,reſtituuntur.Infima eſt, cũ quod commiſſum eſt non reſcinditur , ſed is qui commiſit multatur:uelut in lege Furia teſtamentaria , quæ plus mille aſsium legatum , mortisve cauſſa capere uetat , & aduerſus eum qui plus ceperit.quadrupli pœnam conſtituit.

SANCTIONES uocamus eas legum partes , quibus pœnas conſtituimus aduerſus eos qui contra leges fecerint:ait Imp:§.8.de rer. diuiſ.Pap in.l.41. D.de pœn.Sanctio legum quæ nouiſsimè certam pœnam irrogat , ijs qui præceptis legis non obtemperauerint,ad eas ſpecies pertinere non uidetur quibus ipſa lege pœna ſpecialiter addita eſt. Eius ſanctionis exemplum pulcherrimum libet ex reliquijs legis Regiæ quam ſuo loco deſcripſi, propter ſummam elegantiam & uetuſtatẽ adſcribere.Si quis huiuſce legis ergo aduerſus leges,rogationes , plebisve ſcita,ſenatusve conſulta fecit, fecerit,ſiue quod cum ex lege,rogatione,plebisve ſcito S.V E.C.facere oportebit,non fecerit,huius legis ergo id ei ne fraudi eſto , neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve iudicatio eſto:neve quis de ea re apud * ei ſinito. Cicero ad Att. lib.3.Epiſt.23.Scis enim Clodium ſanxiſſe , ut uix aut omnino non poſſet nec per Senatum , nec per populum infirmari ſua lex.ſed uides nunquam eſſe obſeruatas ſanctiones earum legum,quæ abrogarentur . nam ſi id eſſet, nulla ferè abrogari poſſet:neq; enim ulla eſt , quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate obrogationis. Idem Verrina VI. Quid multa?niſi uehemẽtius homini minatus eſſem,niſi legũ ſanctionẽ pœnamq; recitaſſem , tabularum mihi poteſtas facta non eſſet .

SANCTVARIVM Cæſaris appellat Siculus Flaccus , ſanctius tabularium principis,in quo agrorũ omnium & diuiſſorum & aſsignatorum formas & diuiſionem commentarius & principatus habet.

SANCTVM eſt,ait Trebat.Interdum idem quod ſacrũ, idemq; quod religioſum:Interdum aliud , id eſt,nec ſacrũ , nec religioſum: nimirũ incorruptũ & inuiolatũ.Hæc Macrob.li.3. ca.3. Feſt.aũt lib. 16.Inter ſacrũ & ſanctũ & religioſum differẽtias Aelius Gallus belliſsimè refert.ſacrũ ædificiũ cõſecratũ Deo.ſanctum , murũ qui ſit circa oppidũ. religioſum,ſepulcrum ubi mortuus ſepultus . aut humatus ſit. Sed illa portione quadam & temporibus eadẽ uideri poſſe.Siquidẽ quod ſacrum eſt, id lege aut inſtituto maiorum ſanctum eſſe putant, quòd uiolari id ſine pœna non poſsit . idem religioſum quoque eſſe , quòd iam ſit aliquid, quod ibi homini facere non liceat,& quod ſi faciat , aduerſus deorum uoluntatem uideatur.facere.Similiter de muro aut ſepulcro debere obſeruari,ut eadem & ſacra & ſancta religioſa fiant.Hæc Feſtus. Propriè autem ſancta dicuntur,quæ ab iniuria hominum defenſa atque munita ſunt: inquit Marcianus l.8.D.de rer.diuiſ.Munita autem propter pœnam propoſitam ſignificat . Nam ſancire eſt ſanguine fuſo confirmare:ut Seruius Grammaticus teſtatur.neque Marciano aſſentior,qui a ſagminibus hoc uerbum eo loco deducit. quin Feſto potius aſtipularer , qui ſagmina a ſanciendo , id eſt confirmando deducit . A ſanguine autem confictum eſſe , uel ex conſuetudine ſacrorum ſolennium , quam Salluſtius in Catilinaria commemorat , intelligi poteſt. Fuere , inquit , qui dicerent, Catilinam cùm ad iuſiurandum populares ſceleris ſui adigeret(ſic enim legendum , non Addiceret)humani corporis ſanguinem uino permiſtum in pateris circumtuliſſe . inde cùm poſt execrationem omnes deguſtaſſent , ſicuti in communibus ſacris fieri conſueuit , aperuiſſe conſilium ſuum,&c.Sancta ergo prima ea ſunt,quæ cæſa uictima , & execratione interpoſita , confirmata ſunt.Et ſacroſancta,iudicio meo, illa eadem propriè , quaſi quæ ſacro facto ſancita ſunt . Sed Liuius lib. III. quum idem propè ſibi uideri ſignificaſſet , Iuriſconſultis tamen aliud placere oſtendit : Cùm inuiolatos Tribunos plebis , inquit, religione, tum lege etiam fecerũt,ſanciendo , ut qui eis nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet:familia ad ædem Cereris , Liberi , Liberæq; uenum iret . Hac lege Iuris interpretes negant quenquam ſacroſanctum eſſe , ſed caput eius qui eorum cuiquam nocuerit , ſacrum eſſe ; id ſanciri . Hæc Liuius. Eamque Iuriſconſultorum etymologiam. Feſtus lib.17.ſecutus : Sacroſancti, inquit , dicuntur , qui ſanciuntur ut ſint ſacri , ſi ſacrum uiolent . Itaque ſacroſancta duobus modis fiunt:Religione , ſiue Iureiurando : & Lege . quorum utrunque Liuius eodem loco ſignificat , his uerbis : Et cum religione inuiolatos eos , tum lege etiam fecerunt . Paulo autem pòſt religionem Iuſiurandum interpretatur . Dionyſius autem libro ſexto , Iurarunt , inquit, per ſacra omnia, ſe poſteroſque ſuos hanc perpetuò legem obſeruaturos : addita execratione , ut qui legi parerent , ita deos ſuperos atque inferos propitios haberent : qui non parerent , infeſtos. Hunc utrunque modum exponit Cicero in ea pro Corn. Balbo , eo loco quem corruptum ſubſcribam , pòſt emendabo . Qui fuit in ea rogatione , quod ſacroſanctum uideretur? Primùm enim ſacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plebsve ſanxiſſet . Deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœnæ : cum

caput

caput eius,qui contrà facit cõſecratur. Sic igitur locũ emẽdo: Aut genere ipſo, ut obteſtatione & cõſecratione Legis: aut pœna,cũ caput eius, &c. Duos.n.tãtùm hos fuiſſe modos, locus inſequẽs, ubi ex enumeratione partiũ argumẽtaẽ, pſpicuè oſtẽdit. Quid habes igitur dicere,inquit, de fœdere eiuſmodi? Verũ à capitis cõſecratione, an obteſtatione Legis ſacroſanctũ eſſe cõfirmas? Ex quibus copioſè diſputatis pſpicuũ eſſe arbitror, hoc inter Sanctum & Sacroſanctum intereſſe, quòd inter genus & ſpeciem. Sacroſancta enim dicuntur ea,quæ ſub capitis pœna ſancita ſunt, ut inuiolata & incorrupta eſſent. Quæcunque uerò pœnã aliquam continent paulo grauiorẽ. Sancta nominantur. Planum eſt præterea & ſancta & ſacroſancta ea plurimum dici,quæ inuiolata ſunt. Hinc Cicero in ea pro domo ſua, de cuiuſque domo uerba faciens: Hoc,inquit, perfugium eſt ita ſanctum omnibus,ut inde abripi neminem fas ſit. Hinc ſacroſanctæ eccleſiæ dicũtur à Iuſtiniano, quæ aſylũ præbent. Hinc illud Ciceronis in Catilinam: Quid enim expectas? bellum? quid ergo? in uaſtitate omniũ tuas poſſeſsiões ſacroſanctas futuras putas? Hinc ſacroſancta fœdera ſemper appellantur,quia gentibus omnibus moris fuit, ut ea ſanguine ſancirent. Cuius rei exemplum inſigne teneri non poſſum, quin hoc loco ex Corn. Tacit. lib. 12. ſubſcribam. Mos eſt, inquit, Regibus (de Armenia loquitur) quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras, polliceſq; inter ſe uincire nodoq; perſtringere. Moxque ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.

SANGVINOLENTI appellabãtur infantes expoſiti, q recens nati efferrẽtur. ſub Rub. C. de infantib. expoſit. & de ijs qui ſanguinolentos nutr. accep. & in l. ult. C. de patrib. qui fil. diſt.

SARCTTO in XII. Seruius Sulpitius ait ſignificare Damnum ſoluito, præſtato. Feſtus.

SARCOPHAGVS [illegible]: ſepulcrũ; quaſi carnes excedens, dictum. Macer l. 37. De relig. & ſumpt. fun. Et precium loci in quo defunctus humatus eſt, & ſi qua uectigalia ſunt, uel ſarcophagi, & uectura Item l. 18. §. 4. D. de alim. & cib. Vt per abſentiam filiarum mearum ad ſarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent.

SARDONIX, gemma. Plinius lib. 37. cap. 6. nomen compoſitum ſcribit ex ſarda, lapide in Sardinia reperto, coloris rubri. & Onyx, quæ gemma eſt ad unguis humani ſimilitudinem accedens. Vlpian. Sardonyca numerat inter gemmas magni precij. l. 6. D. de bon. damn. ubi tamen SARDONYCHICA legitur.

SARTA tecta Feſtus ſic interpretatur: Sartè ponebant pro integrè, ob quam cauſſam opera publica quæ locantur, ut integra tecta pręſtẽtur ſarta tecta uocantur. Etenim ſarcire eſt integrum facere. Hæc Feſtus. Sed uideamus ne non de tectis locutio intelligatur: uerum hoc coniunctim pronuncietur, item ut alia complura, in quib. & coniunctio ſubauditur, ut ire agere, uti frui, & quæ ſunt generis eiuſdem: ut ſit Sarcta & tecta. nam C literã interponẽdã puto, qđ à Sarcio declinatum ſit, non à Sarrio. Vlpianus l. 7. D. de offic. procõſ. Aedes ſacras & opera publica circumire inſpiciẽdi gratia, an ſarta tecta quę ſint, uel an aliqua refectione indigeant. Idem l. 7. §. 1. D. de uſuf. Hactenus tamen ut ſarta tecta habeant. item, Vnde Celſus de modo ſarta tecta habendi quærit, ſi quę uetuſtate corruerũt, reficere nõ cogitur. Item apud Macrum in l. 7. §. 1. D. de leg. Iul. Repetund.

SATISACCEPTIO, inquit Pompon. eſt ſtipulatio quæ ita obligat promiſſorem, ut adpromiſſores quoque ab eo accipiantur: id eſt qui idem promittunt. Satis autem accipere dictum eſt eodem modo, quo ſatisfacere. nam quia id quo quis contentus erat, ei præſtabatur, ſatisfieri dictum eſt. l. 5. §. 2. D. de uerb. oblig.

SATISDARE propriè eſt ei ſponſores dare, qui ſibi à debitore cauet. nam ſatisdamus alteri, cauemus nobis. Cauet enim qui ſatisaccipit. Cicero in Bruto, At uerò tibi ego Brute non ſoluam: niſi prius à te cauero, amplius eo nomine neminem petiturum Sed Iuriſconſulti cauere poſtea dixerunt pro cautionem dare & Cauere ſic diſtinguunt à Satisdare, ut qui ſponſorem, id eſt fideiuſſorem det, Satisdare dicatur: qui uerò chirographum, duntaxat, Cauere.

SATISDARE damni infecti eſt, cauere datis fideiuſſoribus ſe damnũ, ſi quod accidat, ei cuius intererit, præſtaturum.

SATISDATIO eodem modo appellata eſt, quo ſatisfactio. nam ut ſatisfacere dicimur ei cuius deſiderium implemus: ita ſatisdare dicimur aduerſario noſtro, qui pro eo quod à nobis petijt, ita cauit, ut eum hoc nomine ſecurum faciamus datis fideiuſſoribus. l. 1. D. qui ſatisd. cog.

SATISDATIO iudicatum ſolui, eſt quum quis ſtipulanti ut ſolueretur ſibi quod fuiſſet iudicatum, datis fideiuſſoribus promittit. ait Imper. titul. de ſatisdat. in princip. nam Iudicatum ſolui, antiquè dictum eſt, pro Solutum iri: & ſatisdare iudicatum ſolui, dare fideiuſſores locupletes, qui ſtipulanti actori promittant, quãtum iudicio facto ſolui oporteret, ſi reus damnaretur, tantum ſuo periculo ſolutum iri, l. 3. & paſſ. D. iudic. ſolui.

SATISDATIO rem ratam dominum habiturum, eſt quum quis ſtipulanti à procuratore alterius ut dominus eius procurationem ratam habeat, datis fideiuſſoribus promittit. uti docet Imp. tit de ſatisd. in prin. & l. 1. & paſſ. D. rem rat. hab.

SATISDATO debere, eſt, datis ſponſoribus ſiue fideiuſſoribus debere. Cice. lib. XVI. Ep. ad Att,

Poſſumus enim, ut ſponſores appellentur, procu-
ratorem introducere: neque enim illi litem conte
ſtabuntur: quo facto non ſum neſcius ſponſores
liberari. ſed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod
ſatiſdato debeat, procuratores eius non diſſolue-
re: & noſtræ grauitatis ius noſtrum ſine ſumma il
lius ignominia perſequi.

Satisfacere dicimur ei cuius deſiderium im-
plemus, inquit Vlpianus l. prima D. qui ſatiſd.
cog. Hinc

Satisfactvm accipimus, quemadmodum uoluit
creditor, licet non ſit ſolutum: ſiue alijs pignorib.
ſibi caueri uoluit, ut ab hoc recedat, ſiue fideiuſſo
ribus, ſiue reo dato, ſiue precio aliquo, uel nuda
conuentione. l. ſi. tem, 9. §. tertio, D. de pign. act.
Hinc

Satisfacere & Soluere tanquam differentia ſe-
parantur: ut apud Pomp. l. quod uendidi, 19. D.
de contr. empt. Quod uendidi non aliter fit acci-
pientis, quam ſi aut precium nobis ſolutum ſit,
aut ſatis eo nomine factum. ſic in l. Stichum, 39.
§. primo, D. de ſtatulib. l. ſi ita, 41. §. primo, D.
de manumiſ. teſt. l. Paulus, 38. §. ſecundo, D.
de lib. cauſſ. Soluit enim propriè qui precium
numerat: ſatisfacit, qui pignus, uel expromiſſo-
rem, uel fideiuſſorem præbet. l. ſolutiones, D. de
uerb. ſignific. l. 4. §. primo, D. de re iudic. l. ſexta,
D. Quibus mod. pign. uel hypoth. l. promiſſor,
21. §. 2. D. de conſt. pecun.

Satisfacere, eſt tantum facere, quantum ſa-
tis ſit irato ad uindictam: inquit Aſcon. in illum
tertiæ Verrinæ locum: Video enim, & ex ijs quæ
legi & audiui intelligo, in qua ciuitate legatus po
puli R. aliqua ex parte uiolatus ſit, niſi publicè ſa-
tisfactum ſit, ei ciuitati bellum indici atque infer
ri ſolere.

Satyra lex, uide Per ſatyram.

Scandvlarii, qui ædes ſcandulis tegunt. Sunt
autem Scandulæ ſectiles aſſerculi quibus conte-
ctā annis quadringentis & ſeptuaginta fuiſſe Ro-
mam Plinius lib. 16. cap. 10. teſtatur. Scandula-
riorum mentionem facit Tarrunt. in l. ult. D. de
iur. immun.

Sceleritas, pro Scelus: apud Marcianum in l. ter
tia, D. de bon. eorum qui ant. ſent.

Scena, eſt quæ ludorum faciendorum cauſſa quo
libet loco, ubi quis conſiſtat, moueaturque ſpecta
culum ſui præbiturus poſita ſit in publico, priua-
tove, uel in uico: quo tamen loco paſsim homi-
nes ſpectaculi cauſſa admittantur. l. 2. §. 4. D. de
his qui not.

Scaeva dicitur, qui ſiniſtra ſic utitur, ut alij ho-
mines dextra, & uiciſsim dextra, pro ſiniſtra.
nam ſi imbecillitate dextræ ualidius ſiniſtra ute-
retur, non ſcæua, ſed mancus diceretur: uti do-
cet Vlpianus leg. 12. §. 1. De ædil. edict. Liuius
libro 2. ſcribit, Mutio apud Romanos indi-
tum fuiſſe nomen Scæuolæ, propter dexte-
ram exuſtam.

Schedia, genus nauigij inconditum, id eſt trabi-
bus tantùm inter ſe nexis factum, Vlpianus l. 1. §.
4. D. de exercit. act. Nauem accipere debemus ſi-
ue marinam, ſiue fluuiatilem: ſiue in aliquo ſta-
gno nauiget, ſiue ſchedia ſit.

Χιλίαρχος, inquit Vlpianus, Græcè dicitur dux mil
le hominum. l. 1. §. 1. D. de teſt. milit.

Scientiam in Aquilia lege pro patientia accipi-
mus: ut qui prohibere potuit, teneatur ſi non fece
rit. l. 45. D. ad leg. Aquil.

Scire leges non eſt uerba earum tenere, ſed uim
ac poteſtatem, l. 17. D. de legib. ſenat.

Scita plebeia appellantur ea quæ plebs ſuo ſuffra
gio ſine patribus iuſsit, plebeio magiſtratu inter-
rogante. Feſtus. Vide Plebiſcita.

Scribarvm officium apud populum Ro. quale
fuerit, Cicero in Verrina quinta, his docet uer-
bis: Quæ pars operæ aut opportunitatis in ſcriba
eſt, cur ei non modò merces tanta detur, ſed cur
cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? Ordo eſt ho-
neſtus. quis negat? aut quid ea res ad hanc rem
pertinet? eſt uerò honeſtus: quod eorum hominū
fidei tabulæ publicæ periculaque magiſtratuum
committuntur. Diſtributi erant in aliquot de-
curias, quarum in aliqua locum ſibi emere conſue
uerant, qui ſcribæ fieri uolebant. Idem in Oratio-
ne pro domo ſua: Scribæ, qui nobiſcum in ratio-
nibus, monimentiſque publicis uerſantur, non
obſcurum de meis in Remp. beneficijs ſuum iudi-
cium decretumque eſſe uoluerunt. Aemilius Pro
bus in uita Eumenis ait, ſcribæ munus multo eſ-
ſe apud Graios honorificentius, quàm apud Ro-
manos. nam apud nos, inquit, reuera, ſicut
ſunt, mercenarij ſcribæ exiſtimantur. at apud il-
los contrà, nemo ad id officium admittitur,
niſi honeſto loco, & fide & induſtria cogni-
ta: quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſ-
ſe participem.

Scribere ueteres dicebant, pro pecuniam crede-
re: quoniam, ut Donat. in Terent. ſcribit, in foro
& de menſæ ſcriptura, magis quàm ex arca domiſ-
que pecunias numerabant. Horat. Sat. lib. 2. Scri-
be decem Nerio, non eſt ſatis, &c. Vide Reſcribe-
re, & Tranſcribere.

Scribere, pro teſtari chirographo ſe debere, apud
Scæuolam in l. ult. D. de dol. except. Homo ruſti
canus genero ſcripſit, quaſi uſuras præteritas ex
dotis promiſsione.

Scribere etiam præcisè de Iuriſconſultis dicitur,
quòd cùm ſuis conſultoribus cauerent, ſcriben-
dis eorum & pactionibus, & teſtamentis præeſ-
ſent. Cic. 2. de Orat. Nā ſi Scæuola, nullū erit teſta
mentū rectè factū, niſi quod tu ſcripſeris, omnes
ad te ciues cū tabulis ueniemus: omniū teſtamēta
tu ſcribes unus. Idē in epiſt. ad Trebat. Valde iam
lautus es, qui graueris ad nos literas dare: homi-
ni præſertim propè domeſtico. quod ſi ſcribere ob-
litus

litus es, minus multi iam te aduocato cauſſa cadent.

SCRIPTVRA, ratio pecuariorum: uide Mancipes.

SECESSVS, rus amœnum & ſuburbanum, quò animi relaxandi cauſſa ſecedimus. Vlpianus l. 21. §. 9. De recep. qui arb. Quid tamen (de arbitro loquitur) ſi in eo loco qui ſit circa urbem adeſſe iuſſerit? Pegaſus admittit ualere iuſſum. Quod puto ita uerum eſſe, ſi & eius ſit auctoritatis arbiter, ut in ſeceſsibus ſoleat agere, & litigatores facilè eò loci uenire poſsint. Idem l. 16. D. mandati, ut in hortis quos Rauennæ habebat, in quos omnibus annis ſecedere ſolebat, ſphæriſterium faceret. Plinius lib. 2. epiſt. 17. Iuſtisne de cauſsis eum tibi uideor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum, quem tu nimis urbanus es, niſi concupiſcis.

SECTIO Latinè dicitur, quæ poſtea confiſcatio appellari cœpta eſt: quum alicuius bona publicantur. deriuata ex eo appellatione, quòd prædam ex hoſtibus captam milites inter ſe ſecabant ac diuidebant. Cæſar lib. belli Gall. 2. Poſtridie eius diei refractis portis quum iam defenderet nemo, atque intromiſsis militibus noſtris ſectioné eius oppidi uniuerſam Cæſar uendidit. Corn. Tacitus Reliquias ſectionum Neronianarum nondum in fiſcum conuerſas reuocatis ab exilio conceſsit. Cicero de Inuent. 2. Hoc commodè reprehenditur. ſi dici poſsit ex hoſtibus reus eſſe captus, cuius prædæ ſectione uenierit.

SECTORES dicti ſunt, inquit Aſconius, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, proque ijs pecunias penſitabant ſingulis ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſq; res pecunia populo uenditabant. Hæc ille. quibus ex uerbis Sectores à Sequendo dictos conijcimus. arbitror ab antiquo uerbo Seco, ſecas: quod idem ſignificat ut ſequor. unde ſector. ſectaris: & ſecta, ſectæ. nam & accuſatores & iudicia ſectabãtur, quoniam damnatorum bona ipſi ęſtimare, & certam ſummam promittere ſolebant. Idem alio loco:

SECTOR eſt, inquit, æſtimator ac redemptor bonorum damnati, atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt ſecutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione uendit, & ſemel infert pecuniam uel ærario, uel ſocijs.

SECVNDI fructus, uberes, copioſi Paulus l. 63. in fi. D. ad leg. Falc.

SECVNDVS hæres dicitur, qui ſecundo gradu inſtitutus eſt: ut Primus, qui primo. l. 8. D. de lib. & poſth. l. ſi is qui, 25. D. de teſt. is uulgò Subſtitutus appellatur. Cicero Verrin. tertia, Appellat L. Annium, qui erat inſtitutus ſecundum filiam. Et aliquanto pòſt: Nunc eſt eiuſmodi edictum, ut quamuis intelligat, non populo eſſe ſcriptum, ſed P. Annii ſecundis hæredibus.

SECVNDAE tabulæ dicuntur, quibus pupillaris ſubſtitutio ſcripta eſt. l. 2. §. interdum, l. 12. D. de uulg. ſubſt. l. ult. D. ad Trebel. l. pen. D. teſt. quem ad aper. quia ſubſtitutio hęc paterni teſtamenti quædam appendicula & ſequela eſt. l. qui plures, in fi. D. de pupill. ſubſt. & (ut ait Iuſtin.) in inferioribus partibus ſcribebatur, eaque pars proprio lino, propriaque cera conſignabatur: & in priore parte teſtamenti cauebatur, ne inferiores tabulę uiuo filio, & adhuc impubere aperirẽtur. §. ſin autem, 4. Inſt. De pupill. ſubſt.

SEDEO, ſedes, uulgarem habet ſignificationem: cui contraria eſt illa uerb. ſto. Sed pręterea ſignificat Sedet, imperſonaliter idem quod uidetur, uel placet. Vlpian. l. ſi fideiuſſor, 7. §. ult. Si ſatiſdatum pro re mobili non ſit, & perſona ſuſpecta ſit, ex qua ſatiſdatio deſideratur, apud officium deponi debebit: ſi hoc iudici ſederit, donec uel ſatiſdetur, uel lis finem accipiat. Sederit, id eſt ſi iudici uiſum fuerit, ſi ita arbitratus ſit.

SEDVLARIA, Paulus in l. 4. D. de ſuppell. leg. pro ſedibus poſuit, in quibus geſtamur. unde Geſtationes, de quibus ſuo loco diximus.

SEMESTRIA conſilia principum dicebantur, in quibus cum aliquot Senatoribus ad ſemeſtre tempus aduocatis, de ijs quæ ad Senatum referenda erãt, deliberabant; inde, opinor, ducto nomine, quòd hybernis æſtiuisque mẽſibus ſibi conſiliarios mutabant. Sueto. Auguſto, Sibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negocijs ad frequentem Senatum referendis antè tractaret. Et in Claudio, Rerum actum diuiſum antea in hybernos æſtiuosque menſes, coniunxit. Semeſtria autem à Iuriſconſultis præcisè dicuntur. ut l. 46. D. de pact. & l. 12. D. de acquir. hæred. & apud Iuſtin. §. 2. De excuſat. tut. Xiphilinus autem ab Auguſto tradit ſenatores quindecim ſorte ductos eſſe, cum quibus iudicabat. καὶ πεντεκαίδεκα. inquit, τῶν βουλευτῶν, τοὺς κλήρῳ λαχόντας συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανε. καὶ ἔστιν ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ' αὐτῶν. Aduocabat quindecim Senatores ſorte ductos, qui ſibi ad ſex menſes in conſilio eſſent, interdumque cùm ijs ius dicebat. Zonaras etiam libro 2. ita ſcribit: καὶ τοὺς ὑπάτους, καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ἀρχόντων ἕνα παρ' ἑκάστων, καὶ ἐκ τοῦ τῶν βουλευτῶν πλήθους πεντεκαίδεκα συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανεν ὥστε δι' αὐτῶν καὶ πᾶσι κοινοῦσθαι τὰ βουλευόμενα. ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐδίκαζε μετ' αὐτῶν. id eſt, Conſules etiam, ex alijs item magiſtratibus ſingulos, & ex ſenatorum copia conſiliarios quindecim ad ſex menſes aſciuit: ut eorum opera cum uniuerſo ſenatu ea quæ deliberanda eſſent communicaret: nonnunquam etiam ius unà cum ipſis dicebat. Obſeruatus eſt etiam idem locus apud Dionem libro 53.

SEMINARIVM, locus in quo uitium arborumque ſemina conſeruntur atq; adoleſcunt: ut aliò poſtea, quaſi ex nutriculæ gremio transferantur. Vlpia. l. nona, §. quinto, D. de uſufr. Seminarii autẽ

fructum puto ad fructuarium pertinere: ita tamē ut & uendere ei & ſeminare liceat. Debet tamen conſerendi agri cauſſa ſeminarium paratum ſemper renouare, quaſi inſtrumentum agri. Quale ſit eligendum paraodumque ſeminarium, docet Columella lib.3.& Plinius libro decimoſexto, Vlpianus l.4.§.1.D.arb.furt. Quòd ſi quis ex ſeminario, id eſt ſtirpitus arborem tranſtulerit, &c.

Semissales uſuræ pro ſemiſſes, id eſt cum ſeni aurei quotannis in ccotenos peoduntur. Modeſtin.l.10.D.de pollicit. Ita pollicita eſt, uti ſors apud eam remaneat, & ipſa uſuras ſemiſſales ad præmia certantium reſoluat.

Semissarivs hæres, hæres ex ſemiſſe. Florentinus l.116.§.1.D.de leg.& fideic.30. A cohærede uerò ſemiſſario, duobus extraneis concurrentibus, nō amplius tertia parte.

Semvncia, unciæ pars dimidia. ut apud Scæuolam l.21.§.4.D.de annuis leg. ubi ex aſſe hæreditatis uxor prius quadrantem, deinde ex fideicommiſſo dodrantem, detracto quadrāte Falcidio, id eſt unciis duabus & ſicilico conſecuta, defendebat partem hæreditatis dimidiam, quam adulto priuigno reſtituere iuſſa erat, ex illo quadrante Falcidio in aſſem reuocato computandam eſſe: quod Scæuola comprobauit.

Senatvs Romani, & Senatuſconſultorum memorabilium deſcriptionem cognoſce ex Appendice, ſub titulo De Senatu.

Sensvm eſt, imperſonaliter, pro Cogitatum eſt, ſententia ſtetit, placuit. Vlpianus l. octaua, D.de acceptil. An inutilis acceptilatio utile habeat pactum, quæritur: & niſi in hoc quoque contrà ſenſum eſt, habet pactum. id eſt, niſi qui accepto tulit, contrà ſenſit, ſiue mentem ac uoluntatem contrariam habuit. nam plus eſt contrà ſentire, quàm non conſentire: & Imprudens non conſentit, at non contrà ſentit. Locum autem ſic legendum, ea quæ cō ſequuntur oſtendunt.

Sensvs, pro Ratio. Vlpianus l. prima, §. primo, D. ſi quadrup. paup. Nec enim poteſt animal iniuriā feciſſe, quod ſenſu caret. de quadrupedibus loquitur. Sic furioſus dicitur ſenſum non habere, in l. ſi cùm dotem, uigeſimaſecunda, §. ſi maritus, D. ſolut. matrimon. Sic Infantis ſenſus nullus eſſe dicitur in l. quamuis, trigeſimaſecunda, §. ſecundo, D.de acquir. poſſeſſ.

Sententiam dicere exiſtimatur is, qui ea mente quid pronunciat, ut ſecundum id diſcedere eos à tota cōtrouerſia uelit. l. qualē decimanona. §. 1. D.de arbitr.

Septa ſunt, ait Vlpianus, quæ ad incile opponunt aquæ deriuandæ cōpellendæve ex flumioe cauſſa: ſiue ea lignea ſint, ſiue lapidea, ſiue qualibet alia materia ſint, ad continendam tranſmittendamve aquam excogitata. l.1.D.de riuis.

Septemvirale iudiciū, qđ à Septēuiris, qui è Cētumuirorum erāt ordine, exercebatur. Hinc Pauli liber ſingularis de Septemuiralibus iudicijs notatus in tit legis 13.& l.28.& l.31. D.de inoffic. teſtam. uide Centumuiri.

Sepvlcrvm eſt ubi corpus, oſſave hominis condita ſunt. l.1.§.2.D.de relig.

Sepvlcra familiaria dicuntur, quæ quis ſibi familiæque ſuę conſtituit. l.5.D.de relig.

Sepvlcra hæreditaria ſunt, quæ quis ſibi hæredibusque ſuis conſtituit: uel quod paterfa. iure hæreditario acquiſiuit. l.5.& 6.D.eodem.

Seqvester dicitur, inquit Modeſtinus, apud quē plures eandem rem, de qua controuerſia eſt, depoſuerunt. dictus ab eo, quod occurrenti, aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur, l.110.D.de uerbor. ſignifica. Paulus l.6.D.depoſ. Propriè autē in ſequeſtre eſt depoſitum, quod à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendumque traditur. Gellius Sequeſtrū dictum ſcribit ꝙ eius qui electus ſit, utraq; pars fidem ſequatur: libro uigeſimo, cap. 10.

Seqvestropositvm à depoſito hoc differt, ꝙ rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet: ſed & poſſeſſio. at ſequeſtropoſitæ poſſeſſio ad ſequeſtrem tranſit. id enim agitur ea depoſitione, ut neutrius poſſeſſioni id tempus procedat. l.17.§.1.D.depoſ.

Seqvestraria actio, uide Actio ſequeſtraria.

Seqvella, pro acceſſione. Scæuola l.93. D. de ſolut. Et quaſi generale quid retinendum eſt, ut ubi ei obligationi quæ ſequellæ locum obtinet, principalis accedit, &c.

Seria, inquit Donat. in Terent. uas fictile de limo, oblongū. Terent. Releui dolia omnia, omnes ſerias. Seriarū, quæ uinaria uaſa ſūt meminit Vlp. l.25.§. De uſufr. Paulus l. 206. De uerb. ſignif.

Serica ueſtimenta quorum meminit Vlpianus l.23.§.1.D.de aur.arg.leg. dicuntur quæ ex Serum lana conficiuntur. ſunt autem Seres, id eſt σῆρες, uermiculi, apud Seres Indiæ populos. apud quos, ut Ammianus libro 23. teſtatur, abundæ ſyluæ ſublucidę, à quibus arborum fœtus aquarum aſperginibus crebris, uelut quædam uellera mollientes, ex lanugine & liquore admixtam ſubtilitatē tenerrimam pectunt, nenteſque ſubtegmina, conficiunt ſericum.

Servacvlvm, ab Vlpiano dictū ſuſpicor pro anchora, quaſi σωτήριον. Vlp. l.29.§. 1. D. ad leg. Aquil. Parui refert, inquit, nauem immittendo, aut ſeruaculum ad nauem ducendo, an tua manu damnum dederis. nam anchora tollenda ſcaphæ proxime noceri poterit.

Servi dicūtur, quibus libertas arbitrio ſuo uiuēdi adēpta eſt. itaque liberis opponūtur. & ex eo appellati ſunt, ꝙ Imperatores captiuos uēdere, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolēt. §.1. de iur. perſon. l.4. De ſtat. hom. l.239. De uerbor. ſignific. Quintilianus libro ſeptimo, capite tertio: Circa propria ac differentia magna ſubtilitas: ut cùm

quæritur

quæritur,an addictus quem lex ſeruire donec ſoluerit,iubet,ſeruus ſit:altera pars fuit ita, Seruus eſt qui eſt iure in ſeruitute:altera, Qui in ſeruitute eſt,eo iure quo ſeruus:aut,ut antiqui dicebant, qui ſeruitutem ſeruit.uide Addictus.

SERVI pœnæ dicebantur,qui ſummo ſupplicio ſic addicebantur,ut ſi liberi eſſent,libertatem: ſin ſerui,domini familiam quaſi abalienati amitterent: adeò ut ne à pœna quidem liberati, in illius domini poteſtatem redirent:uti conſtat ex l.octaua, §.tertio,& §.10.& l.29.D.de pœn.l.8. C.de ſent. paſſ.l.24.§.5.D.de fid.libert.quòd enim nullius niſi pœnæ ſerui eſſent,ita dicebantur. Marcianus l.17.D.de pœn.Sunt quidam ſerui pœnæ ut ſunt in metallū dati,& in opus metalli.& ſi quid ei teſtamento datum fuerit,pro non ſcriptis eſt, quaſi non Cæſaris ſeruo datum ſed pœnę. Iuſtin. §.2. Quibus mod.ius pot.Serui autem pœnæ efficiuntur,qui in metallū damnãtur,aut beſtijs ſubijciuntur.Vlp.l.25.§.2.D.de acquir.hæred.Si quis planè ſeruus pœnæ fuerit effectus,ad gladium,uel ad beſtias,uel in metallum damnatus, ſi fuerit hæres ſcriptus,pro non ſcripto hoc habetur.

SERVIANA actio,uide Actio Seruiana.

SERVIRE ſeruitutē.Iauolenus l.34. D.de ſtip. ſer. Non poteſt uideri iuſtam ſeruitutem ſeruiſſe is qui illum liberum eſſe non ignorabant.

SERVITVS tum de hominibus dicitur, tum de rebus.Quæ de hominibus dicitur, eſt conditio eorum qui in ſeruitute ſunt: ſiue Conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubijcitur l. quarta, D. de ſtatu hominum. Quæ de rebus dicitur, eſt ius quod quis uel in re, uel ex re ſua alteri conſtituit. eaque eſt duplex. una Perſonalis, ueluti Vſusfructus, Vſus, Habitatio: altera Realis, ut ſeruitutes prædiorum urbanorum & ruſticorum.l. prima, D. de ſeruit. hoc eſt,ius in alieno prædio aliquid agendi,quod alteri agere non licet,ab ipſius domino permiſſum.l. 1.

SERVITVTES perſonales propterea dicuntur, quia & hominibus debentur,& cum ijs pereunt atque extinguūtur.l.octaua,§.tale.D. de ſeruit. legat.l. decimaquinta,D.de ſeruit.l.20.in fine, D.de ſeruit.ruſtic.

SERVITVTES reales dicuntur,quæ prædiorū ſunt, ideo ꝗ ſine prædijs cōſtitui non poſſunt. Nemo enim poteſt ſeruitutem acquirere urbani uel ruſtici prædij,niſi qui habet prædiū:nec quiſquā debere,niſi qui prædium habet.§.3.Inſtit. de ſeruitut.l.1.D.commun.præd.l.quoties,15.D.de ſeruitut.Denique Seruitutes Perſonales dicūtur, cū res perſonæ:Reales uerò cùm res rei ſeruit.

SERVITVTES urbanorum prædiorum dicūtur,quarum uſus eſt tantùm in ædibus,ſiue illæ in urbe, ſiue in agro ſint.l.prima,D.commu.præd. ueluti altius tollendi,& officiendi luminibus uicini,aut non extollendi,item ſtillicidium auertendi in tectum uel aream uicini,aut non auertendi, l.2.D. de ſeruit.urb.præd.

SERVITVTES ruſticorum prædiorum dicuntur, quarum uſus eſt in rebus ruſticis duntaxat: ueluti Iter,actus,uia,aquæ ductus,hauſtus aquæ, pecoris ad aquam appulſus, pecoris paſcendi, cretæ eximendæ, calcis coquendæ.l.1. & ſeq. D. de ſeruitu. ruſtic.

SERVVS actor,idem opinor qui diſpenſator: id eſt cui pecuniæ domini curatio mandata eſt. Papinia.l.24.D.depoſiti.Centum nūmos, quos hac die commendaſti mihi, adnumerante ſeruo Sticho actore,&cet.

SERVVS fundus,qui ſeruitutem debet,liber, qui ab ea eſt immunis. Vlp.l.20.§.1.D.de acq. rer.dom. Si ſeruus fuit fundus,cum ſeruitutibus tranſit: ſi liber,uti fuit.Item,Si quis igitur fundum dixerit liberum,quum traderet eum qui ſeruus ſit: nihil iuris ſeruitutis fundi detrahit.Cic.pro l.Agr. Optimo iure ea ſunt profectò prædia, quæ optima conditione ſunt;libera meliore ſunt, quàm ſerua.

SERVVS publicus dicebatur, quem ciuitas tabulis publicis præficiebat.unde Seruus ciuitatis appellatur in l.ultima,D. Quod cuiuſque uniuerſ. Publicus autem in l.nec ei,18.D.de adop.l.ſecunda, C.eodem tit.l.4.C.de arbit.l.1. §. exigere, D.de magiſt.conueniend. Pòſt uerò ab Arcadio Imp. conſtitutum eſt,ut publicis tabulis non amplius ſerui,ſed liberi præficerentur.l.generale. C.de tabular.Marcianus l.ſexta,D.de rer.diuiſ.Seruus cōmunis ciuitatis ſingulorum pro parte non intelligitur,ſed uniuerſitatis.& ideo tam contra ciuem, quàm pro eo poteſt ſeruus ciuitatis torqueri.

SERVVS publicus,lictor,apparitor. Cic.Philipp.13. Quos Antonius deliciarum cauſſa loris in conuiuio cędi iubebat à ſeruis publicis. Idem Verrina v.Cur. hoc auctore non Romę ſerui publici ad uectigalia accedant? Loquitur Cicero de Venerijs Siculis apparitoribus.

SERVVS peculiaris,pro Vicario.Scæuola l.21.D.de pecul.leg.Si Sticho manumiſſo peculium legatum ſit, & Titio ſeruus peculiaris: quantum peculio detractum erit ob id quod domino debetur, tantùm ei accedere cui uicarius legatus eſt, Iulianus ait.

SESSIONVM dies dicuntur,quibus Prætor pro tribunali ſui copiam facit:quippe cùm ijs diebus nō e plano & æquo loco ius dicat:ſed de loco edito,& in curuli ſella ſedens decreta ſua interponat.l.2.& paſſ.D.quis ord.in bon.poſſ.

SEXTARIVM, uas ſextarij,id eſt heminarum duarum capax:apud Paulū in l.13.D. de inſt.uel inſt.

SI ſciens fallo. formula iuſiurandi quam Feſtus ſic exponit.Lapidem ſilicem tenebant iuraturi p Iouem hæc uerba dicentes,Si ſciens fallo,tum me Dieſpiter ſalua urbe arceq; bonis eijciat, ut ego hūc lapidē.Ad hunc morē alluſit Paulus in l.26. D.de iureiur.Qui iuraſſe dicitur, nihil refert cuius ſexus

ius ſexus ætatisve ſit:omni enim modo cuſtodiri debet iuſiurandum aduerſus eum qui contentus eo quum deferret fuit,quamuis pupillus non uideatur peierare,quia ſciens fallere non uideatur. Huius eiuſdem formulæ Polyb. lib. 2. mentionẽ facit,ſed & Cic.ad Trebatium,Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare , quum ſcias Iouem iratum eſſe nemini poſſe?

Si eis uideatur.Donat.in Adel.Ter.Fac ſis Soſtrata.Sis honorificè additur uerbo,ne quod imperatiuo modo pronunciatur,ſuperbum ſit. Deductũ eſt autem à Senatuſconſulti formula.ubi enim aliquid ſenatus Conſulibus iniungit, addit, Si eis videatvr.Hæc Donatus.

Sicarii, appellantur à ſica,qđ ſignificat ferreũ cultrũ.ait Imp. §. 3. De pub. iud. Fabius autem lib. 10.Nã per abuſionem ſicarios etiam omnes uocamus,qui cædem telo quocũque cõmiſerint.

Sicilicvs, unciæ pars quarta:uti patet ex l.21.§. 2.D.de ann.legat.uide As,& eius partes.

Sigla uel Singlę notæ ſunt quibus uti librarij in ſcribendo ſolebant.Iuſtin.de compoſit.digeſt.Eãdem autem pœnam falſitatis conſtituimus & aduerſus eos qui in poſterum leges noſtras per ſingulorum obſcuritates auſi fuerint conſcribere.omnia enim,id eſt & nomina prudentium, & titulos,& librorum numeros per conſequentias literarum uolumus.non per ſigla manifeſtari. Item in Græca conſtitut. αὐτοὺς ταύτης ἐπικειμένης τῆς ποινῆς καὶ κατὰ τῶν σημείοις τισὶν ἐν τῇ γραφῇ χρωμένων, ἅπερ σίγλας καλοῦσιν. id eſt,Eadem etiam pœna ijs imminente,qui certis notis,quas ſinglas uocant, in ſcribendo utuntur.

Signifacere, pro ſignificare.Mæcianus l. 65.§. 3.D.ad S.C.Trebell.Nã ſi auditus capaces ſunt, uel interrogati nutu poſsint ſignifacere, uelle ſe periculo ſuo hæreditatem adire.

Signinvm riuum lapideum appellat Vlpianus L. prima,§.ultimo,D.de riuis:cùm tamẽ teſtaceum & cementitium fuiſſe appareat ex Vitruuio lib.8. cap.ult.& Plin.lib.35.cap.12.

Siligo, frumenti genus optimi, de quo Plinius lib.18.cap.8. Iulianus l. 30. D. de negoc. geſt. Quendam ad ſiliginem emendam decreto ordinis curatorem conſtitutum. Hinc

Siliginarivs, ſiliginis diſpenſator, ac diſtributor.Vlpia.l.52.§.5.D.de furt. Si ſiliginario quis dixerit,ut quiſquis nomine eius ſiliginem petiſſet,ei daret:& quidam ex tranſeuntibus quum audiſſet,petijt eius nomine.

Silva cædua eſt,inquit Caius, quæ in hoc habetur,ut cædatur.Seruius eam eſſe aiebat, quæ ſucciſa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus enaſcitur.l.ſilua,30.D.de uerb.ſignific.

Simpla & Simplum idem ſunt. nam Simpla promitti,& de ſimpla caueri dicebatur, cùm ob euictionẽ ſimplũ rei preciũ promittebatur.l.5.§.ult. & l.56.D.de euict.Varro li.De re ruſt.2. Cauere debet de euictione ſimpli quanti ea res ſit. Hinc

Simplariae uenditiones,ex quib.actio ſimpli ob euictionem datur.Vlpianus in l.57.§. ſecũdo, D. de euict. Pomponius l. 48. in fine, D. de ædil. edict. Simplariarum uenditionum cauſſa ne ſit redhibitio,in uſu eſt.

Simpliciores homines,pro imperitis, ruſticulis,quos Græci ἰδιώτας appellant.Vlp.l.14.§.4.D. de relig. Non autem oportet ornamenta cum corporib. condi. nec quid aliud huiuſmodi, qđ homines ſimpliciores faciunt,id eſt ſuperſtitioſi & creduli:

Sin autem, pro ſin minus: Scæuola l. 38.§. 2.D. de aur.arg.leg.Si mihi per conditionem humanam contigerit,ipſa faciam:ſin autem,ab hæredibus meis fieri uolo.

Singvlare ius eſt,quod contra tenorem rationis,propter aliquam utilitatem auctoritate conſtituentiũ introductum eſt:l.16.D.de legib.

Σιτώνης,Sitones,curator frumento comparando.Arcad.l.ult.D.de mun.& hon. Cura quoque emendi frumenti,olei,nam harum ſpecierum curatores quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant, creari moris eſt.item apud Papirium l.ult. §. 2. D. de adm. rer.ad ciuit. Hinc

Sitonia, curatio frumento coemendo. Vlp.l.2. D.de uacat.& immunit. Sextum decimum ætatis annum agentem ad munus ſitoniæ uocari non oportet.

Smaragdvs, gemma uiridiſsima, omnibus nota. Eam Vlp.pellucidæ materiæ eſſe ſcribit in l. 19. §.6.D.de aur.arg.

Sobrinvs eſt,ut ait Aelius Gallus,patris mei conſobrini filius,& matris meę cõſobrinæ filius.Fœmina ijſdem de cauſsis appellat fratrem, & fratrem patruelem,& conſobrinum,& propius conſobrino, & ſobrinam. ijdem gradus in ſobrinæ quoque ſunt. Feſtus.

Sobrini qui ſint,Caius in l.3.D.de grad.& adfin. ſic demonſtrat,Item patrui magni,amitę magnæ, auunculi magni,materteræ magnæ nepos neptis: qui ex fratrib.patruelibus, aut conſobrinis, aut amitinis undique propagantur, qui propriè Sobrini uocantur.Sic enim emendandũ ac legendũ eſſe locũ,qui uſque adhuc fœdiſsimè corruptus iacuit,uel hinc licet intelligaĩ, tũ quòd alioquin Caius bis eoſdem numeraret: (neque enim alius eſt nepos magni patrui, ac Sobrinus) tum quòd hic ipſe ordo eſt,quem idem Caius in cognatorum gradibus recenſendis perpetuò conſeruat: quemadmodum in obſeruationibus planius exponemus. Legeretur tamen paulo concinnius vndiqve propagati proprie ſobrini uocantur.Itaq; Paulus in l.10.§.10.D.de gradib. quum patrui magni nepotes & neptes enumeraſſet,Is,inquit.de cuius cognatione quæritur, his ſobrinus eſt:& inuicem huic illi ſobrini.

Sobrino natus.Paulus.l.10.ad finem,D.de gradib.

dib. His perſonis (id eſt patrui & amitæ maioris nepotibus) auus auia eius de cuius cognatione quæritur, ſobrino natus eſt, hic proximo nomine definitur parentis ſui ſobrini, ut Trebatius ait. rationem quoq; nominis hanc reddit, quòd ultimi cognationum gradus ſobrinorum fiunt. itaq; Sobrini filius rectè proximum nomen ab eo ipſo huius ſobrini dicetur. & ideo eos qui ex ſobrinis nati ſunt, inter ſe proximum nomẽ appellare. hos enim nullum proprium habere nomen, quo inter ſe uocentur. Sic enim emendo locum, qui uulgò corruptiſsimè legitur: ut in Obſeruationibus explicabimus.

Socer, ait Modeſt. uiri pater uxoriſq;: mater autem Socrus appellatur: quum apud Græcos propriè uiri pater ἑκυρός, mater uerò ἑκυρά uocitetur, uxoris autẽ pater πενθερός, & mater πενθερά uocatur. l. 4. §. 4. D. de grad. & adfin.

Socer magnus dicitur uxoris meæ auus: ergo illius ſum progener: ait Modeſt. l. 4. §. D. de grad. & adfin.

Societas, eſt contractus bonæ fidei, de alicuius uel rei, uel negociationis communione ſic inſtitutus, ut eius & quæſtus & damnum ad unumquenque communiter pertineat. Eius autem duo genera ſunt: aut enim partes definitæ ſunt, aut indefinitæ: & rurſus ſi definitæ ſunt, aut bonorum omnium ſocietas contracta eſt, aut certæ unius uel rei, uel negociationis. l. ſecunda, tertia, & inſequ. D. pro ſocio.

Sodales ſunt, inquit Caius, qui eiuſdem collegij ſunt. quam Græci ἑταιρίαν uocant. l. 4. D. de colleg. & corp.

Solarium, apricus locus in ſumma ædium parte ſolis calori fruendo accommodatus. Vlp. l. 17. D. de ſeruit. urb. præd. Sin uerò heliocamino, uel ſolario dicendum erit, quia umbram facit in loco cui ſol fuit neceſſarius, contra ſeruitutem impoſitam fieri. Paulus in Mil. Nam certè neq; ſolarium apud nos eſt, neque hortus ullus, neque feneſtra, niſi clatrata.

Solarium, eſt uectigal, ait Vlpianus, quod pro ſolo penditur, quum quis in publico ædificatum habet. l. 2. §. 11. D. ne quid in loc. pub. Vlp. l. 39. §. 4. De legat. & fid. lib. 30. Hæres cogitur legati prædij ſoluere uectigal præteritum, uel tributũ, uel ſolarium, uel cloacarium.

Solatium, pro mercede, & quaſi precio lapidum in alieno fundo pro loci conſuetudine excíſorũ. nam conſuetudo quæ Ius id omnib. permiſit, fundi domino quaſi pro ſolatio aliquid nummorum ſolui iubebat. Vlp. l. 13. §. 1. D. Com. præd. Niſi talis conſuetudo in illis lapidicinis conſiſtat ut ſiquis uoluerit ex his cædere, non aliter hoc faciat, niſi prius ſolitum ſolatium pro hoc domino præſtat. Alciatus Solarium legendum putat. a quo me ſignificationum diſſentire cogit differentia. Denique Solatium paſsim pro mercede & ſalario uſurpatur. ut l. 3. & l. 5. & 6. C. de aduoc. diuerſ. iud. l. 33. in fi. D. de adminiſt. tut. l. 13. in fine, D. commun. præd.

Solemne ius, uide Ius ſolemne.

Solemnia propriè dicuntur quæ certis temporibus fiunt. Hinc Solemnia dicta ſunt, quę legitima & ordinaria ſunt. ueluti

Solemnia iudiciorum, quæ certis legum inſtitutis obſeruantur. l. 7. D. de in integ. reſtit.

Solemnitas adoptionis, id eſt legitimus adoptandi ritus. l. 25. in fine, D. de adopt. l. quinta. C. de ſuis & legit.

Solemnis teſtium numerus, id eſt lege præſcriptus & ordinarius. l. 21. D. qui teſt. fac. poſſ.

Solemnia uerba. l. 23. D. de manumiſ. teſt.

Solemnes feriæ. l. 26. D. ex quibus cauſ. maior.

Solidus, ut ait Voluſius Mæcianus, propriè Idem eſt quod libra: quæ & As uocatur. Cùm autem cẽtenarius numerus ferè in pecuniarum ratione As eſſet, atque haberetur, ut in uſuris quæ Centeſimę dicuntur, intelligitur, cõſuetudo tulit, ut Aureus qui centum continet ualetq; ſeſtertios (ut ſuo loco demonſtraui) frequẽter Solidus appellaretur. Idem enim utrunq; eſſe patet ex locis innumeris: ueluti ex l. 5. §. ꝑtor, D. de his qui delec. uel effud. cõparata cũ §. itẽ is cui, Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex delict. l. 47. D. de manumiſſ. teſt. cum l. 8. & 9. D. de inoff. teſt.

Solidum capere poſſe dicuntur, quibus licet totũ quod eis relictum eſt, capere. l. 7. D. de cõd. inſtit. l. 6. D. de uulg. & pupill. ſubſt. unde tit. in Inſt. Vlpia. De ſolidi capacitate.

Solida proprietas dicitur in qua uſusfructus ineſt. l. Sempronius, 26. §. 1. D. de uſufr. legat. l. a liberto, 35. D. de bon. libert.

Soluere unionem apud Marcellum l. Seia, 6. D. de auro arg. non præſtare ſignificat, ut Accurſius putauit: ſed de linea detrahere & eximere. nã quum ſultio ſic locutus eſſet, Poſtea unionem ſoluit: neque ullum mortis tempore inter ornamenta ſua unionem relinquit: in fine legis ſic inquit, Vt interim omittam, quòd etiam diſſolutione ac permutatione tali uoluntas quoque uideatur mutata. Hanc tamen locutionem Macrobius lib. 3. c. 7 pro liquefacere uſurpauit: ubi de Cleopatra loquitur, quæ aceto unionem impoſitum, itaq; liquefactum abſorbuit.

Soluere dicimus eum, qui fecit quod facere promiſit: inquit Vlp. l. 176. D. de uerb ſignif.

Soluendo eſſe nemo intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſoluere: inquit Iauolenus l. 114. D. de uerb. ſignif.

Solui legibus dicebantur, quibus quid contra leges facere permittebatur. ut quum Scipio ille Africanus antequam per leges liceret Aedilis & Conſul factus eſt: legibus eſt ſolutus. Inde Imperatores qui legibus teneri noluerunt, legibus ſoluti ab Vlpiano appellantur in l. 31. D. de legib. & S.C.

S.C. Aſconius in Cornelianæ argumento, Cornelius legem promulgauit, qua autoritatem ſenatus minuebat: ne quis niſi per populum legibus ſolueretur. quod antiquo quoque iure erat cautum. itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus ſolui placebat, adijci erat ſolitum, ut de ea re ad populum ferretur.

SOLVISSE in tractatu de re iudicata accipere debemus, inquit Vlp. non tantum eum qui ſoluit: uerum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus eſt, quæ ex cauſſa iudicati deſcendit. l. 4. §. 5. D. de re iudic.

SOLVTVM propriè dicitur, quum naturaliter, id eſt uerè ac re ipſa pecunia numerata eſt: ſatisfactum autem, quum ciuiliter, id eſt non pecuniæ numeratione, ſed uerbis creditoris animus eſt contentus. uti docet Marcianus l. 49. D. de ſolut.

SOLVTIONIS uerbo ſatisfactionem quoque omnem accipiẽdam placet, inquit Vlpian. l. 176. D. de uerb. ſig.

SOLVTVM, ait Gaius, non intelligimus eum, qui licet uinculis leuatus ſit, manibus tamen tenetur. ac ne eũ quidẽ intelligimus ſolutũ, qui in publico ſiue uinculis ſeruatur. l. 48. D. de uerb. ſign.

SONTICVM morbum in XII. ſignificare ait Aelius Stilo, certum, cum iuſta cauſa: quem nonnulli putant eſſe qui noceat, quòd Sontes ſignificat nocẽtes. Næuius ait, Sonticam eſſe oportet cauſſam, quamobrem perdas mulierem. Feſtus.

SONTICVS morbus quoties nominatur, eum ſignificari Caſsius ait, qui noceat. nocere autem intelligi, qui perpetuus eſt, non qui tempore finiatur. ſed morbum ſonticum eum uideri, qui inciderit in hominem, poſtquam is natus ſit. ſontes enim nocentes dici. l. 65. §. 1. D. de ædil. edict.

SONTICVS morbus eſt. qui cuique rei nocet: ait Iauolenus, l. 113. D. de uerbor. ſignif.

SONTICVS morbus exiſtimandus eſt, ait Iulianus, qui cuiuſque rei agendæ impedimento eſt. l. 60. D. de re iud.

Σωρίτης Vlpianus l. 177. D. de uerbo. ſigni. Natura cauillationis, quam Græci σωρίτην appellauerunt, hæc eſt, ut ab euidenter ueris per breuiſsimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducatur. Sic in l. 65. D. de reg. iur.

SOROR, inquit Labeo, appellata eſt, quod quaſi ſeorſim naſcitur, ſeparaturque ab ea domo, in qua nata eſt, & in aliam familiam tranſgreditur. Gellius lib. 13. cap. 10. & Nonius.

SOROR pro amica, ſiue ſcorto nonnunquam à clericis flagitioſis appellabatur: rem turpiſsimam honeſtiſsimo nomine tegentibus. Impp. l. eum qui, 19. C. de epiſc. & cleric. Eum qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet. Sorores igitur appellabant, quas hodie Scurræ Commatres uocant.

SORTIRI prouincias dicebantur Prætores, etiam qui in urbe ius dicturi erant. nam deſignati antequam magiſtratum inirent, ſortiri inter ſe ſolebãt quis de pecunijs repetundis, quis de ambitu, quis de ueneficijs, quis alijs denique quæſtionibus præfuturus eſſet. ut in Verrinam II. explicauimus.

SORTIRI filium, pro ſuſcipere. Vlpianus l. tertia, §. quinto, D. de bon. poſſ. cont. tab. Si emancipatus filius uxore non ex uoluntate patris ducta filium fuerit ſortitus.

SORTITIO iudicum, uide reiectio iudicum.

SPADO, σπάδων: generale nomen eſt, ait Vlpianus in l. 128. D. de uerb. ſignific. quo nomine, inquit, tam hi qui natura ſpadones ſunt, item thlibiæ, & thlaſiæ, ſed & ſi qđ aliud genus ſpadonum eſt, cõtinentur. Idem l. 39. §. primo, D. de iur. dot. Si ſpadoni mulier nupſerit, diſtinguendum arbitror, caſtratus fuerit, necne. ut in caſtrato dicas dotem non eſſe. in eo qui caſtratus nõ eſt, quia eſt matrimonium, & dos & dotis actio eſt. Spadonũ igitur tria uidentur eſſe genera. alij enim ſunt, quibus aut penis, aut teſtes, aut utraque adempta ſunt: qui propriè ac ſpeciatim Spadones à Græcis appellantur: παρὰ τὸ σπᾶν: quod euellere plerunque ſignificat. l. 4. D. ad leg. Corn. de ſicar. & l. ult. D. de Public. à Latinis autem Caſtrati. d. l. 39. De iur. dot. l. ſexta, D. de lib. & poſthum. Alij quibus attriti ſunt teſtes, qui propriè Thlibiæ, & Thlaſiæ uocantur, παρὰ τὸ θλᾶν, καὶ θλίβειν, quod atterere ſignificat. d. l. 128. De uerbor. ſignific. & l. 5. D. ad leg. Cornel. de ſicar. Alij denique ſpadones ſunt, qui membris quidem ſunt integris, & incorruptis, ſed naturæ tamen uitio quodam affecti (ut ſcribit Theophilus) generare prius non poſſunt, quàm id uitium ſit ſublatum. Quare autem id uitium ſit, Galenus libro De uſu part. XV. his uerbis explicat, quæ propterea ſubijciemus, quia ſine huius rei cognitione plurima iuris noſtri capita intelligi non poſſunt. λοιπὸν δὲ πρῶτον μὲν ἐπεξελθεῖν, τὸ δεῖν ἀκριβῶς τετάσθαι τὸ αἰδοῖον ἐν ταῖς συνουσίαις. οὐ γὰρ ὡς οἰηθείη τις ἴσως ἕνεκα τῆς συνουσίας μόνης, ἀλλὰ καὶ τοῦ διΐστασθαι καὶ εὐρύνεσθαι τὸν πόρον ἵν' ἐπὶ πλεῖστον ἐξακοντίζηται τὸ σπέρμα, χρήσιμον ἀκριβῶς τετάσθαι τὸ αἰδοῖον. εἰ γὰρ μὴ κατ' εὐθὺ φέροιτο διὰ τοῦ σκολιουμένου κατά τι καὶ συμπίπτοντος ἐνταῦθα σχεθήσεται. τοῖς γοῦν ὑποσπαδιαίοις ὀνομαζομένοις, ἐπειδὴ διὰ τὸν ἐν τῷ τέλει τοῦ καυλοῦ δεσμὸν ὁ πόρος διεστράφθαι, γεννᾶν ἀδύνατον, οὐχ ὡς ἔχουσι δή τι τὸ σπέρμα γόνιμον, ἀλλ' ἀνισχόμενον ἐν τῇ διαστροφῇ τοῦ καυλοῦ, πόρρω φέρεσθαι μὴ δυνάμενον. ὁμολογεῖ δὲ τῷ λόγῳ καὶ ἡ ἴασις, εἴγε δὴ τμηθέντος τοῦ δεσμοῦ γεννῶσι. τοῦτο τοίνυν τὸ σφάλμα διὰ παντὸς ἐν ἅπασι συνέπιπτε, μὴ προνοησαμένης τῆς φύσεως, ὅπως εὐθύς τε ἅμα καὶ ἀκριβῶς ὁ πόρος ὀρθὸς ἐν ταῖς συνουσίαις γίνοιτο. Quod ſi conuertimus: Supereſt autem primùm quidem exponere quẽadmodũ pudẽdũ in coitionibus, quã maximè intenſum eſſe oportet. neq;. n. (qđ alicui fortaſſe uideatur) ſolius cõgreſſus cauſſa, ſed ut meatus aperiatur ac dilatetur, uti quã longiſsimè ſemẽ emittatur, commodũ eſt pudẽdũ intẽtiſsimũ exiſtere. niſi enim recta ferretur, ac uſpiã uel obliqua uel ſalebroſa uia eius eſſet, ibi tum adhæreſceret. Itaque qui ὑποσπαδιαῖοι nominantur (quaſi dicas ſubductitij)

ductitij) quandoquidem ob uinculum quod extremo in cole habēt, meatus ijs eſt diſtortus, procreare liberos non poſſunt. nō quo nō fecundū ſemen habeāt, ſed quòd in colis anfractibus ad hæreſcēs uibrari procul nō poſsit. cuius rei curatio ipſa documento eſt. ſiquidē abſciſſo eo uinculo, generāt. Atq; hoc quidē incōmodū omnibus plane uſuuenisſet, niſi natura proſpexiſſet, ut in coitionibus lata & quammaximè directa uia ſeminis exiſteret. Hæc Galenus, quorum (ut ſpero) cognitionis utilitas, uerborū inuerecundiā obſcurabit. Sic enim intelligemus quid ſit, primùm quod Iuriſconſulti tradunt, ſpadonem poſſe poſthumū hæredē inſtituere. l. 6. & poſth. ubi ſcribit Vlp. nō modò eum qui facilè generare poteſt, ſed etiam ſpadonem poſthumum inſtituere poſſe. quod ſane perabſurdum eſſet, niſi eum intelligeremus, qui coire quidē poteſt, ſed generare propter naturæ uitium aliquod non poteſt: tantiſper dum hoc uitium aut hominis ſolertia, aut Dei beneficio quodā admirabili ſit ſublatum. qua de cauſſa uxorem quoque poſſe eundem ducere Vlp. ſcribit in d. l. 39. D. de iur. dot. quippe cui generandi ſpes præciſa non ſit. quum is qui caſtratus eſt ijſdem legibus & arrogare, & uxorem ducere, & poſthumum inſtituere prohibeatur. Marcia. l. 14. §. 1. D. de manumi. uind. Et ſi ſpado uelit matrimonij cauſſa manumittere, poteſt: non idem eſt in caſtrato. Similiter etiam Vlp. in l. lib. & poſth. ſpadones ab iis qui facilè generare non poſſunt, diſtinguit: & l. 6. §. 2. D. de ædil. edict. ubi ſcribit Pomp. ſpadonem neque morboſum neque uitioſum eſſe: ſed ſanum eſſe. ſin autem quis ita ſpado ſit, ut tam neceſſaria pars corporis ei penitùs abſit, morboſum eſſe. De hoc tertio ſpadonum genere intelligendum eſt quod uulgò dicitur, eos qui generare nō poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſe. l. 2. D. de adopt. item ſpadonem arrogando, ſuum ſibi hæredem aſciſcere poſſe: nec ei corporale uitium impedimento eſſe l. 40. §. 2. D. eod.

SPECIES à Iuriſconſultis dicitur, quod Dialectici Indiuiduum ſubſtantiæ appellant: dicitur & certum corpus. Itaque in l. talis, 30. & l. cùm res, 41. §. 1. D. de legat. primo: quod certum corpus uno loco appellatur, idipſum Species in altero dicitur. itemque in l. in ſtipulationibus, 54. D. de uerbor. obligat. quibus omnibus in locis Generis nomine appellantur ea, quæ quantitate conſtant, id eſt numero, pondere, & menſura. item ut l. ſexta, D. de rei uindicat. l. ſexta, D. ſi cert. petat. Alibi autem hæc ipſa Specie communi contineri dicuntur. l. cùm Stichus, uigeſimanona. D. de ſolut.

SPECIES, pro controuerſia. Ex eo deducta locutione quòd finitam quæſtionem Græci hypotheſin uocant. Vlp. l. 18. D. de minor. Diuus Seuerus & Imperator Antoninus non audiuerunt incolotatè reſtitui deſiderantem aduerſus fratrem poſt ſpeciem in adiutorio eorum finitam.

SPECIES Iuriſconſulti appellant, quas ueteres Latini Fruges: id eſt uinum, oleum, frumentum, legumina. Arcad. l. ult. D. de mun. & hon. Cura quoque emendi frumenti: olei: nam harum ſpecierum curatores, quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant, creari moris eſt. Imp. l. 26. C. de uſur. In traiectitijs autem contractibus, uel ſpecierum fœnori dationibus.

SPECIOSAS perſonas accipere debemus, inquit Vlpianus, clariſsimas perſonas utriuſque ſexus; item eorum, quæ ornamentis ſenatoriis utuntur. l. 100. D. de uerb. ſignifi.

SPECVLARIA, tectoria ex ſpeculari lapide in tenues cruſtas fiſſo, quibus lumen in cœnacula inferebatur. De lapide ſpeculari uide Plinium lib. 36. cap. 22. Vlpian. l. 12. §. 12. D. de inſtruct. uel inſtr. Pegaſus ait inſtrumentum domus id eſſe, quòd tempeſtatis arcendæ, aut incendii cauſſa paratur: non quod uoluptatis gratia. itaque neque ſpecularia, neque uela, &c. deberi. Idem l. 15. §. 4. D. de uſuf. Idem & in ſpecularibus, ſi domus uſusfructus legetur. Martialis, Hybernis obiecta notis ſpecularia puros, Admittunt ſoles, & ſine fine diem.

SPECVLATOR Iuriſconſultus, nomen habuit Gulielmi Durandi: ſed cùm Anno M.CC.LXXI. uolumen illud de iure ſcripſiſſet, quod Speculum iuris inſcripſit: Speculator uocitatus eſt. Vita functus traditur florente adhuc ætate, cùm uix annum trigeſimum exceſsiſſet.

SPECVS, ait Vlpianus, eſt locus, ex quo deſpicitur: inde ſpectacula ſunt dicta. l. 1. D. de riuis.

SPHAERISTERIVM à ſphæra, id eſt rotunditate. locus in Balineis rotunda forma, pilæ ludo accommodatus. Vlpianus l. 16. D. mand. Quum Aurelius Quietus hoſpiti ſuo medico mandaſſe diceretur, ut in hortis eius ſphæriſterium & hypocauſta, & quædam ipſius ualetudini apta, ſua impenſa faceret. Sueton. in Veſpaſ. Valetudine proſperrima uſus eſt: quamuis ad tuendam eam nihil amplius quàm fauces ceteraque membra ſibimet ad numerum in ſphæriſterio defricaret. Lampridius de Alexand. Poſt lectionem operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui dabat.

SPINOSVM aliquid in prato, prouerbialiter dixiſſe uidetur Imp. in conſt. de concep. dig. §. 6. quaſi diceret in re pulcherrima & uenuſtiſsima turpe quiddam immixtum eſſe; quod illam dignitatem ac ſpeciem imminuat. ut ſi in prato uiridiſsimo & amœniſsimo ſpinæ & uepretulæ ineſſent, quæ inambulantium pedes offenderent. Et hoc tamen perrarò, inquit, ne ex continuatione eiuſmodi lapſus oriatur aliquid in tali prato ſpinoſum. Loquitur de legibus inculcatis, in quo tamen ei mos geſtus eſſe non uidetur.

SPOLIA, quibus indutus eſt, qui ad ſupplicium ducitur. l. penultima, D. de bon. damnat.

Spondere, inquit Varro, eſt dicere. Spondeo à ſponte. nam id ualet, noluntate. Ab eadem ſponte, declinatum ſpondet. Spondet enim, qui dicit ſua ſponte, Spondeo. ſpondet etiam Sponſor, qui ut idem faciat, obligatur. & filia quæ nuptiarum canſſa appellabatur, & quæ deſponſa erat, ſponſa: quæ pecunia (patrem) & ſponſum inter ſe contrà rogata erat, ſponſio: cui deſponſata erat, ſponſus: quo die ſpõſum erat, ſpõſalis: qui ſpoponderat filiã. Deſpondiſſe dicebatur, quòd de ſpõte eius, id eſt uoluntate exierat. Nõ enim ſi nolebat ſubaudi filia (dabat ſed: dabat quod ſponſu erat alligatus (nimirum ſponſionem.) nam in comœdijs uides dici, Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo? quòd tum & Prætorium ius ad legẽ, & Cenſorinm iudicium ad æqnum æſtimabatur. ſic Deſpondiſſe animum quoque dicitur, ut deſpondiſſe filiam: ꝙ ſuæ ſpõtis ſtatuerat finẽ. Itaq; qui ad id quod rogatur non dicit, nõ reſpõdet. ut nõ ſpondet ille ſtatim, qui dixit Spõdeo, ſi iocandi cauſſa dixit: neq; agi poteſt cum eo exſponſu. Ita gniſquis dicit in Tragœdia: Meminiſti'ne te deſpõdere mihi gnatam tuam? quòd ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Hactenus Varro: cuius uerba olim ex coniectura ſic adiunimus.

Sponsalia, inquit Modeſtinus, ſunt mentio & repromiſsio futurarum nuptiarum. l. 1. D. de ſpõſal. qno in loco tandin legendnm putaui MVTVA REPROMISSIO, dum in mentem mihi uenit Modeſtinum Græcum hominem, Mentionem Latinè dixiſſe, ut apud Græcos dicitur *μνῆσις* uel *μνηστεία*. Definiri etiam ſponſalia hoc modo poſſunt, ut ſint mutua repromiſsio futurarũ nuptiarum rectè atque ordine inter eos quibus iure ciuili licet facta. Dixi mutua repromiſsio: quia tam uirum mulieri, quàm mulierem uiro repromittere oportet. unde Sondere olim puellæ pater dicebatur. adoleſcentis autem Deſpondere. Dixi Rectè atque ordine: quia conſenſum non modò partium, uerumetiam eorũ quorũ in poteſtate ſunt adhiberi oportet. l. 7. D. eod. deinde quia licet neqne ſtipulatio, neq; ſcriptura neceſſaria ſit, teſtatione tamen opns eſt: tametſi etiam inter abſentes, ꝑ epiſtolam aut nuncinm contrahi poſſunt. l. 4. eod. Dixi, Inter eos quibns inre ciuili licet: quia ſponſalia inter eos demum contrahi poſsũt, inter qnos & nnptiæ poſsũt. l. ſi quis tutor, § quã uis, De rit. nupt. ætate tamẽ excepta. l. 14. D. de ſpõſal. l. 4. De rit. nupt. ubi traditur ſponſalia inter impuberes rectè contrahi, dummodo ſeptem annis minores non ſint. Seruius autem Sulpitius.

Sponsalia ſic exponit. Qui uxorem, inquit, ducturus erat ab eo unde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum ſponſionumq́ue, dicebatur Sponſalia. Tunc quæ promiſſa erat, Sponſa appellabatur: qui ſpoponderat ductutum, Sponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationis uxor nõ dabatur, aut nõ ducebatur, qui ſtipulabatur ex ſponſu agebat: iudices cognoſcebant. Iudex quamobrem data, acceptave non eſſet uxor, quærebat. Si nihil iuſtæ cauſſæ uidebatur, litem pecunia æſtimabat, quantiq́ne interfuerat eam uxorem accipi aut dari, enm qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat. Hoc ius ſponſaliorum obſeruatum dicit Seruius ad id tempus, quo ciuitas nniuerſo Latio lege Iulia data eſt. Hæc eadẽ Neratins ſcripſit in libro quem de nuptijs compoſuit. Gell. lib. 4. cap. 4. Sponſaliorum autem formulam Plautns hanc profert in Pœnulo:

Agoraſt. Audi tu patrue. dico, ne dictum neges:
Tuam mihi maiorem filiam deſpondeas.
P. Pactam rem habeto. A. ſpondesne igitur?
P. Spondeo. A. Mi patrue ſalue. nam nunc ex planè meus.

Item in Trinum.

---- Lyſimach. Spondenus ergo:
Tuam gnatam uxorem mihi? Char. Spondeo, & mille auri
Philippum dotis. Lyſim. Iſtac lege filiam tuam ſpondenus mihi
Vxorem dari? Char. Spondeo. L. Et ego ſpondeo idem hoc.

Sponsare, ſponſalia contrahere, ſtipulari ſibi uxorem dari. Paulus l. 38. D. de ritu nupt. Si quis officium in aliqua prouincia adminiſtrat, inde oriundam, uel ibi domicilium habentem ſponſare non prohibetur.

Sponsio appellatur, inquit Paulus, nõ ſolùm quæ ꝑ ſpõſus interrogationẽ fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſsioq́;, l. 19. § dictum, D. de ædil. edict. l. 7. D. de uerb. ſignif. Alij libri, Sponſi: corruptè. nam ſponſus dicimus, unde Actio ex ſponſu.

Sponsio, pro certatione pignorum ni ita ſe res habeat, ut qui deponit affirmat. Vlp. l. 17. §. 5. D. de præſcript. uerb. Si quis ſponſionis cauſſa annulos acceperit, nec reddidit uictori, &c. Item apud Marcianum l. 3. D. de aleator.

Sponsio, eſt promiſsio certæ pecuniæ, quam is qui litem intendit, daturum ſe, ni ueram cauſſam habeat, promittit. Actor enim primùm ſpondebat: id eſt ſponte atque ultrò ſponſionem deferebat aduerſario, quem ideo ſponſione laceſſere & prouocare dicebatur. ab eo nanque poſtea ſummam eandem ſtipulabatur, hic autem aut fateri cogebatur, aut ſi inficiaretur, reſtipulari. tum actor iterum ſtipulanti aduerſario ſpondebat. quod explicatius demonſtratum eſt in Orat. pro Quintio.

Sponsio à Sacramento ſic differt (ut in Quintianam expoſuimus) quòd in ſacramentis deponebãtur in ſacro pecuniæ: & qui cauſſa cadebat, eius pecuniæ referebant in ærarium. at in ſponſionibus,

non deponebantur:ſed tantum interpoſita ſtipulatione promittebantur. Alijs omnibus in rebus ſimillima erat utriuſque ratio. quemadmodum ex ijs locis cognoſcimus, in quibus ſacramentum & in poſſeſsionis,& in proprietatis controuerſiis interpoſitum dicitur: ut in lib. de Orat. 1. & in Orat. pro Mil. & apud Aſcon. Verr. 11. ubi de ampliatione loquitur.

SPONSORES dicebantur, quos noſtri fideiuſſores poſtea nominarunt, id eſt quibus ſpondentibus pecuniæ cuipiam creduntur, aut aliquid denique promittitur. Cicero pro Quintio, Cur ceteri ſpõſores & creditores non conuenerint? Idem ad Attic. lib. 1. Tulliola, deliciolæ noſtræ, tuum munuſculum flagitat,& me ut ſponſorem appellat. mihi autem abiurare ſatius eſt, quàm dependere.

SPONSVM, actio erat ex ſponſione quæ ab aduerſarijs in priuatis controuerſijs fiebat, nata. Cicero, pro Quintio, Sponſionem facere maluit, fecit. Te iudicem C. Aquili ſumpſit. ex ſponſo egit.

SPONSVS. Seruius in illud Aeneid. 10. Gremijs abducere pactas. id eſt, ſponſas, inquit. nam ante uſum tabularum matrimonii cautiones ſibi inuicem emittebant, in quibus ſpondebant ſe conſentire in iura matrimonii, & fideiuſſores dabant. unde & admiſſum eſt, ut dicamus uirum à ſpondendo ſponſum. Ceterùm propriè ſponderi puellæ eſt. ergo ſponſus non quia promittitur, ſed quia ſpondet,& ſponſores dat.

SPONSVS, ſui, idem quod ſponſio. Paulus l. 6. D. de uerbo. ſignifi. Sponſio appellatur, non ſolùm quæ per ſponſus interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſsioque. Seruius Sulpit. apud Gell. lib. 4. cap. 4. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat, iudices cognoſcebant.

SPORTVLA, propriè eſt capſa pecuniæ condendæ cauſſa parata. ſed conſuetudo tulit, ut pro ipſa pecunia uſurpetur. Hinc

SPORTVLAE iudicum, pro honorario ſiue ſalario. ſub Rub. de ſport. iud. C. & l. trigeſimaprima, §. executorib. C. de epiſc. & cler.

SPORTVLAE in decuriones erogatæ. l. 5. §. ult. D. de donat. inter uir. l. 6. §. 1. D. de decurion.

SPVRCARE, fœdare, corrumpere, impurum reddere. Paulus. l. 1. §. 1. D. de extraord. crimin. Fit iniuria contra bonos mores, ueluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit, aquas ſpurcauerit. Vbi tamen CORREPTO legendum ſuſpicor. Vlpianus l. 27. §. 11. D. ad leg. Aquil. Cum eo planè qui uinum ſpurcauit, uel effudit, uel acetum fecit, uel alio modo uitiauit. Budæus interpretatur, aqua infuſa diluit: ut ſit antiquè poſitum. ſed uideamus ne id ſubtilius dicatur, quàm uerius.

SPVRII. Plutarchus in Problem. Spurius primum nomen eſt apud Romanos, ut Sextus, & Decimus, & Caius. prima autem nomina non tota ſcribunt: ſed aut una litera, ut T. Titum: aut duabus, ut Cn. Cneum: aut tribus, ut Sex. Sextum: & Ser. Seruium. Sic Spurius Sp. ſcribebatur. eos autem qui ſine patre erant, qui ἀπάτορες Græcè dicuntur, S. & P. deſignabant, quaſi ſine patre dicerentur. Hactenus Plutarch.

SPVRII appellantur, qui matre quidem certa, patre autem incerto nati ſunt. ait Vlpian. ca. Inſt. 4. uide Vulgò concepti.

SPVRIVS & Nothus ſic differre uidentur, quòd illò nomine appellatur, qui non ex matrimonio, ſiue iuſto, ſiue iniuſto natus eſt: ſed uulgò eſt conceptus: uti docet Modeſt. l. 23. D. de ſtatu. hom. Nothus uerò, qui ex matrimonio quidem, ſed falſo & iniuſto. νόθος enim ψευδὴς Græcis ſignificat. Quintil. lib. 3. cap. 6. Nothum qui non eſt legitimus Græci uocant: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in Oratione quadam teſtatus eſt, non habemus, ideoque utimur peregrino. Hæc Fab. Generalius tamen Græci Nothos appellarunt, idq; nomen in omnibus iis poſuerunt, qui ex concubitu iiuſto nati eſſent. Heſychius, σκοτογένητα, inquit, πορνογένητα, οἱ μὴ γνήσιοι παῖδες, ἀλλ' ἀπὸ πόρνης, ἢ ἐκ δούλης, ἢ παλλακῆς, ἀλλότριοι.

SPVRIVS appellatur etiam is, qui ex iuſtis quidem nuptiis eſt ſuſceptus, nimirum quum uxor ab hoſtib. cum marito capta, in ſeruitute enixa eſt: uerum ſola deinde cum filio reuerſa eſt. hæc Marcianus l. 25. D. de capt. & poſtlim. reu.

STABVLARIVS eſt qui ſtabulum exercet. l. 1. §. 4. D. naut. caup.

STAGNVM eſt, ait Vlp. quod temporalem contineat aquam ibidem ſtagnantem, quæ quidem aqua plerunq; hyeme cogitur. l. 1. §. 1. D. ut in flum. publ.

STATIO, locus ubi quis ſui muneris obeundi cauſſa ſe ſiſtit,& ab interuentoribus appellari ſolet. Vlpianus l. Item apud, 15. §. conuitium, 5. D. de iniur. Idem, Et ſi ad ſtationem uel tabernam uentum ſit, probari oportere. Gellius lib. 13. ca. 13. Quæſitum eſſe memini, in pleriſque Romæ ſtationibus ius publicè docentium, aut reſpondentium, &c. Idem in l. Fulcinius, 7. §. illud ſciendum, 6. D. quibus ex cauſſ. in poſſ. denique eum quoque qui in foro eodem agat, ſi circa columnas aut ſtationes ſe occultet, uideri latitare ueteres reſponderunt.

STATIO, portus in quo naues tutò conſiſtunt. Vlp. l. 1. §. 8. D. de fluminib. Stationem dicimus à ſtando. Is igitur locus demonſtratur, ubi tutò naues ſtare poſsint. Hinc Stationarii milites apud Paul. in l. 4. D. de fugit. qui in portuū præſidiis locati ſunt. Limenarchæ, inquit,& ſtationarii fugitiuos deprehenſos rectè in cuſtodiam retinent.

STATOR, miniſter magiſtratus: opinor à ſtando dictus, quòd ſemper magiſtratui præſtò ſit: item ut Apparitor, ab apparendo. Vlp. l. 10. D. ex quib. cauſ. maior. In eadem cauſſa ſunt, & qui à militibus ſtatoribusque uel à municipalibus miniſteriis adſeruantur.

STATVLIBER appellatur, qui ſub conditione teſtamento liber eſſe iuſſus eſt: ait Vlpianus cap. Inſt.2. Vel ſic:

STATVLIBER, eſt qui teſtamento certa conditione propoſita iubetur eſſe liber. & ſi p hæredē eſt quo minus ſtatuliber præſtare poſsit, quod præſtare debet, nihilominus liber eſſe uidetur. Feſtus.

STATVERE non dicitur qui magiſtratum poteſtatemve habet, niſi rem perfecerit, ac ius ſtatuendi habuerit. l. 1. D. quod quiſque iur.

STATVS, pro ſtata & firmata ætate: nimirū annorū XXV. Paulus l. quum pater. 77. §. curatoris, 14. D. de leg. & fid. 2. Quanquam igitur teſtamento cautum eſſet, ut quum ad ſtatum ſuum frater perueniſſet, ei demum ſolueretur, &c.

STATVS dies cum hoſte uocatur, qui iudicij cauſſa conſtitutus cum peregrino. Eius enim generis ab antiquis Hoſtes appellabantur, quòd erant pari iure cum populo R. atque Hoſtire ponebatur pro Aequate. Plaut. in Curcul. Si ſtatus condictus cū hoſte, intercedit dies, tamen eſt eundum quo imperant, ingratis. Feſtus.

STELLIONEM Plin. eſſe ſcribit animal Lacertæ ſimile, quo nullum fraudulentius homini inuideat. Indeque ſtellionum nomen aiunt in maledictum translatum, Hæc ille lib. 30. cap. 10. Vlp. l. 3. D. de crim. ſtell. Vbicunq; titulus criminis deficit, illic ſtellionatus obijciemus. quod enim in priuatis iudicijs eſt de dolo actio, hoc in criminibus. Stellionatus perſecutio. maximè autem in his locum habet, ſi quis fortè rem alij obligatam diſsimulata obligatione per caliditatem alij diſtraxerit, uel permutauerit, uel in ſolutum dederit. Et l. 7. §. primo D. ad Turpill. l. 16. §. 1. l. 36. D. de pign. act.

ΣTEMMATA cognationum Paulus appellat picturam & deſcriptionem graduum cognationis, in l. nona, D. de grad. & affin. nam στέμματα proprie de imaginibus dicuntur, quæ in atrio ſeruabantur. Martialis:

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

STERCVLINVM, quod ſterquilinium uulgò dicitur apud Vlp. l. 17. §. 1. Si ſeruit. uind. & l. 17. §. 1. De act. empt.

STERILIS pecunia, eadem quæ Ocioſa, id eſt quæ nullum ſuo domino fructum affert. l. 3. §. uſuras, D. de contrar. tut. act. l. 7. D. de uſur.

STILLICIDIVM, inquit Varro, dictum eſt, quòd aqua ſtillatim cadat. differt autem à Flumine, quod hoc, inquit, continuè fluit. A quo in lege urbanorum prædiorum ita ſcribitur: Stillicidia fluminaque ut ita cadant, fluantque. Hæc Varro. Itaque alia eſt ſeruitus ſtillicidij, alia fluminis recipiendi l. ſeruitutes, uigeſima, §. primo, D. de ſerui. urban. nam ſtillicidium eſt, cùm ex tectis: flumina, cùm ex canalibus & alueis, plumbeis puta, uel ligneis, aqua pluuia labitur. Itaque ſtillicidij recipiendi ſeruitus dicitur, qua uicinus pati cogitur, ut aqua pluuia ex tecto meo in ſuas ædes labatur: Fluminis uetò, qua ferre cogitur ut aqua eadem in alueū canalemve recepta, in ſuas ædes cum impetu feratur. d. l. ſeruitutes. ubi etiam hoc Paulus adiecit: Si ſtillicidium inferius demittatur, pro ſtillicidio flumen fieri.

STIPENDIVM, inquit Varro, æs militare eſt: à ſtipe dictum, quòd ęs quoque ſtipem dicebant. nam quod aſſes libræ pondo erant, qui acceperant maiorum numerum non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt componebant, quo minus loci occuparet. Similiter Vlpianus.

STIPENDIVM, ait, à ſtipe appellatum eſſe, quòd per ſtipes, id eſt, modica æra colligatur. l. 27. §. 1 D. de uerb. ſig.

STIPENDIARIA & tributaria prædia dicebantur, quibus Italiæ ius conceſſum non erat, ſed ſtipendia & tributa pendebant. Imp. §. 35. De rer. diuiſ. Vocātur aūt ſtipendiaria & tributaria prędia quæ in prouincijs ſunt; inter quos nec non & italica prædia ex noſtra cōſtitutione nulla eſt differētia.

STIPVLA illecta eſt, ait Gaius, ſpicæ in meſſe deiectæ, necdum lectæ: quas ruſtici quū uacauerint, colligunt. l. 30. D. de uerb. ſign.

STIPVLATIO, inquit Pomp. eſt uerborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum facturumve ſe, quod interrogatus eſt reſponderit. l. 5. §. 1. D. de uerb. obl.

STIPVLATIONEM inde dictam Imp. tradit, quòd ſtipulum apud ueteres firmum appellabatur, fortè à ſtipite deſcendens. tit. De uerbor. obligat. in princip. Varro autem, Aſtipando ſtipem dicere cœperunt. Stibo ab στείβειν fortaſſe Græco uerbo. id apparet quòd ut aliàs, tum inſtitutum etiā nunc dijs quum theſauris aſſes, dant, ſtipem dicunt: & qui pecuniam alligat, ſtipulari & reſtipulari. Feſtus autem, Stipem eſſe numum ſignatum, inquit, teſtimonio eſt & id, quod datur in ſtipendium militi, & quum ſpondetur pecunia, quod ſtipulari dicitur.

STIPVLARI ſtipulationem, pro interponere. Vlpianus l. 3. §. 1. D. iudic. ſol. Stipulationem iudicatum ſolui & procurator, & tutor, & curator ſtipulari poſſunt.

STIPVLATIO Tribunitia eſt, quæ ex iuriſdictione Tribunorum uenit: id eſt quæ pro collegio Tribunorum, Tribun. ipſis auctoribus interponitur. Eius meminit Vlp. tit. 7. Si maritus, inquit, ꝓ muliere ſe obligauerit, uel in rem eius impenderit, diuortio facto eo nomine cauere ſibi ſolet ſtipulatione Tribunitia.

STIPVLATIO Aquiliana, ſtipulatio eſt à C. Aquilio Gallo prodita, per quam omnium rerum obligatio in ſtipulatum deducitur, & ea per acceptilationem tollitur. cuius formulam cognoſce ex l. 18. D. de acceptil.

STIPVLATIO mortis cauſſa exiſtimatur fieri, ut ait Antiſtius Labeo, quæ ita fit, ut morte promiſ-

ſoris confirmetur: aut, ut quidam dixerunt, cuius ſtipulationis mors fuit cauſſa. Feſtus.

STIPVLATIONES iudiciales ſunt, duntaxat quæ a mero iudicis officio proficiſcuntur, ueluti de dolo cautio: Prætoriæ quæ a mero Præt. officio proficiſcuntur, ueluti damni infecti. Prætorias autem ſtipulationes ſic audiri oportet, ut in his contineã tur etiam Aedilitię: nam & hæ ab iuriſdict. ueniũt. Conuentionales ſunt, quæ ex conuentione reorũ fiunt. quarum totidem genera ſunt, quot penè dixerim, rerum contrahendarum. Communes ſunt ſtipulationes, ueluti rem ſaluam fore pupilli. nam & Prætor iubet rem ſaluam fore pupillo caueri, & interdum iudex, ſi aliter expediri hæc res non poteſt. hæc Pomp. in l. 5. D. de uerb. obl.

STIPVLATIONVM prætoriarum inquit Vlpia. tres uidentur eſſe ſpecies. Iudiciales eas dicimus, quæ propter iudicium interponuntur, ut ratum fiat, ut iudicatum ſolui, & ex operis noui nunciatione. Cautionales ſunt autem, quæ inſtar actionis habent, & ut ſit noua actio intercedunt: ut de legatis ſtipulationes, & de tutela, & ratã rẽ haberi, & damni infecti. Communes ſtipulationes ſunt, quę fiũt iudicio ſiſtẽdi cauſſa. l. 1. D. de ſtipul. prætor.

STIPVLATVS, pro ſtipulatio. Imp. l. 3. C. de inutil. ſtip. Super ſtipulatu tuo adi præſidem prouinciæ. Papin. l. pecuniæ, 9. De uſur. Pecuniæ fenebris intra diem certum debito non ſoluto dupli ſtipulatum in altero tanti reſpondi non tenere. Scæuola. l. uxori, 33. §. ult. De legat. 3. Quicquid ad eum, in ue ſtipulatum eius conceſsit.

STRATVM. Vlp. l. 45. D. de uerb. ſign. In ſtratum omne ueſtimentum cõtineri, quod inijciatur, Labeo ait. neque enim dubium eſt, quin ſtragula ueſtis ſit omne pallium, περιστρῶμα. In uictum ergo ueſtẽ accipiemus, non ſtragula: in ſtratu, omnem ſtragulam ueſtem.

STRICTVM ius noſtri appellant, quod Veteres ſummum dicebant: id eſt quod reſtrictè ad uerborum præſcriptum dirigitur, & tanquàm ad uiuum reſecatur. Itaque æquitati paſsim opponitur. l. pen. D. de conſt. pecun. l. 8. C. de iudic. l. pen. §. 1. D. de iur. dot. l. 28. D. de ſtatulib. Hinc

STRICTI iuris actiones, in quib. Iudices ita ad certam ſummam ſtricti erant, ut neque pluris. neque minoris damnare reum poſſent. §. actionum, 24. Inſt. de actionib. uide ſub Indice Actionum.

STROBILVS, στρόβιλος, nucleus, pineus. Vlp. l. 55. in fi. D. de lega. & fid. li. 32. De pinu autem integri ſtrobili ligni appellatione continebuntur. De Strobilo arbore Plin. lib. 16. cap. 10.

STRVCTILIS lapis, non ille quadratus, atque ad normam cæſus: ſed rudis & informis, quo uel reticulata ſtructura, uel ordinaria fit. Vlp. l. 6. §. 4. D. Si ſeruit. uind. Fortè ut reficiat lapide quadrato, uel lapide ſtructili, uel quouis alio opere, quod in ſeruitute dictum eſt. De reticulata & ordinaria ſtructura lege Vitruuium lib. 2. cap. 8.

STRVCTILES columnæ, quæ non uno ſaxo perpetuo conſtant: ſed ex cæſis lapidib. aut coctilib. laterculis conſtructæ ſunt. Vlpian. l. 8. D. ſi ſeruit. uind. Superq; eum parietem columnas ſtructiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ ſuſtineant. Columnas ex eo dictas quòd columen, id eſt ſummum faſtigij percurrens tignum ſuſtineant, Vitruuius auctor eſt, lib. 4. cap. 2.

STRVCTOR, faber cementarius apud Tarrentinum. l. ult. D. de iur. immun.

STVPRO adulterium hoc intereſſe quidam putant, inquit Modeſt. quòd adulterium in nuptam, ſtuprum in uiduam committitur. ſed lex Iulia de adulterijs hoc uerbo indifferẽter. utitur. l. 101. D. de uer. ſig. l. 6. D. de adulter. l. 41. D. de rit. nupt.

STYPTERIA, στυπτηρία, alumen. Vlp. l. 3. §. 6. De reb. eor. qui ſub tut. & Si Lapidicinas uel quæ alia metalla pupillus habuit ſtypteriæ, uel cuius alterius materiæ, &c.

SVAE poteſtatis eſſe, id eſt ſui iuris eſſe. Vlp. l. 17. D. de his qui not. Ea notatur quæ quum ſuæ poteſtatis eſſet, hoc facit.

SVBCVRATOR, adiutor curatori cum minore tamen poteſtate datus. Iulian. l. 30. De neg. geſt. Quendam ad ſiliginem emendam curatorem decreto ordinis conſtitutum eſſe: eidem alium ſubcuratorem conſtitutum ſiliginẽ miſcẽdo corrupiſſe &c.

SVBDITVS dicitur iudex, inquit Feſtus, qui loco mortui datur ijs, qui eum habuerant iudicem in aliqua re uel lite. Et ſic ĩ l. mortuo, 60. D. de iudic.

SVBSCRIPTIONES principum dicebantur eorum conſtitutiones, quibus reſpondebant præſentibus ſeſe per libellos conſulentibus. nam quum abſentibus reſpondebant, Epiſtolæ dicebantur. Vlp. l. 1. D. de conſt. princip. Quodcunque igitur Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, uel cognoſcens decreuit, &c. Huius autem libelli & ſubſcriptionis exemplum eſt apud Vlp. l. 19. §. 9. D. locati.

SVBSCRIPTORES dicebãtur, qui ſe accuſationi, qui rei nomen detulerat, ſubſcribebant. plura cognoſces ex meis Comment. in Diuinat.

SVBSECIVA ſunt propriè quæ quæſtor de materia præcidens, quaſi ſuperuacua abijcit. Inde & ſubſeciui agri, quos in pertica diuiſos recuſant, quaſi ſteriles aut paluſtres. Item ſubſeciua quæ in diuiſura agri non efficiunt centuria, id eſt iugera ducenta. Ex libro uarior. auctor. de limitib.

SVBSIGNARE prædia, legi operis faciendi adſcribere qui prædes quæq; prædia pro redemptore oppignerarentur. ut in lapide antiquo: QVI redemerit prædes dato, prædiaq; ſubſignato Duumuirũ arbitratu. Et in extremo: DIEI pecun. pars dimidia dabitur, ubi prædia ſatis ſubſignata erunt: altera pars dimidia ſoluetur opere effecto probatoq;. Hoc eſt quod Paul. ait in l. 39. de uerb. ſig. Subſignatum dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam ueteres ſubſignationis uoce pro ad-

ſcriptione uti ſolebant.

SVBSTITVTIO, eſt quæ poſt inſtitutionem a teſtatore fieri ſolet, id eſt ſecundi hæredis appellatio. & duæ ſunt. Vulgaris illa, Hæres mihi eſto. (ſiue hoc filio, ſiue extraneo dicatur) quòd ſi hæreditatem meam adire nolueris, illum ſubſtituo ad quem hæreditas mea debeat pertinere. Pupillaris ſubſtitutio filijs tantummodo impuberibus dari poteſt, quę ita fit, Ille filius meus ſi intra pubertatē deceſſerit, illum ei ſubſtituo. Hæc Caius libro inſt.2.ti.4.

SVBSTITVTIO, eſt, ſecūdi hæredis in locū prioris deficientis inſtitutio. Ea autē duplex eſt: una Pupillaris, quæ pupillari tantùm ætati fit: hoc modo, Filius meus hæres eſto: ſi hæres erit, & antequam in ſuam tutelā uenerit, id eſt pubes factus ſit, moriatur, Titius ei hæres eſto. altera Vulgaris, quæ omni ætati fit: hoc modo, Titius hæres eſto: ſi non erit, Mæuius eſto. Illa ſolis filijsfamil. hæc cui uis fieri ſolet, ſiue filius ſit, ſiue extraneus: illa hæredē filio deſignat, hæc teſtatori: illa propriè Subſtitutio, hæc propriè Inſtitutio eſt. ut ex uoce Inſtituere, cognoſces. l.1. & paſsim, D. de uulg. & pupill.

SVCCEDANEVS alieni periculi, dicitur in quem incommodum periculi, alieni, hoc eſt cuius culpam alter ſuſtinet, redundat. Vlp. l.3. in fine, D. de administrat. tut. Planè ſi conſentiant tutores Prætori, ſed uelint omnes gerere, quia fidē non habeant electo, nec patiuntur ſuccedanei eſſe alieni periculi. Plautus Epidic.

> Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam?
> Vt meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccedaneum?

Nam Stultitiæ tuæ dixit pro, Tergo tuo, cui periculum a ſtultitia imminet. Vlp. l.4. D. de magiſtr. conuen. Nam magiſtratus quidem in omne periculum ſuccedit. hæres ipſius dolo proximæ culpæ ſuccedaneus eſt.

SVCCESSIO alia eſt perſonarum, alia rerum.

SVCCESSIO perſonarum, eſt cum priore gradu uacuo, is qui inferiorem tenebat eius in locum aſcendit. l.1. §. ſi filius, D. de ſuis & legit. l.3. C. eod.

SVCCESSIO rerum, eſt cum perſona non tam perſonæ, quàm rebus ſuccedit. ea autem duplex, nam aut in ius uniuerſum eſt: qualis eſt hæredum, & eorum qui bonorum poſſeſſores ſunt: aut in res ſingulares l.1. §. in locum. D. quod legat. l.7. & 8. D. de iureiu. l. ult. D. de except. rei uend.

SVCCESSORIVM edictum, eſt id quo Prætor ſucceſſionem permiſit: id eſt ius inter eos quibus bonorum poſſeſsiones deferuntur, ut in locum eorum qui poſtulationem omiſerint, ſequentes ſuccedere ſubireque poſsint. l.1. D. de ſucceſſ. edict.

SVCCESSIO hæc duplex eſt: una ordinum, altera graduum.

SVCCESSIO ordinum, eſt cùm ordo perſonarum uniuerſus, cui potiſsimum poſſeſsio deferebatur, illam omiſit: ueluti liberorum, aut legitimorum, aut cognatorum. l. prima. D. quis ord. in bon. poſſ. eademq; SVCCESSIO de capite in caput appellatur. l. quinta. C. qui admit. ad bon. poſſ.

SVCCESSIO graduum dicitur, cùm primo eorum graduum qui in ordine aliquo ſunt, omittente, inſequēs admittitur. plures enim in ordine ferè uno quoque reperiuntur gradus dicta l. prima, D. de ſucceſſ. edict. §. cùm igitur, 7. Inſtit. De bon. poſſeſſ.

SVCVLA, machina tractoria. Axis craſsior bipedibus tranſuerſarijs imponetur, cuius in utroque extremo duo ſunt transfixi uectes, qui nixu brachiorum, fune ductario medium axem circumplexo, conuertuntur. Vlpianus l. ſed addes, 19. §. ſecundo. D. locat. Quòd ſi regulis olea prematur, & prælum, & ſuculam, & regulas, &c.

SVFFRAGIVM, pro impetratione beneficij, quod quis alteri a quo rogatus erat, a Principe apud quem gratia ualebat, eſt eblanditus. Impp. l. un. C. de ſuffrag. Si qui deſideria ſua explere cupientes, ferri ſibi a quoquam ſuffragium poſtulauerint, & ob referendam uicem ſponſione ſe conſtrinxerint, &c. Extat præterea in Cod. Theodoſiano lib. 2. tit. 29. lex Imp. Iuliani, qua uetat id quod ſuffragatoribus id eſt, eblanditoribus illis datum eſt, repeti. Cuius conſtitutionis Ammian. Marcellinus lib. 22. mentionem facit. Itaq; intelligēdū eſt quod Lampridius in Alexandro de Thurino ſcribit, qui ſuffragium ſuum promiſerat.

SVGGILLARE propriè eſt liuido colore inquinare. ut quum ictu fuſtis percuſſa cutis ſanie ſeſe ſuffundente nigreſcit. translatè uerò dicitur pro contumelia afficere. Vlpi. l.15. §.17. D. de iniur. Si quis ſic fecit iniuriam ſeruo, ut domino faceret: uideo dominum iniuriarum agere poſſe ſuo nomine. ſi uerò non ad ſuggillationem domini id fecit, &c. Idem l.10. §.8. D. de in ius uoc. Permiſſurus enim eſt, ſi famoſa actio non ſit, uel pudorem non ſuggillat.

SVGGRVNDA, pars tecti ultra ſtructuram ædium proiecta & prominens, Vlpianus. l. quinta. § ſexto. D. de his qui deiec. uel eff. Prætor ait, Ne quis in ſuggrunda, protectove ſupra eum locum quà uulgò iter fiet, &c. Iauol. l.242. D. de uerbo. ſign. Proiectum eſſet id quod ita proueheretur, ut nuſquam requieſceret, qualia meniana & ſuggrunda eſſent. Vulgò tamen legitur Suggrundia. Varro libr.3. De re ru. Aues ſubtus ſuggrundas ab initio uillatico uſæ tecto.

SVMMA Reip. Locutio eſt idem ſignificans, quod ſtatus & firmamentum Reipub. Vlp. l.1. §.10. D. de exerc. act. Ideo autem ex uoluntate in ſolidum tenentur, qui habent in poteſtate exercitorem, quia ad ſummam Reip. nauium exercitio pertinet. hoc eſt, ea re ſublata Reipublicæ ſtatus

tus euertitur:ſtare Reſp.non poteſt.Florentini tamen libri,ſummam Rempub.quod ego abiudico. Paulus Sent.5.cap.23.Qui de ſalute Principis,uel de ſumma Reipub.uaticinatores conſulit,cum eo qui reſponderit,capite punitur.

SVMMO iure agere,tum dicimur,quum quàm maxime poſſumus duriter & præfractè cum aduerſario contendimus,eumq; quàm aſperrimo & uehementiſſimo iudicio poſſumus perſequimur.quod Cic.in Orat.pro Quint.ſic extulit,Ad extrema & inimiciſſima iura cupidè decurrere.item,inimiciſſimè & infeſtiſſimè contendere. Cic.lib. de Offi. Exiſtunt etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadam,& nimis callida iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. Terent.in Heaut.Verum illud Chreme dicunt,Ius ſummũ, ſæpe ſumma malitia eſt.Columella li.1.de officio patrisfa. erga colonum loquens,Summum ius,inquit, anti qui ſummam putabant crucem.

SVMMOVERE dicebatur magiſtratus, quum quempiam extrudi iuberent. Conſules quidem & Prætores per lictorem, Tribuni autem per uiatorem. at illi quidem ita ſummouebant, ut qui non pareret,prehendi iuberent: hi uerò non pro imperio, ſed comiter uerbis ſummouebant, Si uobis uidetur,diſcedite Quirites.Cicero pro Quintio, Aut ſatiſdare , aut ſponſionem iubet facere.& interea recuſantes noſtros aduocatos acerrimè ſummoueri.De Dolabella Prætore loquitur. Inde ductum ad noſtros uocabulum eſt , ut Summoueri dicantur actores per exceptionem , quos ita rei perpulit exceptio, ut a Tribunali quodammodo ſummoti uideantur.

SVPERAMENTA Vlp.appellat,quæ in parãda materia reſecãtur,ac ſuperſunt.Lignis legatis,inquit,ſi uoluntas non refragatur , ſuperamenta materiarũ continebuntur.l.55.§.2.D. de leg.& fid.lib.32.

SVPERESSE rebus ſuis, pro Conſulere, prouidere, proſpicere . Græca locutio uidetur. ἐπιστῆναι τοῖς πράγμασι.Paul.l.2. D. de curat. furioſ. Sed & alijs dabit Proconſul curatores,qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt. Sic Iuſtin.§.1.De curat.Sic Vlp.l. his qui in ea,12.D.de tut.& curat.

SVPERFICIO,ſupero,redundo,ſuperfluo.Vlp.l.1.§. 10.D.de aqua,& aq.pl.Iidem aiunt,aquam pluuiã in ſuo retinere,uel ſuperficientem ex uicini in ſuum deriuare omnibus ius eſſe. Haud ſcio tamen an uerius uulgatis in libris legatur Superfluentem.

SVPERSTES,duo,ut opinor , ſignificat. uideo enim & pro teſte & pro præſente uſurpari . Feſtus lib. 17.Superſtites, inquit,teſtes præſentes ſignificat. cuius rei teſtimonio eſt,quod ſuperſtitib.præſentibus leges inter quos controuerſia eſt , uindicias ſumere iubente.Plautus in Artemone, Nunc mihi licet quiduis loqui , nemo hic adeſt ſuperſtes. Seruius autem libro Aeneid.tertio,Superſtes, inquit,præſentem ſignificat. ut Cicero in Murænana,Suis utriſque ſuperſtitibus,id eſt præſentibus. Quod tamen poſtremum uerbum apud Ciceronem è gloſſa in contextum irrepſit.

SVPERSTITIOSVS , uano & inani metu Dei affectus:id eſt qui metuit ibi Deum offendere,ubi nõ offenditur. nã a Superſtes deductũ nomen eſt.& haud ſcio an ijs propriè attributum , qui nimium in fanis conſiſtebant , quaſi apud deos ſuos ſuperſtites:quos uernacula lingua Bigotos appellamus quod i uitio Vlp.poſuit l.1.§.5.D.de edilit.edict. ubi ſuperſtitioſos inter eos numerat, qui animi uitio laborant.Cicero tamen libro De natura Deorũ ſecũdo ſic ſcribit: Nõ enim philoſophi ſolùm, uerumetiam maiores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparauerunt.nam qui totos dies precabantur,& immolabant ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent.ſuperſtitioſi ſunt appellati, quod nomen poſtea latius patuit . Plautus autem in Rudente hoc uerbum in eo poſuit,qui uaticinaretur.

Quid ſi iſta,aut ſuperſtitioſa,aut hario-
la eſt,atque omnia
Quicquid inſit,uera dicet.

SVPINVS,diſſolutus,negligens,alicui negocio indormiens.Paulus l.15.§.1.D.de contrah.empt. Ignorantia emptori prodeſt, quæ non in ſupinum hominem cadit.

SVPPLICIORVM alia ſumma ſunt , alia mediocria, alia minima.Summa ſunt,crux,crematio , de collatio.Mediocria,metallum,ludus , deportatio.Minima,relegatio,opus publicum,uincula.Hæc Paulus libro Sentent.quinto , capite decimoſeptimo.

SVPPLICIVM ultimum,ait Celſus, eſſe mortem ſolam interpretamur.l.21.D.de pœnis.

SVPREMA ſua ordinare,teſtamentum facere,ſupremam uoluntatem exponere.Modeſtinus l.39.D. de pig. act. Creditor quũ ſuprema ſua ordinaret, teſtamento cauit.

SVSCIPERE iudicium dicitur etiam iudex,qui iudicandi munus ſibi a Prætore delatum recepit. Paulus l.decimatertia,D.de uacat.& immun. Siquidè priuilegio quod habuit antequam ſuſciperet iudicium , uelit ſe excuſare: nec audiendus eſt . ſemel enim agnoſcendo iudicium , renunciat excuſationi.

SVSPECTI crimen, uide Crimen ſuſpecti.

SVSPECTVS tutor eſt , qui non ex fide tutelam gerit,licet ſoluendo ſit:ait Imp.§.quarto.De ſuſp.tut.

SVSPENDIOSVS, qui ſuſpenſus eſt, cui uita ſuſpendio adempta eſt.Vlpia.l.11.§.1.D.de his qui not. Non ſolent autum lugeri hoſtes , uel perduellionis damnati, nec ſuſpendioſi , nec qui manus ſibi intulerunt Plinius lib.28.cap.2.Laqueum ſuſpendioſi circumdatum temporibus capitis dolorem ſedare.

SVSTINERE,pro Differre,reſeruare, reijcere. Calliſtratus. l. 36. D. de iudic . Ex iuſtis cauſis , & certis perſonis ſuſtinendæ ſunt cognitiones ibid.

Humanum eſt in ſimilibus cauſsis cognitionem ad aliquem modum ſuſtineri.

SVSTINERE actiones, differre, ſuſpendere. Pompo. l.35.D.de iur. fiſc. Vtrum ius fiſci antè excutiendum ſit, & ſuſtinendæ actiones ceterorum, &c. Vlplan.l.1.§.3.D. ſi fam. furt. fec. Tandiu aliorum nomine actio ſuſtineri debebit, quandiu priore iudicio poteſt actor conſequi. Idem l.ſi quis, 6. §. quid tamen, 7.D.de iniuſt. rupt. Pœna tamen ſuſtinenda eſt, quoad princeps reſcripſerit ad literas Præſidis.

SVVS hæres dicitur, qui in morientis familia proximum ab eo gradum obtinet. l.ſcripto, 7.D. ſi tabul.teſt.null.§ 2.De hæred.qualit.§.1.& 3.De hæred. quæ ab inteſt. Suus autem iccirco dicitur, quia non tam alienarum, quàm ſuarum quodam modo rerum plenum integrumq; dominium adipiſcitur: quarum etiam patre uiuo hæres & dominus lege XII.tab.deſignatus erat. l.in ſuis, 11. D. de lib.& poſth.

SVVM hæredem animaduerti a Cicerone Hæredem familiæ appellari, in Orat. pro Cluentio, ubi de ſuo poſthumo loquitur: Memoria teneo, inquit, Mileſiam, quandam mulierem quòd partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam. neq; iniuria. quæ ſpem parentis, ſubſidium generis, hæredem familiæ ſuſtuliſſet. Sic Iuſtinianus eos Domeſticos hæredes appellat, §. 2. Inſt. de hæred.qual. & Plinius in Panegyrico, Domeſticos hæredes extraneis opponit: illosq; ait bona non ut aliena & ſperanda, ſed ut ſua, ſemperq; poſſeſſa capere. Videtur autem Ouid. ad hãc quoque locutionem alluſiſſe lib. II.de Ponto:

Viuit enim in nobis facundi lingua parentis,
Et res hæredem repperit illa ſuum.

SVORVM autem duo ſunt genera. nam alij natura ſui ſunt, nimirum filij, filiæve: alij ſucceſsione, nimirum nepotes aut poſteriores, qui in filiorum non etiam filiarum locum uacuum & deſtitutum ſubeunt: ueluti ſi uno filio mortuo (nam ex filiabus prognati ſui eſſe non poſſunt) nepotes ex illo eius in gradum ſuccedant. Lex enim eis patris ſui ius ſic attribuit, ut illi patrem ſuum repræſentent, tametſi non idem omnino ius eis conceſſerit. l.3. C.de ſuis & legit. l.1.§.ſi filius, D. eod l.2.& l.3. C. de legit. lib. l.Gallus, §.ſequenti, D. de lib.& poſthum.

SVI & neceſſarij hæredes ſunt, liberi qui in poteſtate parentis fuerint, quos nemo antecedit. Sui autẽ ideo appellãtur, quia domeſtici hæredes ſunt: & uiuo quoq; patre quodammodo domini exiſtimãtur. Neceſſarij uerò ideo dicuntur, quia omnino ſiue uelint, ſiue nolint, tam ab inteſtato, quam ex teſtamẽto ex lege XII.tab. hæredes fiunt. ait Imp. §.2.De hæred.qualit. Vel ſic:

SVI & neceſſarij hæredes dicuntur, qui in morientis familia proximũ ab eo gradũ obtinent: ueluti filij, aut ijs de familia ſublatis, nepotes, & qui deinceps. item uxor, quæ in manum conuenit: item nurus, quæ in manu filij eſt, quem in poteſtate habemus. Vlpianus titulo quarto, Sui autem iccirco appellabantur, quoniam patrefamil. mortuo non tam alienarum, quàm ſuarum quodammodo rerum plenum integrumq; dominium adipiſcũtur: quarum etiam illo uiuo hæredes (quo uerbo ueteres dominum intelligebant) lege duodecim tabularum deſignati erant. Neceſſarij autem dicuntur, quoniam eadem lege cogebantur hæreditatem retinere. l.2.D. de liber.& poſthum. l.quinquageſimaſeptima, De acquir.hæred.

SVI, pro Noſtri. Paulus l. 20. D. de nouat. Nouare poſſumus, aut ipſi, ſi ſui iuris ſumus: aut per alios qui uoluntate noſtra ſtipulantur.

SVI ius, uide Ius ſui.

SVVS, ſuæ poteſtatis. ut Meus apud Perſium,

Vindicta poſtquam meus à Prætore receßi.

Iuſtinian.§.2.ad S.C.Tertyll. Sed & filię ſuæ mortuæ filius uel filia præponit: id eſt quæ ſui iuris eſt, ſuæque poteſtatis. Sic Plautus in Perſa, ubi lenonem inducit, qui ancillam manumiſerat: Ita ancilla mea quæ fuit hodie, nunc eſt ſua. Et apud Ciceronẽ libro De repub. tertio, Eſt enim genus iniuſtæ ſeruitutis. cum ij ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe.

SVVS etiam, pro eo qui in ſua poteſtate eſt, alio modo dicitur uetuſtè: id eſt ſanæ mentis. Vlpianus l. Fulcinius, ſeptima, §.adeò, D.quibus ex cauſſ.in poſſeſſ. Furioſus hanc uenditionem pati non poteſt: quia non ſe occultat, qui ſuus non eſt. Cicero Tuſcul.tertio: Itaque nihil melius, quàm quod eſt in conſuetudine ſermonis Latini, cùm exiſſe è poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia. qui igitur exiſſe ex poteſtate dicuntur, iccirco dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum eſt.

SYMPHONIA, chorus ſymphoniacorum. Cicero Verrina ſexta. Quum in eis conuiuijs ſymphonia caneret, maximisq; poculis miniſtraretur. Vlpianus l. decimaquinta. §. primo, D. de uſufr. Nam ſi librarium rus mittat, uel de ſymphonia atrienſem faciat: id eſt è familia ſymphoniacorum. Paulus l. 22.Ad leg. Aquil. Si quis ex comœdis, aut ſymphoniacis unum occiderit: id eſt è numero ſymphóniacorum. Galli Capelam uocant.

SYCAMINON, morus Aegyptia, qua uti ſolent in aggeribus Nili per quos incrementa eius diſpenſantur, & coercentur: ait Vlpianus l.decima, D.de extraor.crimin.

ΣΥΚΟΦΑΝΤΕΙΝ, calumniari, iniuſtè aliquem iudicio uexare. Imp. l. decimaſeptima. C. quib. ex cauſſ. inf. irrog. Etenim quum non cauſſa cognita dictum eſt ἐσυκοφάντησας, ſed ad poſtulatum patroni, interlocutione iudicis reſponſum ſit, &c. Hinc Sycophante

phantæ appellati:cuius nominis Feſtus hanc affert originem. Atticos quondam iuuenes ſolitos aiunt in hortos irrumpere, ficosq; deligere: quam ob cauſſam lege eſt conſtitutum, ut qui id feciſſet, capite truncaretur. quam pœnã qui perſequerẽtur, ob paruula detrimenta Sycophantas appellatos.

ΣΥΝΑΛΛΑΓΜΑ, mutua & reciproca ex re contracta obligatio. Vlp. l. 7. D. de pact. Dedi tibi rem, ut mihi aliam dares: dedi ut aliquid facias: hoc συνάλλαγμα eſſe, & hinc naſci ciuilem obligationẽ. & paulo pòſt, Eſſe enim contractum, quod Ariſto συνάλλαγμα dicit, unde hæc naſcitur actio.

SYNDICVS, σύνδικος, qui ab aliquo collegio, uel ciuitate ad cauſſam ipſius agendam delectus eſt. a Cicerone actor dicitur, in Diuinat. Hæc duo in primis ſpectari oportere: quem maximè uelint actorem eſſe ij, quib. factæ eſſe dicantur iniuriæ: & quem minimè uelit is, qui eas iniurias feciſſe arguatur. Item, Adſunt homines ex tota prouincia nobiliſsimi, qui præſentes uos orant atque obſecrant Iudices, ut in actore cauſſæ ſuæ deligendo ueſtrum iudicium a ſuo iudicio ne diſcrepet. Hermogen. l. 1. D. de mun. & hon. Perſonalia ciuilia ſunt munera, defenſio ciuitatis, id eſt ut ſyndicus fiat, legatio ad cenſus accipiendos. Arcad. l. ult. §. 1. eiuſ. tract. Defenſores quoque, quos Græci ſyndicos appellant, & qui ad certam cauſſam agendam uel defendendam eliguntur, &c. Demoſth. porrò in Orat. περὶ στεφάνου, Ariſtidem dicit ſyndicum eſſe ab Athenienſib. delectum, qui in Amphictyonum conſilio pro Delio ſacro diceret.

SYNDICVS, eſt actor corporis cuiuſdam, ſiue collegij, per quem tanquam in rep. quod communiter agi fieri ve oportet agitur. ſit. l. 1. §. 1. D. quod cuiuſq. uniu.

SYNGRAPHA, uide Chirographum.

SYNODITAE, συνοδίτας, in l. 6. C. de epiſc. audient. dici uidentur, comites monachorum. nam ὁδίτης uiatorem ſignificat. Solent autem Monachi ex collegij ſui inferiori ordine quempiam deligere, qui eos comitetur: quos Galli Culopulſos appellant: quòd (ut quidam aiunt) a tergo monachorum concionantium ſedentes, illos horæ præteritæ culi pulſione admoneant.

SYNOPSIS, σύνοψις, præſcriptio, inuentarium: deducto nomine ex eo, quòd quæ latè patebant in unum contracta ſimul omnia conſpici cerniq; poſsint. Vlpianus. l. quinta. §. ſeptimo. D. de reb. eor. qui ſub. Aut ſi nemo inueniatur, aut ſuſpecti ſunt qui inueniuntur, iubere debet edi rationes: itemq; ſynopſim bonorum pupillarium, aduocatumq; pupillo dare.

SYNTHESIS, congeſtio, aceruus. Scæuola in l. 38. D. de aur. arg. leg. Quæro an ex uniuerſa ueſte, id eſt an ex ſyntheſi tunicas ſingulas & palliola Sempronia eligere poſsit. Alciatus tamen multo aliter interpretatur: quo cum eſt a nobis in Obſeruationibus diſputatum.

DE LITERA T.

T LITERAM ueteribus Senatuſconſultis ſubſcribi ſolitã, Valer. Max. lib. 2. his teſtatur uerbis: illud quoque memoria repetendum eſt, quòd Tribb. pl. intrare curiam nõ licebat: ante ualuas autem poſitis ſubſellijs, decreta patrum attentiſsima cura examinabant: ut ſi qua ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaq; ueterib. Senatuſconſultis T litera ſubſcribi ſolebat: eaq; nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque cenſuiſſe: qui quamuis pro commodis plebis excubabant, inq; imperijs compeſcendis occupati erant, inſtrui tamen ea argenteis uaſis, & annulis aureis publicè præbitis patiebantur, quò talium rerum uſu auctoritas magiſtratuum eſſet ornatior.

TABERNAE appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificiũ, nempe ex eo, quòd tabulis clauditur, l. tabernæ, 183. De uerb. ſig.

TABVLAE dicebantur, quibus antiqui pro chartis utebantur, cum cera illitæ eſſent. itaq; quarum rerum memoriam conſtare oportebat, eas res in tabulas referebant, ueluti accepta & expenſa, pactiones, teſtationes, ſtipulationes, cautiones, teſtamenta. Hinc

TABVLAS teſtamenti accipere debemus, inquit Vlpianus, omnem materiæ figuram. ſiue igitur tabulæ ſint ligneæ, ſiue cuiuſcunque alterius materiæ: ſiue chartæ, ſiue membranæ ſint, uel ſi corio alicuius animalis: tabulæ rectè dicentur. l. 1. D. de bon. poſſ. ſecund. tab. Item

TABVLAE accepti & expenſi. Moris enim erat ut patresfamil. quæcunque per ſingulos dies aut acciperent, aut expenderent, ea primùm properè ac feſtinanter in codicem memoriæ cauſſa paratum, referrent, quæ Aduerſaria dicebantur: deinde per ocium in alijs tabulis ordine & accuratè perſcriberent. eas tabulas accepti & expenſi nominabãt. de quibus Cicero in Cluentiana ſic ſcribit, Confecit tabulas diligentiſsimè. hæc autem res habet hoc certè, ut nihil poſsit neque additum, neque detractum de re familiari latere. Hinc

TABVLIS obſignatis agere: cùm pactio in tabulas relata eſſet. Cicero 1. de Orat. Tu mihi cùm in circulo decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula, & cùm obſignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id ſit ſcriptum, quo ille capiatur: ego tibi ullã cauſſam maiorem committendam putem? Item Tuſcul. v. Tu quidem obſignatis tabellis agis mecum, & teſtificaris quod dixerim aliquando, aut ſcripſerim. Nam de teſtationibus locus hic ex Quintiana documento eſt: Neuius pueros circum amicos dimittit. ipſe ſuos neceſſarios corrogat. ueniunt frequentes. teſtificantur iſti P. Quintium non ſtitiſſe: & ſe ſtitiſſe.

tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium conſignantur. Idem in Piſoniana: Iſte claudus, quomodo aiunt pilam retinere: quod acceperat, teſtificari: tabulas obſignare uelle.

TABVLA, libellus proſcriptionis. Vlp. l. 13. §. 5. D. de act. empt. Quum uẽditor ſciret fundum pluribus municipijs legata debere, in tabula quidem conſcripſerit, uni municipio deberi. Cic. in Quintiana perpetuò libellos appellat. Hinc

TABVLARIVS, qui fide publica ea quæ geſta ſunt, in tabulas refert, & inſtrumenta publica conficit. l. ult. §. hi quoq;, D. de mun. & hon. l. 3. §. ſi tabulæ, D. de tabul. exhib. Hi etiam

TABELLIONES dicti ſunt: l. 9. §. & nonnunquam, D. de pœn. l. 31. & l. 49. C. de epiſc. & cler. Hinc

TABVLARIVM, in quo inſtrumenta aſſeruantur l. ſi mihi, 92. D. de legat. 3. Item

TABVLARIVM, pro Archio, de quo ſuo loco diximus: id eſt locus in quo literæ tabulæq; publicæ recondebantur. Cic. De nat. de. li. 3. Sed exeamus è theatro: ueniamus in forum. ſeſſum ite precor. quid? ut iudicetur qui tabularium incenderit? Idẽ pro C. Rabirio, An de peculatu facto an de tabulario incenſo longa oratio eſt exprimenda?

TACITA fides eſt cùm quis non palàm rogatus in fraudem legis promittit, ſe id quod ſibi relinquitur reſtituturum perſonæ, quæ legibus ex teſtamẽto capere prohibetur: ſiue chirographum eo nomine dederit, ſiue nuda pollicitatione repromiſerit. l. in fraudem, 10. D. de his quæ ut in dig. l. 1. & l. 3. & l. 40. D. de iur. fiſc. Hinc

TACITA fideicommiſſa quæ quis ei cui capere non licet, reſtituere rogatus eſt. l. tertia, D. de probat. l. 10. l. decimaoctaua, & alibi, D. de his quæ ut indig. l. 3. C. ad leg. Falcid. Fab. li. nono, ca. 2. Reã tuebar, quæ ſubieciſſe dicebatur marito teſtamentum, & dicebatur chirographum marito expirante hæredibus dediſſe: & uerũ erat. nã quia per leges inſtitui uxor nõ poterat hæres, id fuerat actũ, ut ad eã bona per hoc tacitũ fideicõmiſſum peruenirẽt. Et caput quidem ueri facile erat, ſi hoc diceremus palàm: ſed peribat hæreditas.

TALMA: inquit Vlpianus, Græci mille hominum multitudinem appellant. l. 1. §. 1. D. de teſta. mil.

TALIO in duodecim tab. parẽ uindictã, inquit Feſtus, ſignificat. Si membrum ruperit, ni cum eo pacit, talio eſto.

TAM iure legeq;. Vetus locutio, qua lege actum aliquid fuiſſe ſignificabant, quàm rogari ius fuiſſet. Procul. l. ſi is qui, 44. D. de adopt. Sed ſi ſic adoptauit, ut tam iure legeq; nepos ſuus eſſet, quàm ſi ex Lucio puta filio ſuo natus eſſet. Alludit autem ad arrogationis formulã quã Gellius lib. 5. ca. 19. exponit, Velitis iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure legeq; filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matreq; familias eius natus eſſet. Hinc Ciceronis locus in Oratione pro domo emendãdus eſt, Fueris ſanè Trib. pl. tã iure, quàm lege, quàm fuit hic ipſe Rullus. Legendum enim apparet. TAM iure ac lege, uel TAM iure legeq;.

TANTI, pro Tam multi. Gaius l. 65. De lega. & fid. li. 30. Quòd ſi minus ſunt, in tãtos quãti inueniantur. id eſt in tot, quot inueniantur. Iuſtin. l. 23. in fin. C. de legat. Niſi ſpecialiter expreſſerit, & dixerit teſtator, tantas quidem partes uelle unum, tantas autem alterum habere.

TAXAT uerbũ, inquit Feſtus, ponitur in ijs quæ finiuntur, quoad tangi liceat. In litibus quoq; iudici arbitrove cũ præſcribitur, quoad ei ius ſit, ſtatuendi Taxatio dicitur: quæ fit certæ ſummæ. Sic enim locũ illũ legendũ putamus. cui conſentaneũ eſt, quod Iuſtin. Nouell. LXIII. & LXXXII. Taxationẽ eſſe ῥητὴν ποσότητα ὁριζομένην παρὰ τοῦ δικάζοντος. ueluti cũ definitur ſumma intra quã in litẽ iuretur. l. 4. §. 3. D. de in lit. iur. l. 3. §. præterea, D. ad exhib. Hinc uerbũ DVNTAXAT, quod ad illiuſmodi præſcriptiones accõmodatũ eſt. Taxationis mẽtio fit in l. 18. D. de dol. mal. l. 24. ĩ fi. D. de act. empt. l. 68. D. de rei uindic. l. 6. D. ut legat. nom. cau.

TECTOR, refector, artifex, qui quid corruptum reſtituit. Vlp. l. 27. §. 22. D. ad leg. Aquil. Itẽ ſi tectori locaueris lacum uino plenum curandum, & ille eum pertudit ut uinum ſit effuſum. Budæus tamen VIETORI corrigendum putat.

TECTORIVM erat incruſtatio quædã & quaſi pauimẽtũ parietis aut columnarũ. Ea cruſta aut calce pura fiebat, aut gypſo, aut calce & arena, aut calce & marmore. De tectorijs Vitruuius lib. 7. ca. 2. & 3. Vlp. l. 3. §. 4. D. de in rẽ uerſ. Sed ſi mutua pecunia accepta, domũ dominicã exornauit tectorijs, &c. & paulo pòſt, Pati debet dominus creditorẽ hęc auferre. de tectorijs loquẽs. Celſus l. 38. D. de rei uind. Neq; malitijs indulgendũ eſt, ſi tectoriũ puta qđ induxeris, picturasq; corradere uelis, nihil laturus niſi ut officias. Loquit̃ de illinimento, quod auferri nõ poteſt. Neratius l. 44. D. de uſuf. Vſufructuarius nouum tectorium parietibus qui rudes fuiſſent, imponere non poteſt.

TELVM, inquit Caius, uulgò quidẽ id appellatur, qđ ab arcu mittitur: ſed nũc omne ſignificatur, quod mittit̃ manu. Ita ſequit̃, ut & lapis & lignũ, & ferrũ hoc nomine cõtineatur. dictũq; ab eo, ꝙ in lõginquũ mittitur, Græca uoce figuratũ ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. & hãc ſignificationẽ inuenire poſſumus & in Græco nomine: nã quod nos Telũ appellamus, illi βέλος appellant. eoq; nomine uulgò quidẽ id ſignificatur, quod ab arcu mittit̃: ſed nõ minus omne ſignificatur, qđ quũ mittitur. manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. admonet nos Xenophon: nã ita ſcribit, καὶ τὰ βέλη ἅμωσι ἐῤῥίπετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. & id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidẽ proprio nomine τόξευμα uocatur apud nos autem communi nomine telum appellatur. l. 233. D. de uer. ſig.

TEMPORE fit iniuria, ſi in ludis & in conſpectu Prętoris,

toris,l.Prætor edixit,D.de iniur. & famoſ.libel.

Tempore liberari dicuntur,qui temporali actione tenētur,cuius dies cedit.l.3.D.quę in fraud.cred. l.ult.in fi.D.rem rat.hab.

Tempore periture res dicunť quarũ actionis dies exiturus eſt.l.3. D. de ferijs.l.12.D.de procurat.

Temporales actiones dicuntur, quæ certo temporis ſpacio terminantur: & perpetuis opponuntur.Inſt.ſub tit.De perpet.& temp.act. Imperatorum tamen conſtitutionibus in perſonā actiones annis triginta : in rē uerò decē aut uiginti annorũ ſpacio circumſcriptæ ſunt. l. 3. C. de præſcript. trig.ann.& ſub tit. De præſcript.dec.uel uig.

Temporales exceptiones, atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper locũ habent,ſed euitari poſſunt: qualis eſt pacti conuenti temporalis, l. exceptiones,D.de except.præſcript.& præiud.

Tenere,uide Habere.

Tenes,uide Lines.

Tepidarium, & balineũ Paulus pro eodē poſuit in l. 19.D.de ſeruit.urb.Non poſſe,inquit, prohiberi uicinum,quo minus balineum habeat ſecundum parietem communem. ſed ſi talis ſit uſus tepidarij,ut aſsiduum humorem habeat,poſſe prohiberi.Similiter Vitruuius lib.5.cap.10.ubi de balnearum diſpoſitionibus loquitur,principiò Tepidarium pro ipſa balnei cella poſuit:mox, pro uaſe aheno in quo aqua caleſit.

Ter enixa uidetur,etiam quæ tergeminos peperit. l.Ter enixa,D.de uer.ſig.

Tergiuersari, inquit Marcian.eſt in uniuerſum ab accuſatione deſiſtere.l.1.D.ad S.C.Turp.

Territorium,inquit Pōpo.eſt uniuerſitas agrorum intra fines cuiuſq; ciuitatis:quod ab eo dictũ quidā aiunt, quòd magiſtratus eius loci intra eos fines terrendi,id eſt ſummouēdi ius habet. l.239. §.8.D.de uerb. ſig. Varro autē hoc modo : Terra dicta ab eo(ut Aelius ſcribit)quod teritur.Itaque Tera in Augurũ libris ſcripta cum R.uno. Ab eo colonis locus communis qui prope oppidũ relinquitur,Territoriũ, quod maximè teritur. Seruius autē in illud lib.Aeneid.5.urbem deſignat aratro, Quē Cato in originalibus dicit morē fuiſſe.Conditur enim ciuitates , taurũ in dextra,uaccam intrinſecus iungebant.& cincti ritu Sabino,id eſt togæ parte caput uelati,parte ſuccincti,tenebant ſtiuam incuruā,ut glebę omnes intrinſecus caderēt. Et ita ſulco ducto loca murorum deſignabāt,aratrum,ſuſpendentes circa loca portarum . Vnde ei territorium dictum eſt quaſi terribouium,tritum bobus & aratro. Siculus Flaccus : Bellis geſtis,uictores populi terras omnes ex quib.uictos eiecerunt,publicè atq; uniuerſaliter Territorium dixerunt,intra quos fines ius dicendi eſſet : deinde ut quiſque uirtute colendi occupauit arcendo uicinum,Arcifinalem dixit.

Territorii iuris appellant , quicquid ad coloniæ municipijve priuilegium pertinet.ſed ſi rationem appellationis huius tractemus, Territorium eſt quicquid hoſtis terrendi cauſſa conſtitutum eſt.Hæc ex Frontino.

Tesserae,notæ quibus quid a conſcijs dignóſcebatur:ut in caſtris quæ militibus dabantur, quo ab exploratorib.internoſcerentur. Item notæ frumētariæ , quibus prolatis frumentum a Principe dabatur.Vlp.l.52.§.1.D.de iudic. Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi uoluerit , quamuis maior pars hæreditatis emi uoluerit.&c. Paul.l.49.D.de legat.& fid.lib.31.§.1.Si Titio frumentaria teſſera legata ſit , & is deceſſerit , &c. Iuuenal. Satyra 7. Summula ne pereat , qua uilis teſſera uenit, Frumenti.

Testabilis dicitur,cui teſtimonij dicendi ius eſt.idq; uerbum lex Horatia uſurpat,quæ de Caia Tauratia facta eſt.Contrarium eſt in XII.tab.ſcriptum.Improbus inteſtabiliſq; eſto. Hæc Gell.libro 6.cap.7.

Testamentum facere dicitur , qui aduocatos homines teſtatur, quæ ſua mens ſit de ſucceſſore ſibi conſtituendo.l.1.D.de teſtam.Vbi Modeſtinus ſcribit teſtamentum eſſe uoluntatis noſtræ iuſtam ſententiam (ἀπόδειξιν homo Græcus dicere uoluit:melius demonſtrationem, uel enunciationem dixiſſet) de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri uelit. Melius igitur Vlpianus Inſtitutionum cap. 20. Teſtamentum eſt mentis noſtræ iuſta conteſtatio , in id ſolenniter facta , ut poſt mortem noſtram ualeat . Vera enim hæc teſtamenti definitio eſt.Mentis enim uerbo, non animi iudicium hoc tempore intelligimus (ut cum in l. ſequenti Labeo ſcribit mentis integritatem in teſtatore deſiderari) ſed uoluntatem , ut rectè Modeſt. expoſuit. Et quoniam non ſimplex eſt enumeratio ac demonſtratio , ſed teſtata : hoc eſt apud eos expoſita, qui ut teſtes eſſent , rogati ſunt:iccirco Conteſtatio mentis dicitur.non quo duplex uerbum hoc ſit , ut Cell. lib. 6. cap. 12. Ser.Sulpitium ſcripſiſſe affirmat . quod mihi quidem non ſit ueriſimile : uel quò teſtamentum egeo appellatum ſit , ut hoc loco Iuſtinianus putat : ſed quòd omne teſtamentum teſtatio eſt: non omnis autem teſtatio , teſtamentum : ſed ea ſola quæ mentis eſt de ſuis bonis poſt mortem ſuam poſsidendis Luſit igitur hac in re Seruius, ut cum alij dicunt Mutuum eſſe de meo tuum , & Donationem eſſe dono datum . neque enim tam hoſpes fuit in Latino ſermone Seruius , ciuitatis ſuæ florentiſsimus , & in arte ſua doctiſsimus, ut mentum productionem uocabuli eſſet ignoraret.qualis eſt in Calceamentum,aut Paludamentum,aut Veſtimentum: uel qualis monium in Patrimonium,Matrimonium , Teſtimonium . Sed cum ab eodē fonte Teſtimoniũ & Teſtamētum, deducta eſſent,ea quaſi alluſione differentiā oſtendere uoluit.Eſt enim teſtimoniũ commemoratio rei geſtæ:Teſtamentum autem rei futuræ demon

ſtratio

ſtratio,non ſimplex,ut dixi,ſed conteſtata.

TESTAMENTVM porrò aliud erat Calatis comitijs, aliud in prociuctu,per æs & libram, Prætorium, mixtum.

TESTAMENTVM Calatis comitijs erat. quod pacis tempore Calatis,id eſt euocatis pro collegio Pontificum comitijs,palàm aperteq; fiebat. Gell. lib. 15.cap.27.

TESTAMENTVM in procinctu dicebatur, quod militiæ tantum fiebat: cùm inſtructo exercitu uiri ad prælium faciendum in aciem uocati, togasq; ſuccincti,tribus aut quatuor teſtibus adhibitis hæredē nuncupabāt.Gell.ibid.& Plaut.in Coriolan.

TESTAMENTVM per æs & libram dicebatur, cùm quis alterius familiam, id eſt tua patrisfa.uniuerſum mancipio emebat, & teſtator tabulas tenens, ita loquebatur:Hæc uti in his tabulis cerisve ſcripta ſunt,ita do,ita lego, ita teſtor.itaq; uos Quirites teſtimonium præbitote.Gell.ibid.& Vlp.cap. Inſt.20.

TESTAMENTVM Prætorium eſt,quod ſine ulla mācipatione per ſolā ſeptem teſtium cōſignationem etiam hoc tempore magnopere obſeruatur. l. ſi unus,C.de teſtam.& Imp.1.Inſt.eod.

TESTAMENTVM mixtum eſt,quod ex ciuili,Prætorio,& conſtitutionum iure ita fit, ut a ſeptem teſtibus nullo alio interpoſito actu, uel eodem,uel etiam alieno anuulo conſignetur,ſubſcribatur ab ijs & a teſtatore, hærediaq; nomen uel ab hoc ſolo, uel ab ijs adſcribatur.l.28.& 29.C. de teſtam.

TESTAMENTVM improbum, contra leges: inofficioſum,contra merita:inhumanum, contra pietatem. Aſconius.

TESTAMENTARIVS,teſtamenti ſcriptor,Vlpia.l.9. D.de hæred.inſti. Sed ſi maiorem adſcripſerit teſtamentarius, uel quod difficilius eſt probatione, ipſe teſtator.Item,Idē tractat, & ſi teſtamētarius contra uoluntatem teſtatoris cōditionē detraxit.

TESTAMENTI factio non modò teſtamenti faciendi, ſed etiam capiendi ex teſtamento facultatem ſignificat. l. filiusfa. 16. D. de teſtam.ubi Pomp. ſcribit & filiumfa.& ſeruum alienum, & ſurdum, teſtamenti factionem habere.licet enim teſtamentū facere nō poſsint,attamen ex teſtamēto uel ſibi uel alijs acquirere poſſunt. Vetus aūt eſt locutio hæc, & niſi me animus fallit,ex duodecim tabul. manauit,in quibus tamen ſcriptum fuiſſe opinor de iis quibus cum teſtamenti factio haberetur: nō qui teſtamenti factionem haberent. Sic l. ult. D. pro hæred.l.31.l.49.D.de hæred.inſt.

TESTARI eſt teſtificandi alicuius negocij cauſſa tabulas obſignare. Venul.l.22.D. de teſtib. Curent magiſtratus cuiuſque loci teſtari uolentib. & ſeipſos & alios, teſtes uel ſignatores præbere: quo facilius negocia explicentur, & probatio rerum ſalua ſit. Hinc

TESTATIO,& Teſtificatio,actus ille teſtandi conſignandiq;.Cic.Verr.7.Ipſe in tabellas refert,obſignat ſignia amicorum prouidens homo:ut contra hoc crimen,ſi quando opus eſſet,hac uidelicet teſtificatione uteretur. Vlp.l.9.§.1.D. de pœn. Solet & ita interdici. ne inſtrumenta omnino forment,neve libellos cōcipiant, uel teſtationes conſignent.Sic in l.3.D.de concub.l.7.D.de ſponſal. l.2.D.de naut.fœn.l.ult.D. de cuſt. reor. Cic.in Quint.Ipſe ſuos neceſſarios ab atrijs Licinijs, & à faucib. macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint,hora ſecunda poſtridie:ueniunt frequētes.teſtificatur iſte P.Quintium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe.tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium conſignantur. Morem hunc Ouid. li. de Ponto IIII.his ſignif.uerbis:

Confiteor,teſtere licet,ſignate Quirites:
Nil opus eſt legum uiribus,ipſe loquor.

TESTATO, teſtibus adhibitis.Scæuola l.122.D.de uerb.oblig.Qui Romæ mutuam pecuniam acceperat ſoluendam in longinqua prouincia per menſes tres, poſt paucos dies Romæ teſtato creditorī dixit,paratum ſe eſſe Romę eam numerare.;Item §.3.Quum cohæres mulier cohæredis liberorum tutores ſæpius teſtato conuenerit. Sic in l. ult. D. pro derel.l.1.§.licet,D.de peric.& comm.l.1.D. quod.iuſſ.

TESTIMONTORVM modus duplex eſt:manifeſtus & cæcus.Manifeſtus eſt,qui certos teſtes,& præſentea habet:Cæcus,in quo multitudinem, aut ciuitatem dicimus ſcire.ut Cic. Teſtis eſt tota Sicilia. Eſt etiam in cæco iuſiurandum,tabulę,abſentesq; perſonæ:ait Donat.in Audr.Terent.

THERIACA,θηριακά, medicamentum aduerſus omnium animantium uenena inſtitutum: de quo ex Plinio coguoſces lib.20. cap. 24. Vlp.l.12.§.21. D.de inſt.uel inſt.Idem reſpondit theriacam quoque & cetera medicamenta,quæ ſeceſſus cauſſa dominus ibi habuit.

THESAVRVS eſt quædā uetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat.l.Nunquam,D.de acquir.rer.domi.

THYMELICI, ſiue Thumelici.οἱ ἐν ὑποκρίνονται τὴν τέχνην ἐπιδεικνύμενοι,inquit Suidas:id eſt,qui perſonati artem oſtentant.eſt enim θυμέλη,locus editior,ubi actores ſaltabant.Iul.Pollux lib.4.καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον· ἡ δὲ ὀρχήστρα, τοῦ χοροῦ· ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη εἴτε βῆμά τι οὖσα εἴτε βωμός.Scena,iquit, propria eſt hiſtrionū:Orcheſtra uerò chori.in qua eſt & θυμέλη,quę uel tribunal eſt,uel ara:id eſt locus editior, ut dixi. Vitruuius libro De archit.5.cap.8.Apud Græcos, inquit tragici & comici actores in ſcena peragunt: reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtaut actiones: itaque ex eo ſcenici & Thymelici Græcè ſeparatim nominantur. Ex his apparet Thymelicorum nomine intelligi ſtudios citharœdos, tibicines, cithariſtas, lyriſtas, & qui ſunt in eodem genere. Vlp.l.4.D.de his qui not. infa. Et generaliter,ita omnes opinantur,& utile uidetur:ut neq; Thumelici,neq; Exuſtici,

ſtici neque agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, ceteraq; eorum miniſteria, qui certaminib. ſacris deſeruiunt, ignominioſi habeantur. De thu melicis etiam fit mentio in l.10.D.de pollici.

THYNNVS piſcis marinus. de quo lege Plinium lib. 9. cap. 15. hinc Thynnaria piſcatio apud Vlp.l.7. D.commun. præd.

THI δυνάμει, ui ipſa, non directò, non diſertis uerbis, ſed idem ualentibus. Vlpia.l.29.D.de recept.arb. Qui ab arbitro damnatus, a reo, ſed ab eius fideiuſſore petit: τῇ δυνάμει a reo petit. id eſt, uerbo quidem a fideiuſſore petit: re ipſa, a reo. Sic enim Cicero frequentiſsimè hanc effert locutionem.

TIGNI appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium conſtat, uineæq; neceſſaria, unde quidam aiunt, tegulam quoq; & lapidem, & cæmenta, ceteraq;, ſi qua ædificijs ſunt utilia (tigna enim a tegendo dicta ſunt) hoc amplius & calcem & arenam appellatione tignorum contineri. Sed in uineis tigni appellatione omnia uineis neceſſaria cõtinentur. ut puta, perticæ, pedamenta. l.1.D. de tigno iniuncto. l. tigni, 62. D. de uerb. ſigni.

TIGNI appellatione omnẽ materiam in lege XII. tab. accipimus, ut quibuſdã rectè uidetur. l. tigni, idem D. ad exhibendum.

TILIA, arbor cuius ex cortice interiore membranulæ pertenues ſumuntur, in quibus ueteres ſcribebant. Vlp.l.52. De legat. & fid.lib.32. Librorum appellatione continentur omnia uolumina, ſiue in carta ſiue in membrana ſint: ſed & ſi in philyra, aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, &c.

TITIVS & Accius, uetera nomina quibus exempli cauſſa uti mos erat. Varro in teſtamento, Quòd ſi quis undecimo menſe natus eſt, Accio idẽ quod Titio ius eſto apud me. Per hoc uetus prouerbiũ Varro ſignificat, ſicuti uulgò dici ſolitum erat, de rebus inter ſe nihil diſtantibus, Idem Accij quod Titij: ita pari eodemq; iure eſſe in X. menſibus natos, & in XI. Hæc Gell.lib.3.cap.16.

TITVLVS, eſt poſſeſsionis cauſſa ueluti, Rogo te, unde hanc rem poſsides? & dicis, Quoniam mihi donata eſt. & titulus eſt, Pro donato, aut Quoniam emi, & titulus eſt Pro empto: ait Theoph. §. I. De interdict. uel ſic:

TITVLVS eſt iuſta & æquitati naturali conſentanea poſſeſsionis cauſſa ueluti Pro emptore, pro donato. l.1.D.pro ſolut. l.3. §. ult. D.de acq.poſſ.

TOGA dicta eſt a tegendo, inquit Pompon. l.180. D.de uerb. ſigni. Eius formam ac figuram Quintilianus lib. XI. cap. III. his deſignat uerbis: Veteribus nulli ſinus, perquàm breues poſt illos fuerunt. Ipſam togam rotundam eſſe, & aptè cæſam uelim, aliter enim multis modis fiet enormis. pars eius prior medijs cruribus optimè terminatur, poſterior eadem portione altius quàm cinctura: ſinus decentiſsimus, ſi aliquanto ſupra imam togã fuerit, nunquam certè ſit inferior. hæc ille: quæ a Bayſio prætermiſſa fuiſſe miror. Toga autem ciuium Romanorum fuit propria. Itaque & ubique eam geſtare iubebantur, neque peregrinis ea uti licebat. unde illud Plinij lib. Epiſt. III. Idem cùm Græco pallio amictus intraſſet (carent enim togæ iure quibus igni & aqua interdictum eſt) poſtquã ſe compoſuit: Latinè, inquit, declamaturus ſum. Tranquil. in Claud. Peregrinitatis reum orta inter aduocatos leni contentione, togatumne an palliatum dicere cauſſam oporteret, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum prout accuſaretur, defenderetur ue iuſsit.

TOGA prætexta, toga cuius oræ purpura intertexta eſt. Ea pueri ad annum ætatis XVI. utebantur, quo anno puram, quæ & uirilis dicebatur, ſumebant. Itaque Vlpianus in l.23. §.2. D.de aur. & arg. Puerilia, inquit, ueſtimenta ſunt, quæ ad nullum alium uſum pertinent, niſi puerilem ueluti togæ prætextæ.

TOLLISSE, pro ſuſtuliſſe, apud Vlp. in l.13. §.4. D. de acceptil.

TOΞΕΥΜΑ apud Græcos quidem proprio nomine uocatur id, quod ab arcu mittitur, apud nos autẽ communi nomine & tellum appellatur. l. ſi caluitur. D.de uerb.ſig.

TOPIARII, artifices fruticum & herbarum in uarias figuras conformandarum. ἀπὸ τῶν τοπίων, meo iudicio. id eſt a funiculis: potius quàm ἀπὸ τῶν τόπων, ut quibuſdam placet. Alfen. l. 60. §.3. De legat. & fid. lib.30. Prædijs legatis, neque topiarium, neque ſaltuarium legatum uideri ait. topiarium enim ornandi fundi paratum eſſe. Item Vlpianus. l.8. in fi. & Marcia. l.17. §.2. D. de inſt. uel inſt.

TORALIVM duo fuiſſe genera, Paulus ſignificat in l.5. de D. ſuppell. leg. unũ quod ſtraguli nomine contineretur. alterum quod non contineretur. Hoc autem Plagam appellatum Nonius teſtatur: grande ſcilicet linteum tegmen. ob eam, ut conijcio, cauſam ita dictum, quòd plagis, id eſt foraminibus peruium ac pellucidũ eſſet. ut ſi uera coniectura ſit, planus nunc eiuſdem Pauli locus ſit in l. 3. eod. ti. ubi ſcribit culcitras, toralia imperia, &c. ſuppellectili legata contineri: nimirum ſi addita literula legamus Toralia IMPERVIA: ut ea ſignificentur, quæ uerè ſtragula ſunt, id eſt denſa & non rara. Varro tamen lib. De ling. 4. & apud Feſt. De uita pop. Ro. I. παχυμέστερον utrunq; ſtraguli nomine comprehendit.

TRADITIO, eſt modus res ſingulas iure gentium acquirendi, cum cauſſa ſubeſt: id eſt Titulus, ueluti cum uenditionis, permutationis, legati, donationisve cauſſa aliquid traditur, l. qua ratione, 9. §.3. D.de acq.rer.dom. olim autẽ Traditio propriè erat alienatio rerũ nec mãcipi. uti ſcribit Vlp. cap. Inſt. XIX, ubi etiã adſcribit. Nec mancipi rerũ dominia, ipſa traditione apprehendi; ſcilicet ſi ex iuſta cauſſa tradita ſint nobis. Propriè autem Traditio rerum corporalium eſt. Incorporales enim

res

res traditionem non recipiunt. l. ſeruus,43.D.de acq.rei.dom. quippe cum in his uſus iuris pro traditione cedat.l.ult.D.de ſeruit.

TRADITVIRI, uetuſtè pro Traditum iri.Paul.l.47. D.de reiſuind.Non aliter litem æſtimari a iudice, quàm ſi cauerit actor qđ per ſe nõ fiat poſſeſsionẽ eius rei non traditulri.Iulian.l.47.§.3.De fid. lib. Quum ſub conditione legato ſeruo libertas datur,non aliter fideicommiſſario tradi debet,quàm ut caueatur exiſtente eondilione traditulri.

TRAIECTITIA pecunia eſt, quæ trans mare periculo creditoris uehitur, ſiue illa ipſa exportetur, ſiue etiam merces ex ea comparatæ reportentur: modò ereditoris utræq; periculo nauigent,uti patet ex l.1.D. de naut.fœn.& l.122.§.1.D. de uer. obl. Iulius Pollux fœnus ἑτερόπλουν,quod pro commeatu: ἀμφοτερόπλουν,quod etiam pro remeatu ſoluitur,appellat.

TRANSCRIBERE,ius ſuum in alterũ trãsferre: deriuata locutione ex eo.quòd ueteres(ut ſcribit Donat.)in foro & de mẽſæ ſcriptura, magis quàm ex arca domoq; pecunias numerabant.nam quod argentarius Titio acceptũ tulerat,id ſi Titij uolũtate Męuio acceptũ ferret,Titijq; nomẽ expũgeret, Trãſcribere dicebatur.Procul.l.12.D.de pręſeri. uer.Cõueniſſe ĩter eos.ut eos fundos,ſi ipſe uellet eodẽ precio mulier trãſcriberet.Caius in l.13.D. ad S.C.Vell.Aut ſi hæreditatẽ emerit,& æs alienũ hæreditariũ in ſe tranſcribat. Imp.l.iubemus,14. C.de ſacr. eccl. Poſſeſsionẽ eccleſiaſticam tanquã nullo iure tranſcriptam, in iure ipſius atq; dominio permanere. Vlpi.l.41.§.9.De leg.& fid.li.32. Agri plagam quæ eſt in regione illa Mæuijs tranſcribi uolo,precio facto uiri boni arbitratu. Seruius in illud Aeneid.7.

Et tua Dardanijs tranſcribi ſceptra colonis?

Tranſcribi,inquit,id eſt tradi. Sermo autẽ hic tractus eſt de pecunia.nam Scribi eſt dari.Horat.

Scribe decem Nerio,non eſt ſatis, adde cicutæ.

Reſcribi,reddi. Horat.

Dictantis quod tu nunquam reſcribere poßis.

TRANSFVGA non is ſolus accipiendus eſt, qui aut ad hoſtes,aut in bello trãsfugit: ſed & qui per induciarum tempus,aut ad eos cum quibus nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta transfugit. l.poſtliminiũ. 19.§.3. D. de cap.& poſtlim. Feſtus autẽ ſic: Perfugã Gallus Aelius ait,qui liber aut ſeruus,aut hoſtis ſui uolũtate ad hoſtes tranſierit,qui idẽ dicitur Transfuga. quanquã ſunt qui credant Perfugam eſſe,non tã qui alios fugiat, quàm qui ob ſpẽ commodorum,ad quempiam perfugiat.

TRANSIGERE uerbum & generaliter uſurpatur,& ſpecialiter, Generaliter pro quauis conuentione. idq; bifariã:primùm ubi nulla eſt cõtrouerſia, ſed ſpõte negociũ aliquid cõtrahitur. ueluti in l.1.§. 1.D.de pact.Conuentionis uerbũ generale eſt ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi tranſigendiq; cauſſa. conſentiunt. &c.Hinc illud Ciceronis in Orat.pro Cluẽt. Manilius rem cum Oppianico tranſigit, pecuniam ab eo accipit. Deinde cùm orta controuerſia deciditur. ut l.1. D. teſta. quemad. aper. l.6. D.de tranſact. itaque Tranſigere & Decidere Cicero pro eodem uſurpat.ueluti Verrin.1111.Quod unquam huiuſmodi monſtrum audiuimus? qui cum reo tranſigat, pòſt cum accuſatore decidat? Sic in ea pro Comœdo:Criminatio tua quæ eſt? Roſcium cum Flauio pro ſocietate decidiſſe.Defenſio mea quæ eſt? Roſcium pro ſua parte cum Flauio tranſegiſſe. Sic iu reiurando tranſigi negocium dicitur in l. 2. & l. admonendi,31. D. de iureiur. Sic Paulus l.36.D. de rei uindic. Tranſegiſſe,inquit,cum eo, & deciſiſſe uideqr,eo precio qđ ipſe conſtituit. Hinc

TRANSACTA, inquit Paul.finitave intelligere debemus,non ſolùm quibus controuerſia fuit,ſed etiã quæ ſine cõtrouerſia ſint poſſeſſa. ut ſunt iudicio terminata,tranſactione eompoſita, longioris temporis ſilentio finita.l.229.& l.300.D.de uer. ſig. l.1.§.ult. D.ad S.C. Tertyll.

TRANSIGERE uerò ſpeciatim & peculiariter ſub tit.De tranſact.accipitur,pro de lite iam mota uel mouenda aliquo dato, uel retento, uel promiſſo decidere. l. tranſactio,C.illo tit. deniq; in hac ſignificatione tranſigi gratis nõ poteſt. eaq; eſt inter Tranſigere & Paciſci differentia:quòd

TRANSIGERE & paciſci hoc differunt,quòd is qui tranſigit,quaſi de re dubia,& lite incerta neq; finita tranſigit: qui uerò paciſcitur, donationis cauſſa rem certam & indubitatam liberalitate remittit.l.1.D.de tranſact.

TRANSIVNGI iumenta dicuntur,quæ in quadrigis loco mutantur:& in diuerſam partem.ut a dextra in læuam,aut contrà iunguntur. Vlp.l.38.§.5.D. de ædil.edict.Quæſitum eſt, ſi mula talis ſit, ut tranſiungi non poſsit,an ſana ſit:& ait Pompo.ſanam eſſe,pleraſq; deniq; carrhucarias tales eſſe,ut non poſsint tranſiungi.Idem ait, ſi nata ſit eo ingenio aut corpore, ut alterum iugum non patiatur,ſanam non eſſe.

TRANSLATIO legati eſt, cum teſtator id quod alicui legarat,aut a perſona in perſonam trãsfert:aut ab eo qui dare iuſſus eſt:transfert ut alius det: aut cum rem pro re dari iubet: aut quod purè datum eſt, ſub conditione transfert. l. 5. D. de adim.& transf.

TRANSLATIO litis,uel iudicij eſt,cũ iudiciũ ab aliquo ſuſceptum in alterũ transfertur.l.25.& l.27. D.de procur.l.17.§.ſed etſi.D.de iniur.

TRANSLATITIA inquit Aſconius,ueteres dixerũt non noua,nec nuper inuenta, ſed aliunde tranſlata. Hinc

TRANSLATITIA edicta, quæ ex ſuperiorũ Prætorũ albo tranſcribebantur.Cic.Verrin.111.In re tã uſitata ſatis eſt, oſtendere omnes antea ita ius dixiſſe, & hoc uetus edictum tranlatitiumq; eſſe. Gell.lib.3.ca.pen.Hoc ſignificabat edictum quo

nunc

nunc quoq; COSS. cum Senatores in curiam uocant, ſeruādæ conſuetudinis cauſſa translatio utuntur. Hinc

TRANSLATITIE, negligenter, defunctoriè: translata locutione ab edictis trāslatitijs, quæ nullam diligentiam requirebant. Marcianus l.1.§.3. D. ad S.C. Turpill. Præuaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & tranlatitiè munere accuſandi defungitur. Vlpian l.1. D. de iur. patr. Patronorum querelas aduerſus libertos Præſides audire, & non translatitiè exequi debent. Item Papiu l.55.§.1. ad S.C. Trebell. Sed nec illud trāslatitiè omittendum eſt. id eſt, prætereundum eſt.

TRAPETUM, molæ quæ in altum ſublatæ deprimebantur, quibus oleæ confringebantur. Vlpia. l.19. §.2. D. locat. Si quis fundum locauerit, dolia utiq; colono præſtanda eſſe, & prælum & trapetum, inſtructa funibus. Columella lib.12. c.50. Oleo aūt conficiendo molæ utiliores ſunt, quàm trapetum.

TRAPEZOPHORA, τραπεζόφορα columellæ ſiue pedes quib. impoſitæ ſuſtinentur menſæ. apud Paul. in l.3. D. de ſupp. leg.

TRIBONIANUS, natione Græcus cum omnis religionis cōtemptor erat, tum uerò in primis a Chriſtiana fide abhorrens, aſſentator & fraudulentus, ut qui Iuſtiniano perſuaſerit mortem eum non oppetiturum eſſe, atq; in cœlum cum carne aſſumptum iri. Quæſtor Iuſtiniani fuit, tanta ui ingenij præditus, ut doctrina præſtantiſſimus euaſerit, ac nulli æuo ſuo ſecundus: ceterùm auaritiæ eò uſq; indulgens, ut lucro uenale ius habendum ſemper duxerit. Nam & leges quotidie fermè ſordida dinundinatione antiquare identidem ferreq; inſtituerat, ut cuique commodum eſſet. Hic cum diu poſt honorem adeptum ſuperuixiſſet, morbo tandem interijt, nihil prorſus moleſtiæ a quoquam unquā paſſus. erat enim ſermone blandus, & alioqui ſuauis: auaritiæ quoque morbum doctrinæ præſtantia facilè obūbrare poterat. Hæc Budæus ex Suidæ interpretatione. De eodem Harmenopulus tit. De legibus: Iuſtinianus, inquit, etiam Nouellas ſingulari libro compoſuit: ad quam Nouellarum compoſitionem operam ſuam Iuſtiniano Tribonianus ille præbuit, qui ob ingenij dexteritatem, & habendi ſtudium, ad miraculum uſque paſsim omnibus in ore eſt. qui quum ſcribendis Nouellis occuparetur, acceptis a litigantibus pecuuijs partim pro uoluntate contribuentium cōmutauit: partim obſcura, difficilia, & ad ſententias duplices uergētia improuidè incōſulteq; effudit.

TRIBUNAL, locus editior, in quo ſella curuli poſita Magiſtratus ius dicebant. Vlpian. l.1. D. de iudic. Si ſe ſubijciant aliqui iuriſdictioni, & conſentiāt, inter conſentientes cuiuſuis iudicijs qui tribunali præeſt, uel aliam, iuriſditionem habet, eſt iuriſdictio.

TRIBUNALI autem præerant magiſtratus curules duntaxat, quibus curulis ſellæ ius erat: ueluti Conſules, Prætores, Aediles: & prouincijs. Præſides, ac Proconſules. Minores uerò magiſtratus ex ſubſellijs, ut ſcribit Aſconius, ius dicebant. ueluti Tribuni, Quæſtores, Triumuiri, Vitruuius libro 5. cap. 1. de baſilica Iulia loquens: Item tribunal eſt in ea æde hemicycli ſchematis, minore curuatura formatum. eius autem hemicycli in fronte eſt interuallum, pedum XLVI. introrſus curuatura pedum XV. uti eos qui apud magiſtratus ſtarent, negociantes in baſilica ne impedirent. De tribunali Conſulis R. qui Macedonibus terrori erat, Liuius li.45. ſic loquitur: Aſſuetis regio imperio formam terribilem præbuit tribunal: ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia, &c.

TRIBUTUM, inquit Vlp. ab intributione appellatur: uel ex eo quòd militib. tribuatur. l.27. D. de uerb. ſig. Duplex autem Tributum fuit: unum Capitis, ſiue Perſonæ: alterum Rei, ſiue Soli. l.3. & ult. D. de cenſibus, & alendi exercitus nomine conferebantur. neque eorum ſententiam improbarem, ſi qui eſſent, qui perſonale propriè Stipendium appellandum putarent: cum ſcilicet aurum, argentū, æs penderetur: Reale uerò ſiue Prædiale, cū equi, ueſtes ceteraq; ex eodem genere præſtantur. unde illud Tertull. in Apologetico obſeruatum eſt: Si agri tributo onuſti, uiliores: hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora.

TRIBUTORIA actio, uide Actio tributoria.

TRIENTES uſuræ dicuntur, cum quaterni aurei in centenos penduntur. unde &

TRIENTARIUM fœnus, apud Capitol, in Anton.

TRIERARCHUS, triremi præpoſitus, inquit Aſcon. Iauol. l.46. D. ad S.C. Treb. & l. prima. D. de bon. poſſ.

TRIPERTITA, liber fuit Sex. Aelij, qui iuris cunabula cōtinebat: inde dictus, quòd lege XII. tab. compoſita iungitur interpretatio, dein ſubtexitur legis actio. l.2. §.19. D. de orig. iur.

TRIPLICATIO, eſt ſecunda actoris defenſio, contra rei duplicationem oppoſita. §.1. Inſt. De replicat. quaſi enim Replicatio, conduplicatio & geminatio fuiſſet: ſic quod tertio poſt actionem loco referretur, atque in iudicium objiceretur, Triplicationis nomine ſignificatum eſt. At in l.2. D. de except. Triplicatio reo tribuitur, quaſi Replicationi opponatur. ubi ut uerè dicam, mendum ſubeſſe arbitror: & ex imperatoris uerbis corrigēdū.

TRITAUUS, īquit Paulus, eſt patris & matris atauus, aui uel auiæ abauus, proaui proauiæ proauus, abaui uel abauiæ, auus, ataui uel atauiæ pater: dictus quaſi tertius auus. l.10. D. 10. de gradib.

TROPHIMA, τρόφιμα, nutrimentum, alimentum. Paulus l.26. §.2. D. depoſ. Ex quib. debetis mihi decē, quos apud Titium depoſuiſtis: item quos trophimati, decem.

TROCHEAE, inſtrumenta cum orbiculis tollendis ac deprimendis, oneribus accommodata: apud Vlp.

Vlp.l. 15.§. 1. D. locati : & Catonem De re ruſt. cap.136.

TRVLLA, uaſis uinarij genus. ut apud Paul. in l.15. D.de inſtr.uel inſt.leg. Trullæ, inquit, quæ circa cœnam ſolent traijci. Et apud Vlp. l. 19.§.3.D.de auro arg.mund.Cic. Ver.VI. Erat etiam uas uinarium ex una gemma prægrandi : trulla excauata cum manubrio aureo.

TRVTINARI una eademq; lance, pro pari iure eſſe, Iuſtinian. prouerbij figura dixit in l.cum quis, 10. C.de nat.lib.uide Aequa lance.

TVBVLI, fiſtulæ maiores fictiles. Proculus l.13.D. de ſeruit.urb. Nõ licet autem tubulos habere admotos ad parietem cõmunem: quòd per eos flamma torretur paries.

TVERI, paſsiuè, Iulianus l.conſilio, 7.D.de cur.fur. Conſilio & opera Curatoris tueri debet, non ſolum patrimonium, ſed & corporis ac ſalus furioſi. Sic l.5.& l.ult.D.de legat.præſt.

TVGVRII appellatione, inquit Pomponius, omne ædificium quod ruſticæ magis cuſtodiæ cõuenit quàm urbanis ædibus, ſignificatur. Ofilius ait Tugurium a tecto, tanquam tegularium, eſſe dictum: ut toga, quòd ea tegamur. l.180.D.de uerb.ſigni.

TVNICA ueſtis breuior, & interior: ei enim toga ſuperimpoſita, crura & tibias contegebat. Paulus l.1.D.de cont. empt. Sed an ſine numis uenditio dici hodieq; poſsit, dubitatur: ueluti ſi ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Hæc Paulus. Plutarchus autem in uita Coriolani & in Problem. Catonem tradit ſcriptum reliquiſſe, fuiſſe in more ut candidati ſine tunica uenirent ad ſupplicandũ populo, ſola toga candida, eaq; recincta induti. Aſconius autem in Orat.pro Scauro, & Val.Max. libro 3.cap. 6. aiunt Catonem Prætorem iudiciũ Scauri, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuiſſe campeſtri ſub toga cinctum. in forum quoque ſic deſcendiſſe, iusq; dixiſſe, idq; reperiſſe ex uetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis.

TVRBA & rixa multum differunt: ait Vlp. nanq; turba multitudinis hominum eſt turbatio & cœtus: Rixa, etiam duorum. l.4.§.1. D. ui bon. rap. ubi Turbam appellatam Labeo ait ex genere tumultus: idq; uerbum ex Græco tractũ, ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν.

TVRBARE rationem, idem quod Conturbare. Vlp. l.1. in fi. D. de ſer. corrup. Qui actori perſuadet ut rationem ſibi commiſſam turbaret. uide Conturbare.

TVTELA eſt uis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem ſuam ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data ac permiſſa. l. 1. D. de tutelis.

TVTELAM in ſuam uenire, uide In ſuam tutelam.

TVTELARIS cauſſa, lis eſt quam tutor pupilli nomine intendit. Vlpi. l.4.D.de in lit. iur. Videamus in tutelari cauſſa quis iurare, & aduerſus quem poſsit.

TVTORES ſunt qui uim ac poteſtatem in pupillos habent: exq; re ipſa nomen ceperunt. itaque appellantur Tutores, quaſi Tuitores, atque defenſores: ſicut Aeditui dicuntur, qui ædes tuentur. l.1.D. de tutelis. Eorum autem tria ſunt genera. nam alij dicuntur Teſtamentarij, alij Legitimi, alij moribus inducti. Teſtamentarij ſunt, quos paterfam. impuberi filioſa. itemq; nepoti, quem tamen non patris, ſed ſuæ poteſtati relicturus eſt, in ſuo teſtamento conſtituit. l. 1. & paſſ. D. de teſt. tut. Legitimi ſunt (ut ait Vlpian. in Inſtitut.) qui ex lege aliqua deſcendunt. per eminentiam autem Legitimi dicuntur, qui ex lege XII. tabularum introducuntur, ſeu propalàm, quales ſunt agnati: ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni. l.1.& paſſ. D. de legit.tut. Moribus inducti: uide, Tutor Prætorianus.

TVTOR Ceſsicus appellatur is, cui in iure tutela ceſſa eſt, qui ſiue mortuus fuerit, ſiue alij tutela ceſſerit, redit ad legitimum tutorem tutela: ſed & ſi legitimus deceſſerit, aut capite minutus fuerit, Ceſsitia quoq; tutela extinguit. Vlp.cap. Inſt.XI.

TVTORES datiui appellantur, qui teſtamento nominatim dati ſunt: hos enim lex XII t. confirmat, ut ait Vlp. cap. Inſt.XI. Datiuum tamen pro Atiliano aut Iuliano Modeſtin. poſuit in l. 7. D. Rem pup. ſal for. ubi Teſtamentarij, qui propriè Datiui ſunt a Datiuis diſtinguuntur. & Iuſtinianus in l. 30.C.de epiſc.& cleric. ubi Teſtamentarias tutelas a Datiuis ſeparat.

TVTOR fiduciarius dicitur, qui liberum caput mancipatum ſibi, uel a parente, uel a coemptore manumiſit: idq; per ſimilitudinem patroni. Vlpia. cap. Inſt.XI. uel ſic:

TVTOR fiduciarius is propriè dicitur, qui quum pater eſſet fiduciarius filium ſibi mancipatum manumiſit, nec remancipauit. hæc Vlp. in Inſtit. Ponamus ergo contractam fuiſſe fiduciam, id eſt ultrò citroq; factam emancipationem, patremq; fiduciarium uero patri filium remancipaſſe, Pater uerus, quoniam alter fidem ſimiliter eius ſequutus eſt, fiduciarius eodem modo dici deberet. at quoniam uerus eſt pater, ſuam retinet meliorem appellationem. Præterea tutor etiam fiduciarius, itẽ ut alter, dici deberet ſed quoniam qui legitimi ſunt hæredes, ij tutores ſunt legitimi, pater quem lex ad manumiſsi filij hæreditatem uocat, ſuũ hoc a lege nomen retinebit, diceturq; Legitimus. At quoniam emancipati frater hæres non eſt legitimus, quemadmodum docet Caius in Inſtitut. & Vlpianus. in l.prima. D. Si a patre quis manum. fu. Tutor legitimus, ut patroni filius, appellari non poteſt. Patroni enim filius ut hæres eſt legitimus, ſic tutor legitimus appellatur. Quod igitur agnatus ille proximus filij manumiſsi frater, cum ad tutelam uocabitur,

nomen

nomen habebit? Pater ſuum nomen fiduciarij tutoris, quo uſus non eſt, in illum transferet, diceturq; Tutor fiduciarius.

TVTOR honorarius dicitur, qui non adminiſtrationis & oneris, ſed honoris tantum cauſſa datur. l.3.§.1.D.de admin.tut.ubi Vlp.ait, eos non icirco extra periculum eſſe, ſi pupillos negligant. Nam prius quidem excuſsis eius qui geſſerit facultatibus, conueniri oportere.

TVTORES Iuliani dicuntur, qui ex lege Iulia & Titia dati ſunt, quæ iubet mulieribus pupillisve non habentibus tutores dari in prouincijs a Præſidib.earum. Vlp.cap.Inſt.x1.

TVTOR Prætorianus, Vlp.cap.Inſt.x1. Moribus tutor datur mulieri pupillove, qui cum tutore ſuo lege aut legitimo iudicio agere uult, ut auctore eo agat (ipſe enim tutor in rem ſuam auctor fieri non poteſt) qui Prætorianus tutor dicitur, quia à Prætore urbis dari conſueuit.

TYMPANVM, rota maioris ambitus, quæ ab hominibus orbem eius introrſum calcantibus uerſatur. Vlp.l.19.§.1.D. locat. Quòd ſi regulis olea prematur, & prælum, & ſuculam, & regulas, & tympanum, & trochleas, quibus releuatur prælum, &c. Lucret. lib. 4.

Multaq; p trochleas, et tympana pondere magno
Commouet, atq; leui ſuſtollit machina niſu.

TYMPANA, margaritæ: de quib. Plin. libr.9. cap.35. Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchisq; adhæreſcunt, nec ijs auelli queunt, niſi lima: quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas: auerſis planicies, ob id Tympana nominantur. Paul.l.32. §. ult.D.de aur. arg. Quum quædam ornamentum mamillarum ex tympanis margaritis trigintaquatuor legaſſet, &c.

DE LITERA V.

VACANS mulier, pro uidua. Marcia.l.5.§.2. D.de ui pub. Qui uacantē mulierē rapuit, uel nuptā, ultimo ſupplicio punitur.

VACANTIA bona, uide Bona uacantia.

VACVA pecunia, id eſt ocioſa, inutilis, infructuoſa, nullam pariens uſuram: Scæuola l.28. D.depoſ. Quibus ut primum proſpiciā, ne uacua tibi ſint: id eſt ut uſuras eorum accipias, curæ habebo.

VACVA poſſeſsio dicitur, uel quam dominus alteri cedit, uel cuius non extat poſſeſſor. l.pen.in fi.D. de acq.poſſ.l.in conuentionalib. 52. D. de uerb. oblig.l.ſed ſi, 18.D.de cont.emp. Cic. in 111. de Orat. Noſtra eſt omnis iſta prudētiæ doctrinæq; poſſeſsio: in quam homines quaſi caducam atque uacuam abundantes ocio, nobis occupatis, inuolauerunt. id eſt, cuius nemo extabat poſſeſſor.

VACVA poſſeſsio tradi dicitur, cum ab eo qui illam alteri cedit, cauſſa bonorum, id eſt fructus & partus præſtantur. l.in conuentionalib.52.in fi.D.de uerb.oblig.l.4.D.de uſur.

VACVA poſſeſsio emptori tradita non intelligitur, ſi alius in ea legatorum fideive commiſſorum ſeruādorum cauſſa in poſſeſsione eſt, aut creditores bona poſsideant. l.2.D.de act.empt.

VACVVM miniſterium dicitur eius, qui certam procurationem habet nullam, ſed primum quodq; ſibi impoſitum munus obire cogitur. Vlpianus de mediaſtino loquens, l.27.§.2.De uſufr. Si ſerui uſusfructus legatus eſt, cuius teſtator quaſi miniſterio uacuo utebat̄, ſi eū diſciplinis uel arte inſtituerit uſufructuarius, arte eius uel peritia utet̄.

VAS, ſponſor erat ſiſtendi aliquem iudicio, ſiue publico, ſiue priuato. Varro De ling.Lat.v. Vas, inquit, appellatus, qui pro altero uadimonium promittebat. Conſuetudo erat, cùm reus parum eſſet idoneus in cœptis rebus, ut pro ſe alterum daret. Acron in lib.Serm.1. Sat. 1. ubi uerſum hunc interpretatur.

Ille datis uadibus qui rure extractus in urbē eſt:

Vadibus, inquit, id eſt ſponſoribus, a Vadimonio: quòd promittit is, qui ad iudiciū prouocatur, certo die affuturū. Vades ideo dicti, ꝙ qui eos dederit, uadēdi habet poteſtatē. Et Porphyrion. Vades inquit, ſpōſores dici notū eſt: ꝙ qui eos dederit, uadere, id eſt diſcedere interim liceat. Quæ quanquā propter diſsimilem ſyllabarū quantitatē, dubitationis aliquid habeāt, illud tamē demonſtrāt, morē hunc ueteribus fuiſſe, ut qui litē uellet intendere, aduerſario denunciaret, ut in ius ueniret: ſi nollet, uel eū cogeret, uel ſponſorē accipere, fore ut cōſtituto ſe die ſiſteret. Illa aūt denūciatio, Vadatio dicebatur. Nā & qui denūciabat, & cui denunciabatur, Vadari dicebatur. Cic. in Quintiana Vadari uis? promittit. in ius uocas? ſequitur. Horatius Sermone primo, Satyra nona:

Ventum eſt ad Veſtæ, quarta iam parte diei
Præterita: & caſu tunc reſpondere uadato,
Debebat.

Ergo qui litē alicui intēdere uolebant, a Prætore poſtulabant ut eū uadari liceret. Plaut. in Aulul.

Pulmentum pridem ei eripuit miluius,
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit:
Infit ibi poſtulare, plorans, eiulans,
Vt liceret miluium uadarier.

de Euclione loquitur. Eſt autem Vadari, uades poſtulare, id ē locupletes fideiuſſores, qui aliquē certæ pecuniæ ſponſione uadimoniū obiturum præſtabant. Hinc apud Liuium, Tot uadibus accuſator uadatus eſt reum. Horatius,

Ille datis uadibus, qui rure extractus in urbē eſt,
Solos felices uiuentes clamat in urbe.

Quòd ſi qs uades dare nollet, & Vadimoniū promittere, qui uadabat̄, aliquē eorū qui aderāt, accepta eius auricula, interrogabat, Licetne anteſtari? Si ille reſponderet, Licet: iniecta manu aduerſarium ad Prætorem trahebant. Vide quæ ſcripſimus

mus in Orat. pro Quintio. et T. in uer. Antestari.

Valetudinarium, locus in quem ægroti ualetudinis curandæ cauſſa diuertunt. hinc ut Columell. lib. 2. cap. 1. Siue alter. languidior eſt, in ualetudinarium confeſtim deducat, & conuenientem ei ceteram curationē adhiberi iubeat. & lib. 12. cap. 3. Valetudinaria quoque uel ſi uacent ab imbecillis, identidem aperire, & immundicijs liberare, & cet. Hinc Valetudinarij, ualetudinariorum publicorum præfecti: apud Tarrentenum l. ult. D. de iur. immu.

Varus dicitur, qui crurib. eſt introrſum obtortis: Vatius, qui extrorſum. Vlp. l. 10. in fi. D. de ædil. edict. Quæſitum eſt an uarus & uatius ſanus ſit. & opinor eos ſanos eſſe.

Vatius, uide Varus.

Vbique, pro ubicunque Iauol. l. in lege, 77. D. de cont. empt. In lege fundi uendundi lapidicinæ in eo fundo, ubique eſſent, exceptæ erant. Paul. l. qđ niſi, 20. in fin. D. de oper. lib. Non eſſe iniungendam neceſsitatem liberto ubique eum ſequi.

Vectigal generaliter dicitur, quicquid fiſco uel Reipub. imperij nomine præſtatur. itaque ſtante Rep. etiam ſtipendium: quod in pecunia numerata pendebatur, uectigalis nomine continebatur. Vectigalium autem tria erant genera: Decumarum, quæ ex frumento, uino, oleo, & frugibus minutis exigebantur: Scripturæ, quæ ex paſcuis: Portorii, quod ex mercibus exportandis uel importandis recipiebatur. Vlpianus l. 17. D. de uerb. ſign. Publica uectigalia intelligere debemus ex quibus uectigal fiſcus capit: quale eſt uectigal portus, uel uenalium rerum, item ſalinarum, & metallorum, & picariarum. Sic in l. ſed & hi, 13. &c. D. de publi. l. 103. D. de uerb. ſignif. Propriè autem & ſpeciatim.

Vectigal dicitur, quod fiſco uel Reip. portorii nomine penditur: id eſt, pro mercibus, quæ uel in uehuntur, uel euehuntur. Veteres autem etiam in priuatorum prouentibus hoc uerbo utebantur. Paulus l. 59. D. de uſuf. Cæſæ harundinis uel pali compendium, ſi in eo quoque fundi uectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet. Sic apud Ciceronem in Paradox. Ex meo tenui uectigali (id eſt, agrorum mercedibus, ſiue reditib.) detractis ſumptib. cupiditatis, aliquid etiā redūdabit.

Vectigales agri ſunt qui in perpetuum locātur: id eſt hac lege ut quandiu pro his uectigal pendatur, tandiu neque ipſis qui conduxerint, neque his qui in locum eorum ſucceſſerunt, auferri eos liceat. Non uectigales ſunt, qui ita colendi dantur ut priuatim agros noſtros dare ſolemus. l. 1. D. ſi ager uectig.

Velamentum, eſt artis precium: id eſt, Precium quod artifex accipit, uelat atque abſcondit ipſius artem, facit ut nulla eius ratio ducatur. Vlp. l. 52. §. 1. D. pro ſoc. Si in coeūda ſocietate, artē operāve pollicitus eſt alter, ueluti quum agrum politori damus in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt: precium enim operæ artis eſt uelamētū. Quod ut intelligamus, ſciendum eſt eos qui artem quāpiā eximiam in alterius uſum conferunt, non culpam, ſed dolum tātummodo præſtare. ut patet ex l. 1. D. Si menſ. falſ. mod. quamobrem quum iſte politor ſuam agri poliendi ſolertiam in uſum ſocij conferat, nō uidebatur cogendus culpam etiam præſtare. Verùm quia non honorarium artis ſuæ, ut menſor, ſed uerum precium percipit, nimirum fructuum partē: qđ preciū uelat, id eſt ita operit atq; abſcondit artis ipſius præſtantiam, ut nulla eius ratio habeatur: propterea quaſi nullam induſtriam in ſocietatem contuliſſet, ita culpæ nomine obligatur. Nā aut Operæ artis, pro operæ & artis ſic poſuit, ut quū dicimus uſusfructus, ire agere, & quæ ſunt generis eiuſdem: aut Operæ artisve legendū eſt, ut paulo antè Artem operamve. Leuamētū autem ſi legeremus, ut eruditis quibuſdā placere uideo, primū, ēt honorariū intelligi poſſet, qđ ab hoc loco alienū eſt: deinde non artis, ſed operæ tantùm & laboris leuamentum dici, opinor, poteſt. Per me tamen cuiuis frui ſuo ſenſu licebit.

Venalas propriè pro nouitiis intelligūtur: ut ſcribit Fab. lib. 8. cap. 2. Itaq; qđ Cicero in Orat. poſt Reditum dixit, De grege uenalium: in Piſoniana diſertè, De grege nouitiorum, dixit. Hinc

Venalitia familia, quæ uenalis eſt. l. ſed ſi, 31. in fi. D. de donat. int. uir. & ux. Hinc

Venalitiarii, qui ſeruos uenales habent, eamque negociationem exercent qui & magones dicuntur. l. merces, 207. D. de uerb. ſignif. l. 1. §. D. de tributor.

Venationes dicebantur ludi, in quibus feræ magno diſcrimine ab iis qui depugnabant, conficiebantur. l. 1. §. beſtias, D. de poſtul. l. ciuitatibus, 122. D. de legat. primo. Hinc

Venatorius ludus, genus illud pœnæ. l. 8. §. ult. D. de pœn.

Venenum qui dicit, ait Caius, adiicere debet utrū malū, an bonū. nā & medicamēta uenena sūt: quia eo nomine oē cōtinetur, qđ adhibitū naturā eius cui adhibitū eſſet, mutat: quū id qđ nos Venenū appellamus Græci φάρμακον dicūt. apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocēt hoc nomine continentur. unde adiectione alterius nominis diſtinctio fit: admonet nos ſummus apud eos Poetarum Homerus. nam ſic ait, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. l. 236. D. de uerb. ſig. l. 1. § perſuadere, D. de ſer. corrupt. l. 3. §. 1. D. de ſicar.

Ventrale uidetur ſacculi genus fuiſſe, pecuniæ ad uſum quotidianum neceſſariæ geſtandæ accommodatum, & ſub uentrem appenſum. Vlpianus l. 6. D. de bon. damnat. Zonam à Ventrali ſic diſtinguit. Nec ſi zonā circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi uindicare debebit: ſed ueſtem qua

is fuerit

is fuerit indutus.aut numulos in uentralem, quos uictus ſui cauſſa in promptu habuerit. Legitur tamen VETRALEM.

VETRALE, uide Ventrale.

VENTREM facere paries ab Alfeno dicitur, qui intumeſcit,qui procumbit,qui proiectus eſt.l.17. D.Si ſeruit uind.

VEIENTANI inter lapillos non pellucidæ materiæ numerantur ab Vlp.in l.19.§.6.D.de aur.arg. ubi tamen VENIENTANI legitur. Plinius tamen gemmam appellat lib.37.ca.19. Veientana Italica gemma eſt Veiis reperta,nigram materiam diſtinguente limite albo.

VERBERARE & Pulſare, quid differant: uide Pulſare.

VERBIS contrahi obligatio dicitur, quę per ſtipulationem concipitur: quia non quibuſuis uerbis contrahebatur,ſed ſolennibus duntaxat, & certis: quorum formulę à Iuriſconſultis conſcribebantur.itaque ut interrogatio concepta erat, ita ſub ſequi reſponſionem oportebat.l. obligamur, 52. D.de oblig.& act.Paulus lib.Sent.v.c.VIII. Obligationum firmandarum gratia ſtipulationes inductæ ſunt,quæ quadam uerborum ſolennitate concipiuntur.

VERBORVM autem obligationis tres ſunt ſpecies: Stipulatio,l.cum patrem,C.de iur. dot. & de qua iam diximus.Dotis, quæ uerbis quoque ſolennibus fiebat, nulla interrogatione præcedente. nā Caius II.Inſtit.ſcribit dictione dotis ſine interrogatione tres tantum perſonas obligari: mulierem quæ nuptura eſt,debitorem mulieris , parentem mulieris uirilis ſexus.Tertia ſpecies eſt,Iuſiurandum liberti iurantis ſe domum , munus , operas patrono daturum : nam ut ibidem Caius ſcribit, libertus ſine interrogatione promittens uerbis obligatur.

VERBVM, pro Oratio.Modeſt.l.4.§.1.D. de uulg. & pupill.Sed ſi alter pubes,alter impubes, hoc cōmuni uerbo, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO ſibi fuerint ſubſtituti.Paul.l.15.D. rat. rem hab. Amplius non peto uerbum Labeo ita accipiebat ſi iudicio petitum eſſet.Terēt.Verum hercle hoc uerbum eſt,uulgò quod dici ſolet.

VERNAE appellantur ex ancillis ciuium R.uere nati, quod tempus anni maximè naturalis fœturæ eſt.Feſtus lib.19.Nonius autem ſic,Vernas ueteres appellabant,qui uerò ſacro fuerant nati:& habebatur nomen pro uitabili & maledicto.

VARSVS, uide Paragraphus.

VERSVM in rem dicitur ſub tit.De in rem uerſ.qdcunque domini facultates aliqua ex parte amplificauit:dummodo neceſſarius ſumptus ille fuerit.l.3.D.de in rem uerſ. Hinc

DE IN REM uerſo actio,quæ datur in dominum, ſiue cuius uoluntate dominus contraxit, ut quod in rem ipſius uerſum eſt, ſolidum præſtet: reliquum ex peculii uiribus diſſoluat.

VERSVRAM facere, mutuam pecuniam ſumere:ex eo dictum,quòd initio qui mutabantur ab alijs, non ut domum ferrent,ſed ut alijs ſoluerent: uelut uerterent creditorem.Feſtus.Vel ſic:

VERSVRA fieri propriè dicitur,quum creditoris cōuerſio quædam,& mutatio fit: id eſt quum quis alij ut ſoluat,ab alio pecuniam mutuatur.nōnunquam tamen uerſuram facere ſimpliciter ſignificat æs alienum contrahere.Cicero pro Cęlio, Tabulas qui in patris poteſtate eſt, nullas conficit: uerſuram nunquam omnino fecit ullam. Donat. in Phormion. Verſuram facere dicitur,qui æs alienum ex ære alieno ſoluit. Dicitur etiam Verſurā facere, cùm minore fœnore acceptam quis pecuniam maiore occupat.

VESPILLONES, uide BISPELLIONES.

VESTIARIVM quantum ſatis eſt ueſtium, pro cuiuſque perſonæ conditione. Vlp.l.21.D.de cib.& alim. Diarijs uel cibarijs relictis,neque habitationem,neque ueſtiarium,neque calciarium deberi, palàm eſt.In l.6.Veſtitus appellatur.

VESTICVLA, uide Veſtiſpica.

VESTIS appellatione,inquit Calliſtratus, tam uirilis quàm muliebris,& ſcenica,etiamſi tragica, aut citharœdica ſit,continetur.l.127.D. de uerb.ſig.

VESTISPICA, ancilla ueſtiū cuſtos, & inſpectrix, ut ait Nonius. quo uerbo uſus in Trinumo eſt Plautus:Paulusque noſter in l.18.§.8. De inſt. uel inſt.ut Haloander putauit, à quo diſſentire non poſſum, ſi modò ex Codice hanc habuit ſcripturam.Nam quid ſit VESTICVLA in Florentinis libris,non diſpicio. Paulum autem de mancipio loqui.teſtamenti uerba declarant.

VESTICEPS, pubes opinor à Gellio appellatur lib.5. cap.19.Sed arrogari,inquit , non poteſt, niſi iam ueſticeps.Cui uerbo inueſtis apud Tertullianum reſpondet in lib. De uirginib. ueland. Si uirgo mulier non eſt, nec uir inueſtis æſto. Si non operitur uirgo,quia mulier non ſit, operiatur inueſtis,quia uir non ſit. Et aliquanto pòſt, Materfamiliæ uocatur, licet uirgo:& Paterfamiliæ,licet inueſtis.

VETERANI, qui legitima ſtipendia confecerunt. l.1.& paſſ.D.de ueteran.l.8.§.ueterani.D. de procur.& alibi perſæpe.

VETERATOR ſeruus non ſpacio ſeruiendi, ſed genere & cauſſa æſtimatur.nam quicunque ex uenalitio nouitiorum emptus,alicui miniſterio præpoſitus fit,ſtatim is ueteratorum numero eſt. l.ult. D.de ædil.edict.

VETERINARII, ueterinorum medici. ſunt autem Veterina,animalia quorum opera in uehēdo conſumitur.Tarruntenus l.ult. D. de iur. immunit. Veterinarij architectus, gubernatores .Columel. lib.6.cap.8.Solēt etiā faſtidia cibo afferre uitioſa incremēta linguę,quas Ranas Veterinarij uocant.

VIA eſt,ſiue ſemita, ſiue iter eſt:ait Gallus l. 157. D.de uerb.ſig.

VIA, eſt ius eundi,& agendi, & ambulandi.l.1.D. de ſer.præd.ruſt.

VIA totum eſt:eius partes duæ ſunt, iter & actus. uti conſtat ex l.13.§.1.D.de acceptil.

VIA eſt ius eundi,& agendi,& ambulandi. nam & iter & actum uia in ſe continet,ait Imp.tit. De ſeruit.in princip.

VIA à uehendo dicta eſt quaſi ueha. Varro 1. De re ruſt. Villicus agri colendi cauſſa conſtitutus,atque appellatus à uilla, quòd ab eo in eam conuehuntur fructus, & euehuntur: à quo ruſtici etiam nunc quoque Viam Veam appellant,propter uecturas:& Vellam,non uillam, quò uehunt. Hæc Varro. Propriè igitur Via,cum de ſeruitute loquimur, eſt ius uehiculi ducendi per prædium alienum. Eius latitudo lege XII.tab.definita eſt:in porrectum pedes octo, in anfractum ſedecim.l. 8.D.de ſeruit.ruſtic.

VIAM aperire,inquit Vlpia. eſt ad ueterem altitudinem latitudinéque reſtituere.l.1.D.de uia pub.

VIARVM ait Vlp. quædam publicæ ſunt, quædam priuatæ,quædam uicinales. Publicas uias dicimus,quas Græci βασιλικὰς, noſtri prætorias, alij conſulares uias appellant. Priuatæ ſunt,quas agrarias quidam dicunt. Vicinales ſunt uiæ, quæ in uicis ſunt,uel quę in uicos ducunt: quæ & publicæ ſunt, ſi non ex collatione priuatorum hoc iter conſtitutum eſt. Priuatæ uiæ dupliciter accipi poſſunt:uel hæ quę ſunt in agris,quibus impoſita eſt ſeruitus, ut ad agrum alterius ducant:uel hę quę ad agros ducunt,per quas omnibus pet meare liceat, in quos exitur de uia conſulari: & ſic poſt illam excipit uia,uel iter,uel actus ad uillam ducens.l.2.§.13.D.ne quid in loc.pub. Sic.l. ult.D. de itin.public.

VIATICVM, eſt pecunia ad profectionis ſumptum deſtinata.l.18.§ 1.D.de iud.

EIATORES olim dicti ſunt,qui uilla in curiam Senatores accerſebant:ut Cicero in Cat.ma. & Colum.lib.1.cap.1.teſtantur.hinc conſuetudine ſermonis tranſlatum ad eos eſt hoc uerbum, qui Magiſtratus iuſſu reos in ius uocarent: qui tum Apparitores,tum Executores litium plerunque appellantur.ut Imp.docet in §.22.De actio. Tripli, inquit agimus,quum quidam maiorem uera æſtimatione quantitatem in libello conuentionis inſerunt,ut ex hac cauſſa uiatores,id eſt, executores litium,ampliorem ſummam ſportularum nomine exigerent. Nam de apparitoribus ſentire Iuſtin. conſtat etiam ex l.31.§.5.C.de epiſc. & cler. Vlp. l.5.§.21.D.ut in poſſ.legat. Miſſus in poſſeſsionē ſi nō admittatur, habet interdictum propoſitum: aut per uiatorē, aut per officialem præfecti, aut per magiſtratum introducendus eſt. Plin. lib.18. cap.3. Aranti quatuor ſua iugera Cincinnato, Viator attulit Dictaturam,& quidem nudo plenoque pulueris etiamnum ore. Cui Viator, Vela corpus, inquit,ut proferam Senatus populiq; Ro.mandata. Tales eū etiam uiatores erant,quod ipſum nomen inditum eſt ſubinde & ex agris ſenatum ducesq́ue accerſentibus. Feſtus autem ſic:

VIATORES appellantur,qui magiſtratibus apparēt eo quia initio omnium tribuum quum agri in propinquo erant urbis,atque aſsiduè homines ruſticabantur,crebrior opera eorum erat in uia, quàm urbe:quòd ex agris plerunque homines uocabantur a magiſtratibus,& frequens eorum erat ab agris ad urbem uia.

VICARIVS, & Ordinarius nomina ſunt ſeruorum, inter ſe conferuntur. Nam ille in huius, quaſi domini,peculio ſeruus eſt. Vlpianus l. 17. D. de pecul. Si ſeruus meus ordinarius,uicarios habeat, id quod uicarij mihi debent an deducam ex peculio ſerui ordinarij? Martialis,

Eſſe ſat eſt ſeruum,iam nolo uicarius eſſe.

VICESIMA hæreditatum,uectigal fuit ab Auguſto locupletandi ærarij cauſſa inſtitutum: quod extraneis hæredibus non inopibus imperaretur. auctor Dio libro LV. eius mentio fit in l.ult. C.de edict. diu.Had.toll. Paul.IIII. Sentent.cap.VI. & Plin. in Panegyr.& in aliquot inſcript. unde conſtat Aemiliū Macrū duos de ea lib. ſcripſiſſe. Fuit & alia

VICESIMA, de qua Pompon. ſcribit A. Ofilium primùm ſcripſiſſe.l.2.§.ex his,D.de orig. iur. ſed (ut opinor)illa fuit de qua Liuius lib.VII. ita ſcribit: Cn.Manlius Cōſul legē de uiceſima eorū q manumitterētur,tulit. Pr̄es qa ea lege haud paruū uectigal inopi ærario additū eſſet,auctores fuerunt.

VICE mutua,pro uicisſim:locutio eſt noſtris familiariſsima:ut in l.penul.D.de præſcript. uerb.l.6. D.ſi cert.petat.l.qui non militabat,78.D.hæred. inſtit.l.filius quem,24.C.famil.ercisc.

VICINI ſunt,quorum prædia non linea, ſed paries communis diſterminat,nam in urbanis prædijs, Vicini:in ruſticis,Confines appellantur. Paulus l. 4.§.ult.D.fin.reg. Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum ruſticorum. urbanorum diſplicuit:neque enim confines hi,ſed magis uicini dicuntur:& ea communibus parietibus plerunq; diſterminantur.

VICTIMARIVS apud Tarruntinum in l.ult.D. de iur.immun. qui quę ad uictimarum ſacrificia pertinebant,præſtabat.

VICTVS uerbo continentur, inquit Vlpianus, quæ uſui,potuique cultuique corporis,quæq́ue ad uiuendum homini neceſſaria ſunt. ueſtem quoque uictus habere uicem Labeo ait. & cetera, inquit Gaius,quibus tuendi curandive corporis noſtri gratia utimur,ea appellatione ſignificantur.l.43. & 44.D.de uerb.ſign.

VIDERI feciſſe,formula qua ueteres in ſententijs utebantur. Cicero lib.Acad.quæſt.II. Quam rationem, inquit, maiorum etiam comprobat diligentia, qui primum iurare, &cetera. quæque iurari iudices cognouiſſent, ut ea non eſſe facta, ſed ut uideri pronunciarent. Idem Verrina 4.

Vix

Vix ille hoc dixerat, quum iſte pronunciat, Sthenium literas publicas corrupiſſe uideri. Item alibi, Feciſſe uideri pronunciant, Idem lib. De finib. 1. Reque ex utraque parte audita, pronunciaret eum non talem uideri fuiſſe in imperio, quales eius maiores fuiſſent. Sext. Pompeius lib. 14. Parū cauiſſe uideri pronunciat magiſtratus, quū de cōſilij ſentētia capitis quem condemnaturus eſt.

VIDVAM non ſolùm eam quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem quæ uirum non habuiſſet, appellari ait Labeo. quia uidua ſic dicta eſt, quaſi uecors, ueſanus, qui ſine corde aut ſanitate eſſet: ſimiliter uiduam dictam eſſe ſine duitate. l. 242. §. 3. D. de uerb. ſig.

VIGILAX, pro uigilans, induſtrius, ſolicitus. Caius l. 18. D. de ędil. edict. Si conſtantem, aut laborioſum, aut curacem, uigilacem eſſe, aut frugalitate ſua peculium acquirentem adfirmauerit.

VI poſsidet, ait Vlpianus qui expulſo uetere poſſeſſore acquiſitam per uim poſſeſsionem obtinet: aut qui in hoc ipſum aptatus & præparatus uenit ut contra bonos mores, auxilio ne prohiberi poſſit ingrediens in poſſeſsionem facit. l. 1. §. 17. D. de ui & ui arm.

VI ipſa, id eſt, non reuera, & actu ipſo, ut uulgò loquimur: ſed facultate, τῇ δυνάμει, ut alibi loquuntur. ueluti quum quid nominatim dictum non eſt, ſed aut uerborum, aut ipſius negocij uis hæc eſt. Marcel. l. 72. D. de ſolu. Vi quidē ipſa & hic ex his dari ſtipulatus eſt, qui eius nō erant. id eſt, quāuis id nō expreſſerit, ſe ſtipulari hominē ex ijs qui ſui non ſunt, tamen ex ui negocij ſatis intelligitur neminem ſcilicet quod ſuum eſt ſtipulari. nam ERANT pro ERAT legendum opinor.

VI factum id uidetur eſſe, ait Mutius, qua de re quis, quum prohiberetur, fecit: clàm, quod quiſq; quum controuerſiam haberet, habiturumve ſe putaret, fecit. l. 73. §. 2. D de iur.

VI facit, qui prohibitus facit, ſiue à domino, ſiue ab alio ipſius nomine prohibeatur: uti conſtat ex l. 3. D. Quod ui aut clàm.

VILLA urbana. Columella lib. 1. cap. 6. Villam in tres partes diuidit, Vrbanam, Ruſticā, & Fructuariam. Vrbanam fuiſſe apparet, quam ſibi dominus qui urbem incolebat, ædificabat: Ruſticam, quam uillico, procuratori, inſtrumentiſque rei ruſticæ Fructuariam, quæ frugibus condendis parabatur. Vlpianus l. 11. §. 4. D. locat. Inter conductorem & locatorem conuenerat, ne in uilla urbana fœnum componeretur.

VIM facere moribus, Cicero dicit in Orat. pro Cæcina perſæpe. Moris enim erat ut quum de agro quopiam controuerſia inſtitueretur, quia propter commoda poſſeſsionis magna iurgia, & pugnæ interdum ac cædes oriebantur, litigatores amicorum ſententia diem inter ſe ſumerent, qua die in rem præſentem, id eſt, in agrum illum unà uenirent, & in eo agro uim aliquam alter alteri dicis cauſſa faceret: id eſt, non ueram & ſolidam; ſed fictam & ſimulatam: quam Cicero in illa Oratione, uim quotidianam appellat: & Gellius libro uiceſimo, cap. 9. ciuilem ac feſtucariam.

VINARIAM nauem Vlpian. in l. 21. §. 5. D. de furt. eam interpretatur, in quam uinum effunditur, & unde poſtea hauritur.

VINARIVS, pro ebrioſo, & uinolento. Vlp. l. 4. §. 1. D. de ædil. edict. Item aleatores & uinarios non contineri edicto. & leg. 25. §. 3. eod. Aleator fortè uel uinarius uel erro euaſit.

VINACIA, grana uuæ compreſſe. Iulianus l. 14. in fin. D. de cond. furt. Idem iuris eſt uuis ſubreptis: nam & muſtum & uinacia iure condici poſſunt. Vlpianus l. 52. §. 8. D. de furt. Idem eſt & in uuis, & in muſto, & in uinaceis. nam & uuarum & muſti & uinaceorum nomine furti agere poteſt.

VINARIA uaſa, inquit Iulianus, propriè uaſa torcularia eſſe placet. Dolia autem & ſerias, tamdiu in ea cauſſa eſse, quamdiu uinum haberent: quum ſine uino eſse deſinerent, in eo numero non eſſe: quoniam ad alium uſum transferri poſſent. ueluti ſi frumentum in his addatur. Eandem cauſſam amphorarum eſſe: ut quum uinum habeant, tum in uaſis uinarijs: quum inanes ſint, tum extra numerum uinariorum ſint: quia aliud in his addi poſsit. l. 206. D. de uerborum ſignificat.

VINCVLORVM appellatio in maioribus in integ. reſtituendis non ad compedibus uinctos tantum pertinet, ſed etiam ad parietibus, ueluti Latumijs incluſos. l. 9. In uinculis etiam ij accipiuntur qui ita alligati ſunt, ut ſine dedecore in publico parere non poſsint. l. 10. ex quibus cau. maior.

VINCVLORVM appellatione, ait Venuleius, uel priuata, uel publica uincula ſignificant: Cuſtodię uerò, tantum publicam cuſtodiam. l. 224. D. de uerb. ſign. Subauditur autem, Hi de quibus Venuleius loquebatur. Verum eſt autem (ut ait Vlpianus in l. 216. D. de uerb. ſign.) eum qui in carcere cluſus eſt, non uideri neque uinctum, neque in uinculis eſſe, niſi corpori eius uincula ſint adhibita.

VINDICO, concretum eſse uocabulum, coniugata uerba demonſtrant: Iudico, Prædico, Dedico, Indico. Et, niſi me animus fallit, à VIM & DICO fictum eſt: quemadmodum Varro, Iudico à Ius & Dico deriuat. nam in Vindicationibus manus cōſeri, & uim quandam adhiberi ſolitam, quam Cicero Quotidianam, Gellius Feſtucariam appellat, iampridem in Comment. Orat. pro Cæcina demonſtrauimus docuimusque uim quam Cicero moribus fieri dicit, Feſtuca fieri ſolitam: quam etiam Vindictam appellari Boetius in Topica teſtis eſt: ubi Vindictam Feſtucam interpre-

tatur. Idem etiam ex Perſio intelligitur: qui non alio ſenſu dixit,

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſsi:
quàm illo loco,
Non in feſtuca lictor, quam geſtat inani. Itaque

VINDICATIO uidetur ex antiquis Vindicijs originem duxiſſe. nam Cicero in Miloniana, cum actiones calumnioſas ſignificaret, ita ſcribit: Eum denique, qui non calumnijs litium, nõ iniuſtis uindicijs ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris: exercitu, ſignis inferendis petebat. Sed tamen longè aliud Vindiciæ olim fuerunt, aliud hodie Vindicatio eſt. quod ex Aſconij uerbis in Verrin. I I I. intelligitur.

VINDICIARVM lis, inquit, eſt, cùm litigatur de ea re apud Prætorem, cuius incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor. Et ideo qui eam tenet, ſatisdat pro præde litis uindiciarum aduerſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſsione facturum, de qua iurgium eſſet. Rurſus ſponſione ipſa prouocatur ab aduerſario, certæ pecuniæ aut æſtimationis, quam amittat, ni ſua ſit hereditas de qua contendit. Ex his conſtat,

VINDICIAS nihil aliud tũ ſignificaſſe, quàm poſſeſsionẽ rei controuerſę alicui magiſtratus decreto uſque ad finem iudicij attributam. Quod etiã pluribus uerbis demonſtrauimus ex Liuio, in Cõment. in tract. Inſt. De actionibus. ubi has inter Vindicationem & Vindicias differentias eſſe oſtendimus.

VINDICATIO eſt ipſa uindiciarum poſtulatio: Vindicię uerò ita poſſeſsionem ſignificant, ut etiam interdum rem ipſam poſſeſſam complectãtur. nam Feſtus lib. ult. Vindiciæ, inquit, appellantur res eæ de quib. cõtrouerſia eſt. de quibus Cincius ſic ait: Vindicię olim dicebantur, quæ ex fundo ſumptæ, in ius allatæ erant. Ser. Sulpitius Vindiciam eſſe ait ab eo, quòd uindicantur res ex controuerſia.

VINDICATIO igitur propriè eſt actio in rem, per quam quis rem ſuam ab alterius poſſeſsione in dominium ſuum uindicat. l. actionum, 25. D. de oblig. & act. Improprie tamen Vindicatio triplex reperitur: una proprietatis, altera ſeruitutis, tertia pignoris, l. 3. §. eſt autem, & §. Pomponius, D. ad exhib. unde Hypothecaria actio Vindicatio Pignoris appellatur in l. ſi fundus, 16. §. 3. D. de pignoribus.

VINDICTA, inquit Boetius in Topica Ciceronis eſt uirgula quædam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum in libertatem uindicabat, dicens quædam uerba ſolennia. atque ideo illa uirgula Vindicta uocabatur. Plutarchus de ijs qui tardius à Deo puniuntur: ῥωμαῖοι δ' ἐαὖ εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, κάρφος αὐτῶν λέπτον ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασι. Romani, inquit, corporibus quos in libertatem efferunt. tenuẽ feſtucam imponunt. Feſtuca igitur uindicta nominatur à uindice, ut ſcribit Liuius lib. II. qui ſeruus cum adoleſcentum nobilium coniurationem pateſeciſſet, libertate & ciuitate donatus eſt. Quare uindicta idẽ eſt ut feſtuca: nec alio ſenſu dixit Perſius,

Vindicta poſtquam meus à prætore receſsi:
quàm alio loco,
Non in feſtuca lictor quam geſtat inani. Hinc

VINDICTA manumiſsi, ſub tit. D. de manum. uend. & Vindicta liberare, Vindictam imponere paſsim ſub illo tit. & alibi ſub tit. De manumiſſ.

VINI legato quæ contineantur: cognoſce ex l. 9. D. de trit. uin. legat.

VIRI boni arbitratu: uide Boni uiri.

VIRIDIA & Viridiaria, loca gramine & arburis amœnitatis cauſa conſita. l. 15. D. de ſeruit. l. 79. D. de uerb. ſig. l. 26. D. de inſt. uel inſt. legat. in l. 12. D. de ſeruit. urb. mentio fit eorum quę ſupra ędificia habebantur.

VIRILES partes dicuntur, cum in capita, id eſt in uiros diuiſio fit. l. 1. §. nunc tractemus, D. de tut. & rat. diſt. l. 43. D. de re. iud. l. 7. D. de fideiuſ. tut.

VIRIPOTENS uirgo, nubilis, matura uiro. l. mulieris, 13. D. de uerb. ſig. l. pr. 101. D. de cond. & demonſt. Iuſtinian. ſub. tit. Quib. mod. ius par. poſt duodecim annos cõpletos uiripotentes appellat.

VIRILIS uigor poſt ætatem annorum XXV. completur: ait Vlp. l. 1. D. de minorib.

VIRIOLA, muliebre ornamentum ex auro, uel gẽmis. aureæ mentio fit apud Vlp. l. 14. D. de cont. empt. Smaragdinæ apud Scæuolam l. ult. De auro, mund. & arg. Vlpian. l. 14. D. de cõt. empt. Cohæredes uiriolam, quæ aurea dicebatur, prætio exquiſito uni hæredi uendiderunt, eaque inuenta eſt magna ex parte ærea.

VIS, uerbum eſt anceps: quod etiam accipi bonam in partem poteſt. ut quam Magiſtratus rectè infert, ſcilicet iure licito, & iure honoris quem ſuſtinet. l. 3. D. quod met. cau.

VIS eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt. l. 2. D. quod met. cauſſ.

VIS eſt & tũc, quoties quis id qđ deberi ſibi putat, non per iudicem repoſcit. l. 13. D. quod met. cau.

VIS maior eſt, inquit Caius, quam Græci θεοῦ βίαν appellant. l. 25. §. 5. D. locat. id eſt ea quæ conſilio humano neque prouideri neque uitari poteſt. & eſt animaduerſio Dei in homines, cuius euitãdæ ipſe facultatẽ ademit: ueluti fulgura, grandines. Cic. II. De inuen. Defenſoris, inquit, conqueſtio calamitatis eius, quæ non culpa, ſed ui maiore quadam acciderit, &c. Plinius lib. 18. cap. 28. in fi. Ante omnia autem duo genera eſſe cœleſtis iniuriæ meminiſſe debemus. Vnum quod tempeſtates uocamus: in quib. grandines, procellæ, ceteraque ſimilia intelliguntur: quæ quum acciderint, uis maior appellãt. Hæc ab horridis ſyderibus exeũt, ueluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia ſunt illa quæ ſilente cœlo, ſerenisque noctibus fiunt, nullo ſentiente

tiente niſi quum facta ſunt. Publica hæc & magnæ differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus uerò ſterilitatem. Similiter, Vis diuina dicitur, quæ non ab hominibus ſed admirabili quadã Dei potentia infertur. Vlp. l. 24. §. 3. D. de dã. inf. Ita eum teneri, ſi ædificii uitio id acciderit, non ſi uiolentia uẽtorum, uel qua alia ratione quæ uim habet diuinam. quod enim tam firmum ædificiũ eſt ut fluminis, aut maris, aut tempeſtatis, aut ruinæ, incẽdii, aut terræ motus uim ſuſtinere poſsit?

VIS alia publica dicitur, alia priuata. Publica eſt, quæ armis fit adhibitis: priuata, quæ ſine armis. Imp. §. 8. de interd. Qui aliquem de poſſeſsione per uim deiecerit, tenetur lege Iulia de ui priuata, ſi ſine armis uim fecerit: ſin autem cum armis, de ui publica tenetur. Publica autem iccirco appellari uidetur, quòd armis, niſi publicè, id eſt populi magiſtratusve iuſſu, uti non licet.

VIS armata, & non armata: uide Deiectio.

VISPELLIO, uide Biſpellio.

VISCERATIO, largitio carnis, quæ publicis epulis fiebat. Pomponius l. 54. De legat. & fid. lib. 32. L. Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Seius uiſcerationem. Cic. lib. de offic. 2. Prodigi qui epulis & uiſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq; apparatu pecunias profundunt. Paulus in l. 12. De leg. lib. 30. uiſcerationem intelligere uidetur, quũ ait qđ ad diuiſionem ſingulorum ciuium relictũ uidetur.

VISIO, conſideratio, quæſtio, prudens cogitatio. Imp. de compoſ. digeſt. Et in his partibus in quibus perfectiſsimè uiſiones expoſitæ ueterum fuerant, quod particulatim in eas fuerat ſparſum, hoc ſeparare penitus erat inciuile. In Græca conſtitutione θεωρία nominatur: ἢ καὶ τὸ μᾶλλον φυλαχθῆναι τὸ τῆς ὅλης θεωρίας συνεχές, &c. ſiue quòd ita plerunque obſeruari totius uiſionis continuationem oportebat, &c. Vlpian. l. 25. §. 10. D. de hæred. petit. Sed in propoſita quæſtione tribus uiſionibus relatis, una prima, deinde alia, poſſe dici totum quod supereſt reſtituere eum debere. Idem in l. 8. §. 2. D. ad s. c. Velleian. Proinde ſecundum hanc ſuam diſtinctionem in prima uiſione ubi quaſi debitrix delegata eſt, exceptionem ei Senatuſconſulti Marcellus non daret. item apud eundem in l. 29. §. 4. D. mand. & l. 25. §. 1. D. de probat.

VITIS, bacillus uiteus, quo Centuriones ferire milites quum quid peccaſſent, ſolebant. Macer l. 13. §. 3. D. de re milit. Eum qui centurioni caſtigare ſe uolenti reſtiterit, ueteres notauerunt. ſi uitem tenuit. militiam mutat: ſi ex induſtria fregit, uel manum centurioni intulit, capite punitur. Plinius lib. 14. cap. 1. in fine: Quid? quòd inſertæ caſtris (de uitibus loquitur) ſummam rerum imperiumque continent. Centurionum in manu uitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat.

VITIVM facere dicuntur parietes, qui ruinam minãtur. Caius l. 30. D. locat. Dominus inſulæ, quia ædificia uitium facere diceret, demolierat eam. Paulo pòſt, uitiatum ædificium appellat. Idem l. 32. D. de damn. inf. Si ædibus meis proximæ ſint ædes meæ & tuæ, quæritur an ſi hæc uitium mihi faciant, cauere mihi debeas. Item, Nam & ſi unas ædes communes tecum habui, eæque uitium faciant. Cicero in Top. Si ædes eæ corruerunt, uitium ve fecerunt.

VITIVM, uide Morbum.

VITIVM ædium & loci eſſe Labeo ait, quod accidens intrinſecus infirmiores eas facit. l. 24. §. 1. D. de dam. inf.

VITREAMINA, uaſcula uitrea qui ornatus cauſſa parantur. Paulus l. 18. §. 8. D. de inſt. uel inſt. Quum in diem mortis ibi libros, & uitreamina, & ueſticulam habuerit, an eadem, &c.

VITRICVS, matris uir ex alio uiro natus appellatur: ait Modeſt. l. 4. §. 4. D. de gradibus.

VIVARIA, cubilia pecudum ſylueſtrium, quæ nemoribus clauſis cuſtodiuntur: ait Colum. lib. 8. ca. 1. Triphoninus l. 62. §. 1. D. de uſuf. Si uiuariis incluſæ feræ in ea poſſeſsione cuſtodiebantur, &c. De uiuariis faciendis, & includendis feris, uide Col. lib. 9. cap. 1. Paulus l. 3. §. 9. D. de acq. poſſ. Item feras beſtias, quas uiuariis incluſerimus, & piſces quos in piſcinas, &c.

VIVERE uerbum, inquit Caius, quidam putant ad cibum pertinere. ſed Offilius ad Atticum ait, his uerbis & ueſtimenta, & ſtramenta contineri: ſine his enim uiuere neminem poſſe l. 234. §. 2. D. de uerbo. ſignifi. Vltimum ſupplicium eſſe mortem ſolã interpretamur: inquit Caius l. 21. D. de pœn. l. pen. C. TH. de offic. rect. prou. & l. capitalium, 28. D. de pœn. ubi Calliſt. ſic ſcribit: Summum ſupplicium eſſe uidetur ad furcam damnatio, uiui crematio, capitis amputatio: proxima morti pœna eſt, in metallum damnatio, deinde in inſulam deportatio, &c.

VLTRO, pro prius. Paulus l. ſi in emptione, 34. §. itẽ ſi, 3. D. de cont. empt. Nec tamen ex uendito quicquam conſequitur, niſi ultro quod conuenerit præſtet. Africanus l. ſi priuſquam, 15. D. de oper. nou. nunc. Cauere iuberet non prius ſe ædificaturum, quàm ultro egiſſet ius ſibi eſſe altius tollere. Nam VLTRO abundat hoc loco: ut l. 1. §. interdictum, D. uti poſſ. Actio nunquam ultro poſſeſſori datur, quippe quum ſufficiat ei quod poſsidet. Sic apud Papinianum l. 1. in fi. D. de uſur. Tutor ultro conuenit pupillum, eique pecuniam offert, id eſt prius quàm a pupillo conueniatur.

VLTRO, pro ipſo iure, & ſine aliquo facto aduentitio. Paulus l. 2. D. de l. Rhod. Imò etſi non retineat merces magiſter, ultro ex locato habiturus eſt actionem. id eſt, etiam ſine retentione, uox tamen

men NON in libris Flor.deeſt. Vlpianus l. 3. D. de cond.cauſ.dati. Quinimò etſi nihil tibi dedi ut manumitteres, placuerat tamen ut darem, ultro tibi competere actionem quæ ex hoc contractu naſcitur.

VLTRO, ſua ſponte. Scæuola l.cum quis, 37.§. nuptura, 4. D.de leg.& fid.lib. 32. An maritus doli mali exceptione ſe tueri poſsit: & an ultro ex cauſſa fideicommiſsi actio ei competit. id eſt, ſua ſpõte id ab illo poſsit petere, quod per exceptionem retineret. Papinianus l.1.in fi.D.de uſur. Planè ſi tutelæ iudicio nolentem experiri tutor ultro cõuenerit, & pecuniam obtulerit, &c. Item apud Paulum l.Ergo.22.D.ex quib.cauſ.maior.

VOCARE in ius, eſt iuris experiundi cauſſa uocare l.1.D.de in ius uoc. Vocare autem eſt uel uolentem ducere, uel inuitum trahere. unde illud Horatii, Rapit in ius: clamor utrinq;: Vndiq; concurſus. Hinc edictum Prꝧt. Ne quis eum qui in ius uocatus eſt, ui eximat. Hinc Caius l.5. D. qui ſatiſd.cog. Non quælibet, inquit, iniuria eſt, duci in ius eum qui ſatis idoneum fideiuſsorem dat.

VOLVERO & Volam hoc differunt, quòd etſi utrunque uerbum futurum tempus ſignificat, illud tamen præcisè momento ipſo temporis quo quis uoluntatem ſuam ſemel elocutus eſt, includitur: hoc longius funditur, & temporis tractum habet. ut docet Pompon.l.112.D.de uerbo. oblig. l.6.D.ad s.c.Tertyll.

VOLVPTARIAE impenſæ dicuntur, quę ad uoluptatem fiunt, & ſpecies exornant, non etiam fructũ augent.l.7. D. de impenſ. in res dot.l. impenſæ, 79.D.de uerb.ſig.

VOTVM, pro charitate & indulgentia paterna. Papinian.l.ſcripto, 7.D.ſi tab. teſt. Liberos naturæ ſimul & parentum commune uotum ad hæreditatem parentum admittit. Et l.nam etſi, 15.D. de inoff.teſt. Propter uotum parentum, & naturalem erga liberos charitatem.

VPILIO, paſtor ouium, opilio qui uulgò dicitur Alfenus l.60.in fin.De legat. & fid. libro 32. Item oues quæ ſtercorandi fundi cauſſa pararentur, item Vpilionem, ſi eius generis oues curaret. Virgil.

Venit & Vpilio, tardi uenere bubulci.

VRBANA prædia, inquit Vlpianus, omnia ędificia accipimus, non ſolùm ea quę ſunt in oppidis, ſed & ſi fortè ſtabula ſunt, uel alia meritoria in uillis & in uicis: uel ſi prætoria uoluptati tantum deſeruientia: quia urbanum prædium non locus facit, ſed materia. proinde hortos quoque, ſi qui ſunt in ædificijs conſtitut, dicendum ſit urbanorum appellatione contineri. planè ſi plurimum horti in reditu ſunt, uinearij forte, uel etiam olitorij, magis hęc non ſunt urbana. l. 198.D. de uerb.ſignif.

VRBANICIANI milites, uel (ut uulgatis in libris legimus) Vrbanici, dicuntur, qui in præſidio urbis locati ſunt.l. 35.§.1.D. ex quib. cau.maior.

VRBICAM procurationem Vlpianus in l. 11. §. ſecundo.D. de minoribus appellare uidetur eam quę propter certam ciuitatis controuerſiam mandata eſſet.

VRBS, inquit Pomponius, ab urbo appellata eſt. urbare eſt aratro definire. & Varus ait, Vrbum appellari curuaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.l.239.§.6.D.de uerb.ſig.

VRBS eſt Roma, inquit Marcellus, quæ muro cingitur. Roma eſt etiam, qua continentia ædificia ſunt. nam Romam non murotenus exiſtimari, ex conſuetudine quotidiana poteſt intelligi, quũ diceremus Romam nos ire, etiam ſi extra urbem habitaremus.l.87.D.de uerb.ſig.

VRBIS appellatio muris, ait Paulus, Romæ autem continentibus ædificijs finitur, quod latius patet. l.2.D.de uerb.ſignif.

VRCEOLI, uaſcula parandæ potioni accommodata, apud Pompon.l.21.D.de aur.arg.

VRINATORES, qui ſub aqua natant: ab Vrinare, id eſt mergi Calliſtratus l.4.§. 1. D. de l. Rhod. Si aliquorum mercatorum merces per urinatores extractæ ſunt data mercede.

VSVCAPIO, eſt adiectio dominij per continuationem poſſeſsionis temporis lege definiti.l.3.D.de uſurpat. Vel ſic:

VSVCAPIO, eſt adeptio dominij per continuationem poſſeſsionis anni, uel biennij: rerum mobilium anni, immobilium biennij. Vlpianus cap. Inſt.XIX. Vel ſic:

VSVCAPIO, eſt acquiſitio rei per uſum legitimi tẽporis iure ciuili inſtituta. ex quo intelligitur, non uſucapionẽ dici poſſe, ut Gellius putat lib. 7.cap. 10.ſed uſucapionem; quia uſus non capitur. ſed res per uſum, hoc eſt per poſſeſsionem.

VSVCAPIONEM Vlpianus in l.23.§.4. D. ex quib. cau.maior. per uſum acquiſitionẽ appellat. Quid autem à pręſcriptione differat, dixi ſub uerbo Pręſcriptio.

VSIO, uetuſtè pro uſus: auctore Nonio. Alfenus l. 60.§.2.De lega.& fid.lib.32. Nam ſi uina diffudiſſet, habiturus uſioni ipſe, & hæres eius. Vlp.l.27. §.4.D.de aur.arg. Siue id ſuæ, ſiue alterius uſionis cauſſa paratum eſſet.

VSVRPARE & uſucapere, uerba ſunt inter ſe contrariè relata: nam Vſucapere, eſt utenda acquirere: Vſurpare uerò, utendo retinere. Paulus l.2.D.de uſurpa.& uſurp. Vſurpatio, inquit, eſt uſucapionis interruptio. Oratores autẽ Vſurpationem frequentem uſum uocant. Iuriſconſulti etiam ueterem conſuetudinem retinuerunt in l. naturaliter, 5.D.eod.& alibi perſæpe. Magnopere autem notatu dignum eſt, quod Cicero lib.de Oratore III. ſignificat, moris fuiſſe in poſſeſsione uſurpanda, ut ſurculus deſtringeretur. Etiam, inquit, hac inſtituendo diuiſione utuntur: ſed ita; non

non ut iure,aut iudicio , ut denique recuperare amiſſam poſſeſsionem, ſed ut ex iure ciuili ſurculo defringendo uſurpare uideantur. Quo tamen in loco(ut hoc obiter admoneam) uocem RHETORES omnino deſiderari arbitror: ut ſic legatur Rhetores etiam hac inſtituendo, &c. locum autē ſic aperiam. Peripatetici & Academici omnem ciuilem quæſtionem aut finitam aut infinitam eſſe dicunt.Rhetores etiam qui ſoli res iſtas olim tractare conſueuerant , nunc uerò a philoſophis de poſſeſsione depulſi ſunt, dum ſuos inſtituunt,hac quidem diuiſione utuntur,docentq; quæſtionem aliam finitam,aliam infinitam eſſe. Sed ita tamen docent,ut non tanquam in diſputatione artis ſuæ propria quaſi ſuo iure uerſentur, & apertè profiteantur philoſophos nullum in ea ius habere : litemq; ijs intendant , quòd in alienam poſſeſsionē irruerint:uerùm quemadmodum ſolēt ij,qui ſuos agros ab alijs poſsideri ſciunt ac uident : ſic iſti Rhetores,ne longo tempore res ſuę uſucapiātur, poſſeſsionem interrumpunt,& quod in illa re uſitatum eſt,ſurculum defringunt.Nam finitam quidem quæſtionem obtinent:uerùm lacinia, id eſt , parua aliqua ex parte.Philoſophi enim Academici,qui nunc apud Philonem ſe exercent,pręcipuè has cauſſas tractant.Infinitam autem ijdem dicendi magiſtri nominant tantùm,& tanquam primoribus digitis leuiter attingunt.

VSVRPARE honorē,uti honore. Marcianus l. 7. D. de mun.& hon.Eum contra quem propter honores appellatum eſt,ſi pēdente appellatione honorem uſurpauerit,coercetur.

VSVRA,propriè uſus:ſed poſtea loquendi conſuetudine uſuræ merces,Vſura nominata eſt.Cic. Ver. v. Quis hoc fieri poſſe iudicauit , ut quū Senatus publicanos uſura ſæpe iuuiſſet,magiſtratus a publicanis pecuniam pro uſuris auderet auferre . & lib.Tuſcul.1.Natura dedit uſuram uitæ tanquam pecuniæ,nulla præſtituta die.quid ē igitur quod quæraris,ſi repetit quum uult? Ergo:

VSVRA eſt (ut conſuetudo loquendi tulit)merces uel æſtimatio uſus pecuniæ.ea uerò duplex eſt,nā altera in generis ſui nomine cōſiſtit:altera fœnus uocatur. Speciatim autem.

VSVRA,eſt compenſatio eius quod creditoris intereſt uſu caruiſſe ſuæ pecuniæ,dum ea debitor uteretur.nam uſuræ non propter lucrum petentium ſed propter moram non ſoluentium infliguntur. l.cum quidam.S.ſi pupillo.D.de uſur.Fœnus autem ſuo loco explicauimus .

VSVRARVM autem ſpecies ex Aſsis partibus denominantur . quod ut intelligatur, illud ſcire oportet , ſortem omnem ſemper ad centenarium numerum reuocari : ſummam autem uſuram eſſe , cùm pars ſortis centeſima ſingulis menſibus perſoluitur . Et quoniam iſta ratione ſumma hæc uſura duodecim aureos annuos in centenos efficit , duodenarius numerus Iuriſcōſultos monuit, ut Aſſem hunc uſurarium appellarent. Quemadmodum autem hic As non ex menſtrua,ſed ex annua penſione æſtimādus eſt , ſimiliter omnes eius partes ex anni ratione intelligēdæ ſunt. ut ſi unus in centenos annuatim pendatur,Vnciaria uſura:ſi bini,Sextans:ſi terni,Quadrans:ſi quaterni,Triēs ſi quini , Quincunx : ſi ſeni, Semis : ſi ſepteni,Septunax : ſi octoni , Bes : ſi nouem , Dodrans : ſi deni , Dextans : ſi undeni , Deunx : ſi duodeni , As. Hinc

VSVRA centeſima(qui eſt As uſurarius)dicitur, quū pars ſortis centeſima ſingulis menſibus penditur. Romani enim Græcorum morem imitati, qui facilioris & commodioris doctrinæ cauſſa quamuis ſummam ſortis ad Minam,quę centum drachmas ualebat,perpetuò redegerūt : quantamcunq; ſortem ſimiliter ad numerum centenarium reuocarunt.Itaq; Vſura centeſima, de parte ſortis centeſima, ſicuti apud Græcos Drachmalis a drachma, quæ pars eſt ſortis ad minam redactæ centeſima, nomen inuenit . quapropter eam Plutarchus in Lucullo *ἑκατοστὴν* appellat. Eius exemplū apud Paulū extat in l.40.D.de reb.cred. Tunc eo amplius quo pòſt ſaluam , pœnæ nomine in dies triginta, inq; denarios centenos , denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt.P.Mæuius .

VSVRA beſsis, cum in ſingulos centenos quotānis octoni ſoluuntur.l.pen.C.de uſur.

VSVRA maritima,uide Fœnus nauticum .

VSVRA maxima & grauiſsima, intelligitur centeſima.in l.7.S.8.& l.54.D.de admin.tut.& l.38.D. de nego.geſt.

VSVRA quadrans eſt , quum pars centeſimæ quarta quotannis fungitur:hoc eſt ex cētenis terni:apud Scæuolam l.21.§.4.D.de ann.legat.

VSVRAE quincunces, quum pars centeſimæ quinta quotannis penditur : hoc eſt ex centenis quini.quarum fit mentio in l. 17. D. de uſur. & l. 15.& 16.§.2.D.de alim.& cibar.l.7.D. de admi. tut.Perſius Sat.5.

Quid petis ut nummi quos hic quicunce modeſto
Nutrieras,peragant auidos ſudare deunces?

VSVRA ſemis eſt, quum pars centeſimæ dimidia , id eſt,ſeni pro centenis penduntur. nam quum centeſima ſit as uſurarum,reliquæ uſuræ ex eius aſsis non autem ex ſortis ratione appellationē ſumūt. Eius mentio fit in l.5.D.de operibus pub.l. 102. De ſolut.Semiſſalis autem appellatur a Modeſtino l.10.D.de pollicit.

VSVRA triens eſt, quum pars centeſimæ tertia , hoc eſt quaterni in centenos penduntur.Eius mentio fit in l.26.§.1.D.Quandoq.dies leg.& l.3.§. ult. D.ad leg.Falc.l.7.§.9.D.de admin.tut.

VSVRA unciaria , quum pars centeſimæ duodecima ſingulis menſibus ſoluitur,hoc eſt, unus in centenos.l.47.S.4.D.de admin.tut.ubi tamē VNCIAS uſuras legitur.

VSVRARIA pecunia eſt , quæ ſub uſuris debetur. Vlpia.

Vlpia.l.11.D.de compenſat. Quum alter alteri pecuniam ſine uſuris, alter uſurariam debet, concurrentis apud utrunque quantitatis uſuræ præſtandæ non ſunt, & l.12. Sed ſi inuicem ſit uſuraria pecunia, &c.

VSVRARIA uxor, pro uſuaria: id eſt, qua quis pro uxore utitur. Plaut. Amphi.

Volo deludi illum, dum cum hac uſuraria.
Vxore nunc mihi morigero.

Iupiter ſic loquitur de Alcmena, Amphitruonis uxore propria, ipſius uſuraria.

VSVRARIVM debitum, cuius uſuræ debentur. Iulianus l.6. in fi. D. de negot. geſt. Etſi fortè non fuerit uſurarium debitum, incipit eſſe uſurarium.

VSVS ſeruitutis genus, pro itinere. Hoc ex Seruio didici, qui ad illud Aenei. 11.

Limen erat cæcæque fores et peruius uſus,
Tectorum Priami: Vſus, inquit, uerbum iuris. Via, actus, uſus. Videtur dictum pro Conſuetudine eundi.

VSVS eſt ius alienis rebus quantum ad uſuarij neceſſitatem ſatis eſt, utendi, ſalua rerum ſubſtantia l.1. 10.11.12.D. de uſu & habit.

VSVSFRVCTVS eſt ius alienis reb. utendi fruendi, ſalua rerum ſubſtantia. l.1.D. de uſufr.

VSVSFRVCTVS eſt ius ex ſeruitute quæſitum, l. uti frui, 5.D. Si ſeruit. uind. atque ita intelligendũ eſt qđ dicit, uſusfructus eſt ius: nã reuera uſusfructus eſt ſeruitus. ſed ius & ſeruitus relatiua ſunt. Cũ igitur uſusfructus ſeruitus rei ſit, ius uerò pſonæ, relinquitur uſumfructum eſſe ius in ſeruitute quæſitum: alioqui colonus & commodatarius ius haberent utendi fruendi rebus alienus, ſalua earum ſubſtantia: non minus quàm uſufructuarius. Verùm inter illos & hunc ea differentia eſt, quòd neque ager colono, neque equus commodatario ſeruitutem debet: fructuario uerò debet. Vnde intelligitur, uſum ab uſufructu hoc differre, quod ille ad neceſſitatem, hic ẽt ad utilitatem, hic etiam ad utilitatem ac uoluptatem refertur. nam cui uſus, eidem omnium generum fructus, duntaxat quantum ad ipſius neceſſitatem ſatis erit, debebuntur. ueluti ex ſylua, quantum ad coquendum & calfaciendum opus eſt: ex frumento, uino, & baccis arborum, quantum ad ipſius familiam alendam: ex oleo, fœno, & ſtramentis, quantum ſimiliter alias ad res opus erit, debebitur. qua ex re intelligitur quod Vlp. ſignificat, in l. per ſeruum, 14. §. 1. D. eod. nimirũ uſum ab uſufructu hoc differre, quo pars à toto. itaque cui fructus, eidem quicquid ex agro emolumenti percipi poterit, quamuis exercitui alendo ſatis ſit, debebitur: at cui uſus, duntaxat quod ad ipſius uictum cultumque neceſſe eſt. denique Vſus eſt ius utendi re quapiam, quatenus ei cui conceditur neceſſe eſt: Vſusfructus, ius utendi fruendi aliena re, quantum eius ſalua ſubſtantia ferre poterit. Vlpian. l. per ſeruum, 14. §. 1. D. de uſu & habit. Vſusfructus an fructus legetur, nihil intereſt. nam fructui & uſus ineſt: uſui fructus deeſt & fructus quidem ſine uſu non eſſe poteſt: uſus ſine fructu poteſt. denique ſi tibi fructus ſine uſu legatus ſit, inutile eſſe legatum, Pomponius ſcribit. ſed ſi fructus ſine uſu, uideri conſtitutum qui & ab initio conſtitui poteſt. Hæc ille: ex quibus prima inter Vſufructuarium & Vſuarium differentia intelligitur. nam cui uſusfructus debetur, eidem quicquid ex agro emolumenti percipi poterit, quamuis exercitui alendo ſatis ſit, debetur: at cui uſus, duntaxat quantum ad ipſius uictum cultumque neceſſe eſt. Hinc illud Ciceronis in 1. de Offic. Expetuntur autem diuitiæ tum ad uſus uitæ neceſſarios, tum ad perfruendas uoluptates. Altera differentia eſt, quod Vſuarius ius ſuũ trãſferre in alium non poteſt: at Fructuarius poteſt. l. utque eo, 11. & l. plenum, 12. §. operas, D. eod. Cum enim uſus ex perſonæ certæ conditione atq; qualitate metiendus ſit, ob eamque cauſſam, & creſcere & decreſcere poſsit: transferri in alteram perſonam non poteſt. quippe cuius quantitas incerta ſit. nam uſuario plus debebitur ſi uxorem ducat, aut liberos habeat, quàm cùm cœlebs erat: & uiciſsim minus ſi uiduus ſit, liberiſque careat, quàm cum & maritus & pater erat. Tertia differentia eſt, quod uſuarius fundi per ſe colendi *ius* non habet: id enim ſibi proprietarius retinet: at fructuarius habet. l. ſi habitatio, 10. in fi. cum l. ſeq. D. eod. Iuſtinianus autem in Inſtitutionibus etiam hanc differentiam commemorat, quòd uſuario fundi fructus naturales tantum, non etiam elaborati debentur: uſufructuario uerò utrique debentur. id eſt, non tantum ii quos terra ſua ſpõte profert, uerum etiam ij qui arte & induſtria culturaque adhibita naſcuntur: ueluti poma ceteræque arborum baccæ, item fœnum, ligna, & cetera quæ ſunt generis eiuſdem, uſuario pro modo & ratione ſuæ neceſsitatis debetur. aut frumentum, oleum, uinum non debentur. In quo licet Triboniani negligentiam admirari, qui pueris quorum diſciplinam ſuſcepit, Neruæ ſententiam inculcat, quam à Sabino, Caſsio, Labeone, Proculo, Vlpiano, & Paulo repudiatam atque exploſam in Pandectis teſtatur. l. plenum, 12. §. 1. & l. fundi, 15. D. eod. ubi Paulus ſcribit, fundi uſu legato, licere uſuario & ex penu quod in annum duntaxat ſufficiat, capere: quamuis mediocris prædij eo modo fructus conſumantur: ex quibus intelligitur, ei cui agri uſus legatus eſt, fructus etiam elaboratos deberi. quod tamen ſic accipienpum eſt, dummodo uſuarius partem impendij proprietario reſtituat. quamuis enim frumentum, & uinum, & oleum in fructu magis, quàm in uſu numerentur: fœnum tamen, & lignum, & arborum baccæ, itemque ſtramenta, non minus fructus, quàm uſus dici poſſunt. Quarta igitur differentia hæc eſt, quòd uſus gregis, in ſolo ſtercore: uſusfructus uerò, etiam in fœtu reliquiſque omnibus continetur. l.

plenum,

plenum,12.§.ſed ſi pecoris,D.eod. ubi Vlpia.ait,
modico tamen lacte uſuarium uti poſſe: neq; ita
ſtrictè defunctorum uoluntates interpretandas
eſſe. Dicet aliquis, Quid ita gregis fructus, item
ut agri, pro uſuarii neceſsitate non conceditur? nã
in ſtercore ſolo, exiguus eſt uſus. Reſpõdetur, quo
niam alioqui non alius pecoris fructus, alius uſus
eſſet: deinde quia plerunque in agro ſupereſt ali
quid proprietario, in grege uerò, nequaquam.

VTENDVM dare, propriè eſt commodare. Plau-
tus in Trinummo,

Nam beneficium homini proprium quod datum,
proprium erit.
Quod datum utendum eſt, id repetendi copia eſt,
cum uelis.

Sumitur autem etiam pro dare mutuũ. ut in l. 2.
D. de calumn. Si gratuita pecunia utenda data ſit,
&c. Labeo uerò in l. 1. D. commod. Vtendum da-
re, genus faciebat: & mobilibus ęquè atq; immo-
bilibus rebus attribuebat: Commodare uerò, ſpe
ciem: & mobilium duntaxat proptiam. Sed, ut ap-
paret, inquit Vlp. etiã res ſoli commodari dicitur.
Sic l. 19. & l. 21. §. 1. D. illo tit. Q. Scæuola lib. De
iure ciuili XVI. Quod cui ſeruandũ datũ eſt, ſiue
qđ utendũ acceperit, ad aliam rem atq; accepit
uſus eſt, furti ſe obligauit. Hoc ex Gell. li. 7. c. 15.

VTI & Abuti ſic differunt. Vtimur, inquit Boetius
ijs rebus, quæ nobis utentibus permanent: ijs au
tem abutimur, quæ nobis utentibus pereunt. Ci-
cero in Topic. Non debet ea mulier cui uir uſum
fructum bonorum ſuorum legauit, cellis uina-
rijs, & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe per
tinere: Vſus enim, non abuſus relictus eſt. Itaque
quarum rerum uſus ſeparari ab eorum corpori-
bus non poteſt, earum uſus conſtitui non poteſt.
l. 2. D. de uſufruct. earum rer. quæ ut. ueluti ui-
ni, frumenti, olei, pecuniæ, &c. Donat. in
Andr. Vtimur, inquit, fructibus rei, quæ ab
amantibus ſaluo uſu nobis ſubminiſtratur: Abu-
timur, quando deperdimus & rem & fructum.
nam uſui eſt ager, domus: Abuſui uinum, oleum,
&c. huiuſmodi.

VTILES actiones dicuntur, quæ contra iuris ſtricti
rationem, utilitatis, id eſt æquitatis cauſſa conce-
duntur: indeque nomẽ inuenerunt. Veluti Actio
à Prætore conſtituta eſt aduerſus eos, qui ſeruum
alienum corruperint, in duplũ quanti ea res erit.
quærebatur an ſi quis filiũ filiamue familias cor-
ruperit, ea actio dari poſsit. Reſpondetur, utilem
dandam eſſe: in qua officio iudicis æſtimabitur,
quanti noſtra interſit. l. ut tantum, 14. D. de ſer.
corrupt. Hinc Pomponius l. quia actionum, 11.
D. de præſcript. uerb. Supplet Prætor In lege Aqui-
lia, qđ ei deeſt, reddendo actiones in factum ac-
commodatas legi Aquiliæ. idque utilitas eius le-
gis exigit. Hinc utilitas ſtricto iuri opponitur à
Paulo l. ſeruitutes, 20. D. de ſeruit. urb. & ab Vl-
piano l. ſi longius, 19. in fin. D. de iudic.

VTILIS annus, uide Annus.

VTILES dies, uide Dies.

VTIQVE, præciſè, tantummodo. Vlp. l. 13. D. de
manum. uind. Præterea & illud exigitur, ut non
utique unum ſeruum habeat qui manumittit.

VTIQVE pro omnino, uſquequaque. Vlp. l. 73. D.
de iudic. Poſt peremptorium impetratum, agetur
cauſſa & pronunciabitur: non utique ſecundum
præſentem, ſed interdum uel abſens, ſi bonã cauſ-
ſam habuit, uincet.

VTRVBI utro in loco. unde Interdictũ, VTRVBI
hic homo quo de agitur, maiore parte huiuſce an
ni fuit, quo minus is eum ducat, uim fieri ueto. l.
1. D. Vtrub. Næuius in Tarentilla: Vtrubi cœnatu
ri eſtis: hiccine, an in triclinio?

VVA pro pellicula, quæ uuæ inſtar in extremo pala
to dependet. uti docet Cornel. Celſ. lib. VI. cap.
XIV. & lib VII. ca. XII. Vlpianus l. 14 §. 2. D. de
ædil. edict. Si uua alicuius præciſa ſit tollere ma-
gis, quàm præſtare redhibitionem, quod morbus
minuitur.

VVLGO concepti, ſiue uulgò quæſiti dicuntur, qui
patrem demonſtrare non poſſunt: uel qui poſſunt
quidem, ſed eum habent, quem habere non licet.
l. 19. & l. 23. D. de ſtat. hom. l. 4. & l. 5. D. de in ius
uoc. l. 5. §. 1. D. de lib. agnoſc.

VVLGARIS ſubſtitutio: uide Subſtit.

VVLGARES actiones, uſitatæ, ordinariæ, legitimę. l.
1. D. de præſcript. uerb. Hinc

VVLGARIS formula, pro uſitata actione de pecu-
lio, cuius formula eſt cum noxæ adiectione l.
40. D. de furt.

VVLGARIA uerba, uſitata, ſolennia. l. 3. D. rem
rat. hab.

VVLGARE pactum, quod plerunque in matrimonij
contractibus adijcitur. l. 5. D. de diuort. l. Bæbius,
30. D. de pact. dotal. l. pactum. C. de pig. act. nimi
rum hoc: Si in matrimonio ſine liberis deceſſerit.

VVLGARIS uxor quæ dicatur, Budæus & Alciatus
eruditiſsimi uiri diſputant, Ego nuſquam hoc u-
xoris genus me legiſſe memini. nam Vlpiani uer-
ba in l. 13. §. 1. D. de adult. quibus uxor uulgaris
appellari putatur: aliud ſignificant. Sed &, inquit,
in ea uxore poteſt maritus adulterium uindicare,
quę uulgaris fuerit: quamuis ſi uidua eſſet, impu-
nè in ea ſtuprum committetur. Non enim relati-
uum QVAE ad uxorem, ſed ad uerbum Mulie-
rem, quod ſubauditur, referendum eſt. ut ſi ſen-
ſus, Si quis uulgarem mulierem, id eſt quæ uulgò
ex corpore quæſtum facit uxorem duxerit: poteſt
in ea uindicare adulterium: ſi tamen eo mortuo
rurſus ad ingenium redeat, impunè ut in uulgari
ac publica meretrice libido uerſabitur. Et hæc ip-
ſe ſpecies refertur apud Scæuolam in l. 7. D. de
grad. & ad fin. ubi ait Priuignum etiam dici, qui
uulgò conceptus ex ea natus eſt quæ poſtea mi-
hi nupſit.

VXOR eſt, quæ in matrimonium conuenit, conue-
nit

nit autem duobus modis:aut coemptione,ant uſu nam confarreationem, quæ propria Pontiſicum erat,omitto.Coemptione,cùm uir & fœmina ſe inuicem emebant:ut Seruius ſcribit in illud Virgilii: Teque ſibi generum Therys emat omnibus undis.Veteri autem Romanorum lege,ut Varro ſcriptum reliquit.nubentes mulieres tres ad uirum aſſes ferre ſolebant:atque unum quidem quē in manu tenebant,tanquam emendi cauſſa marito dare,alium quem in pede habebant, in foro larium familiarium ponere. tertium in ſacciperio cum condidiſſent,compito uicinali ſolebant reſignare.Hinc eueniebat,ut mulier quidem in manu mancipioque mariti eſſet,aut eius cuius in manu mancipioque maritus erat, ſuaque illi hæres fieret,quemadmodum Boetius in Top.& Vlp.in Inſtitut.multis locis tradunt.uir autem non in manum id eſt,poteſtatem uxoris erat: ſed quod coemptus erat,id ei ſui hæredis ius tribuebat: quod Gellius lib.3.cap.2.& libro 18.cap.6.& Boetius in Topicis teſtantur:itemque Dionyſ. hac de re ſcribens lib.Antiq.II. Moris autem erat ut uir mulierem interrogaret,an ſibi materfa. eſſe uellet,uiciſsimque hæc uirum,an ſibi paterfa.eſſe uellet.nam ſi uterq; reſpondebat,uelle,mulier materfamilias uocabatur:quoniam(ut ait Gellius) non in matrimonium tantum,ſed in familiam quoque mariti,& in ſui,ut diximus,hæredis locum uenerat.Cicero in Topic.Cum mulier uiro in manū conuenit,omnia quę mulieris fuerunt, uiri fiunt dotis nomine. Seruius etiam in lib.Aeneid.VII. per coemptionem,inquit, facto matrimonio ſibi inuicem ſuccedebant.Teſtari tamē arbitratu ſuo poterant.nam à tutoris poteſtate liberabatur,quę materfa.fiebat:tametſi quibuſdam etiam in rebus tutorum poteſtas,ſed multo leuior, permaneret. quod Cic.in Muræniana exagitat. Vſu uerò fieri matrimonium dicebatur,cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium alicui conueniebat, quo cum ea conſueſcebat,quaſi cum iuſto perfectoque marito:adeò ut ſi uſus ille intra annū non interrumperetur,pro uſucapta iam haberetur: ei tamen intra annum uſurpare,id eſt uſum infringere,ex lege XII.tabularum liceret. quod ni faceret,quoad in eo matrimonio maneret, matrona, inquit Gellius,dicebatur:etſi ſibi liberi nati non forent,à matris ſcilicet nomine,non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi. Hæc neq; manu mancipioque mariti, neque ſui iuris erat: ſed ſemper in tutorum poteſtate permanebat, qđ ſi inteſtata moreretur, agnatus proximus familiam habebat. Hæc ex Ciceronis Topic. Orat. pro Flacco, Boetio in Top.Gellio lib. 3. cap. 2. & libro 18.cap.6. Quæ ſi uera ſunt, uideamus ne in illa oratione pro Flacco mēdum ſubſit his uerbis,quæ ſubijciam: In manum, inquit, conuenerat.nunc audio. ſed quæro utrum uſu, an coemptione. Legendum enim uidetur IN MATRIMONIVM CONVENERAT: de quo tamen doctiorum hominum ſententiam expectabo. Illud minimè prætermittendum eſt, tametſi Juriſconſultorum noſtrorum tempore,quórum ex ſcriptis Pandectarum libri coagmentati ſunt,Materfa.& Matrona plerunq; prò eadē uſurparētur, quemadmodū ſuperius à nobis demonſtratū eſt:tamē eodē ipſo tempore Conuentionem in manum uſurpari ſolitam fuiſſe,Matremque fa.propriè appellatam eſſe,quæ in uiri manum conuenerat.id quod ex Vlpiani Inſtitut.ca.XXII.intelligitur,ubi inter ſuos hæredes numerat uxorē quę in manu eſt, & nurū quæ in manu eſt filij, quē in poteſtate habemus. quod etiam cap.XXIX. perſpicuè inculcatur: ut mihi dubium non ſit uerba hæc Feſti, quæ ſubſcribam,eodem pertinuiſſe: eſſeque, ſi tempus illud ſpectemus,non abſurda,ut quidam exiſtimauit, ſed & certiſsima & ueriſsima. Materfamilias, inquit, non antè dicebatur,quàm uir eius paterfamilias dictus eſſet;nec poſſunt hoc nomine plures in una familia præter unam appellari. Sed nec uidua hoc nomine,nec quæ ſine filijs eſt appellari poteſt.Quem locum ſic intelligo, ut quæ filiofa. nupta ſit,non antè eo nomine utatur, quàm is ſui iuris effectus ſit:neque conſentaneum ſit, ut ſi ſocrus uiuat,quæ materfa. appelletur, nurus eandē nominis dignitatem obtineat.& cùm illud nomē ex mariti familia,in quam (ut ait Gellius) aſcita eſt,conſecuta ſit;profectò quæ uidua eſt, materfa.propriè dici non pōt. Vtrum autē ante liberos ſuſceptos non ita diceretur,equidē affirmare non auſim:cùm Boetius ad ſtipulationē coēptionis illud uerbū adſcribat.niſi fortè dicamus ſtipulationē ad omē,nō ad ueritatem referri oportere: atq; adeò cōtracto matrimonio etiam ante liberos ſuſceptos eodem modo Materfa.eſſe dictam, quemadmodum Matronam dici ſuperius docuimus. à matris ſcilicet nomine,non adepto iam (ut Gellius ſcribit)ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendi.Seruius in lib.Aeneid.XI. Materfamilias, inquit, illa dicitur,quæ in matrimonium conuenit per conuentionem.nam per quandam iuris ſolennitatem in familiam migrat mariti. Quod autem Vlp.ſcribit in l.4.D.de his qui ſunt ſui uel alien. matresfamiliarum eodem modo dici quo patresfa.hoc eſt,quæ ſuæ poteſtatis ſunt,ſiue ſint puberes,ſiue impuberes: hoc ad inſtituti ſermonis & Rubricæ rationem reuocandum eſt; ut qui alterius in familia non ſunt, patres & matresfamiliarum appellentur.

VXORIAE rei actio eſt,quoties poſt diuortium de dote contentio eſt:inquit Boet.in Top. Cic. ubi Cic.huius in actionis formula,uerba illa ſolennia fuiſſe ait, QVANTVM æquius melius.quod idem in III.Offic.commemorat, eiusque rei ueſtigia ſunt in fi.l.penult.D.ſolut. mat. l.ſi cum Cornelius,82.D.de ſolut.

VXORIS nomen in clericis & ſacerdotibus honeſtiſſimum

ſimum appellatur, in l. eum qui, 19. C. de epiſc. & cler. Neq; enim, inquit clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ dignos ſacerdotio uiros ſua cõuerſatione fecerunt.

DE LITTERA X

XENIA, ξένια, propriè hoſpitum munera. Vlpia. pro muneribus quæ prouincialibus magiſtratib. eorumq; comitib. dari ſolent, uſurpat in l. 6. §. 3. D. de off. proconſ. Non uerò, inquit in totum xenijs abſtinere debet Proconſul, ſed modum adijcere. ut neq; moroſe in totum abſtineat, neq; auarè modum xeniorum excedat. Pli. lib. Epiſt. v. Quã me iuuat, quòd in cauſsis agendis, non modò pactione, dono, munere, uerumetiam xenijs ſemper abſtinui.

XENODOCHIVM, ξενοδόχειον, domus hoſpitibus recipiendis parata. apud Iuſt. l. illud, 16. C. de ſacroſ. eccleſ.

XENON, ξενὼν, domus hoſpitibus recipiendis parata. idẽ quod ξενοδόχειον. apud Iuſtinian. l. ſancimus, 18 & l. ult. C. de ſacr. eccl. & alibi frequenter.

XENOPAROCHI, ξενοπαρόχοι, qui peregrinis res ad uictum neceſſarias præbebãt: ut notatio uerbi declarat. ijdem, opinor, qui Parochi, qui præbent ligna ſalemq; ut ait Horat. li. Serm. 1. Arca. l. ult. §. 1. D. de mun. & hon. Hi quoq; qui cuſtodes ædiũ uel archiotæ, uel logographi, uel tabularij, uel xenoparochi, ut in quibuſdam ciuitatibus.

XYSTICI, a Xyſto. Xyſtus autem & Xyſtum, cũ apud Grecos idem ſignificent, apud Latinos tamẽ nõnihil habere diſcriminis, docuit Gulielmus Philander in Anno. in Vitruuium. Nã Xyſtos, inquit Latini uocant porticus tectas, ubi athletę per hyemem exercebantur: Xyſta autem ſubdiales ambulationes, ubi ſudo cœlo ſuas exercebant palęſtras uide Vitruuium li. 5. ca. 11. & lib. 6. ca. 10. Xyſtici autem dicuntur certatores, qui in Xyſtis exercentur. Vlp. l. 4. D. de his qui not. Et generaliter ita omnes opinantur, & utile uidetur, ut neq; thumelici, neq; Xyſtici, neq; agitatores, ceteraq; eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſeruiunt, ignominioſi habeantur.

DE LITTERA Z

ZONA, cingulum duplex, pecuniæ quam aliquandiu conſeruare uolumus, geſtandæ idoneum. Vlp. l. 6. D. de bo. damnat. Nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis uindicare debebit. Gracchus apud Gellium li. 15. cap. 12. Itaq; Quirites, quum Roma profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.

ZYTHVM, auctore Dioſcoride lib. 2. potus eſt, qui fit ex hordeo in aqua reſoluto. In Aegypto plerunq; fieri Pli. lib. 22. teſtatur. Vlp. l. 9. D. de trit. uin. ol. Certè Zythum, quod in quibuſdã prouincijs ex tritico, uel ex hordeo, uel ex pane conficitur, uini legato non continebitur. Et infrà identidem eadem in lege.

ANTIQVITATVM ROMANARVM, QVAE QVIDEM AD IVS CIVILE PERTINENT, ELEMENTA,

Typographus adoleſcentibus iuris ſtudioſis.

SAtis conſtat, Ius Ciuile ueſtrum, Romanorum eſſe, non Athenienſium, aut Cartaginenſium, aut Lacedæmoniorum, optimi & humaniſſimi adoleſcentes. quapropter qui in Reip. Romanę cognitione bene uerſati ſunt ij tanto faciliorem ad Iuris ueſtri prudentiam aditũ habent, quanto Germanus facilius Italo, Cornelij Taciti De moribus Germanorum librum: aut Italus facilius Germano, Italici belli hiſtoriam a Plutarcho uel Appiano deſcriptam, intelliget. non enim totũ ius ueſtrum in philoſophando, & acutè diſputando, poſitum eſt: ueluti de iure ſui, de iure accreſcendi, de toto & partibus; de diuiduo & indiuiduo: ſed maxima & potiſſima pars in Reipub. Romanę practica, ut nũc loquimur, id eſt uſu forenſi uerſatur: ueluti de Prętorum iuriſdictione, aut Proconſulum, ac Pręſidum prouincię, quotuſquiſq; locus in Pandectis reperietur, in quo non illius fiat mentio? Itaq; Ciceronis, Liuij, Plutarchi aliorumq́ lectionem magnopere ad iuris ueſtri cognitionem prodeſſe, nemo niſi planè imperitus, non intelligit. Quòd ſi contenti eſſe hoc tempore poſſemus noſtrę quiſq; ciuitatis ac patrię inſtitutis, ridiculam ſanè operam in Pandectis ueſtris cognoſcẽdis poneretis. Sed quoniam diſputatis, eſſe aliquid a Romanis Iuriſconſultis ita ſubtiliter & acutè excogitatum, ut in hominum noſtrorum ingenia cadere tanta ſubtilitas non poſſit: propterea in illorum libris peruolutandis ac perdiſcendis noctes dieſq́ cõſumitis: quos tamẽ labores quàm inaniter maxima pars hominum ſuperioribus ſeculis exantlarit, non difficile dictu eſt: cauſſam autem illius (ut prętores ueſtri loquebãtur) nequitię, hoc eſt impẽdij fruſtra & inutiliter cõſumpti, qui iudicio bono prędititi ſunt, ignorantię Romanarum antiquitatum attribuunt. Quę cum ita ſint, erit humanitatis ueſtrę, adoleſcentes optimi, conſilium noſtrum boni conſulere: qui ſtudiorum ueſtrorum utilitati inſeruientes, hunc in locum nõnulla quę ad Reipublicę Romanę cognitionem pertinebant, coniecimus. Valete adoleſcentes humaniſſimi, & bonis conſilijs, dum ętas ueſtra fert, obtemperate. Deus ſtudia ueſtra gubernet.

LEGVM ROMANARVM ACCOMMODATA AD Literarum ordinem enumeratio.

A

ACILIA Minutia de pace Chartaginienſium. Tulere M. Acilius, & Q. Minutius Tribuni pleb. Cornelio, Aelio coss. Anno ab urbe condita DLII. Velleńtne iuberentne ſenatum decernere, ut cũ Carthaginienſibus pax fieret? & quẽ eam pacẽ dare, quemq́ue ex Africa exercitus deportare iuberent? De pace, uti rogas, omnes tribus iuſſerũt: pacem dare P. Scipionem, eundem exercitus deportare. Liuius lib. XXX.

ACILIA de coloniis deducendis. Tulit C. Acilius Tribun. pleb. Cornelio, Minutio coss. Anno ab V C. DLVI. Vt quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duę ad oſtia fluminum Vulturni, Liternique: una Puteolos, una ad Caſtrũ Salerni. his Buxẽtũ adiectũ. tricenę familię in ſingulas familias iubebãtur mitti. Liuius libro 32.

ACILIA REPETVNDARVM. Tulit M. Acilius Glabrio. Vt repetundarum cauſſa una actione abſolueretur: id eſt, ut neque reum comperendinari, neque cauſſa ampliari liceret. Item ut qui accuſatores conſtituti eſſent, poteſtatem haberẽt literas & publicas & priuatas conquirendi, obſignandi, deportandi. Cic. Verrin. 2. & 3. & in ſecundam Aſconius.

AEBVTIA DE LEGIBVS. Tulit Aebutius Tribunus pleb. Vt duodecim Tab. capita quæ Reip. propter antiquitatem obſoletasque res inutilia eſſent, abrogarentur: ſolæ Legis actiones Centumuiraliũ cauſſarum manerent. Gel. li. 16. c. 10.

AEBVTIA LICINIA. Vide Licinia Aebutia.

AELIA DE COLONIIS DEDVCENDIS. Tulit Q. Aelius Tubero Tribunus plebis, Cornelio, Sẽpronio, coss. Anno DLVIII. Vt Latinæ duæ coloniæ, una in Brutios, altera in Thurinum agrum deduceretur. Liuius lib. XXXIIII.

AELIA DE col. ded. Tulit idem. Vt in agrum Latinum Thurinũ coloniæ deducerẽtur. Liu. li. 35.

AELIA DE comitiis. Tulit Q. Aelius cos. cum M. Iunio, Ann. DXXCVI. Vt quoties cum populo ageretur, augures de cœlo ſeruarent, magiſtratus & obnunciandi, id eſt denunciandi agi per Iouem non licere, & legislationi intercedendi poteſtatem haberent. Nam quum lex ferretur, Augures de cœlo ſeruabant: magiſtratus, ſi quid obſeruatum erat, quo impediri comitia poſſent, nunciabant. Cic. in Piſoniana, ubi centum ante Piſonis & Gabinii conſulatum annis latam hanc fuiſſe legem ſcribit, oratoriè & ſuo more. Mentio eſt apud omnes frequentiſsima.

AELIA Sanctia quæ nominatur in Topicis Ciceronis, inducenda eſt auctoribus antiquis libris: ſentẽtiaque ipſa & hiſtoriæ ueritate poſtulante. idque iampridem interpretum nonnulli docuerunt.

AELIA SENTIA de manumiſsionibus. Tulere Sex. Aelius, C. Sentius COSS. Ann. DCCLVI. Vt qui ſerui pœnæ cauſſa uincti à domino quibusve inuſtæ notę fuerant, quive propter noxam torti, nocentesve inuenti, quive traditi ut ferro aut cũ beſtiis depugnarent, quive in cuſtodia fuiſſent, ii ſi manumitterentur non ciues Ro. ſed dedititiorum numero eſſent: id eſt, ut neq; connubium, neque commercium, neq; teſtamenti factionem haberent. Vt minorẽ triginta annorum ſeruum uindicta aut teſtamẽto, niſi cauſſa apud conſilium probata, manumittere non liceret. Ne dominus annis uiginti minor, ſeruum niſi cauſſa apud conſilium probata manumitteret. Vt ſeruus ab eo domino qui ſoluẽdo nõ eſt, teſtamẽto liber eſſe iuſſus, & hęres inſtitutus, & ſi minor ſit triginta annii, uel in ea cauſa ſit ut dedititius fieri debeat, ciuis Rom. & hęres ſit, ſi tamẽ alius ex eo teſtamẽto nemo hæres ſit. Quòd ſi duo pluresve liberi hæredesve eſſe iuſsi ſunt, primo loco ſcriptus liber & hæres ſit. Vt ſi patronus libertũ inopem non aluerit, primùm libertatis cauſſa impoſitis tam ipſe, quàm is ad quem ea res pertinebit, multetur: dein ipſius hæreditate, tum ipſe tum ipſius liberi priuentur, niſi hæres inſtitutus ſit. poſtremò à bonorum poſseſsione remoueatur, præterquam ſecundum tabulas.

Ne dominus in manumittendo ſeruo ſeruave legẽ ei de contrahendo matrimonio, quę ciuis Rom. libertatẽ imminuat, imponat: ſi ſecus faxit, ad eius legitimã hæreditatẽ ne admittatur. Vlp. & Iuſtinianus in Inſtitut. itẽ Iulianus l. qui ſoluẽdo. 42. Paulus l. ſi is qui, 55. l. ſi is qui, 57. l. qui ſoluendo, 60. l. ſi non lex. 83. D. de hæredibus inſtit. l. ſciendum, 70. D. de uerborum ſignificat. l. 1. C. qui manum. non poſſ. l. 3. §. 1. D. de ſuis & legit. l. ſi patronus, 33. D. de bon. libert.

AELIA de Statilio. Tulit C. Aelius Tribun. ple. qua damnatus eſt Stennius Statilius Lucanus, quòd Thurinos infeſtaſſet. Plinius lib. 34. cap. 6.

Aemilia cibaria. Tulit M. Aemilius Lepidus coſ. cum Q. Lutatio Catulo, Anno dclxxv. Hac non ſumptus cœnarum, ſed ciborum genus & modus præfinitus eſt. Gellius libro 2. cap. 24. Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 17.

Aemilia de censura. Tulit Mam. Aemilius Dictator, Anno cccxx. Ne cenſura quæ uſque eo quinquennalis fuerat, plus quàm annua ac ſemeſtris eſſet. Liuius lib. 4. & 9.

Alliena de terminis. Tulit. Eius hoc caput legitur in libro De agrorum conditionibus ualde corruptum: ſed ex Roſcia, quam ſuo loco deſcribemus, ſic caſtigauimus: Quæ colonia hac lege deducta, quódue municipium conſtitutum erit, qui limites decumani, quæcunque foſſæ in eo agro erunt, qui ager hac lege datus aſsignatus erit, ne quis eos limites decumanos obſepito, neve quód in eis immolitum, neve quid ibi poſitum habeto, neve eos arato, neve eas foſſas obturato, neve quis ſepito, quo minus ſuo itinere aqua ire fluere poſsit. Si quis aduerſus ea quid fecerit, in res ſingulas quotieſcunque fecerit, HS IIII, colonis, municipibusve iis in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto: pecuniæ qui uolet petitio hac lege eſto.

Ampia labiena de Cn. Pompeio. Tulere T. Ampius, T. Labienus Tribuni pleb. Metello, Afranio coſs. Anno dcxciii. Vt Cn. Pompeius uictor ex Aſia ludis Circenſibus corona aurea & omni cultu triumphantium uteretur, ſcenicis autem prætexta coronaq; aurea. Velleius lib. 2.

Annaria lex dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magiſtratus capiendi. Feſtus. ui de Villia.

Antia sumptuaria. Tulit Antius Reſtio. De ſumptu in conuiuia. &c. Vt qui magiſtratus eſſet, magiſtratumve capturus eſſet, ne quò ad cœnam niſi ad certas perſonas itaret. Gell. lib. 2. cap. 24. Macrobius lib. 3. cap. 17.

Antistia de Satricanis. Tulit M. Antiſtius Trib. plè. Foslio (ut opinor) & Plautio coſs. An. dcxxxv. Vti Senatui de Satricanis ciuibus Ro. ſententiæ ferendæ ius eſſet. Liuius lib. 26.

Antonia iudiciaria. Tulit M. Antonius cos. cum C. Iulio, Anno dccix. Vt tertia iudicum decuria, è centurionibus, anteſignanis, alaudis, manipularibus fieret. Cic. Philipp. 1. & 5.

Antonia de Dictatura. Tulit idem Triumuir R. P. C. Ne quis ullam ob cauſam de Dictatore creando referret, neve Dictaturam oblatam acciperet. qui ſecus faxit, eum ne necare ius faſque eſſet. Appia. Emphyl. 3.

Antonia de nomine menſis Iulii. Tulit idem. Vt qui menſis antea Quintilis uocabatur, quòd à Martio qui priſcis temporibus primus fuerat, quintus eſſet: is a C. Iulii Cæſaris nomine Iulius deinceps diceretur: quòd hoc menſe ad quartum Idus Quintil. Iulius natus eſſet. Macrob. lib. Sat. 2. cap. 12.

Antonia de ſuffragiis pop. Tulit L. Antonius. Cicero Philipp. 7.

Antonia de ſacerdotiis. Tulit idem. Vt ius cooptandorum ſacerdotum à populo ad illorum collegium iterum transferretur. Dio lib. 37.

Appuleia de coloniis. Tulit. L. Appuleius Saturninus Trib. pleb. C. Mario vi. L. Valerio coſs. Anno dcliii. Vt in ſingulas colonias ternos ciues Rom. C. Marius facere poſset. Cicero pro Balbo.

Appuleia agraria. Tulit idem, eodem anno. Vt quem agrum C. Marius cos. in Gallia pulſis Cimbris, in ditionem populi R. redegiſset is populo Rom. diuideretur, & ſi ita lex ſciuiſset, intra diem quintum à ſingulis ſenatoribus in eā iuraretur: qui non iuraſset, ei multa pœna eſſet. Appianus lib. De bellis ciuil. 1.

Appuleia maiestatis. Tulit idem. Meminit Cic lib. De oratore ſecundo, ubi de cauſa Norbani loquitur, quem maieſtatis Appuleia lege poſtulatum defendit Antonius.

Appuleia de Metello. Tulit idem. Vti Q. Metello Numidico Conſuli quòd legi ipſius Agrariæ, quæ intra quintum diem iurari in eam iubebat, nón paruiſset, aqua & igni interdiceretur. Appian. lib. De bello ciuil. 1. Cicero pro Sextio, & alibi.

Aquilia de damno iniuria dato. Tulit C. Aquilius Gallus, Trib. plebis: uti ſcribit Vlpianus l. 1. D. ad leg. Aquil. ex quo plebiſcitum uerius appellatur. Eius tria capita fuere, quorum primum & tertium his extat uerbis, Qui ſeruum ſeruamve, alienum alienamve, quadrupedemve pecudem iniuria occiderit: quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas eſto. Ceterarum rerum præter hominem & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod uſserit, fregerit, ruperit iniuria: quāti ea res erit in diebus triginta proximis, tātū æs dño dare damnas eſto. Aduerſus infitiantem in duplum actio eſto.

Non dubitani enim quadrupedemve pecudem pro Vel reſtituere: quod mendum mirum eſt, tam multorum eruditorum oculos aſpectumque fugiſſe. Hanc autem puto eſſe legem de qua Cicero in Bruto ſic loquitur, Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Caſilienus fuit, quem ego audiui iam ſenem, quum ab L. Saberio multam lege Aquilia de iuſtitia petiuiſſet. Opinor enim legendum damni iniuria: ex quo de formula diximus in Orāt. pro Comœdo. & multā intelligi, quāti plurimi æſtimationem. Animaduertendum etiam aliud præterea huiuſce legis caput fuiſſe, ſi ſeruus ſciente domino noxiam nocuiſſet, dominus ſuo nomine eius rei cauſſa teneretur. l. 2. D. de noxal. act.

Aterna tarpeia de multa. Tulere Sp. Tarpeius, A. Aterius coſs. Anno ccxcvii. Vt omnibus

bus magiſtratibus multę dicēdę ius eſſet, quum antea ſolis Conſulibus id liceret:ita tamen ne uel duos boues,uel triginta oues excederent. Vt quũ multa pecoris armentique à magiſtratibus diceretur,bos centuſsis, ouis decuſsis æſtimaretur. Dionyſius libro decimo, Gellius libro ſecundo, cap.1.& Feſtus lib.14.in uoce Peculatus.

Atia de sacerdotiis. Tulit T.Atius Labienus Tribunus plebis,L.Iulio,C.Marcio coss. Anno dcxcix. Vt populus ſacerdotia (quemadmodum olim lege Domitia) mandaret, quum antea ſacerdotes lege Cornelia à Pontificum collegio crearentur. Dio lib.37.

Atilia de dedititiis. Tulit L.Atilius Tribunus plebis, Claudio, Valerio coss. An. dxliii.Omnes Campani, Attellani,Calatini, Sabatini,qui ſe dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani, Fulùio Proconſuli, quæque unà ſecum dediderunt,agrum urbemque, diuina humanaque,utenſiliaque,ſiue quid aliud dediderunt:de his rebus quid fieri uelitis, uos rogo Quirites. Plebs.ſic iuſsit, Quod Senatus maxima pars cenſeat,qui aſsidetis,id uolumus, iubemusque. Hæc Liuius lib.26.

Atilia Martia de Trib. militum. Tulere L. Aelius,C.Martius Tribuni plebis,Iunio Aemilio cos. Anno cdxlii. Vt Tribuni militum ſeni deni in quatuor legiones à populo crearentur. Quæ antea,perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis;Dictatorum & Conſulum fermè fuerant beneficia. Liuius lib.9.

Atilia de tutelis. Tulit. Vt mulieribus pupillisve tutores non habentibus, à Prætore & maiore Tribunorum plebis parte darentur, Vlpian. capite Inſtit.12. Imperator, De Atiliano tutore. Liuius lib.xxxix.

Atinia de usucapionibus. Tulit. Vt quod ſurreptum eſſet, eius rei æterna auctoritas eſſet, niſi ſi in eius cui ſurreptum eſſet, poteſtatem reuertiſſet. Gellius libro 17. cap.7. Paulus l. 4.S. 4. D. De uſurpat. Iulianus l.33.eiuſd. tit. Cicero Verrin.3.

Atinia de trib. pleb. Tulit. Vt qui Trib. ple.eſſet,idem ſenator eſſet:dicendæque in ſenatu ſententiæ ius haberet. Gell.lib.14.cap.ult.

Aurelia de tribun.pleb. Tulit C. Aurelius Cotta cos.cum L.Octauio,Anno dclxxviii. Vt Tribunis pleb. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Sullæ ijs erat ademptum. Pedianus Cornelia L. Verri. 1. Liuius lib. 97.Velleius lib.2

Aurelia iudiciaria. Tulit C. Aurelius Cotta Prætor, M. Craſſo, Cn. Pompeio primùm coss. Anno dclxxxiii. Vt iudicia quæ penes ſolos ſenatores erant, inter ſenatores, & equeſtrem ordinem, & Tribunos ęrarios communicarentur. Cicero in Verrinis ſæpe Aſconius in eaſdem. in Orat. pro Cornelio,& in Piſonem. Florus uerò Epitome 97. Velleius lib. 2. ubi tamen Tribunos ęrarios non nominat.

B

Baebia de praetoribus. Tulit. Vt alternis annis quaterni Prætores crearētur. Liuius libro 40. Feſtus nominat libro decimoſexto,in uoce Rogat.

C

Caecilia de pulloniibus. Tulit Cæcilius Metellus. C.Flaminius,L.Aemilius cens. dedere ad populum ferendam. Plinius lib.xxxv.cap.xvii.

Caecilia Didia de legibus. Tulerunt Q.Cæcilius Metellus,T. Didius coss. Anno dclv. Ne multis de rebus coniunctim una rogatione ad populum ferretur, ne populo neceſſe eſſet in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nollet accipere,aut id quod uellet repudiare. Cicero Philipp.5.pro Domo ſua, & ad Attic. epiſt.1.

Caecilia de cenſoribus. Tulit Q.Cæcilius, Q. F.Metellus Pius.Scipio cos. cum Pompeio. Anno dcci. Vt Cenſoria poteſtas, quam P.Clodius Tribun.plebis imminuerat, reſtitueretur. Dio lib.

Caecilia repetundarum, Tulit. Nominatur à Valerio Max.lib.ſexto,cap.11.

Caelia, de ſuffragijs. Tulit Cælius Tribun. plebis,Q.Cæcilio, T. Flaminio coss. Anno dcxxx. Vt etiam in perduellionis iudicio qđ Caſsia lege Tabellaria exceptum erat, populus non uoce ſed tabella ſententiam ferret. Cic. libro De leg.3.

Caducaria. Vide Iulia Caducaria.

Callidia de Metello reuocando. Tulit Q. Callidius Tribunus plebis, ut Q. Metellus qui quòd in Saturnini legem iurare noluerat, exilio damnatus erat, in ciuitatem reuocaretur. Valer.Max.libro quinto,capite ſecundo. Cicero pro Plancio.

Calpurnia repetundarum. Tulit L. Calpurnius Piſo Tribun.pleb.L.Marcio, M. Manilio coss. Anno dciiii.nulla antea quum fuiſſet. Vt quibus in prouinciis magiſtratus populi R.eorumve comites pecunias contra leges cepiſſent, earum prouinciarum homines iudicio Romæ conſtituto ſuas pecunias repeterent. Cic. De offic. 2. in Bruto,& Verrina v.

Calpurnia, de ambitu. Tulit C.Calpurnius Piſo cos.cum M.Glabrione, Anno dclxxxvi. Vt ambitus damnati omni honoris petitione prohiberentur, certaque pecunia multarentur, Dio libro 26. Cic. pro Muræna, pro Cornel. & in eam Aſcon.

CALPVRNIA DE CIVITATE. Siſenna hiſtoria. libro quarto, Milites ut lex Calpurnia conceſſerat, uirtutis ergo ciuitate donari. Hæc Nonius in uoce ergo.

CANVLEIA, de patrum connubijs. Tulit C. Canuleius Tribunus plebis, M. Genutio & C. Curtio coss. An. CCCIX. Vt plebi cum patribus connubiorum ius eſſet. Vt. Tribuni militum conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus ac plebe crearentur. Auguſtinus libro De ciuitate Dei 3. cap. 17. Liuius lib. quarto.

CASSIA AGRARIA. Tulit Sp. Caſsius Conſul cum Virginio, Anno CCLXVII. Vti ex agro Hernicis, quibus cum fœdus ictum erat, adempto, dimidium Latinis, dimidium plebi diuideretur. Lex tamen non tenuit. Liuius libro ſecundo, Valerius libro quinto, cap. 8.

CASSIA DE SENATV. Hanc tulit L. Caſsius, L. F. Longinus, Tribunus ple. C. Mario, L. Flacco coss. Anno DCLIII. Vt quem populus damnaſſet, cuive imperium abrogaſſet, in ſenatu ne eſſet. Aſcon. in Cornel.

CASSIA DE SVFFRAGIIS. Tulit L. Caſsius Tribunus plebis, Lepido & Mancino coss. Anno DCXVI. Vt iudices ſententias, quas uoce dicebant, tabellis ferrent: in his etiam populus ipſe, duntaxat quum de multis iudicaret, non de capite: nimirum in perduellionis iudicio. Cicero in Lælio, ubi hanc legem biennio poſt Gabiniam latam ſcribit. item in Bruto, & libro De legibus 3. item Aſconius in Cornelianam, & Verrinam II.

CASSIA DE Pauli triumpho. Tulit Q. Caſsius Prætor, Aelio, Iunio coss. Anno DLXXXVI. Vt Paulo, Anicio, & Octauio ex bello Macedonico cum uictoria redeuntibus, quo die urbem triumphantes inueherentur, imperium eſſet. Liuius lib. 45.

CASSIA DE ſenatu ſupplendo. Tulit C. Caſsius Prætor, Dictatore Iulio Cęſare. Vt in numerum Patriciorum qui Senatui deeſſent, alij ſublegerentur. Tacitus libro II. Suetonius autem in Iulio Cæſare ſcribit, eum Senatum ſuppleuiſſe, patricios allegiſſe, Prętorum, Aedilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum ampliaſſe. Vtrum autem illa Caſsia lege, an alia, incertum eſt.

CINCIA DE donis & muneribus. Tulit M. Cincius Tribunus plebis, Cornelio, Sempronio coss. Anno DXLIX. Ne quis ob cauſſam orandam donum munusve caperet. Liuius libro 34. Tacitus lib. 13. Cic. in Catone, ad Atticum I. & de Orat. ſecundo. Feſtus hanc muneralē à Plauto uocari ſcribit. Neque muneralem legem, neq; lenoniam, Rogata fuerit necne, flocci ęſtimo.

CLODIA de liberali cauſſa. Tulit Ap. Claudius Decemuir, cum collegis, Anno CCCII. Vt quū quis in ſeruitutem aſſereretur, uindiciæ ſecundum libertatem darētur. Liuius lib. 13. Dionyſ. lib. 10.

CLAVDIA de ſenatorum quæſtu. Tulit Qu. Claudius Tribu. pleb. P. Cornelio, T. Sēpronio Coss. Anno DXXXV. Nequis Senator, quive Senatoris pater fuiſſet maritimā nauem, quæ plus quàm trecentarū amphorarum eſſet, haberet. Id ſatis habitum ad fructus ex agris uectandos: quæſtus omnis patribus indecorus uiſus eſt. Liuius lib. 21.

CLAVDIA de ſcribarum negociatione. Videtur proximæ Claudiæ pars fuiſſet. Suetonius in Domitiano, Scribas quæſtorios, negociantes ex conſuetudine, ſed contra Claudiam legem uenia in præteritum donauit. Aliud ea de lege nihil reperio.

CLODIA de annona. Tulit P. Claudius Tribu. pleb. Piſone, Gabinio coss. Anno DCXCV. Vt frumentum populo, quod antea ſemis æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur, et Sex. Claudio frumentaria procuratio mandaretur. Aſcon. in Piſonianam, Cice. pro Seſtio, & in Piſonem, & pro Domo.

CLODIA de comitiis. Tulit idem. Nequis per eos dies quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſeruaret. Vt omnibus faſtis legem ferri liceret: qua de cauſſa legem Aeliam & Fuſiam à Clodio ſublatam toties Cicero queritur in Sextiana, Piſoniana: & in hanc Aſconius, & Dio lib. 38.

CLODIA de ui. Tulit idem. Vt de ijs qui ciues Ro. ſine iudicio populi indictaque cauſſa necaſſent, quæſtio haberetur. Tulit autem ob Ciceronem & alios, à quibus necati erant Catilinarij, quamuis nominatim de Cicerone nullam faceret mentionem. Velleius lib. 2. Dio. XXXVIII. Cicero ad Attic. III. Hanc legem, opinor, intelligit Cicero in Orat. pro Domo, ubi de lege Clodia loquitur, quæ eſt de Iniuriis publicis.

CLODIA de M. Tullio. Tulit idem. Vt M. Tullio Ciceroni quòd falſum S. C. retuliſſet: quòd ciues Rom. indemnatos necaſſet, aqua & igni interdictum eſſet, neve ei intra quingenta paſſuū millia liceret eſſe, ne quis de ipſius reditu ad ſenatum referret, ne quis ſententiam diceret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in ſententiam, ne ſcribendo adeſſet. Pro domo ſua, Poſt reditum in ſen. & lib. ad Att. III. & Dio. lib. 38.

CLODIA de prouinciis. Tulit idem. Vt Gabinio Syria, Babylon. Perſæ: Piſoni Macedonia, Achaia, Theſſalia, Græcia, omnisque Bœotia proconſulari imperio mandaretur: iisque cum exercitu in eas prouincias iuris pecunia ex ærario attribueretur. Cicero Pro domo, & in Sextiana.

CLODIA de interceſsione. Tulit idem Clodius. Vt libera & ſoluta in ferendis legibus Tribunorum plebis poteſtas eſſet, neque interceſsione impediretur. Cicero in Sextiana, Nouem enim Tribunis unus obſiſtere poterat. Dio. lib. 38.

CLODIA de collegiis. Tulit idem. Vt collegia: id eſt, conuentus artificum à Numa inſtituti, & ma-

gna

gua ex parte partim legibus, partim Senatuſconſultis ſublati reſtituerentur, multiq; alij conſtituerentur. Cic. in Sextiana, Piſoniana, Pro domo ſua, Pedianus in Cornel.& Dio.lib.38.

Clodia de regno Cypri. Tulit idem. Vt Cyprus inſula in prouinciæ formam redigeretur, ut Ptolemæus rex Cypri ſedens cum purpura & ſceptro,& illis inſignibus regijs præconi publico ſubijceretur & cum bonis omnibus publicaretur. Vt M. Cato Quæſtor cum iure prætorio, adiecto etiam Quæſtore mitteretur in inſulam Cyprum & regiæ gazæ uendendæ,& pecuniæ deportandæ præficeretur. Vt qui Byzantij rerum capitalium damnati exularent, populi Ro. nomine in eam ciuitatem reducerẽtur. Cicero pro Domo ſua pro Sext. De prou.conſ. Velleius li.2. Plutar. in Vitis.

Clodia de Peſsinuntio ſacerdotio. Tulit idem. Vt Peſsinuntius Matris magnæ ſacerdos, ſuo ſacerdotio ſpoliaretur, fanũq; illud Brogitaro Gallogræco attribueretur. Pro Sextio, De aruſpic.reſp.

Clodia de cenſoribus. Tulit idem. Ne quem Cenſores in legendo præterirent, neve qua ignominia afficerẽt, niſi qui apud eos accuſatus,& utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet. Aſconius in Piſonianam, Cicero in eadem, in Miloniana,& Sextiana.

Clodia de ſocijs ac nominis Latini. Tulit C. Claudius Cos. cum T. Sempronio, Anno DLXXVI. Qui ſocij ac nominis Latini cenſi eſſent, ut omnes in ſuam quiſque ciuitatem ante Kal. Nouembres redirent. Vt Dictator, Conſul, Interrex, Cenſor, Prætor, qui nunc eſſet apud forum, darẽt operam, ut qui manumitteretur, in libertatem uindicaretur: iuſiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ cauſſa manu non mitteret: qui id non iuraret, cum manumittendum non cenſuerunt. Liu. libro 41. qui tamen locus corruptus eſt: legendum fortaſſe, Ab eo manumittendum.

Clavdia de comitijs. Tulit M. Clodius Marcellus Cos. cum Ser. Sulpitio, Anno DCCII. Ne in magiſtratum comitijs abſentio ratio haberetur. Suetonius in Cæſare.

Clavdia de Colonia Nouicomi. Tulit idem M. Marcellus. Vt colonis quos rogatione Vatinia Nouum comum Cæſar deduxiſſet, ciuitas adimeretur: quòd per ambitionẽ, & ultra præſcriptum data eſſet. Suetonius in Cæſare.

Clavdia de fœnore. Tulit Claudius Cæſar ne creditores in mortem parentum pecunias filijsfamiliarum fœnori darent. Tacitus lib. 11. ubi apertè legem latam affirmat.

Clavdia de re numaria. Tulit. Vt uictoriatus numus, qui ex Illyrico aduectus mercis loco habebatur, Romæ percuteretur:& eadem uictoriæ nota obſignaretur. Plin. lib. 33. cap. 3.

Clavdia de tutelis. Tulit. Vt ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur. Vlp. tit. XI. & Imp. leg. III. C. De legit. tut.

Cornelia de patricijs. Tulit cum collegis Sex. Cornelius Tribu. milit. Anno CCCLXX. Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret. Liuius lib.6. Dionyſius lib.4.

Cornelia de bello Antiochi. Tulit P. Cornelius Cos. cum M. Acilio, Anno DLXII. Vellent iuberent ne cum Antiocho rege, quiq; ſectam eius ſecuti eſſent, bellum iniri. Liuius lib. 36.

Cornelia, Bæbia de ambitu. Tulere P. Cornelius M. Bæbius Coss. Anno DLXXII. Liuius libr. 40. Florus præterea epit. XLVII. legem de ambitu latam teſtatur.

Cornelia de C. Mario. Tulit L. Cornelius Cinna cos. cum Cn. Octauio, Anno DCLXVI. Vt C. Marius qui a L. Sylla oppreſſus profugerat, in urbem reciperetur. Velleius lib. 2. App.

Cornelia iudiciaria. Tulit L. Cornelius Sulla Dictator & cos. cum Q. Metello, Anno DCLXXIII. Vt iudicia equeſtri ordini adempta, in ſolum ordinem Senatorium transferrentur. Ita quadrat annorũ ratio ab Aſconio tradita, quum ait, Equites a lege Sempronia ad hanc legem annos quadraginta iudicaſſe. quum Cice. oratorio more dicat ꝓpe quinquaginta Flor. epit. LXXXIX. Aſco. in Diuin. & Cicero in eadem. Huius eiuſdẽ fuiſſe pars uidetur, caput illud quod Cic. Verr. IIII. commemorat, ne cui extra ordinem Senatorium reiiciundi amplius quàm trium iudicum poteſtas eſſet.

Cornelia repetundarum. Tulit idem. Vt in repetundarum iudicio reus omnino comperendinaretur, nec una actione ea cauſſa abſolueretur. Vt certi dies prouincialib. magiſtratibus quibus ſucceſſum eſſet decedẽdi cauſſa præſtituti eſſent. Vt Legatis ſumptus præſcriberetur. Vt accuſatori liceret omnibus teſtimonium denunciare, præterquam defenſori: item omnia clauſa rei obſignare,& literas omnes tum publicas, tum priuatas quibus inſtrui poſſet accuſatio, præter literas publicanorum Romam deportare liceret. Cice. Verr. III. & IIII. pro Poſthu. li. epiſt. I. IX. & li. 3. epiſt. VI. & X. Item Verrin. IIII. & in eam Aſconius.

Cornelia agraria. Tulit idem. Vt proſcriptorũ agri publici eſſent. Cicero contra Rullum. Salluſtius in Catilin.

Cornelia ſumptuaria. Tulit idem. Vt Calendis, Idibus, Nonis, diebus ludorum & ferijs quibuſdam ſolennibus H—S. tricenos in cœnam inſumere ius poteſtasq; eſſet. cæteris autem aliis diebus omnibus, non amplius ternos. ſunt & minora precia rebus impoſita. Gell. libro ſecundo cap. 24. Macrob. lib. Satur. III. cap. 17. & Plut. in Sylla.

Cornelia de municipijs. Tulit idem. Vt municipijs omnibus ius ciuitatis agriq; adimeretur. Cic.

Cic.Pro domo ſua,pro Cęcinna, Appianus belli ciuilis lib.2.

CORNELIA de magiſtratibus. Tulit,opinor, idem. Vt qui cum imperio in prouinciam profectus eſſet,tamdiu illud imperium retineret, quoad in urbem reuerſus eſſet:quum antea certo ac præfinito tempore imperium illud terminaretur. & ſi ſucceſſor non mitteretur,noua rogatione ad imperium prorogandum opus eſſet. Item ut triginta tantum dies poſtquàm ſucceſſor miſſus eſſet,magiſtratui ad decedendum concederentur. Cic.epi. 9.ad Lentulum,& lib. 3.ad App.epiſt.6.

CORNELIA de ſumptibus funerum. Tulit idem. Plut.in eius uita.

CORNELIA de Trib.ple. Tulit idem. Ne Tribun. ple.ferendarum legum concionádive ius eſſet,neve ad eos prouocatio eſſet,ut ne ijs intercedere liceret:neve iis qui Tribuni pleb.fuiſſent,alios poſtea magiſtratus capere liceret. Cic. De legib.3. Cæſar Comment.Gal.lib.1.Plutarchus in uita. Florus in Epit.Appian.De bello ciuili 1. Aſcon. in III.Verrin.

CORNELIA de prouinciis. Tulit idem. Ne quis plus anno prouinciæ præeſſet. Cic. ad Appium lib.Fam.v.Item ut Senatus quaſdam prouincias decerneret.

CORNELIA de magiſtratibus. Tulit idem. Vt ijs qui ſuas partes in ciuili bello ſecuti eſſent, honores ante tempus capere nis eſſet. Vt ſi quis magiſtratum peteret,quem antè iuſsiſſet, niſi decennium interiectum eſſet,eius ratio non haberetur. Appian.de bell.ciuil.

CORNELIA de ſacerdotiis. Tulit idem. Vt ius creādorum ſacerdotum à populo(cuius hęc lege Domitia poteſtas erat)ad collegia ſacerdotum transferretur. ijque ex ueteri more tributis comitiis cooptarentur. Dio lib. 37. Et Aſconius in Diuinat.

CORNELIA de Quæſtoribus. Tulit idem. Vt uiginti Quæſtores ſupplendo ſenatui crearentur, cui iudicia tradiderat. Tacitus lib. 11.

CORNELIA maieſtatis. Tulit idem. Ne qui cum imperio prouincias obtinerent,populi ſenatusve iniuſſu exercitum de prouincia deportarent, bellúve ſua ſponte gererent. Cic.in Piſon. Alia capita fuerunt,quæ pedianus in Corneliana ſignificat. Fuit & illud,ut à quæſtionibus uel cruentis nullius dignitas exciperetur. Amm.Marcell.lib.19.

CORNELIA de ſicarijs & ueneficiis. Tulit idem. Vti qui hominem occiderit,cuiusque dolo malo incendium factum erit, quive hominis occidendi, furtive faciendi cauſſa cum telo ambulauerit,iudicio publico damnetur. Marcia,lib. 1.D.ad l.Corn.de ſicar.quo ſub titulo multa huius legis capita enumerantur. Ea lege excepti erant, qui proſcriptione Syllana ob relata ciuium R. capita pecunias ex ærario acceperant. Sueto. Cæſare. Eiuſdem etiam hoc caput fuit, ut eum in conſilium iri oporteret, Quæſitor à reo quæreret, clàm an palam de ſe ſententiam ferri uellet. Cic. in Cluentiana. Item, Vt ſi quis domi ſuæ necatus erit,ei qui ſeruos qui ante quæſtionem fugerint, peruestigarit,& indicarit,in ſingulos ſeruos quos eius cædi conuicerit,quinos aureos ex bonis occiſi, aut ſi inde redigi ea quantitas non poſsit, ex publico accipiat. Vt de his qui ante quæſtionem habitam fugerint,ſi aperto teſtamento liberi ſcripti inueniantur, iudicium inter ſicarios fiat:ita,ut ex uinculis cauſſam dicant,& conuicti perinde ac ſerui puniantur:& ei qui conuicerit, deni aurei præmii nomine dentur ex bonis damnati. Caius l. 25.D.ad S.C.Silanian.

CORNELIA de iniuriis. Tulit idem. Vt Venuleius teſtatur in l.hos accuſare, 12.in fi. D. de accuſat. Vt in eos qui quempiam pulſaſſent, uerberaſſent, domumve alienam ui introiſſent,iudicium daretur. Vt in eo iudicio non eſſet,qui ei qui ageret, gener,ſocer,uitricus,priuignus,ſobrinusve eſſet, propiusve eorum quenquam ea cognatione,affinitateve attingeret,quivé eorum cuius, parentesve cuius eorum patronus eſſet. Vt filiusfa. ex omni cauſa iniuriarum agat, ut actori iuſiurandum deferre liceat reo,an iniuriam fecerit. Si quis librum ad infamiam alicuius ſcripſerit, compoſuerit,ediderit,dolove malo fecerit, quo quid eorũ fieret:etiamſi alterius nomine ediderit, uel ſine nomine:uti de ea re agere liceret,& ſi condemnatus ſit,qui id fecit,inteſtabilis ex lege eſſe iubetur. Vlp.l.5.D.de iniur.

CORNELIA de falſo. Tulit idem. De omni falſitatũ genere,quæ in numis,teſtamentis,partubus,iudiciis,tabulis publicis aliiſque rebus commiſſæ, publici iudicii pœnam mererentur:de quibus Iuriſconſulti copioſè ſub tit. Ad leg.Cor.De falſ. Crimina enim ferè ſunt innumera,quibus quod pœna eſſet conſtituta nulla huius legis pœna, partim ſenatuſconſultis,partim Principum reſcriptis,partim etiam Iuriſconſultorum reſponſis attributa eſt. Meminit Cic. Verrin.3.De nat.deor.2.& Sueton.in Auguſto.Pompon.l.2.De origin. iur. Paulus Sent.4.ca.7.& li.5.ca.24. Neque uerisſimile eſſe,quod quidam putant, id ſolum falſum hac lege coerceri,quod in teſtamentis commiſſum eſſet:patet ex l.9.D.de falſis.

CORNELIÆ de teſtamentis. Tulit idem. Vt eorum teſtamenta qui in hoſtium poteſtate eſſent, perinde rata eſſent,ac ſi hi qui ea feciſſent in hoſtiũ poteſtatem non perueniſſent:& hæreditas ex his eodem modo ad unumquemque pertineret. Iulianus l.12.D.Qui teſt.fac.poſſ. Vlp. cap. Inſtitut. 23.Iauolenus in l.15.De iniuſt.rupt. Atq; ex hac lege inducta fictio eſt, Vt qui captus apud hoſtes decederet,mortuus eodẽ momento quo captus eſſet,putaretur. Eiuſdẽ legis caput opinor illud fuiſſe,quod in edicto Verris ſignificatur,apud Ciceronem,lib. Accuſat.primo: Non minus multis ſignis

ſignisq; è lege oporteat, cautumq; de numero teſtium quos in teſtamentis adhiberi oporteret, fuiſſe.

CORNELIA de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſponſionemve in ludo, niſi qui corporis exercendi cauſa ſuſceptus eſſet, faceret. ueluti haſtæ pilove iacendo, currendo, ſaliendo, luctando, pugnando. Marcian. l. 3. D. De aleator.

CORNELIA de ijs qui legibus ſoluuntur. Tulit C. Cornelius Trib. pl. C. Piſone, M. Glabrione Cos. An. DCLXXXVI. Ne quis in ſenatu legibus ſolueretur, niſi CC. affuiſſent, neve quis intercederet quum de ea re ad populum ferretur. Aſconius in Cornelianam. quod eò pertinebat, ut eſſet quidē in ſenatus poteſtate dare extra ordinem imperia, legibusq; ſoluere, ſed ita ut poſt ad populum ueteri more de ea referretur. Dio lib. 36.

CORNELIA de iuriſdictione prætorum. Hanc idē, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis tulit, ut eodem loco ſcribit Aſconius: Vt Prætores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent: quæ res tum gratiam ambitioſis Prætoribus, qui variè ius dicere aſſueuerant, ſuſtulit. Dio lib. 26.

CORNELIA de natali Vrbis. Tulit P. Cornelius Dolabella Cos. ſtatim poſt Cæſaris necem, Vt deinceps is dies natalis Vrbis haberetur. Appianus li. De bello ciuil. 2.

CORNELIA de M. Tullio Cic. Tulit centuriatis comitijs P. Cornelius Lentulus, Conſul cum Q. Metello Anno DCXCVII. & cum omnibus magiſtratibus præter unum prætorem Ap. Claudium, P. Clodij fratrem, & duos Trib. pleb. Sex. Attilium Serranum, & Numeriū Quintiū, pridie Non. Sextiles. Vt M. Tullio Ciceroni redire in ciuitatem, venireq; in Senatum liceret. Pro domo, pro Sextio, in Piſonem, in Epiſt. fam. & alibi.

CORNELIA de limitibus. Tulit. Vt per actuarios limites populo ſicut per uiam publicam itineris faciundi ius eſſet. Hyginus in libello De limitibus conſtit.

CVRIA de patrum auctoritate. Tulit M. Curis Tribun. pleb. M. Fuluio, T. Manlio COSS. An. CDLVI Vt ante comitia magiſtratuum, patres auctores fierent. Liuius lib. 10. Cic. De claris orat. Probus De uiris illuſt. idem lege Publilia cautum de comitiis legum fuit.

CVRIATA lex dicebatur olim, quæ in curiatis comitiis de eorum imperio ferebatur, qui in prouincias mittebantur: uidelicet quid cuique imperii, atque ornamēti attribui placeret. Poſtea uerò nō ab uniuerſo populo, ſed a XXX. lictorib. ad ſpeciē atq; uſurpationē uetuſtatis, hoc eſt, ad triginta ueteres curias repræſentandas conſtitutis, iubebatur. Liuius lib. 9. Cic. 2. Agraria in Rullum.

D

DECEMVIRALES de XII. tab. Tulit App. Claudius decemuir, cum collegis, Anno CCCII. Vt leges X. tabularum ratæ eſſent, eisq; populus pareret. His etiam duas eodē anno tabulas addiderunt. Dionyſ. lib. 10. & Liuius lib. 3.

DECIA de duūuiris naualib. Tulit M. Decius Tri. pleb. Iunio, Aemilio Coss. Anno CDXLIII. Vt duumuiros nauales claſsis ornandæ reficiendæq; cauſa populus iuberet. Liuius lib. 9.

DIDIA ſumptuaria. Tulit. App. Claudio, Q. Metello COSS. Anno DCX. Vt uniuerſa Italia, non ſola urbs, lege Fannia ſumptuaria teneretur. Vt non ſoli qui prandia cœnasve maiore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas uocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, pœnis legis tenerentur. Macrob. lib. 3. cap. 17.

DOMITIA de ſacerdotijs. Tulit Cn. Domitius Ahenobarbus Trib. pl. C. Mario III. L. Aurelio COSS. Ann. DCII. ut non ſacerdotum collegia, ut antea, quem uellent cooptarent: ſed populi id beneficium eſſet. cum autem populus per religionē ſacerdotia mandare non poterat, rogauit ut minor pars populi, id eſt, tribus ſeptemdecim uocarentur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur. Sue. Nerone. Velleius libr. 2. Cic. in Agraria 2. epiſt. 5. ad Brutum, & pro Cornelio, & Aſcon. in eandem. Dio lib. 37.

DVILIA de magiſtratibus. Tulit M. Duilius Tri. pl. Valerio, Horatio Cos. Anno CCCIIII. Vt qui plebem ſine Tribunis ple. reliquiſſet, quiq; magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo & capite puniretur. Liuius lib. 3. Dionyſ. lib. 10.

DVILIA Mænia de coitionibus. Tulere de collegij ſenten. M. Duilius, L. Mænius Tribu. pleb. Martio, Mālio Cos. An. CCCXCVI. Ne quis poſtea populum ſeuocaret: qui hoc faxit, capitale eſſet. Liuius lib. 7.

DVILIA Menia de fœnore. Tulere ijdem. Vt fœnus ne maius unciario exerceretur. Liuius lib. 7.

F

FABIA de ambitu. Tulit. Vt certus numerus ſectatorum eſſet, id eſt eorum qui candidatos in cāpū deducerent. Cic. in Muræniana.

FABIA de plagiarijs. Tulit. Vt qui hominem ingenuum uel libertinum inuitum celauerit, uinctū habuerit, emerit ſciens dolo malo, quive in earū quā re ſocius erit, quiq; ſeruo alieno, ſeruæve perſuaſerit, ut a domino dominave fugiat, uel cū eam ve inuito uel inſciente domino dominave celauerit, uinctum habuerit, emerit ſciens dolo malo, quive in ea re ſocius erit: iudicio pœnaq; pecuniaria damnetur. l. pen. & ult. D. ad leg. Fab. Itē ne ſeruus qui plagiū admiſit pro quod dominus pœnā intulit intra decē annos manumittat. l. 12. D. de manu. Cic. pro C. Rabirio, An de ſeruis alienis cōtra legē Fabiā retētis, plura dicēda ſunt? Et Iuriſconſulti in Pandect. item Paulus Sent. 5. cap. 7.

FABIA lex, pro formula dicitur apud Paulum lib. Sent.

Sent. 2. cap. 3. improprie, quum ea lex non fuerit: ſed actionis formula. Similiter autem Cicero Manilianas uenalium uendendorum leges dixit, in lib. De orat. 1. pro Cautiones.

FABIA de terminis. Ea legitur in libro De agrorũ conditionibus his ferè uerbis, quæ paucis quibuſdam locis correximus. Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, forum, conciliabnlum conſtituerit, in eo agro, qui ager intra fines eius coloniæ, municipii, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumani ut fiant, terminique ſtatuantur, curato: quiq; fines ita ſtatuerit, hi fines eorum ſunt, dum ne extra agrum colonicum, territorium fines ducat: quique termini hac lege ſtatuti erunt, ne quis quem eorum eiicito, neve commoueto, ſciens dolo malo: ſi quis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos quos eiecerit, locove mouerit ſciens dolo malo, IIxxv. in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas eſto, deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iuriſdictio, reciperatorumque datio addictio eſto. Si curator hac lege non erit, tũc quicunque magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iuri dicundo præerit, magiſtratus de ea re iuriſdictio iudicisque datio addictio eſto: inque eam rem is qui hac lege iudicium dederit, teſtibus publicè duntaxat in res ſingulas x. denunciandi poteſtatem facito, ita ut è Republica fideque ſua uidebitur. Et ſi is unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo deve bonis eius, primo quoque die exigito, eiusque quod receptum erit partem dimidiam eius cuius unius opera maximè is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito. Quo ex loco terminus aberit, ſi quis in eum locum terminum reſtituere uolet, ſine ſua fraude licet facere: neve quid cui is ob eam rem hac lege damnas eſto.

FALCIDIA de teſtamẽtis. Tulit P. Falcidius Trib. ple. Domitio, Aſinio coss. An. DCCXIIII. Eius hæc quatuor capita memorantur. Qui ciues R. ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamentum facere uolet, ei quem pecuniam quasque res, quibusque dare legare uolet, ius poteſtasque eſto ut hac lege licebit. Quicunque ciuis R. poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique ciui Ro. pecuniam iure publico dare legare uolet, ius poteſtasque eſto, dum ita detur legetur, ut ne minus quàm quartam partem hæreditatis ex eo teſtamento hæredes capiant. Eis quibus ita datum legatum erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto: isque hęres, qui eam pecuniam dare iuſſus damnatusve erit, eam pecuniã debeto dare, quam damnatus eſt. Si quis aliter quã hac lege liceat, pecuniam dederit, legauerit, hæredi quartam partem eius pecuniæ quæ data legata erit, ex eo teſtamento retinere liceto. Paulus l. 1. D. ad leg. Falcid. Euſebius in Chronicis. Dio uerò lib. 48. hoc modo, Vt hæres quartam partem bonorum ſibi relictorum, ſi grauiter oneratus ſit legatis, accipiat: cetera legatariis relinquat.

FANNIA ſumptuaria. Tulit C. Fannius cos. cum M. Meſſala, Anno DXCII. ut ludis Romanis, plebeiis, Saturnalibus, & alijs quibuſdam diebus centenos æris in ſingulos dies impendere liceret: decemque aliis diebus in ſingulis menſibus, tricenos: ceteris autem omnibus diebus, denos. Ne quid uolucrum poneretur, præter unam gallinam quæ non eſſet altilis. Plin. lib. 10. cap. 50. Gellius lib. 2. cap. 24. Macrob. lib. 3. cap. 17. Athenæus aũt lib. VI. extremo eiuſdẽ, legẽ ſic exponit: ἐκέλευε δ' ὁ νόμος, τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι. κατὰ ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγγίνετο. ὀψωνεῖν δὲ πλείονος τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους, οὐκ ἐπέτρεπε. κρέως δὲ καπνιστοῦ δεκαπέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει. καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα.

FAVIA de terminis. Vide Fabia.

FLAMINIA agraria. Tulit C. Flaminius Trib. ple. Aemilio, Poblicio coss. Anno DXXI. Vt ea regio Galliæ, quæ Picenum uocatur, unde Senones expulſi fuerant, militibus Romanis diuideretur. Polyb. lib. 2.

FLAVIA de Tuſculanis. Tulit M. Flauius Tribu. pl. Sulpitio. Aemilio coss. Anno CDXXX. Vt in Tuſculanos animaduerteretur, quorum ope ac conſilio Veliterni, Priuernatesque populo R. bellum feciſſent. Liuius lib. 8. Antiquata. ibid.

FVRIA de Aedilibus ex patrib. creandis. Tulit M. Furius Camillus Dict. Ann. CCCXXCV. Vt duo Aediles ex patrib. crearentur. Liuius lib. 6. in fin.

FVRIA de iure Cãpanorũ. Dedit Campanis L. Furius Prætor. Foslio & Plautio coss. Anno CDXXXV. quum primum Capua in deditionem recepta Præfecti eò miſsi ſunt. Liuius lib. 9.

FVRIA Atilia de Mancino. Tulere L. Furius & Sex. Atilius Trib. pleb. Ann. Vt C. Mancinus quòd ſine ſenatus auctoritate pacẽ cũ Numantinis feciſſet, iis dederetur. Cic. lib. 3. Offi. Epitomæ LVI.

FVRIA de teſtamentis. Tulit C. Furius Trib. pl. Ne cui, niſi manumiſſoris cognato, certisque aliis perſonis ſupra mille aſſes legare, mortisve cauſſa donare liceret: ꝗ ſi quis maiorẽ ſummã ſibi legatam accepiſſet, quadruplum eius quo plus quàm licebat accepiſſet, redderet. Lata eſt aũt (ut ait Iuſtin.) Legis XII. tab. coercendæ cauſſa: qua uti quiſque legaſsit ſuę rei, ita ius erat. Cic. ꝓ Balbo, & Verr. 3. Iuſtinia. De leg. Falcid. Vlp. cap. Inſtit. 2. & 28.

FVRIA Caninia de manumiſsione. Tulere opinor, P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus coss. An. DCCLII. Vt in teſtamento ex tribus ſeruis nõ plures quàm duos manumittere liceat, uſque ad decem, dimidiam partem: à decimo uſque ad triginta tertiã partem, ut tamen adhuc quinq; manumittere liceat, æquè ut ex priori numero, à triginta uſque ad centum, quartam partem, æquè ut decem ex priore numero liberari poſsint; à centum

uſque

uſquè ad quingentos, partem quintam ſimiliter, ut ex antecedenti numero uigintiquinq; poſsint fieri liberi. eademque præcipit ne plures numero quàm centum ex cuiuſquam teſtamento liberi fiant. Eadem lex cauet, ut libertates ſeruis teſtamento nominatim dentur. Hæc ex Inſtitut. Vlp. tit. 1. Paulo Senten. 4. Caii Inſtit.

FVSIA de comitiis. Tulit P. Furius, ſiue Fuſius Conſul cum Sex. Atilio, Anno DCXVII. Vt certis diebus, qui tamen faſti eſſent, agi cum populo non liceret. Cic. in Sextiana, In orat. poſt reditum, De prouinc. conſul. & alibi frequentiſsimè. Latam illo tempore Cicc. in Piſoniana teſtatur: qui centũ annis dixit, pro circiter centum annos.

FVSIA de comitiis. Tulit Q. Fuſius Calen. Prętor, C. Cæſare, M. Bibulo coss. An. DCXCIIII. Quum in Tributis comitiis omnium ſimul ſuffragia confunderentur, itaque fieret, ut ſingula genera de ſuffragiorum euentu ſic inter ſe contenderent, ut quod rectè ſtatutum eſſet, id ſuo ſuffragio factum dicerent, quod ſecus, in alios reiicerent: Tulit, Vt ſingula genera ſuffragium ſeorſim ferrent, quo ſententiæ internoſci poſſent. Hoc modo ſingulorum generum ſuffragia ſeorſim renunciabantur. Dio lib. 38.

G

GABINIA de nocturnis cœtib. Tulit, Vt qui conciones ullas clandeſtinas in urbe conflauiſſet, more maiorũ capitali ſupplicio multaretur. Ex orat. Proc. Latronis in Catil.

GABINIA de ſuffragiis. Tulit A. Gabinius Trib. pleb. Piſone, Popilio coss. Anno DCXIIII. Vt comitiis quibus magiſtratus crearentur, populus non uoce, ſed tabella ſuffragium ferret. Et quo id liberius eſſet, cautũ eſt, Ne quis inſpiceret tabellã ne rogaret, ne appellaret, ita ab omni parte liberũ iudiciũ ſuũ in magiſtratibus creandis populus haberet. Cic. De legib. lib. 3. Et in lib. De amicit.

GABINIA de piratis perſequendis. Tulit A. Gabinius Trib. pl. Metello, Marcio coss. Anno DCLXXXV. Vt bellum aduerſus piratas Cn. Pompeio in triennium ita mandaretur; Vt toto mari quod eſt intra columnas Herculis, & in maritimis prouincijs uſque ad quadrigenteſimũ à mari ſtadiũ poteſtatem haberet imperandi regibus, pręſidibus, ciuitatibus, ut ſe rebus omnibus ad eius belli adminiſtrationem neceſſarijs iuuarent. Pædian. in Cornel. Velleius lib. 2. Dio lib. 38. Plutarchus in Pompeio, & Cicero De lege Manilia. & in Orat. poſt redit. in Senat. Appian. in Mithridat.

GABINIA de ſenatu habẽdo. Tulit, Vt ex Cal. Feb. ad Cal. Martias quotidie Senatus cogeretur, & legatis exterarum nationum daretur. Cicero in Epiſt. ad Q. Frat. lib. 2. ep. 1 t.

GABINIA de uſuris. Tulit, Ne ius diceretur de ijs pecunijs quæ uerſura factæ eſſent ſumptæ. ne ſcilicet prouinciales homines à Romanis exhaurirentur, ne grauior uſura quàm centeſima exigeretur. ſed & præter amiſſam ſortem certam pœnam ſanciebat. Cic. lib. Epiſt. ad Attic. 6.

GELLIA & Cornelia de ciuitate. Tulere L. Gellius Publicola, Cn. Cornelius Lentulus coss. Anno DCLXXXI. Vti ciues Ro. ſint ij, quos Cn. Pompeius de conſilij ſententia ſingulatim ciuitate donauerit. Cic. pro Balbo.

GENVTIA Aemilia de clauo pangendo. Tulere ex S.C. Cn. Genutius, L. Aemilius coss. Anno CCCXC. Vt, qui Prętor maximus ſit, Idibus Septemb. clauum pangat. Liuius li. 7. ubi addit, Legem ætate ſua fuiſſe priſcis literis uerbiſque ſcriptam, clauumque quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe, eoque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerua inuentus ſit.

GENVTIA de fœnore. Tulit L. Genutius Trib. pl. C. Martio IIII. Q. Seruilio coss. Anno CDXI. Ne fœnorare liceret. Liuius lib. 7.

GENVTIA de magiſtratibus. Tulit idem Marcio, Seruilio coss. An. CDXI. Ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet, neu duos magiſtratus uno anno gereret, utique liceret, Conſules ambos Plebeios creari. Liuius lib. 7.

GLITIA de teſtamentis. Citatur Caius ad legem Glitiam in l. 4. D. de inoff. teſt. Mendosè meo iudicio: quum Glitia non nomen, ſed cognomen ſit, ut ex Faſtis intelligitur, à coss. latam, Dionyſ. 461. ubi M. Claudius Glitia Dictator An. DIIII. proditur. Videndum igitur an Titia rectius legeretur, quæ de pupillorum rationibus lata eſt, quò Caij ſententia pertinet.

H

HIRCIA de Pompeianis. Tulit A. Hircius, Vt Pompeiani ad dignitates non admitterentur. Ex epiſt. Anton. Philipp. 13.

HORATIA Valeria de plebiſcitis. Tulere L. Valerius, M. Horatius coss. An. CCCIIII. Vt quod tributim plebs iuſsiſſet, populum teneret. Liuius lib. 3. Dionyſ. 11. Quod poſtea lege Hortenſia, & Publilia confirmatum eſt.

HORATIA de magiſtratibus ſacroſanctis. Tulit idem. Vt qui Trib. pl. Aedilibus, iudicib. nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet: familia ad ædem Cereris, Liberi Liberæque, uenum iret. Liuius li. 3. Diony. lib. 5.

HORATIA de Caia Tarratia, uirgine Veſtali. Tulit, Vt certi honores ei tribuantur, in his ut teſtabilis eſſet, Vt ſi quadraginta annos nata ſacerdotio abire, ac nubere uoluiſſet, ius ei poteſtasque exaugurãdi atque nubendi eſſet: munificentiæ & beneficij gratia, quòd cãpũ Tiberinũ, ſiue Martium populo Ro. cõdonaſſet. Gellius lib. 6. cap. 7. Plutarchus in Publicola, ubi eam Tarquiniã appellat.

Hortensia de nundinis. Tulit. Vt nundinæ quæ prius erant feriæ, faſtæ eſſent: uti ruſtici, qui nundinandi cauſſa in urbem ueniebant, lites componerent. Macrob. lib. Satur. 1. cap. 16.

Hortensia de plebiſcitis. Tulit Q. Hortenſius, Dictator ſeditionis ſedandæ cauſſa creatus, Anno CDLXVII. Vt eo iure quod plebs ſtatuiſſet omnes Quirites tenerentur: quum antea Patritij non tenerentur. Gell. lib. 15. cap. 27. Plin. lib. 16. ca. 10. Auguſt. li. 3. De ciuit. Dei, ca. 17. quod poſtea lege Publilia confirmatum eſt.

Hostilia de furtis. Tulit A. Hoſtilius Conſul cũ A. Atilio, An. DLXXXIII. Vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reip. cauſſa abeſſent, quive in eorũ cuius tutela eſſent. Iuſtinianus De ijs per quos ag. poſſ. Hinc illę Hoſtilianæ actiones, id eſt, formulæ apud Ciceronẽ lib. De orat. 1. ubi de militis teſtamento agitur.

I

Icilia de Auentino. Tulit L. Icilius Tribu. pleb. M. Valerio, Sp. Virginio coss. Anno CCXCVII. Vt Auentinus mons plebi ad ędificia cõcederetur. ὅσα μὲν ἰδιῶταί τινες εἶχον ἐκ δικαίου κτησάμενοι, ταῦτα τοὺς κυρίους κατέχειν. ὅσα δὲ βεβιασάμενοί τινες ἢ κλοπῇ λαβόντες ᾠκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι. τὰ δὲ ἄλλα ὅσα ἦν δημόσια, χωρὶς ὠνῆς τὸν δῆμον παραλαβόντα διελέσθαι. id eſt, Quæ priuati quidam iure quæſita poſsidebant, ea pro domino poſsiderent: quæ uerò uel ui, uel clàm accepta ædificijs occuparāt, ea recuperatis impenſis quas arbitri ſtatuiſſent, populo redderent. cetera uerò quæ publica eſſent, ea populum ſine precio recipere, & inter ſe diuidere. Dionyſ. libro 10. & Liuius lib. 3.

Icilia de Tribunis ple. Tulit Sp. Icilius Tribu. pleb. T. Gegano, P. Minutio coss. An. CCLXI. Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ, μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβείτω τὸν λόγον. ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, διδότω τοῖς δημάρχοις ἐγγυητάς, αἰτηθεὶς εἰς ἔκτισιν ἧς ἂν αὐτῷ ἐπιτῶσι ζημίας. ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν, θανάτῳ ζημιούσθω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω. τῶν ἀμφισβητούντων πρὸς ταύτας τὰς ζημίας αἱ κρίσεις ἔστωσαν ἐπὶ τοῦ δήμου. id eſt, Tribuno ad populum concionanti, nę quis contradicito, neve eum interpellato. Qui contrà faxit, prædes Tribunis dato ſe multam quam ipſi irrogabunt ſoluturum. qui prædes non dederit, capital eſto: familiaque eius ſacra eſto. Si quid ei in multis controuerſiæ, populi iudicium eſto. Dionyſ. lib. 7.

Ivlia de prouinciis. Tulit C. Iulius Cæſar Conſul cum Bibulo, DCXCIIII. Vt Achaia, Theſſalia, cũcta Gręcia liberæ eſſent, neque in ijs magiſtratibus pop. R. ius dicere liceret. Cic. Pro domo ſua, in Piſon. & de prou. Conſul. Item ut magiſtratibus tranſeuntibus, eorumque comitibus fœnum aliaque ab oppidis & uicis ſubminiſtrarentur. Ad Att. lib. 5. & in Piſon. Item duabus in ciuitatibus prouinciæ ſuæ Magiſtratus decedentes rationes ſuas relinquerent: eaſdemque totidem uerbis ad ærarium referrent. Cic. Epiſt. fam. libro 5. ep. 20. in Piſon. Item, Ne coronarium aurum ijs qui pro uincias obtinerent, uel decerni, uel ab ijs accipi liceret, niſi decreto triũpho. Cic. in Piſon. Ne quis aut de prouincia exercitus deduceret, aut bellum ſua ſponte in iuſſu pop. aut Senatus gereret. in Piſonem.

Ivlia agraria. Tulit idem eodem tempore. Vt ager Stellas, maioribus conſecratus, item Campanus ad ſubſidia Reip. uectigalis relictus plebi diuiderentur. Diuiſit extra ſortem XX. mill. ciuium quibus terni pluresque liberi eſſent. Velleius lib. 2. Plutarch. in Pomp. & in Cæſar. & in Cat. Vtic. Dio 38. Aliam præterea Calliſtratus commemorat in l. 3. D. de term. mot. Vt qui terminos ſtatutos extra ſuum gradum fineſve dolo malo mouerint, in ſingulos terminos quos eiecerint, loco ve mouerint, quinquaginta aureos dare in publicũ damnenť: eiusq; rei actio petitio ei qui uolet deť.

Ivlia de ui. Tulit idem. Vt ei qui de ui damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cicero Philip. 1.

Ivlia maieſtatis. Tulit idem. Vt ei qui maieſtatis damnatus eſſet, aqua & igni interdiceretur. Cic. Philip. 1.

Ivlia iudicaria. Tulit idem. Vt iudicia ad duo genera iudicum redigerentur, equeſtris ordinis & ſenatorij. Tribuni uerò ærarij, quod erat tertium, tollerentur. Suetonius in Cæſare. Meminit Gellius lib. 14. cap. 2. Dio lib. 43.

Ivlia de ſacerdotijs. Tulit idem. Vt in cooptãdis ſacerdotibus etiam abſentium ratio haberetur. Patet ex lib. 1. epiſt. ad Brutum.

Ivlia repetundarum. Tulit idem, ut ex Vatiniana & Sextiana intelligitur. Ne cui, qui in prouincia cum poteſtate, imperiove eſſet, pecuniam capere, conciliare liceret: extrà quàm ſi ad templum monimentũque capiat. Cic. ep. 1. ad Q. frat. & epiſt. 1. libri VI. ad Attic. ut ab ijs exigeretur pecunia, ad quos ea quam is ceperit qui damnatus ſit, peruenerit. ut tranſeuntibus magiſtratibus eorumque comitibus fœnum aliaque ab oppidis & uicis ſubminiſtrarentur. Vt ijdem quum de prouincia decederent, rationes in prouinciæ duabus ciuitatibus quæ ipſis maximè uiderentur relinquerent, & totidem uerbis ad ærarium referrent. Ne qui cum imperio eſſent, iniuſſu populi aut ſenatus de prouincia exirent, exercitum educerent, bellum ſua ſponte gererent, in regnum alienum accederent. Cic. pro pôſthumo. In epiſt. lib. 5. ep. 20. & in Piſoniana. Item, Ne quis in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, uel quo alio officio, munere, miniſteriove publico, quive ex cohorte euius eorum eſt, pecuniam ob iudicandum, decernendumve accipiat, uel quo magis aut minus quid ex officio ſuo faciat: ne quis ob militem legendum, mittendumve, æs accipiat: neve quis ob ſenten-

ob ſententiam in ſenatu conſiliove publico dicendam, pecuniam accipiat uel ob accuſandum, uel non accuſandum, utq; urbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineant: neve plus doni muneris in anno accipiant, quàm quod ſit aureorum centũ: ne quis ob iudicem, arbitrumve dandum, mutandum, iubendumve ut iudicet: neve ob non dandũ, non mutandum, non iubendum ut iudicet: neve ob hominem in uincula publica conijciendum, uinciendum nincirive iubendum, exve uinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, abſoluendumve: neve ob litem æſtimandam, iudiciumve capitis pecunięve faciendum, uel non faciendum aliquid accipiet. neve in acceptum feratur opus publicum, frumentum publlcè dandum, præbendum, approbandum, ſarta tecta tuenda, antequam perfecta probata, præſtita lege erũt. ut uenditiones locationes eius rei cauſa pluris minorisve factæ, irritæ ſint: neve uſu capl ea res poſſit, priuſquam in poteſtatem eius a quo profecta ſit, hæredisve eius ueniat. Hæc ex Pandectis.

Ivlia de ſacerdotijs. Tulit idem. Vt abſentis haberi rationem liceret. Cic. Ep. 5. ad Brutum.

Ivlia de prouincijs. Tulit idem Dictator. Ne prouinciæ prætoriæ plus quàm annũ, neu plus quàm biennium Conſulares obtinerentur. Cic. Philipp. 1. & 3. & 8. item Dio lib. 43.

Ivlia de legibus Cæſaris. Tulit idem. Vt ei qui in ſuas leges non iuraſſet, capitale eſſet. Appianus De bell. ciuil. 2.

Ivlia de fœnore. Tulit idem. Vt diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebrò mouebatur, debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſsionum, quanti quaſq; ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet: qua conditione quarta ferè crediti deperibat. Sueton. in C. Cæſare. Cæſar lib. 3. De bello ciuili. Eadem de modo credendi poſsidendiq; intra Italiam cauebatur. Tacitus lib. 5.

Ivlia de colonijs. Tulit idem. Vt ager Companus uiginti millib. ciuium extra ſortem diuideretur eoq; colonia deduceretur. Sueton. Iulio, & Auguſto.

Ivlia de ui publica & priuata. Tulit C. Iul. Octauius Auguſtus, in eos qui uim armis aut ſine armis feciſſent. Hoc. n. eſt uim publicam, aut priuatam admittere. Florus Epit. c x x. Suet. in eius uita. Hanc legem Iuliam publicorum & Iuliam priuatorum appellat Vlp. in l. ſi præſes, x x x i i. D. De pœnis. & l. 1. D. unde ui. Eadẽ præterea lege cauebatur, ne rem ui poſſeſſam uſu capere liceret. l. 33. §. 2. D. de uſurpat.

Ivlia maieſtatis. Tulit idem. Qua tenetur is cuius opera dolo malo conſilium initum erit, qua obſides iniuſſu principis interciderent. qua armati homines cum telis lapidibusve in urbe ſint, conueniantve aduerſus rempublicam, locave occupentur uel templa. quave cœtus conuentusve fiat, homines ve ad ſeditionem cõuocentur. cuiusve opera, conſilio, dolo malo conſilium initum erit, quo quis magiſtratus populi Romani, quive imperiũ poteſtatemve habet, occidatur. quave quis cõtra Rempublicam arma ferat. quive hoſtibus populi Romani nuncium, literasve miſerit, ſignumve dederit, feceritve dolo malo, quo hoſtes populi Romani conſilio iuuentur aduerſus rempublicam. quive milites ſollicitauerit, concitaueritve, quo ſeditio, tumultusve aduerſus rempublicam fiat. Quive de prouincia cum ei ſucceſſum eſſet non diſceſsit. aut qui exercitum deſeruit, uel priuatus ad hoſtes perfugit. quive ſciens falſum conſcripſit, uel recitauerit in tabulis publicis. nam & hoc capite primo lege maieſtatis enumeratur. Quive in bellis ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra cõceſſerit. quive iniuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit. quive cum ei in prouincia ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori non tradidit. quive imperium exercitumve populi Romani deſeruerit. quive priuatus pro poteſtate magiſtratuve quid ſciens dolo malo geſſerit. quive quid eorum, quæ ſuprà ſcripta ſunt, facere curauerit. Cuiusq; dolo malo iure iurando quis adactus eſt, quo aduerſus rempublicam faciat, cuiusve dolo malo exercitus populi Romani in inſidias deductus, hoſtibusve proditus erit: factumve dolo malo cuius dicitur, quo minus hoſtes in poteſtate pop. Romani ueniant. cuiusve opera dolo malo hoſtes populi Romani cõmeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qua re adiuti erunt. utve ex amicis hoſtes pop. Ro. fiant. cuiusve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo R. minus obtemperet. cuiusve opera dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, iumenta hoſtibus populo Roman. dentur aduerſus. rempublicam. Item qui confeſſum in iudicio reum & propter hoc in uincula coniectum emiſerit.

Ivlia de ambitu. Tulit idem. Vt qui petiturus magiſtratum, uel prouinciam, uel ſacerdotium turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſeruos aduocauerit, aliamve quam multitudinem conduxerit, conuictus ut uis publicæ reus in inſulam deportetur. Suet. in Aug. Paulus Sent. 5. c. 32. & Iuriſcõſ. in Pand. Diuerſum tamen Dio tradit lib. 56. Vt qui magiſtratum ambijſſent, quinquennium a magiſtratibus arcerentur, quod ipſum Zonaras lib. 11. ſecutus eſt.

Ivlia de maritandis ordinibus. Tulit idem. Vt priori ex conſulibns faſces ſumendi poteſtas ſit, qui plures liberos quàm collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit: ſed ſi par utrique numerus liberorum eſſet, maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præferatur: ſi uerò ambo & mariti & patres totidem liberorum ſunt, tum ille priſtinus honos inſtauretur, & qui maior

natu eſt,prior faſces ſumat.Gell. lib.2.cap.15.Vt ne cœlibes, neve orbi ex ciuium Ro. teſtamento quicquam caperent.l.ſi his qui hæres, D.de uulg. & pup. l.1.C.De infir. pœn. Cel. & Tertul.in li. De monogamia.Vt fœminę a morte uiri,anni ſpacium:a diuortio, ſex menſium liberum a cœlibatus pœna obtinerent. Vlp.tit.14.Vt quæ ad cœlibes teſtamento ciues R. peruenirent, eorum pars decima ad ærarium pertineret. Vt ſi in liberta ab inuito patrono diuerteret, alij nubere inuito patrono non poſſet. Vt iuſiurandum quod liberto impoſitum eſt, ne uxorem ducat, ei remittatur. l.6.§.3.De iure pat.l.1.D.de und.mr.& ux. Ne ſenatores, eorumve liberi, libertinas & quæ ipſæ, quarumve pater materve artem ludicram fecerit, item ex numero corpore quæſtum facientium uxorem ducant, Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, a lenone lenave manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & iudicio publico damnatam,& quæ artem ludicram fecerit.Paulus l.44. D. de ritu nupt. Marcianus autem in l.19. eod. ſcribit, caput trigeſimumquintum fuiſſe,Vt qui liberos quos habent in poteſtate,iniuria prohibuerint uxores ducere,uel nubere, a magiſtratibus cogantur in matrimonium collocare, & dotare. Vt patritijs liceret libertinas uxores ducere:præterquam ſi ſenatores, ſenatorumve liberi eſſent,ne qua ſponſalia rata eſſent, niſi ſtatim exacto biennio nuptiæ fierent: hoc eſt,ne puellæ decem annis minores, quarum annus ætatis duodecimus maturus coniugio habebatur. Zonaras li.11.

Ivlia de uiceſima. Tulit idem. Vt quæ hæreditates, legata & donationes mortis cauſſa ad alienos, aut locupletes peruenirent; earum pars uiceſima ad fiſcum pertineret. Vt teſtamenta ĩ municipijs, colonijs,oppidis,præfectura,uico,caſtello, conciliabulo facta,in foro uel baſilica,præſentibus teſtibus uel honeſtis uiris, inter horam ſecundam & decimam diei recitentur, exemploq; ſublato ab ijſdem rurſus magiſtratibus obſignato, quorum præſentia conſtat apertum. Vt teſtamentum ſtatim poſt mortē teſtatoris aperiatur.hoc eſt a præſentibus intra triduum uel quinq; dies: ab abſentibus quoq; ĩtra eos dies,cũ ſuperuenerit. Vt teſtes, uel maxima pars eorũ adhibeantur, qui ſignauerint teſtamentum,ita ut agnitis ſignis, rupto lino aperiatur & recitetur, aque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in Archiuum redicatur, ut ſi quando exemplum eius interciderit ſit unde peti poſsit.Dio lib. 38.& Paul.Sent.4.tit.6.

Ivlia de iudicijs.Tulit idem,qua formā iudiciorũ tum publicorũ tum priuatorũ pręſcripſit.Gellius li.14.ca.2.Vt qui nomen alicuius deferrent,locũ, annũ,& menſem,quo crimen admiſſum erit, deſignent.l.3.De accuſat.Ne eodē tēpore, de duobus reis quis quæreretur, niſi ſuarũ iniuriarũ cauſſa.l. 12.eod. Ne inuito denunciet,ut teſtimoniũ dicat aduerſus ſocerũ,generũ,uitricũ,priuignum,ſobrinum,ſobrinā,ſobrino natũ, eosve qui priore gradu ſint.item ne liberto ipſius,liberorũ eius, parentũ,uiri,uxoris:itē patroni, patronæ.& ut ne patroni patronæ aduerſus libertos, neq; liberti aduerſus patronũ cogantur teſtimoniũ dicere. l.IIII. D.De teſtib. Vt inter priuatos qui in iudicem conſenſiſſent,iuris dicendi ei iudici poteſtas eſſet.l.3. §.1.D.de iudic.Ne qui iudex ſit,arbitriũ recipere eius rei de qua iudex eſt, inve ſe promitti iubeat l.9. De arbitr. Ne minor annis uiginti iudicare cogatur.l.cũ lege XLI.D.De arbit. Vt Saturnalibus triduo feriæ ſeruarentur. Macrob. lib.1.ca.X.Eadē etiā latũ opinor, ut certus patronorũ numerus eſſet.Meminit Aſconius in argumēto pro Scauro.

Ivlia Caducaria.Tulit,opinor, idē:& eiuſdē legis hæc duo fuere capita. Vt ſi nemo ſit ad quem bonorũ poſſeſsio pertinere poſsit: aut ſit quidē, ſed ius ſuũ omiſerit,bona publicentur. Vlp.ca.Inſtit. 28.Idē l.4.§.eodē, D.de fideic.lib.Qua re & ſi caducarijs legib.bona delata ſint,idē erit probandũ. Sic enim locũ hunc nobis reſtituit Iacob. Cuiatius,uir acri ingenio,eximiaq; doctrina præditus. Eandem legē Iuliā ſignificat Iulianus leg.XCVI. §.1.De legat.& fid.lib.1.

Ivlia de adulterijs. Tulit idē.Si quis ſtuprũ adulteriumq; faceret,ſciens,dolo malo.Suet.in Auguſt. & Iuriſconſulti tit.ad leg.Iuli.de adult. Cornelius Tacitus lib.2.Huius caput etiā hoc fuit, Ne maritus dotale prædium inuita uxore alienet: neve id etiā eius uoluntate oppigneret.Paulus lib.Sent.2. ca.22.& Iuſtin.ſub tit.Quib.alien.licet.

Ivlia Theatralis.Tulit idē.Vt equitibus Ro:quib. ipſis parentibusve equeſter cenſus unquā fuiſſet, in quatuordecim ordinibus lege Roſcia Theatrali conſtitutis conſidere liceret. Sueton.Auguſto. Plin.lib.33.cap.2.

Ivlia ſumptuaria.Tulit idē.Vt profeſtis diebus ducentos numos in conuiuijs conſumere liceret: Calendis,Idibus, Nonis, & alijs quibuſdam feſtiuis trecentos, nuptijs autem & repotijs H——S. millies.Gellius lib.2.cap.24.

Ivlia de manumiſsionibus.Tulit idem. Vt Imperator, cum ſeruum manumittit,non uindictam imponat:ſed ſimpliciter liberum eſſe iubeat. Paulus l.apud eum,14.D.de manumiſs.Qua lege tam manumiſſoris quàm manumiſsi ætatem definiuit, iuraq; quibus patroni aduerſus libertos uterentur conſtituit.Dio lib.55.

Ivlia de ueneno.Nominatur a Sueton.in Nerone,

Ivlia peculatus.Tulit idem.Ne qui ex pecunia ſacra,religioſa, publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem ſuam uertat: neve faciat quo quis auferat,intercipiat. uel in rem ſuam uertat: niſi cui utique lege licebit:neve quis in aurum, argentũ, æs publicũ quid indet, neve immiſceat: neve quo quid indatur,immiſceatur,faciat ſciēs dolo malo.

quo

quo id peius fiat. Vlpia, l. 1. D. eod.

VLIA de reſiduis. Tulit idem. Ne quis eam pecuniam quæ in uſum publicum erogari, uel in ærarium inferri debuit, priuatim retineat. L. 2. D. ad leg. Iul. pecul.

IVLIA de ciuitate. Tulit Sex. Iul. Cæſar cos. cum L. Martio, Ann. DCLXII. Vt ciuitas ſocijs & Latinis omnibus daretur, qui quidem fundi populi facti eſſent. Cicero pro Balbo, Gellius libro 4. ca. 4. & Appianus De bello ciuili lib. 1. & Eutropius.

IVLIA Titia de tutoribus. Tulere. Vt prouinciarũ præſides mulieribus pupillisve tutores non habentibus, tutores darent. Iuſtin. De Attil. tut. & Vlp. ca. Inſt. 11.

IVLIA de ceſsione bonorum. Tulit. Vt qui ſine dolo ſuo malo æri alieno ſatisfacere non poſſet, bonis ſuis cedendo liberaretur. L. 4. C. Qui bon. ced. poſſ. & in Cod. Theodoſiano lib. 4. tit. Qui bonis ex lege Iulia cedere poſsint.

IVLIA & Sempronia de limitibus. Tulere. Vt per actuarios limites populo eundi ius eſſet ſicut per uiam publicam. Hyginus in libello, De limitib. cõſtit. Apud Frontinum autem Tiberij Cæſ. conſtiſtitutio legitur, ex qua hæc ſumpſimus. Eſt & aliud monumentum quod non longè ab ædibus uel itinere publico cõſtitutum: id eſt iuxta legem Semproniam & Iuliam, quod cardinibus & Decumanis conſtitutum eſſe monſtratur. quod rationem finium recipere uidetur: id eſt, concurrentiũ linearum atque ſecantium ſe inuicem, & ordinem in utroque cuſtodit, limitum rationem diſcernens.

IVLIA Miſcella de teſtamentis. Tulere. Vt coniugi ſuperſtiti legatũ ſibi a demortuo ea lege ne iterũ nuberet, ita capere ius eſſet, ſi intra annum iuraret ſe liberorum quærendorum cauſſa uelle nubere. Iuſtin. in tractatu de indicta uiduitate, & lege Iulia Miſcella tollenda. lib. Cod. 6. tit. XL. & Nouel. conſt. 22. ubi Iuſtinia. Iulium Miſcellam huius legis auctorem contra omnia antiquitatis exempla, & falsò (mea quidem opinione) nominat, quin etiam quòd eodem loco L. Mutium Scæuolam ſcribit legi cautionem appoſuiſſe, ut anno præterito coniunx aliter legatum capere nõ poſſet, quàm ſi cautionem dediſſet, ſe ad ſecundas nuptias non peruenturam: falſum opinor: ſed ita cautionem interpretor, ut ad hoc quoque negotium, Mutianæ cautionis uſus adhiberetur.

IVLIA Plautia de uſucapionibus, Vide, Iulia de ui, & Plautia de ui. Ne res ui poſſeſſas uſucapere ullo tẽpore liceret. Iuſtin. De uſucap. lib. Inſtit. 1.

IVNIA de Regio, & Conſulari imperio. Tulit L. Iunius Brutus ſolus Conſul: Anno CCXLIII. Vt imperium Tarquinio abrogaretur, Vt ipſe idem cũ coniuge ac liberis, itemq; omnes Tarquiniæ gentis exularent: Vt capitale eſſet ſi quis de ijs reuocãdis mentionem faceret: ut Regio imperio abrogato, Conſules duo regia poteſtate quotannis comitijs centuriatis a populo crearentur. Dionyſius libro 4. Liuius libro 2.

IVNIA de Trib. ple. Vide Sacrata.

IVNIA Licinia, de legibus. Tulere D. Iunius, & L. Licinius coss. An. ab Vrbe condita, DCXCI. Vt leges trinundino antè promulgarentur, quàm ad populum ferrentur. Cic. Philip. 5. Epiſt. ad Att. 1. & 4. & Vatiniana interrogatione, pro Domo ſua.

IVNIA Norbana de Libertinis. Tulere M. Iunius Silanus, L. Norbanus Balbus COSS. Anno DCCLXXI. Vt ij ſerui qui neq; cẽſu, neque uindicta, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, nõ ciues Romani, ſed eodem iure, quo Latini coloni eſſent. Vt ſi Latinus ciuem Romanam, uel Latinã uxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quòd liberorum quærendorum cauſſa uxorem duxerit, poſtea filio filiave nato natave, & anniculo facto poſſit apud Prætorem uel Præſidem prouinciæ cauſſam probare, & fieri ciuis Romanus, tã ipſe quàm filius filiave eius & uxor, ſcilicet ſi & ipſa Latina ſit. Vt Latinorum legitimæ ſucceſsiones nullæ prorſus eſſent: ſed eorum bona manumiſſores, tanquam ſeruorum peculia ſibi haberent. Vt liberti ius ciuitatis Ro. non antè haberent, quàm ius aureorum annulorum, aut natalium reſtitutionem a principe impetraſſent. Vlp. in Inſtit. tit. 3. Iuſtin. §. v. De ſucceſſ. lib. Idem Nou. LXXVIII.

IVNIA Vellea de hæredum inſtitutione. Tulere. Vt qui teſtamentum faceret, is omnem uirilis ſexus qui ei ſuus hæres futurus erit cum naſceretur, inſtituendi, exhæredandive poteſtatem haberet, etiãſi uiuo teſtatore naſcerentur. item, Vt ſi quis ex ſuis hæredibus ſuus hæres eſſe deſineret, liberi eius & ceteri in locum ſuorum ſui hæredes ſuccederent. Scæuola l. gallus, 39. De lib. & poſthum.

IVNIA Petronia de libertate. Tulere C. Iunius Cæſonius, Petronius Turpilianus coss. An. DCCCXIII. Vt ſi diſſonãtes pares iudicũ exiſtãt ſententiæ, pro libertate, pronũcietur. Hermoge. l. 24. D. De manum. Ab eodem quoq; Petronio lex Petronia de ſeruis infrà ſuo loco numeratur.

L

LABIENA de ſacerdotijs. Tulit T. Labienus Trib. ple. Cic. Antonio coss. Anno DCXC. Vt ius creandorum ſacerdotum penes collegia eſſet ex ueteri lege Domitia, quam lex Cornelia abrogarat. Dio lib. 37.

LAETORIA de minorib. Tulit. Itẽ, Vt curatores darẽtur, qui eos circũſcripſiſſẽt, iudicio publico tenerent. Ci. De off. 3. De nat. deorũ. 3. & Capitol. in Anton. Philoſ. Ne a minorib. uigintiquinq; annis ſtipulari liceret; hoc eſt, ne ſtipulatiõe obligari poſſent. Suetonius ĩ quarto Prætorũ, apud Priſcianũ lib. 8. Et hoc illius caput meo iudicio Plautus ſignificat in Pſeudolo, ubi Callidorũ adoleſcentẽ ſic loquentẽ facit: Nimis ſum miſer; numum nuſ-

quam reperire argēti queo. Ita miſer & amore pereo, & inopia argentaria. Perij, an nō?tum lex me perdit quina uicenaria, Metuunt credere omnes.

LICINIA de fœnore. Tulit idem Furio, Clœlio, &c. Trib. mil. An. CCCLXXVI. Vt deducto eo de capite, quod uſuris per numeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolueretur. Liuius lib. 6.

LICINIA de magiſtratibus è plebe creandis. Tulit idem. Ne tribunorum militum comitia fierent, ſed Conſulum, & utique alter ex plebe crearetur. Liuius libro ſexto.

LICINIA agraria. Tulit C. Licin. Stollo Trib. ple. Aemilio, Valerio, &c. Tribun. mil. Anno CCCLXXVII. Ne quis plus quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris poſſideret, Varro lib. de re Ruſt. 1. Columell. lib. 1. cap. 3. Liuius lib. 6. Appia. De bellis ciuilib. 1. Gellius lib. 20. cap. 1. Vallerius libro 8. capite 6. Plinius libro 18. capite 3. Velleius libro 2. Plutarchus in Camillo & in Gracchis.

LICINIA ſumptuar. Tulit P. Licinius Craſſus Diues cos. cum Cn. Lentulo, Anno DCLVI. Vt Calendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes edundi cauſſa eo ſumere liceret. nuptijs ducenos. ceteris uero diebus qui excepti non eſſent, tricenos: quū & carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo libram conſederet. quod autem è terra, uite arbore ve natum eſſet, id impunè conſumere liceret. Macrob. lib. 3. cap. 17. Gell. lib. 2. ca. 24. Cic. lib. 7. epiſt. ad Gallum, ep. 27. Et Feſtus, Centenariæ cœnæ dicebantur, in quas lege Licinia non plus centuſſib. præter terræ nata impendebatur, id eſt, centum aſſibus, qui erant breues numi ex ære.

LICINIA de ludis Apollinaribus. Tulit. P. Licin. Varus Prætor, Vrb. Claudio, Quinctio coss. An. DXLV. Vt ludi Apollinares qui die incerta fiebāt, in perpetuum in ſtatam diem uouerentur. itaque ipſe primus ita nouit, fecitq́; ante diem tertiū nonas Quintiles. is dies deinde ſolennis ſeruatus. Liuius lib. 27.

LICINIA Caſsia de bello Perſei. Tulere Licin. Caſſius, coss. An. DXXCII. Vt quòd Perſeus Philippi filius Macedonum rex aduerſus fœdus cum patre Philippo ictum, & ſecum poſt mortem eius renouatum, ſocijs populi R. arma intuliſſet. agros uaſtaſſet, urbesq́; occupaſſet, quodq́; belli parandi aduerſus populum R. conſilia iniſſet, arma, milites, claſſem eius rei cauſſa comparaſſet: ut niſi de ijs rebus ſatisfeciſſet, bellum cum eo iniretur. Liuius libro 42.

LICINIA Caſsia de tribunis militum. Tulere ijdem coss. Ne tribuni militum eo anno ſuffragijs crearentur, ſed Conſulum Prætorumq́; in ijs faciendis iudicium arbitriumq́; eſſet. Liuius lib. 42.

LICINIA & Mutia de peregrinis. Tulere L. Licinius Craſſus, & Q. Mutius Scæuola coss. Anno DCLVIII. Vt ſocij Latini, Romanæ ciuitatis iure priuati, ſuas in ciuitates redigerentur. Aſcon. in Cornelianam. & pro Scauro. Cic. in Bruto, & lib. De offi. 3. De orat. 2. pro Corn. Balbo. & pro Sextio. Appianus lib. 1.

LICINIA de ſodalitijs. Vt in ſodalitijs iudices ab accuſatore ex tribubus ederentur. Cic. in Orat. pro Plancio, & lib. Famil. epiſt. 8.

LICINIA Aebutia de legulatoribus. Tulere. Vt ne ei qui legem de curatione poteſtateve aliqua tulerit, eiusve collegis, cognatis, affinibus ea poteſtas euratione mandaretur. Cic. in Orat. 2. contra Rullum, & in orat. Pro domo ſua.

LICINIA rogatio de ſacerdotijs. Promulgauit Q. Licinius Craſſus, ut ſacerdotum cooptatio ab ipſorum collegio ad populum transferretur. Cic. in Lælio.

LICINIA Iunia de legibus. Vide Iunia Licinia.

LIVIA de Colonijs deducendis. Tulit M. Liuius Druſus Tribun. pleb. Domitio, Fannio coss. Anno DCXXXI. Vt duodecim coloniæ deducerentur, & ſingulis tria ciuium millia aſsignarentur. Plutarch. in Gracchis.

LIVIA de ſocijs Latini nominis. Tulit idem. Ne quem Latini nominis uirgis in exercitu cædi liceret. Plut. ibidem.

LIVIA de uectigalibus. Tulit idem. Vt pauperibus quibus agri diuiderentur, uectigal quod ex lege Sempronia pendebant, remitteretur. Plut. ibidem.

LIVIA de re numaria. Tulit idē. Vt octaua æris pars argento miſceretur. Plinius lib. 33. cap. 3.

LIVIA iudiciaria. Tulit M. Liuius Druſus Trib. pl. L. Martio. Sex Iulio COSS. Anno DCLXII. Vt æqua ex parte iudicia penes Senatum & equeſtrem ordinem eſſent. Aſcon. in Cornelianam. Ci. De ora. 3. Florus in epit. LXXI. Appianus autem rem ſic explicat: τῶν βουλευτῶν διὰ τὰς στάσεις τότε ὄντων μόλις ἀμφὶ τῶν τριακοσίων, τοσούσδε ἑτέρους αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ἱππέων εἰσηγεῖτο ἀριστίνδην προσκαταλεγῆναι, καὶ ἐκ τῶνδε πάντων εἰς τὸ μέλλον εἶναι τὰ δικαστήρια, εὐθύνας τε ἐπ' αὐτῶν γίνεσθαι δωροδοκίας προσέγραφεν. ἐγκλήματος ἴσα δὴ καὶ ἀγνοουμένου, διὰ τὸ ἔθος, τῆς δωροδοκίας ἀνέδην ἐπιπολαζούσης. Quum per id tempus propter ſuperiores ſeditiones uix trecēti ſenatores eſſent, totidem ex equeſtri ordine arbitratu bonorum uirorū delectos ipſis adiunxit, uti deinceps ex hiſce omnibus iudices legerentur: utiq́; de pecunia ob rem iudicandam accepta cauſſam dicere cogerentur: quod crimen conſuetudine iam pro nullo numerabatur, quum largitiones ſine ullo pudore increbuiſſent. Hæc ille lib. De bell. ciuil. lib. 1.

LIVIA agraria. Tulit idem. Vt Semproniæ leges de agris populo diuidendis ualerent.

LIVIA frumentaria. Tulit idem. Vt Sempronia lex de frumento plebi ex publico uiritim dando ualeret.

LIVIA de colonijs deducendis. Tulit idem. Vt lex Sempronia

Sempronia ea de re ualeret.

LIVIA de ſocijs. Tulit idem. Vt ſocijs omnibus Ius ciuitatis Romanæ daretur : quod ante ipſum M. Fuluius cos. tentarat. Liuius tamen in perferenda lege occiſus eſt. Appianus, De bell. ciuil. 1. Florus, & Cicero De legib. 3.

LVTATIA de ui publica. Tulit. Q. Lutatius Catulus cos. cum C. Mario, Anno DCLI. Vt de ſeditioſis cōſceleratisq; ciuibus, qui armati Senatum obſederint, magiſtratibus uim attulerint, Remp. oppugnarint, quotidie etiam dieb. feſtis ludisq; publicis quæreretur. Cicero pro Cælio.

M

MAMILIA de limitib. Eius aliquot locis mentio fit in libro De agrorum conditionibus, cōſtatq; ex Aggeno Vrbico, & lib. Cic. de legib. 2. eam in finib. agrorū quinque aut ſex pedū latitudinē præſcripſiſſe, quos uſucapi uetaret. In libello uerò Variorū autorū eidē uolumini ſubiecto, Mamilia, Roſcia, Peducea, Alliena, Fauia nominātur: ſed capita triū duntaxat poſtremarū legū referuntur: quia neq; de quinq; pedū præſcriptione mentio ulla fit: & hæ notæ, K. L. 3. itē 4. & 5. caput legis tertiæ, quartæ, & quintæ ſubſcribi tantum ſignificant: quas ſuū in locū referemus. Ex Cicerone aūt apparet, hanc legē finibus regundorū ſingulos arbitros cōſtituiſſe. Tulit C. Mamilius Trib. pl. qui propterea Limitanus dictus eſt. Salluſt. in Iugurth. hunc C. Mamilium Trib. pl. nominat.

MAMILIA de ſenatoribus a Iugurtha corruptis. Tulit C. Mamilius Limitanus Tribun. pleb. Sp. Poſthumio, Q. Minutio COSS. Anno DCXLIII. Vti quęreretur in eos, quorum conſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet, quiq; ab eo in Legationibus aut imperijs pecunias accepiſſent, qui elephantos, quiq; perfugas tradidiſſent, item qui de pace aut bello cum hoſtib. pactiones feciſſent. Sal. Iugurth.

MANIA, Vide Menia.

MANILIA de bello Mithridatico. Tulit C. Manilius Tribu. pl. M. Lepido, L. Volcatio coss. Ann. DCXXCVII. Vt belli Mithridatici adminiſtratio Cn. Pompeio mandaretur. Vt prouincia uniuerſa cui Lucullus præfuerat, omneq; ipſius imperium, exercitus, & copiæ Pompeio darentur, & hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio pręerat: claſsis item & copiæ omnes maritimæ quas ipſe initio belli Piratici habuerat omnes præterea prouinciæ, quibus ſolis Lege Gabinia nō præfuerat, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis ſuperior, & Armenia. Cic. Pro lege Manilia. Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridat. Florus epit. c. Dio lib. 26.

MANILIAE leges uenalium uendendorū. ab Antonio dicuntur in lib. De orat. 1. pro Cautiones, ut apud Catonem, Lex uini uendendi, oleæ faciēdæ.

MANLIA de uiceſima Tulit Cn. Manlius cos. cum C. Martio. Anno CCCXCVI. Vt ij qui manumitterentur, fortunarum ſuarum uiceſimam ærario darent. Liu. lib. 7.

MANLIA de ſacerdotijs. Tulit P. Manlius Tri. pl. L. Furio, M. Marcello coss. Anno DLVII. Vt propter ſacrificiorum multitudinē Treſuiri Epulones crearentur: quū eſſent ipſi a Numa, ut etiā ludorū illud epulare ſacrificiū facerent, inſtituti. Ius præterea togæ prætextæ habendæ, item ut Pontifici eijſdē eſſet. Cicero De orat. 3. Liuius 33. Vbi tamen T. Romuleius legitur: quod Car. Sigonius, uir eruditiſsimus, & de literis optimè meritus ex coniectura emendauit.

MANLIA de C. Mario. Tulit L. Manliua Trib. ple. C. Mario, L. Caſsio coss. Anno DCXLVI. Vt eidem C. Mario prouincia Numidia mandaretur.

MARTIA Atinia de pace Macedonica. Tulere Q. Martius, C. Atinius Tribuni ple. Furio, Claudio coss. An. DLVII. Vellent iuberentne cum Rege Philippo pacem eſſe? omnes quinq; & triginta tribus, uti rogas, iuſſerunt. Liuius lib. 33.

MARTIA de magiſtratib. Tulit Martius Cēſorinus, Ne cui bis cenſuram gerere liceret. Plut. in Coriolano.

MARTIA de Statellis. Tulere M. Martius Semo, & Q. Martius Sylla Tribuni pl. Popillio, Aelio cos. Anno DXXCI. Vt qui ex Statellis (Liguriæ populis) deditis in libertatem reſtitutus ante Kalendas Sextiles primas non eſſet, cuius dolo malo is in ſeruitutem ueniſſet, ut iuratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animaduerteretq;. Liuius libro 42.

MARIA de ſuffragijs. Tulit C. Marius Trib. ple. L. Cæcilio, L. Cotta coss. An. DCXXXIIII. Vt pōtes per quos ſuffragia in comitijs ferebantur anguſtiores fierent, ne quis illic qui ſuffragium ferret conſiſtere poſſet ad appellandum rogandumq;. Cicero De legib. 3. Plutarchus in Mario.

MARIA de re numaria. Tulit M. Marius Gratidianus Prætor, L. Sylla Dictatore. Vt numi certa tum excogitata ratione probarentur. Iactabatur enim temporibus illis numus, ſic, ut nemo ſcire poſſet, quid haberet. Cicero de Offic. 3. Plinius lib. 33. cap. 9. qui legem hanc nominatim appellat, cùm Cicero Prætoris edictum de Roſtris promulgatum fuiſſe ſcribat.

MARIA Porcia de triumpho. Tulere L. Marius, M. Cato Tribuni pl. Vt pœna afficerent ij, qui aut hoſtiū occiſorū in prælio, aut amiſſorum ciuiū falſum numerum literis ſenatui retuliſſent. Vt cum primum urbem intraſſent, apud Quæſtores urbanos iurarent, de utroque numero uerè ab ijs Senatui ſcriptum eſſe. Valerius libro ſecundo, capite, De iure triumph.

MEMMIA de Iugurtha, Romam euocando. Tulit C. Memmius Tribunus pleb. P. Scipione Naſica,

L.Beſtia Calpurnio coss. Anno DCXLII. Vti L. Caſsius Prætor ad Iugurtham mitteretur, eumq; interpoſita fide publica Romam duceret, quo facilius iudicio regis, Scauri & reliquorum, quos pecuniæ captæ arceſſebant, delicta patefierent. Salluſt. De bello Iugurth.

MEMMIA de reis poſtulandis. Tulit. Vt eorum qui Reipublicæ cauſſa abeſſent nomina ne in reos reciperentur. Vt calumniatoribus, pœna conſtituto iudicio imponeretur. Val. Max. lib. 3. cap. 7. Cicero pro Sex. Roſcio. Papinian. l. 13. De teſtib. l. 1. §. r. Ad S.C. Turpil. Legitur tamen Remmia.

MENENIA Sextia de multa. Tulere T. Menenius, P. Sextius coss. Anno CCCI. Autor Feſtus libro 14. cuius uerba ſic opinor, legenda ſunt, Peculatus furtum publicum dici cœptum eſt a Pecore: quia ab eo initium eius fraudis eſſe cœpit. ſiquidem ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſsima erat duarum ouium, & triginta boum: quæ pecudes poſtquam ære ſignato uti cœpit populus Ro. Tarpeia lege cautum eſt ut bos centuſsis, ouis decuſsis æſtimaretur. Eam legem ſanxere T. Menenius Lanatus, & P. Sextius Capitolinus coss.

MENIA de auctoritate Patrum. Nominatur a Cicerone in lib. De claris orat. Eaq; uidetur eſſe quæ apud Feſtum libro 14. Minia nominatur, in dictione Prorſus: & apud Noniũ fortaſſe, in uoce Sugillare: ubi ait, Sugillare occludere. Varro Geminis, Cõtrà lex Mania eſt in pietate, ne filij patribus luci clara ſugilleut oculos. Alludere uidetur ad patrũ nomen, quo lex Menia Patritios intelligebat.

MENSIA de ciuitate. Tulit. Vt ex alterutro peregrino natus, deterioris parentis conditionem ſequatur. Vlpianus cap. Inſtit. 5. Et hanc idem in l. lex naturæ, 24. De ſtat. hom. ſpecialem legem intelligit.

MINVTIA. Meminit Feſtus lib. 13. in uoce, Oſi ſunt.

MINVTIA de Triumuiris menſarijs. Tulit Minutius Trib. pl. Aemilio, Terentio coss. Ann. CXXXVII. Vt propter penuriam argenti Triumuiri menſarij crearentur. Liuius lib. XXIII.

MVNERALIS LEX uocata eſt, qua Cincius cauit, ne cui liceret munus accipere. Feſtus, qui Plauti uerſus citat, quos in Cincia retulimus.

O

OGVLNIA de ſacerdotijs. Tulere Q. & Cn. Ogulnij Tribu. pleb. M. Valerio, Q. Appuleio coss. Anno CDLIIII. Vt cum quatuor Augures, quatuor Pontifices ea tẽpeſtate eſſent, placeretq; augeri ſacerdotum numerum, quatuor Pontifices, quinque Augures, de plebe omnes allegerentur. Ita deinceps octo Pontifices nouem augures fuerunt. Liuius lib. 10.

OPPIA de matronarum cultu. Tulit C. Oppius Tribun. pleb. Q. Fabio, T. Sempronio coss. Anno DXL. Ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet: neu ueſtimento uerſicolori uteretur: neu iuncto uehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum cauſa ueheretur. Liuius lib. 34. Tacitus lib. 3.

OPTIMA LEX, quum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui uulgò Dictator appellabatur, quàm pleniſsimum poſſet ius eſſe ſignificabatur. Vt fuit M. Valerij Marci filij Voluſij nepotis, qui primus magiſter populi creatus eſt. Poſtquam uerò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, delitum eſt dici, Vt optima lege. utpote imminuto iure priorũ magiſtrorum. Hæc Feſtus. Idem alibi, In magiſtro populi faciendo, qui uulgò Dictator appellatur, quàm pleniſsimum poſſet ius eſſe ſignificabatur. Poſtquam uerò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat: deſitũ eſt dici, Vt optima lege: utpote imminuto iure priorum magiſtrorum. Hactenus Feſtus.

ORCHIA de numero conuiuarum. Tulit C. Orchius Tribun. pleb. Q. Fabio, M. Claudio, coss. Anno DLXX. Macrob. libro 3. cap. 17. Feſtus libro 13. Obſonitauere.

P

PACCVVIA DE menſis Auguſti nomine. Tulit Sex, Pacuuius Trib. pleb. Auguſto Imperatore, Vt qui menſis antea Sextilis uocabatur, quòd a Martio qui primus olim fuerat, ſextus eſſet: is deinceps Auguſtus ab Auguſto Imperatore diceretur. Macrobius libro Sat. 2. ca. 12.

PAGANA LEGE in pleriſque Italiæ prædijs cauetur, ne mulieres per itinera ambulantes, torqueãt fuſos, aut omnino detectos ferant: quoniam aduerſetur id omnium ſpei, præcipueq; frugum. Pli. li. 28. cap. 2.

PAPIA, uide Pappia.

PAPIRIA Iulia de multarum æſtimatione. Tulere L. Papirius, L. Iulius coss. Ann. CCCXXIIII. Liuius libro 4. uide Ateria.

PAPIRIA de ciuitate. Tulit L. Papirius Pr. Vt Acerranis ciuitas ſine ſuffragio daretur. Cornelio, Domitio coss. Ann. CCXXI. Liuius lib. IIX.

PAPIRIA de ſuffragijs. Tulit C. Papirius Carbo Trib. pleb. Popilio, Rupilio coss. Anno DCXXI. Vt in iubẽdis legibus aut uetandis populus tabella ſuffragium ferret. Cic. De legib. 3.

PAPPIA de Treuiris capitalibus, aut potius Monetalibus. Tulit L. Papirius Tribun. pl. Vt qui prætor fieret, qui inter ciues ius diceret, Treſuiros capitales (Monetales legendum uidetur) populum rogaret: qui ſacramenta litigatorum exigerent, iudicarentq; eodemq; iure eſſent, uti quos ex legibus, plebisve ſcitis exigere iudicareve oportet. Hæc ex loco Feſti corruptiſsimo in lib. XVII. uoce Seſtertius.

PAPIRIA

PAPIRIA de conſecratione. Tulit idē. Ne iniuſſu plebis ædes, terram, aram, aliamve rem ullam conſecrare liceret. Cic. Pro domo ſua.

PAPIRIA de re numaria. Tulit, opinor, idem L. Papirius Tribu. pleb. Vt aſſes eſſent ſemunciales Plinius libro 33. capite 3.

PAPPIA de ciuitate. Tulit C. Papius Tr. pl. Cotta, Manlio COSS. Anno DCXXCIIX. Vt peregrini urbe Roma expellerētur. Cicero De offic. 3. Pro Balbo, pro Archia. Dio lib. 37.

PAPPIA de Veſtalis capiundi ritu. Tulit. Vt Pont. Max. arbitratu uirgines è populo uiginti legantur, ſortitióq; in concione ex eo numero fiat. Gellius libro 1. cap. 12.

PAPPIA de ſocijs. Tulit. Vt ſocij Latini in ſuas ciuitates redigerentur. Vt iudicium ſocijs & ciuitatibus exteris conſtitueretur, repetendi eius cauſſa, qui in ciuitatis Ro. cenſum irrepſiſſet. Valerius li. 3. cap. 4. Cic. in Corneliana.

PAPPIA Poppæa de maritandis ordinib. Tulere M. Pappius Mutilus, Q. Poppæus Secundus, COSS. Auguſto Imperatore: ut conſtat ex Dione, apud quem Popilius legitur, pro Poppæus. Vt qui Senator eſſet, quive filius, nepos, proneposve ex filio uel ex filia natus, cuius eorum eſſet, ne quis eorū ſponſam uxoremve ſciens dolo malo haberet libertinum, aut eam quæ ipſa, cuiusve pater, materve artem ludicram facit, facitve: neve Senatoris filia, neptisve ex filio proneptisve ex nepote, filio nato, nata, libertino, eive qui ipſe, cuiusve pater materve, artem ludicram facit, fecitve, ſponſa nuptave ſciens dolo malo eſſet. Vt quæ ad orbos teſtamento ciuis Ro. peruenirent, eorum pars decima ad fiſcum pertineret. Vt ne quinquaginta annis minor ſexagenario nuberet: aut uir hac ætate iunior quinquagenariam fœminam duceret in uxorem. Vt patronis qui ius trium liberorum haberent, contra tabulas teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos hæredes non naturales bonorum poſſeſſio detur. Vt patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus idem iuris detur, quod patronis ex edicto. Vt liberis ingenuæ trium liberorum iure honoratæ idem iuris, quod ipſi patronæ tribuatur. Vt omnibus ingenuis, præter Senatores eorumq; liberos, uxores libertinas habere liceret. Tacitus libro tertio. Iuriſconſulti ſub titulo, De ritu nupt. De uulg. ſubſtitut. De iur. patron. & alijs locis innumeris. Vlpianus capite Inſtitutionum 29. Dio libro 56.

PAPPIA de iure patronatus. Tulit idem. Vt ex bonis eius qui H——S. centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat, ſiue is teſtamento facto, ſiue inteſtatus mortuus erat: uirilis pars patrono deberetur. Itaque quum unum quidem filium hæredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, ac ſi is ſine ullo filio filiave inteſtatus deceſſiſſet: quum uerò duos duasve hæredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: ſi tres reliquerat, repellebatur patronus. Item, Vt libertus qui duos liberos in poteſtate haberet, operarum obligatione liberaretur. Iuſtin. §. 1. De ſucceſſ. libert. Et in Pand. ſub tit. De bonis libert. alijsq; locis compluribus.

PEDIA DE VI. Tulit Q. Pedius cos. cum Auguſto Cæſare, Anno DCC.XI. Vt qui C. Cæſaris cædis auctores eſſent, iudicio conſtituto rei fierent, & damnatis aqua & igni interdiceretur. Appian. lib. De bello ciuili 3. Sueton. Nerone, & Galba. Velleius lib. 2.

PEDVCIA DE INCESTV. Nominatur a Cicerone De nat. deor. 3.

PEDVCEA de terminis. Tulit In libello Variorum autorum De agrorum conditionibus his edita eſt uerbis, quæ tamen aliqua ex parte correximus. Quæ colonia hac lege deducta, quòdve municipiū, præfectura, forū, cōciliabulū cōſtitutū erit, qui ager intra fines eorū erit, ſi termini in eo agro ſtatuti non erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is cuius is ager erit, terminum deſtituendum curato: utq; recte factum eſſe uelit, magiſtratus qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iure dicundo præerit, facito ut fiat.

PESVLANIA DE damno a canibus illato. Tulit. Vt ſi canis pauperiem fecerit, damnumve dederit, in dominum actio detur, ut aut damni æſtimationem ſubeat, aut canem noxæ dedat. Paulus Sent. lib. 1. cap. 15.

PETILLIA DE PECVLATV. Tulit Q. Petilius Tribunus pleb. Aemilio, Flaminio coss. Anno D.LXVI. Vellent, iuberent, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho eſt, quiq; ſub eius imperio fuerunt: quod eius in publicum relatum non eſt, uti de ea re Ser. Sulpitius Prætor urb. ad ſenatum referat. Omnes tribus uti rogas iuſſerunt. Liuius lib. 38.

PETRONIA DE SERVIS. Tulit, opinor, Petronius Turpilianus cos. cum Cæſonio Pæto, Anno DCCCXIII. Ne dominis poteſtas eſſet ad beſtias depugnandas ſuo arbitratu ſuos tradere, ut ei qui iure uiri delatum adulterium non peregiſſet, nunquam poſtea referre hoc crimen liceret. Modeſtinus l. 11. D. ad leg. Corn. De ſicar. Imp. l. 15. C. ad leg. Iul. De adulter. Ab eodē Petronio & collega Iunio ſuprà Iunia Petronia numerata eſt.

PETRONIA DE peregrinis. Tulit. Vt peregrini urbe Roma expellerentur. Cicero lib. De offi. 3. Hanc, opinor, Feſtus libro 16. in uoce Reſpublicas eo loco ſignificat, ubi nunc P. Ennij de peregrinis corruptè, meo iudicio, legitur.

PINARIA DE AMBITV. Tulit L. Pinarius Trib. milit. cum collegis. Anno CCC.XXII. Ne cui album ueſtimentū addere petitionis cauſſa liceret. Liuius lib. 4. Lex tamen non tenuit, ut ex omnium

nium temporum conſuetudine intelligitur.

PINATIA Furia. Tulere L. Pinatius, L. Furis Coſs. Eam antiquiſsimam, cui mentio Intercalaris adſcribitur, in columna ærea inciſam fuiſſe, Varro ſcribit: teſte Macrobio lib. 1. cap. 13.

PLAVTIA Iudiciaria. Tulit M. Plautius Siluanus Tribun. pleb. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſs. Anno DCLXIIII. ſecundo anno belli Italici, quum equeſter ordo in iudicijs dominaretur: Vt tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio crearent, qui eo anno iudicarent. ex eo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe. Cicero in Orat. pro Cornelio. Epiſt. Att. libro IV. & Aſcon. Ex quo intelligitur. quum equites ſoli iudicarent, XXXV. tribus dediſſe ſingulas iudices XV. itaque iudices CCCCL. fuerunt: & iudicia inter tres ordines, ſenatorium, equeſtrem, & plebeium communicata ſunt.

PLAVTIA De ui publica. Tulit idem. Vt de ijs qui uim publicam armatis hominibus feciſſent, quæſtio conſtitueretur. Meminit Cicero De reſponſ. aruſ. pro Milone, lib. Epiſt. ad Q. Fratrem II. & ad Att. 4. Salluſt. in Catil. Aſcon. in Milon. & Cælius ad Ciceroně lib. Epiſt. 8. Item, Ne rem ui poſſeſſam uſucapere liceret. Iulianus l. 33. §. 2. D. de uſuc. l. ex Plautia & Iulia ea demum uetuit lóga poſſeſsione capi, quæ ui poſſeſſa fuiſſent: non etiam ex quibus ui quis deiectus fuiſſet.

PLAVTIA Papiria de ciuitate. Tulere M. Plautius Siluanus, C. Papirius Carbo Tribuni pl. Cn. Pompeio, L. Catone Coſs. Anno DCLXIIII. Vt ciuitas ijs daretur, qui fœderatis ciuitatibus adſcripti fuiſſent, ſi & cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, & ſexaginta diebus apud Prætorem eſſent profeſsi. Cicero pro Archia poeta.

PLAETORIA. uide Lætoria.

PLAETORIA De iure dicundo. Tulit M. Plætorius Tribunus pl. Prætor urbanus qui nunc eſt, quiq; poſthac fuerit, duos lictores apud ſe habeto: iſq; ſupremum ad ſolis occaſum ius inter ciues dicito. Cenſorin. libro De die nat. cap. 19. Varro lib. De ling. 5. Sed poſtea lex Plætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo Prætor in comitio ſupremam pronunciauit populo.

PLOTIA de exulibus. Tulit Plotius Tribun. pl. Vt qui Lepidum ciuili bello ſecuti, poſt necem Coſ. ad Sertorium confugerant, impunè in ciuitatem redirent. Sueton. Cæſare. Gell. lib. 13. cap. 3.

PLOTIA Flauia. Tulere. Vt uel agri quos a Senatu locupletes emiſſent, reddita poſſeſſoribus pecunia plebi diuiderentur: uel ſi neminem uetere poſſeſsione moueri Senatus uellet, alij agri ea pecunia quę ex nouis uectigalibus per quinquenniũ reciperetur, emerentur, & plebi quæ agros non haberet, partirentur. Cicero lib. ad Att. 1.

PLOTIA Agraria. Nominatã Cicerone libro Epiſt. ad Att. 1. epiſtola, Nihil mihi.

POETELIA, de ambitu prima. Tulit C. Pœtelius Tribun. pleb. C. Fabio, & C. Plautio Coſs. Anno CCCXCV. Vt ne ambiendi magiſtratus cauſſa nundinas & conciliabulã obire liceret. Liuius libro 7.

POETELIA, Papiria de nexu. Tulere C. Pœtelius, L. Papirius Coſs. Anno CDXXVII. Ne quis niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in cõpedibus, aut in nerno teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. & ne quis in poſterum necteretur. Liuius lib. 8. Vbi tamen uidendum ne pro Meruiſſet, Nocuiſſet ſit legendum.

POMPEIA de Tribun. pleb. Tulit Cn. Pompeius I. Cõſul cum M. Craſſo. Anno DCXXCIII. Vt ad Tribunos pl. prouocãdi ius eſſet: (quod lege Cornelia prohibitum fuerat) omniaq; omnino quæ Tribunis pl. ademerat Sylla, illis reſtituerentur. Plutarch. in Pompeio. Aſconius in Verrin. 1. & 2. & Cæſar libro De bell. ciuil. 1.

POMPEIA de prouincijs. Tulit Cn. Pompeius Coſ. cum Q. Cæcilia, Anno DCCI. Vt ſibi Hiſpania prouincia in alterum quinquennium prorogaretur. Dio lib. 38. & Plutarch. in Vit. qui tamen, Quadriennium ſcribit.

POMPEIA Iudiciaria. Tulit idem Coſ. cum M. Craſſo, iterum, Anno DCXCIIX. Vt ampliſsimo ex cenſu, ex centurijs, aliter quàm antea, lecti iudices, ex tribus tamen ordinibus quibus Aurelia lege communicata erant iudicia, Senatorio ſcilicet, Equeſtri, & Tribunis ærarij res iudicarent Cicero in Piſonem, & Aſcon. in eandem.

POMPEIA de parricidijs. Tulit idem, Vt qui cognatos uel affines, qui parentum liberorumve nomine continentur, fratremve aut ſororem necaſſet, is ſanguineis uirgis uerberatus, in culeum inſueretur cum cane, gallo gallinaceo, uipera, & ſimia. deinde in mare uel profluẽtem proijceretur. Modeſtinus l. 9. D. Ad leg. Pomp. de parricid. Vbi tamen ait more maiorum eam fuiſſe conſtitutam pœnam quod mihi ſanè obſcurum eſt, ſi maiores ab eo tẽpore repetamus, quo Cicero Sex. Roſciũ defendit. neque enim id opinor Ciceronem prætermiſſurum fuiſſe, quum de ſolo culeo loquatur. ac uereor ne quid a Triboniano eo in loco ſit cõmiſſum. Seneca tamen lib. de Clementia 1. de Cæſare Auguſto loquens, Non culeum, inquit, non ſerpentes, non carcerem decreuit. Iuuenalis autẽ de ſerpẽte & ſimia ẽt loquitur. Cõſtãtinus uerò in l. prima, C. de parricid. canem & gallum gallinaceũ adieciſſe uidetur: quæ tamen omnia Iuſtinianus legi Pompeiæ in Inſtitutionibus attribuit. Vtut ſit, hoc opinor Pompeium inſtituiſſe, ut quũ antea Prætor certus ac proprius non eſſet, qui de parricidis ius diceret, ſed lege Cornelia qui inter ſicarios quæreret, de ijs quoque quæreret (quemadmodum ex Roſciana intelligitur) deinceps certus huius criminis quæſitor eſſet. nam quod ait Vlpianus in l. 1. D. de parricid. lege Pompeia eandem

dem pœnam parricidis eſſe conſtitutam, quæ lege Cornelia De ſicarijs, ſic accipiendum eſt, quà lex Cornelia ad parricidas pertinebat. Alioqui perobſcurus uideri locus poſſet. Sanguineas autē uirgas rectè in Florentinis libris legi qui genus illud uirgarum notum habent, quas Plinius ita nominat, facilè perſpiciunt. ſunt autem ſalignearum non admodum diſsimiles, niſi quòd & grauiores ſunt, & ad ſanguinis colorem propius accedunt. Videndum præterea, cùm ætas Senecæ Ciceroni tam propinqua fuerit, an Pompeius lege ſua de ſimia & uipera, nel etiam de reliquis omnibus legem tulerit.

Pompeia de vi et ambitv. Tulit idem Conſul ſolus creatus, Anno dcci. Vt priuſquam cauſſa de ui ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta, eorum iudices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum iuberentur, & coram accuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina iudicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſtera die ſortitio fieret unius & lxxx. qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tū ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reus quæ illo eodem die iudicaretur: prius antem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus reijceret: ita ut numerus iudicum relinqueretur qui ſententias ferrent quinquaginta & unus. Aſconius in Milonianæ argumento. Dio libro 40. Cicero lib. 4. De finib. & ad Attic. lib. 10. Cæſar De bello ciuil. li. 3.

Pompeia de pecunijs ob rem iudicandam captis. Tulit idem, eodem anno. Vt de ijs qui a ſecundo ſuo Conſulatu ad hunc uſque diem ob rem iudicandam pecunias cepiſſent, quæſtio conſtitueretur. Appian. De bell. ciuil. lib. 2.

Pompeia ivdiciaria. Tulit idem eodem anno. Ne reum in iudicio laudare liceret. Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Valerius libro ſexto, capite ſecundo.

Pompeia de Magiſtratibus. Tulit Cn. Pompeius tertiùm Coſ. cum Q. Cæcilio, Anno dcci. Ne cuius abſentis in magiſtratuum comitijs ratio haberetur: uno Cęſare excepto. Dio lib. 40. & Plutar. in Vitis.

Pompeia de Magiſtratibus Bithyniorum. Tulit idem. Ne quis annis xxx. minor magiſtratum caperet, in ſenatuve eſſet. Vt qui magiſtratum cepiſſent, eis in ſenatu eſſe liceret. Ne Decuriones in curiam a Cenſoribus lecti, pecuniam pro introitu darent. Vt Senatores certis de cauſsis à Cenſoribus ordine mouerentur. Vt Bithynicis ciuitatibus adſcribere ſibi quos uellent, ciues liceret, dum ne ciuitatis eſſent alienæ, ſed earum quiſque ciuitatū, quæ eſſent in Bithynia. Plinius Cæcilius libro Epiſto. 10. epiſto. 84 & 117.

Popilia de Veſtalis capiendæ ritu. Tulit. Vt ſi quis honeſto loco natus adeat Pótificem Max. atque offerat ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius duntaxat, ſaluis religionum obſeruationibus, ratio haberi poſsit: id per ſe ratum ſit. Gellius lib. 1. cap. 12.

Porcia de ivre civitatis. Tulit M. Porcius Cato Tribunus pleb. Valerio, Apuleio coss. Anno cdliiii. Ne quis magiſtratus ciuē R. uirgis cæderet, necaretve: ſed damnato exiliū permitteret: quum antea nudorum ceruix infereretur furcæ, corpus uirgis ad necem cæderetur. Liuius lib. 10. Cic. pro Rabirio perduel. Salluſt. in Catil. Sueton. in Nerone.

Pvblicia de cereis. Tulit Publicius Tribunus pl. Vt Saturnalibus cerei non niſi ditioribus mitterentur. Macrob. lib. 1. ca. 7.

Pvblicia de lvsv. Tulit. Ne quis in pecuniā luderet, ſponſionemve in ludo niſi qui uirtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. Marcianus l. 3. D. De aleator.

Pvblilia de plebeijs magiſtratibus. Tulit Volero Publilius Philo Tribun. pleb. Claudio, & Quinctio Coſs. Anno cclxxxi. Vt plebeij magiſtratus qui antea curiatis comitijs fiebant, deinceps remotis patribus tributis comitijs crearentur. Liuius lib. ſecundo, Dionyſ. lib. 9. apud quem tamen φίλωνος βολέρων legitur pro πουπλίλιον. nam Volero prænomen, Publilius nomē fuit. ut nó Voleronia, ſed Publilia lex dicenda ſit. in quo plerique decepti ſunt.

Pvplilia de legibus & cenſorib. Tulit Q. Publilius Philo Dictator, Anno ccccxiiii. Vt plebiſcita omnes Quirites tenerent: Vt legum quę comitijs centuriatis ferrentur, ante initum ſuffragium patres auctores fierent: ut alter utique ex plebe, quum eò uentum ſit ut utrunque plebeium Conſulem fieri liceret, Cenſor crearetur. Liuius lib. 8.

Pvpia de Senatu habendo. Tulit. Ne Senatus a xviii. Calen. Feb. ad uſque Cal. Feb. haberetur. Ne niſi perfectis, aut reiectis legationibus, alijs de rebus Senatus haberetur. Cicero epiſto. ad Lentulum 4. ad Q. Fratrem, lib. 2. epiſt. 11. & Cælius 8. epiſto. ad Ciceronem. Vbi hac lege ſolutos magiſtratus ſcribit.

Q

Qvina uicenaria. Vide Lætoria.

R

Regia de vnivs imperio. Lata eſt ineunte regnum Romulo. qua populus omnem ei poteſtatem in ſe conceſsit. Liuius lib. 34. Ex utro tandem genere ea lex eſſe uidetur, quam abrogamus? an uetus Regia lex, ſimul cum ipſa urbe nata? Quum autem annis amplius d. florente populi Ro. libertate, ſopita fuiſſet,

ſet, poſtea D. Auguſti. & Tiberij dominatu, qui legibus ſoluti ſunt, excitata, ſubtilius & copioſius quàm antea perſcripta eſt. & quo quiſque die ſucceſſores de mortuorum imperium excipiebant, recitari ſolebat. quemadmodum ex his eius, ut opinor, reliquijs intelligitur, quæ a me in libro Epigrammatum Romanorum inuentæ dignißimæ uiſæ ſunt, quæ hunc in locũ referrentur. Ea uerò ad Veſpaſiani imperium pertinet: quę, ut arbitror, a Cornel. Tacito lib. 20. his ſignificatur uerbis, Tum Senatus omnia Principibus ſolita Veſpaſiano decreuit, &c. Vide etiam qui teſtarentur, Romæ hanc ſcripturam extare in baſilica Lateranẽſi, in ære inciſam. Eſt autem huiuſmodi, Fœdusve cũ quibus uolet facere liceat, ita uti licuit Diuo Aug. Tib. Iulio Cæſari Auguſt. Tiberioq; Claudio Cæſari Auguſt. Germanico.

Vtiq; ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatuſconſulta per relationem diſceßionemq; facere liceat, ita uti licuit Diuo Aug. Ti. Iulio Cæſari Auguſt. Ti. Claudio Cæſari Auguſto. Germanico.

Vtique cum ex uoluntate auctoritateve iuſſu mandatuve eius, præſenteve eo Senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, ſeruetur, perinde ac ſi è lege Senatus edictus eſſet habereturve.

Vtiq; quos magiſtratum, poteſtatem, imperiũ curationemve cuius rei petentes Senatui populoq; Romano commendauerit, quibusve ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum comitijs quibusq; extra ordinem ratio habeatur.

Vtiq; ei fines pomerij proferre, promouere, cũ ex Republica cenſebit eſſe liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæſari Auguſt. Germanico.

Vtiq; quæcunque ex uſu Reipublicæ, maieſtate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarũque rerum eſſe cenſebit, ei agere, facere, ius poteſtasq; ſit, ita uti Diuo Aug. Tiberioq; Iulio Cæſ. Aug. Tiberioq; Claudio Cæſ. Aug. Germanico fuit. Vtiq; quibus legibus plebisve ſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Aug. Tiberiusve Iulius Cæſar Aug. Tiberiusve Claud. Cæſar Aug. German. teneretur ab ijs legibus, plerisq; ſcitis, Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit: quæq; ex quaq; lege, rogatione diuũ Aug. Tiberiumve Iuliũ Cæſarẽ Aug. Tiberiumve Claudium Cæſarem Aug. Germanicum facere oportuit: ea omnia Imp. Cæſari Veſpaſiano Aug. facere liceat.

Vtiq; quæ ante hanc legẽ rogatã acta, geſta, decreta, imperata, ab Imperatore Cæſare Veſpaſiano Auguſto iuſſu mandatuve eius a quoq; ſunt, ea perinde iuſta rataq; ſint, ac ſi populi plebisve iuſſu acta eſſent.

SANCTIO.

Si quis hiuſce legis ergo aduerſus leges, rogationes, plebisve ſcita, ſenatusve conſulta fecit, fecerit. ſiue quod eum ex lege rogatione, plebisve ſcito, S. VE C. facere oportebit, non fecerit, huius legis ergo, id ei ne fraudi eſto: neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve iudicatio eſto, neve quis de ea re apud ſe agi ſinito. Hæc ex Epigrammatum, antiquorum lib. Vlp. autem in l. 1. D. de conſtit. princ. hanc legem ſignificat, quũ ita ſcribit, Quod principi placuit, legis habet uigorẽ utpote quum lege Regia, quæ de imperio eius lata eſt. populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. Quod Iuſtin. totidem uerbis in tit. De iure natur. & gẽt. tranſcripſit. Hanc autem Alexander Imperator legem Imperij appellare uidetur in l. 3. C. de teſtamentis. & a Strabone in fine poſtremi libri ſignificatur his uerbis, ubi de Cæſare Auguſto loquẽs, ἐπεὶ τοι γὰρ inquit, ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, κατέστη κύριος διὰ βίου, &c.

REGIA de mortuo inferendo. Tulit Ne mulier quæ pregnãs mortua ſit, humeẽ antequã partus ei excidatur, qui contrà fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe uideatur. Marcianus l. 2. D. de mort. infer. Hanc autem legem ſuperioris partem fuiſſe, ridiculum eſt dicere. tametſi eius auctorem nominare difficile eſt, quum ſatis conſtet Regis uerbum cognomen fuiſſe, non nomen leges autẽ ex nominibus appellationem ſumpſiſſe. Exiſtimarem igitur Romuli aut Numæ Pompilij legis alicuius, de qua Marcianus antea diſputarat, partem hanc fuiſſe: quum præſertim ad ſacra hæc lex pertineat, de quibus quæ leges a Numa conſtitutę fuerant, ſemper obſeruatæ ſunt. Clemẽs Alexand. lib. 11. Stromat. ſimilem Diodorus apud Aegyptios Græcos quę propè omnes legem de mulieribus grauidis rei capitalis damnatis, lib. 2. commemorat. & Plutarchus de Aegyptijs libro De ſera num. uind. Aelianus de Athenienſib. lib. Var. hiſtor. v.

REMMIA. Vide Memmia.

RHODIA de iactu. Latam, opinor, a Rhodijs, & a Cæſaribus receptam. ut ſi leuandæ nauis gratia iactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. Paulus l. 1. D. de lege Rhodia. Niſi fortè de Rhodijs lata eſt: & Rhodia ſic dicatur, ut Cypria lex (quæ de Cypri rege lata eſt a Claudio) nominatur in Sextiana & Tribunitia, de Tribunorum poteſtate. in ſecunda Verrina.

ROMVLEIA DE ſacerdotijs. Vide Manlia.

ROSCIA Theatralis. Tulit L. Roſcius Otho Tr. pl. L. Metello. Q. Martio Coſs. An. DCLXXXII. Vt in Theatro Equitibus Romanis, qui H-S. quadringenta poßiderent, 14. gradus ſpectandi gratia aßignarentur: exceptis ijs, qui ſuo fortunæve uitio decoxiſſent. Cic. Philipp. 2. Aſconius in Cornelianam. Flor. epitom. 99. Dio lib. 26. Plin. lib. 7. ca. 26. Iuuenal. Sat. 14. Et Tacitus lib. 15. qui legem

gem interpretatur hanc habuiſſe uim, ut Equites non ante plebem, ac ſeparatim. ſed confusè tãtùm quatuordecim ordines haberent.

ROSCIA de terminis. Eius caput in libro Variorũ autorum De agrorum conditionibus amiſſum puto: ut in Mamilia lege expoſui.

RVPILIA de iure Siculorum. Dedit P. Rupilius Cõſul cum P. Popilio, Anno DCXXI. Dedit autem Siculis, de Decem ut moris erat legatorum ſentẽtia: bello prædonum ac fugitiuorum a ſe cõfecto. Cic. Verrina 4. Aſcon. in eandem. & Valer. Max. lib. 6. c. 10. apud quem tamen Rutilius perperam legitur.

RVTILIA de trib. militũ. Tulit C. Rutilius Ruſus. Feſtus, Rufuli appellabantur Tribuni militum a Conſule facti, non a populo, de quorum iure, qđ Rutilius, Rufus legem tulerit, Rufuli, ac pòſt Rutuli ſunt appellati.

S

SACRATA militaris. Tulit, opinor, M. Valerius Coruus Dictator. An. CDXI. ob militum Capuanorum ſeceſsionem. Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo uolente, deleretur: ne quis ubi Tribunus militum fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet. Liuius lib. 7.

SACRATIS legibus Veſtalibus pœna inceſti conſtituta eſt, ut uiuæ defoderentur. Dionyſ. lib. 1.

SACRATA Iunia de tribunis pl. Tulit L. Iunius Brutus, Tribun. ple. primus creatus, Caſsio, Cominio Coſ. Anno CCLX. Vt plebi ſui magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilij latio aduerſus Conſules eſſet: neve cui patrum capere eum magiſtratũ liceret. Vt neq; priuilegiũ irrogari, neq; de capite ciuis. niſi comitijs centuriatis rogari liceret. Liuius lib. ſecundo. & Cicero pro Sextio, & pro Domo. Dionyſ. lib. ſexto. legis uerba hæc refert Δήμαρχον ἄκοντα, ὥσπερ ἕνα πολλῶν, μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾶν, μηδὲ μαστιγέτω, μηδὲ ἐπιταττέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδὲ ἀποκαινύτω, μηδὲ ἀποκτείνειν κελευέτω. ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά. καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. id eſt, Ne quis Tribunum ui quaſi priuatum quicquàm facere cogito, neve uirgis cædito, neve occidito, neve cædi occidive iubeto. qui aduerſus ea fecerit, ſacer eſto: bonaq; eius Cereri ſacra ſunto: eumq; occidere ius faſq; eſto. Liuius autem li. 3. hoc e rogatione carmen edit. Si Tribunos plebis decem rogabo, ſi quos minus hodie decem Tribunos plebis fecerint: hi tũ quos ſibi collegas cooptaſsint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebeij ſint, ut illi quos hodie Tribuni plebeij feceritis. Sacratæ autem leges dicebantur, inquit Feſtus, quibus ſancitum erat, Vt ſi quis aduerſus eas feciſſet, ſacer alicui deorum eſſet. Sunt qui eſſe dicant Sacratas. quas plebes iurata in monte ſacro ſciuerit. Hæc ille. Cic. pro Cornelio maieſtatis reo, Tanta igitur in illis uirtus fuit, ut ann. VXI. poſt reges exactos, poſt nimiam dominationem potentium leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienen, qui hodie mons ſacer appellatur, in quo armatæ conſederant, æternæ memoriæ cauſſa conſecrarent. Hæc Cic. Mirari autem ſatis non poſſum, uehemẽterq; dubitare me fateor, uerumne illud ſit quod ſcribit Diodorus lib. 12. in Auentino fœdere cõprehenſum hoc fuiſſe, uti Trib. plebis exacto ſui magiſtratus anno, mox totidem alios in annum ſequentem deſignarent: quod ſi prętermiſiſſent, illico uiui conburerentnr. ſin aliquanto diutius eos in deſignãdo diſsẽſio tardaret, interea poteſtas eis prorogaretur, dum alios crearent. Liuius libro ſeptimo, Lex quoque ſacrata militaris lata eſt, ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo uolente deleretur, &c.

SATYRA lex. Feſtus, Satura eſt cibi genus condlti, & eſt lex multis alijs conſerta legibus. Itaque in ſanctione legum adſcribitur, Neve per ſaturam abrogato, aut de rogato. Annius Luſcus in ea quã dixit aduerſus Tiberium Gracchum, Imperium quod plebs per ſaturam dederat, id abrogatnm eſt. & C. Lætius in ea, quam pro ſe dixit, Dein poſtera Die quaſi per ſaturam ſententijs exquiſitis in deditionem accipitur. Quidam dicunt eſſe genus carminis, ubi de multis rebus diſputatur. Hęc Feſtus, Salluſtius in Iugurth. ijſdem uerbis, Dein poſtero die quaſi per Satyram legem ſententijs exquiſitis in deditionem accipitur. Ego legem Satyram fuiſſe puto, in qua coniunctim multis de rebus una rogatione populus conſulabatur. quod lege Cæcilia & Didia uetitum fuiſſe, Cice. in Orat. Pro domo ſua, teſtatur. Et ſententias ferri per ſatyram, quum ex multis capitibus & ſi quædam comprobantur, quædam improbantur, inijcitur tamẽ tabella VTI ROGAS. Iuſtinianus in pręfat. ad Anteceſſores, §. 2. Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur non ſecundum editi perpetui ordinationem, ſed paſsim & quaſi per ſatyram collectum & utile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata. id eſt, Nullo ordine, ſed confusè ac petturbatè, dum modò hinc, modò illinc aliquid decerpitur. quam ſtudiorum ſuorum rationem noſtri hoc tempore adoleſcentes in iuris ciuilis libris ſequuntur.

SCATINIA de pueris impudicis. Iuuenal. Sat. 2. Sueton. Domitiano. Auſonius, Cic. Philippi. 3. Stupratores autem decem millium pœna coercebantur. Fabius lib. 4. cap. 2. & lib. 7. cap. 4. Cælius lib. Epiſt. fam. 8. ep. 12. Damnatum autem quendam C. Scantinium Tribun. ple. Valerius lib. 6. cap. 1. teſtatur. Tertullianus lib. De Monogam. Prudentius in Romam.

SCRIBONIA uiaria. Tulit C. Curio Trib. pl. Cælius Epiſt. fam. lib. 8.

Scribonia de uſucapionibus. Tulit (opinor) L. Scribonius Libo, cos. cum L. Atratino, DCCXIX. Ne ſeruitus uſucaperetur. Paulus l. 4. De uſurpat. & uſucap.

Sempronia de ære alieno. Tulit M. Sempronius Trib. pleb. L. Cornelio, Q. Minutio coss. Anno DLX. Vt eum ſocijs ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Ro. eſſet. Liuius libro 35. Cic. de Off. 2.

Sempronia agraria. Tulit Ti. Sempronius Gracchus Tri. pl. P. Mutio Scæuola, L. Capurnio cos. Anno DCXX. Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera poſsideret: quorum tamen dimidiũ filijs habere liceret. Vt ſi quis latius agrum patefaceret, Triumuiri quotannis data opera creati, iudicarent quà publicus ager, quà priuatus eſſet. Appian. lib. Emphyl. 1. Plut. in Gracchis, Velleius li. 2. Auctor libri De uir. illuſt. Cic. in Sextian. & De aruſpic. reſp. Florus epit. 58. & Siculus Flaccus in lib. De condit. agror. apud quem tamen Ducenta legimus; quum alij omnes apertè Quingenta prodant.

Sempronia de Regis Attali hæreditate. Tulit idẽ. ὅπως τὰ βασιλικὰ χρήματα κομισθέντα, τοῖς τὴν χώραν διαλαγχάνουσι τῶν πολιτῶν, ὑπάρχοι πρὸς κατασκευὴν καὶ γεωργίας ἀφορμήν. Vt pecunia Regis Attali qui populum R. hæredem fecerat, ijs ciuibus qui ſua lege Sempronia agrum ſortiti erant, daretur ad comparationem inſtrumentorum & agriculturæ apparatum. Vt agri Regij a Cenſoribus locarentur: unde uectigal populo penderetur. Plutar. in Gracchis. Cic. Verr. v. & Florus epit. 58.

Sempronia iudiciaria. Tulit C. Sempronius Gracchus Trib. pl. 1. Q. Cæcilio, T. Quinctio coss. Anno DCXXX. Vt iudicia quæ ſemper antea penes ordinem ſenatorium fuiſſent, ad ſolos Equites transferentur. App. li. De bello ciuili, 1. Aſconius in Diuinat. Velleius li. 2. Tacitus lib. 12. Varro De uita P. Romani, apud Marcellum in uoce Biceps. Plutarch. autem in Gracchorũ uita Equites trecentos cum Senatorib. trecentis mixtos tradit, atque inter utroſque communicata iudicia: quod falſum eſt. Hæc enim Liuia lex fuit: ut ſuo loco docebimus.

Sempronia de magiſtratibus. Tulit idem. Vt ex confuſis quinque claſsibus ſorte centuriæ uocarentur. Salluſt. in Orat. Cæſ. de Repu. Vt cui magiſtratus abrogatus fuiſſet, ei magiſtratum iterum capere ius non eſſet. qua lege M. Gelanius, cui Tit. Gracchi lege Tribunatus abrogatus fuerat, notabatur. Eam tamen Caius Corneliæ matris precibus, pòſt abrogauit. Plutarchus ibidem, & alij.

Sempronia de iure ciuit. Tulit idem. Ne de capite ciuis R. iniuſſu populi iudicaretur, qui indicta cauſſa in ciuem R. animaduertiſſet, de eo populi quæſtio conſtitueretur: quod propter P. Popiliũ latum eſt, Cic. p C. Rab. pro Domo, pro Cluen. & De legibus 3. itẽ Plut. in Gracchis Idem poſtea lege Porcia repetitum eſt. Cic. Verrin. 7. O nomen dulce libertatis: ò ius eximium noſtræ ciuitatis: ò lex Porcia, legesq; Semproniæ. Videtur autem exceptum parricidium his legibus fuiſſe: cum in Orat. pro Sex. Roſcio uetus ſupplicium commemoretur.

Sempronia de ſuffragijs. Tulit idem. Vt ſocijs Latinis ius ſuffragij ferendi perinde ut ciuibus Romanis eſſet. Iidem.

Sempronia de uijs Italiæ. Tulit idem. Vt uiæ in Italia munirentur, ſternerentur, lapidibus milliaria diſcernentibus notarentur, pontibus inſtruerentur. Iidem.

Sempronia de colonijs deducendis. Tulit idem. Vt coloniæ extra Italiam deducerentur. Paterculus lib. 2. Plutar. in Gracchis, Appia. in Liby. Florus epit. 60.

Sempronia de re militari. Tulit idem. Ne minores annis. 17. ad militiam cogerentur. Vt ueſtes militibus gratuitò & præter ſtipendium darentur. Plut. in Gracchis.

Sempronia de prouincijs decernendis. Tulit idem. Vt Senatus quotannis ante comitia conſularia deſignandis Conſulibus prouincias arbitratu ſuo decerneret, quas deinde ipſi deſignati inter ſe ſortirẽtur: quod ante uel poſt deſignatos uel poſt initum Conſulatum facere ſolebat: præterea quũ antea Senatus decreto per Tribunos intercedi poſſet, ne deinceps liceret. Cice. pro Domo ſua, in Vatinium, De prouinc. coss. Salluſt. in Iugurthino. Sueton.

Sempronia frumentaria. Tulit idem iterum Tribun. pleb. M. Fuluio, M. Plautio coss. Annò DCXXVIII. Vt ſemiſſe & triente frumentum menſtruum plebi ex publico uiritim daretur. Appian. lib. De bello ciuili. 1. Florus epit. LX. Ci. pro Sextio, Tuſcul. 3. in Bruto, Velleius lib. 2. Plutarch. in uita.

Sempronia & Iulia de limitibus. Tulit, Vt per auctuarios limites populo ius eundi eſſet, ſicut per uiam publicam. Hyginus in libello De limitibus conſtit. Vide Iulia de limitibus.

Sentia de ſenatu ſupplendo. Tulit, opinor, C. Sentius cos. cum Q. Lucretio, Auguſto imperante, An. DCCXXXIIII. Vt in numerum patritiorum qui ſenatui deeſſent, alij ſublegerentur. Tacitus li. 11. ubi tamẽ corruptè, meo iudicio, Senia legitur, pro Sentia.

Servilia agraria. Tulit. P. Seruilius Rullus Tribun. pleb. Cicerone, Antonio coss. Anno DCXC. Vt quæ poſt C. Marium, C. Carbonem coss. publicè data, aſsignata uendita, conceſſa eſſent, ea omnia eo iure forent, uti quæ optimo iure priuata ſunt. Vt Decemuiri cum ſummo imperio crearentur, qui totius Italiæ, Syriæ, Aſiæ, Libyę, & prouinciarũ quas nuper Pompeius ſubegerat, uẽderẽt, ex eaq; pecunia

nia agros colonis quos arbitratu ſuo quò uellent deducerent, mercarentur. Lex Cicerone diſſuadente perlata non eſt. Hoc tamen uiſum eſt ex illius contra legem orationibus deſcribēdum eſſe.

Servilia de ciuitate. Tulit C. Seruilius Glaucia Trib. ple. coss. Vt Latinis ius eſſet ciuitatis aſſequendæ in locum eius, quem accuſando repetundarum damnaſſent Aſcon. pro Scauro. & Cic. pro Balbo.

Servilia repetundarum. Tulit idem. Vt reus cō perendinaretur: quū antea uel iudicari primò poſſet: uel amplius pronūciari. Cic. Verr. 3. pro Poſthumo, pro Scauro, & in hāc Aſco. Valer. li. 8. c. 1.

Servilia iudiciaria. Tulit Q. Seruilius Cæpio cos. cum C. Atilio, Anno DCXLVII. Vt iudicia quæ lege Sempronia ad ſolos equites translata erant, ordini Senatorio communicarentur. Tacitus lib. 12. Cic. 1. De arte rhet. 2. De orat. in Bruto, in Or. pro Scauro, & ibidem Aſcon. Imparem autem & minorem fuiſſe Senatorum numerum ex eo conſtat, quòd lege Liuia quæ proximè inſecuta eſt ex æqua parte communicata ſunt. & opinor hoc eſſe quod Florus in Epit. de trecenis Senatoribus cum ſexcentis equitibus commixtis ad legem Semproniam referebat lib. 60.

Sextia Licinia de ſacerdotijs. Tulera L. Sextius, C. Licinius Trib. pl. P. Manlio Dictatore, Anno CCCLXXXV. Vt pro Duumuiris ſacris faciundis, Decemuiri ita crearentur, ut pars ex plebe, pars ex patribus fiat. Liuius lib. 6.

Sextia de magiſtratibus. Tulit idem L. Sextius, M. Furio Dictatore V. Anno CCCLXXXVI. Vt conſul unus è plebe crearetur, quæ de cauſſa uiciſſim conceſſum à Plebe nobilitati, ut Prætor unus qui in u be diceret, ex patribus crearetur. Liuius lib. 6.

Svlpitia de iure ciuitatis. Tulit P. Sulpitius Trib. ple. Q. Pompeio, L. Sylla coss. Anno DCLXV. Vt exules reuocarentur. Noui ciues libertiniq; diſtribuerentur in tribus. Florus epitom. 77. Plutarch. in Sylla.

Svlpitia. Ser. Sulpitius Galba Pr. An. DCXCIX. Vt C. Pontinio proconſuli quo die urbem triumphans ingrederetur imperium eſſet. Cic. li. 4. ad Atti. Dio li. 40.

Svlpitia de ære alieno. Tulit idem *μηδένα συγκλητικὸν ὑπὲρ δισχιλίας δραχμὰς ὀφείλειν*. Ne quis Senator ſupra duo millia drachmarum deberet. Plutarchus in Sylla.

Svlpitia de bello Mithridatico. Tulit idem. Vt Syllæ, cui Aſia prouincia obuenerat, ut bellū Mithridaticum adminiſtraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur. Velleius. 2. Florus epitome 77. Plutarcus in Sylla & Mario, & Appianus De bell. ciuil. 1.

Svlpitia de bello Macedonico. Tulit P. Sulpitius Conſul cum C. Aurelio, Anno DLIII. Vellent iuberent Philippo regi Macedonibusq; qui ſub regno eius eſſent, ob iniurias, armaq; illata ſocijs populi R. bellum indici. Liuius lib. 31.

Svlpitia Sempronia de templis & aris. Tulere ex S.C. P. Sulpit. P. Sempro. Coſs. An. CDXLIX. Ne quis templum aramve iniuſſu Senatus aut Tribunorum pleb. maioris partis dedicaret. Liuius li. 9.

T

Talaria, de talorum luſu. Nominatur a Plauto in Milit. glor.

Atque adeò ut ne legi fraudem faciam talariæ:

Accuratote, ut ſine talis domi agitent conuiuium.

Facetè ad legem aliquam de alea ueterem alludit, qua talorum luſus conuiuijs interdicebatur: Publiciam fortè, aut Titiam. Nam ſumptuariæ leges quibus hanc nonnulli attribuunt, de ſumptibus, ut opinor, tantummodo caucbant.

Tarpeia de multa. Vide Ateria Tarpeia.

Terentia Caſsia frumentaria. Tulere M. Terentius Lucullus, C. Caſsius Coſs. Anno DCXXC. Vt frumenti alteræ decumæ a prouincijs coemerentur precio in modios H-S. trium conſtituto: item ut ciuitatibus æqualiter imperaretur precio in modios ſingulos H-S. quatuor conſtituto. Cicero Verrina 5. & 7.

Terentia de legibus conſularis imperij. Tulit C. Terent. Arſa Trib. pl. Lucretio, Veturio Coſs. An. CCXC. Vt quinq; uiri crearentur legibus de imperio Conſulari ſcribendis, ne ipſi libinem ac licentiam ſuam pro lege haberent. Dionyſius lib. 100. Liuius lib. 3. qui tamen perlatam non fuiſſe affirmat. Corruptè autem antea Terentilla uocabatur.

Titia de luſu. Tulit. Ne quis in pecuniam luderet, ſponſionemve in ludo, niſi qui uirtutis cauſſa ſuſceptus eſſet, faceret. Marc. l. 3. D. de aleator.

Titia de triumuiratu quinquennali. Tulit P. Titius Trib. pl. Vt Treſuiri Conſulari poteſtatæ cōſtituendæ Reipub. in quinquennium crearentur, Cæſar, Lepidus, & Antonius. Appian. De bell. ciuil. 4. & Florus Epit. CXX.

Titia de donis & muneribus. Tulit L. Titius, Ne ob orandam cauſſam pecuniam donumve patroni acciperent. Tacit. lib. 11. & Auſonius:

Iuriſconſulto cui nubit adultera coniunx,
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis unde ſit hæc diſtantia? ſemiuir ipſe
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Eum notat qui a clientelis inops, nec donum nec munus ab ullo capiebat.

Titia agraria. Tulit, opinor, Sex. Titius Trib. pleb. M. Antonio. A. Poſthumo Coſs. Anno DCLIII. Vt uectigal agris publicè aſsignatis impoſitum. Quæſtor colligeret. Cic. lib. 2. De orat. pro Muræna. Valer. lib. 8. cap. 1.

THORIA agraria. Tulit Sp. Thorius Tribu.pleb. Ne agri amplius diuiderentur, ſed poſſeſſoribus in iis relictis, uectigalia pro iis penderentur, eaq́; pecunia populo diuideretur. τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. Hæc Appian.lib. De bello ciuil.1.qui ſubiungit non multo pòſt latam fuiſſe legem qua uectigal illud abrogatum eſt. At Cic.in Bruto lege Thoria id factum tradit. Sp.Thorius,ait,ſatis ualuit in populari genere dicendi,is qui agrum publicum uitioſa & inutili lege, uectigali leuauit. Idem præterea in lib.De orat.2.ſcribit Lucilium lege Thoria poſtulatum fuiſſe, quòd ab eius pecore agri publici depaſti eſſent. Corruptè autem apud Appianum Borius legitur, pro Thorius: ut alia in hoc genere quàm multa.

TREBONIA de Trib.pl. Tulit L. Trebonius Trib. pleb. Herminio, Virginio Coſ. An. CCCV. Vt qui plebem Romanam Tribunos pleb.rogaret, is uſque eò rogaret, dum x. Tribunos pl.faceret. Qua lege Tribunorum cooptatio collegio adempta in populum R. translata eſt. Liuius lib.3.&.5.

TREBONIA de Cæſare. Tulit A. Trebonius Tri.pl. Pompeio & Craſſo iterum Coſs. An. DCXCVIII. Vt Cæſari imperium in Gallia in aliud quinquennium quàm quod ei Vatinia lege conceſſum erat, prorogaretur. Ita Trebonius Senatui ſucceſſoris mittendi poteſtatẽ adimebat. Cic.li.ad Atti.7.8.9.10. Item Flor.Epit.10.5. Plutarc.in Pomp. & Cat.Vticenſ. Dio lib.39.

TREBONIA de Pompeio. Tulit idem. Vt iis Cõſulib. Syria & Hiſpania Prouinciæ in quinquennium darentur. Plut.in Pomp.

TRIBVNITIA lex dicitur quæ de Tribunorum poteſtate lata eſt. Feſtus libr.17. Homo ſacer is eſt, quem populus iudicauit ob maleficium, neq; fas eſt eum immolari: ſed qui occidit, parricidij non damnatur. Nam lege Tribunitia prima cauetur, Si quis eum qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricidia ne ſit: Quibus uerbis Feſtus Sacratam Iuniam quam ſuo loco expoſuimus, ſignificat. Cic. Verrina, 2. Vident adhuc poſt legem Tribunitiam unum Senatorem uel tenuiſsimum eſſe damnatum. Quibus uerbis Pompeiam legem intelligit.

TRIBVNITIA lex nominatur, à Pomponio dicam, an Triboniano? in.l.2. De orig. iuris, ferè initio. Exactis deinde Regibus lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt. At lata ea lex eſt à Iunio Bruto Conſule, non Tribuno, uti Liuius teſtatur. Rurſus quod nonnullis placet, à C. Terentio Arſa Tribuno pleb. latam eſſe, Lucretio, Veturio Coſs. Anno CCXC. quo anno ſcribit Liuius latam fuiſſe legem ab illo, Vt Quinqueuiri crearentur legib. de Imperio Conſulari ſcribendis: non ſatis facit. diſerte namque Liuius perlatã eam legem non fuiſſe affirmat. Ceſſit, inquit Liuius, ad ultimum maieſtati Trib.pl. & deſtitit. Videndum ergo utrum apud Pompo. mendum ſit, & legendum LEGE BRVTI IVNIA: an potius Pomponius à Liuio diſſentiat, & à Bruto Celerũ Tribuno legem latam exiſtimet, nec dum Conſulatum adepto. nam cum Celerum Tribunum fuiſſe, in ead. lege, §.8. confirmat.

TVLLIA de legationibus liberis. Tulit M. Tullius Cic. Conſul cum M. Antonio, Ann. DCXC. Ne ſicut antea infinitum, ſed annum tempus earum eſſet. Idem lib. de Legib.2.

TVLLIA de ambitu Tulit idem. Ne quis munus gladiatorium biennio quo magiſtratum petierat, petiturusve erat, ederet, niſi ex Teſtamento præſtituta die. Vt ſenatoribus ambitus damnatis aqua & igni ad annos decem interdiceretur. Vt in plebem pœna grauior eſſet, quàm lege Calpurnia fuiſſet. Vt reis morbum excuſantibus, pœna certa eſſet. Cice. pro Muræna, pro Sextio, in Vatin. Dio lib.37.

V

VALERIA de prouocatione & libertate populi. Tulit P. Valerius Policola Coſs. ſolus, Bruto collega mortuo, An. CCXLIIII. Vt aduerſus omnes magiſtratus, ad populum prouocatio eſſet. Ne quis magiſtratus ciuem R. aduerſus prouocationem uerberare, aut necare, aut pecunia multare uellet. Ne quis Romæ imperiũ haberet, niſi cui à populo datum eſſet, ſacrumq́; eſſet cum bonis caput eius qui regni occupandi conſilia iniſſet. Vt capitale eſſet, ſi quis iniuſsu populi magiſtratum adijſset. Vt quinque boum & duarum ouium multa eſset. Vt pecuniæ publicæ in æde Saturni reconderentur, duoq́; ærarij Quæſtores crearentur. Vt plebs à portoriis & tributis præſtandis liberaretur. Liuius li. 1. Diony. lib.5. Plut. in eius uita. Val. Max. li.4. ca.1. Pomp. De orig. iur.

VALERIA de prouocatione. Tulit L. Valerius Conſul cum M. Horatio, An. CCCIIII. Ne quis ullũ magiſtratum ſine prouocatione crearet: qui creaſſet, eum iusq́; fasq́; eſſe occidi, neve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Liuius li.3. Diony.10. Eodem anno lata fuerat Duilia, qua de Conſulibus tantùm cauebatur. Vide Horatia.

VALERIA de prouocatione. Tulit M. Valerius Coſs. cum Q. Appuleio, Anno CDLIII. Ne quis qui prouocaſſet, uirgis cæderetur, ſecurive necaretur: ſi quis aduerſus ea feciſſet, improbè factum. Liuius lib.10. Diligentius, inquit, quàm aliæ ſancta eſt: tertiò tum poſt Reges exactos lata, ſemper à familia eadem.

VALERIA de ære alieno. Tulit L. Valerius Flaccus Coſs. cum C. Cinna in Marij demortui locum ſuffectus, An. DCLXVII. ut creditoribus quadrãs ſolueretur. Paterculus lib.2.

Valeria de Syllę dictatura. Tulit L. Valerins Flaccus Interrex à Senatu proditus, deſtituta Conſulibus ciuitate, Carbone & Mario interfectis. Vt L. Sylla perpetuns Dictatot Reip. conſtituendæ cauſſa crearetur, & quæcunque is aut tanquam Conſul, aut tanquam proconſul geſsiſſet, rata eſſent. Cicero Verrin. 4. in Rullum, Appian. De bell. ciuil. 1.

Valeria de proſcriptis. Tulit idem. Vt eorum bona ueneant qui proſcripti ſunt, aut eorum qui in aduerſariorum præſidijs occiſi ſunt. Vt proſcriptiones uenditionesque ad diem Cal. Iuniarum fiant. Cicero pro Sex. Roſcio, ubi contumelioſè in Syllam; utrum Valeria an Cornelia dicenda ſit, neſcire ſe ſcribit. In Verrina 3. caput Corneliæ memoratur. Ne quis teſtamento proſcriptum iuuaret. Sed ego neque à Valeria, quæ nomine ſic dicebatur; cùm re hac ueritate eſſet Cornelia, id abiudico: neque ad uerba, ſed ſententiã legis id refero. nã ſi aqua & igni eis interdictũ erat, nihilo magis teſtamento, quã inter niuos eis largiri licebat.

Valeria de iure ciuitatis. Tulit Q. Valerius Tribunus pl. Martio, Sex. Iulio Coſs. Ann. DCLXII. Vt de iis qui ſocios ius ciuitatis appetentes clam palamve iuuiſſent, quæſtio haberetur. Appianus lib. De bello ciuil. 1.

Valeria de defectione militum. Tulit M. Valerius Coruus Dictator, Anno CDXII. Ne cui militum ſeceſsio quam metu ſupplicii fecerant, quũ de Capua quæ ipſorum pręſidio cõmiſſa erat occupanda conſpiraſſent, eorumque conſilium detectum eſſet, fraudi eſſet Liuius lib. 7.

Valeria de iure ſuffragii. Tulit C. Valerius Tappo Tribu. pleb. Valerio, Liuio Coſs. Anno DLXV. Vt Formianis, Fundanis, Arpinatibus ſuffragii latio (nam antè ſine ſuffragio habuerunt ciuitatem) eſſet. Liuius lib. 38.

Varia maieſtatis. Tulit Q. Varius propter obſcurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Trib. pleb. aduerſus interceſsionem collegarum. Vt quæreretur de iis quorum opera conſiliove ſocij contra populum Ro: arma ſumpſiſſent. Aſconius in Orat. pro Scauro, & pro Cornelio: & in ijſdem Tullius. Val. Max. lib. 8. cap. 6. Cic. Tuſcu. 2. & in Bruto.

Vatinia de Cæſaris pronincìis. Tulit P. Vatinius Trib. pl. C. Cæſare, M. Bibulo Coſs. Anno DCXCIIII. Vt C. Cæſari Gallia Ciſalpina cum Illyrico in quinquenniũ ſine ſenatus decreto, & extra ſortem mandaretur. Vt ii quos in lege nominabat, Legati, ſine Senatus decreto cum Cæſare proficiſcerẽtur. Vt eidem pecunia ex ærario ad exercitũ attribueretur. Vt idem coloniam Nouumcomũ deduceret. Tranquillus Cæſare. Pro Balbo, & epiſt. ad Lentulũ. Salluſtius in Iugurth. Plutarchus in Vita. & præſertim Cic. in Vatiniana hoc loco, Eripuerasne Senatui prouinciæ, &c. quo ex loco coniecturam capio locum illum in media Oratione corruptũ eſſe, ubi ſic legitur, Eripueriſne partes illo tẽpore chariſsimas, partim à Cæſare, partim à publicanis: legendũq; Partim à Senatu. ut partes intelligantur ſubminiſtrandę pecuniæ, cùm Senatus ærarii diſpenſationem haberet, publicani ſæpe Rempub. pecunia iuuarent. Mendũ ex nota Se. ortum uidetur, pro qua imperitus ſcriptor Cęſare re poſuit.

Vatinia de repetundis. Tulit idẽ. Vt qui repetundarũ reus eſſet, ei alterna conſilia reiicere liceret. Cic. in Vatin. ubi Commodiorẽ conditionẽ reiectionis, pro Contentionem legendum arbitror.

Velleia de hæredũ inſtitutiõe. Vide Iuniæ Velle.

Villia annalis. Tulit L. Villius Trib. pl. L. Mãlio, Q. Fuluio Coſ. An. DLXXIIII. Quot annos nati quẽq; magiſtratũ peterent, caperẽtq; Liui. li. 40. Villius aũt Carolus Sigonius uir doctiſ. repoſuit ꝓ Iulius. Hãc legẽ ſignificat Oui. in Faſt. quũ ait.

Iura dabat populo ſenior, finitaq; certis.
Legibus eſt ætas, unde patur honos.

Annus aũt fuit Quæſturæ quidẽ non aute XXVII. Tribunatus XXX. Aedilitatis XXXVII. Præturæ XL. Conſulatus XLIII. Et quod de Quæſtura diximus, aptè congruit cũ eo quod Polyb. li. 6. ſcribit, legẽ fuiſſe, ne quis urbanũ magiſtratum gereret, niſi decẽ ſtipendia confeciſſet. Annus autẽ ad militandum legitimus fuit decimusſeptimus.

Viselia de libertinis. Tulit (opinor) L. Viſellius Varro Coſ. cũ C. Fonteio, An. DCCLXVIII. Ne libertinis hominibus qui ius annulorum aureorũ adepti non erant, eos honores qui ingenuorum proprii ſunt capere liceret. Imp. l. unica. C. ad leg. Viſell. l. 1. C. quando prin act. crim. præiud. Vlpia. ca. Inſt. 3. Viſcellia tamen vbiq; legitur, mendoſè; quum Viſelliorum familia nota ſit. cuius erat C. Viſellius Varro, Ciceronis conſobrinus, vt conſtat ex Bruto.

Vnctaria lex. * Dici cœpta eſt, quã L. Sulla. & Q. Pompeius tulerunt, qua ſancitum eſt, ut debitores decimam partem * * *. Hęc apud Feſtum: nec plura leguntur.

Voconia de mulierũ hęreditatibus. Tulit Q. Voconius Saxa Trib. pl. Cæpione & Philippo Coſs. An. DXXCIIII. Ne qui cenſus eſſet, uirginẽ neve mulierẽ ſupra quadrantẽ ſuorũ bonorum hæredẽ inſtitueret: plus ve cuiquã legaret, quàm ad hęredẽ hæredesve perueniret. Ne fœminæ ultra conſanguineos ab inteſtato ſuccederẽt. Cic. Verr. 3. De ſenect. De finibus. 2. Dio lib. 56. Gellius li. 7. ca. 13. & li. 17. cap. 5. Auguſtinus lib. De ciuitate Dei 3. Florus in Epit. lib. 41. ubi Volumnius legitur pro Voconius. Paul. lib. Sent. 4.

LEGVM, QVARVM INCERTA SVNT NOMINA, RECENSIO.

LEGES publicorum iudiciorũ, ut antè ſi reo cõmodũ ſit, iudiciũ de accuſatore fiat, utrũ

illi liceat accuſare, necne. Cornifi. ad Heren. li. 1.

Lex, Ne quis urbanum magiſtratum caperet, niſi qui decem ſtipendia conteciſſet. Polyb. lib. 6.

Lex ſemunciarij fœnoris. Tulit. T. Manlio Torquato, C. Plautio Coſs. Anno CDVI. Liuius libro 7.

Leges de ambitu. Ne quis candidatus nomenclatore in magiſtratus petitione uteretur. Plutar. in Cat. Vtic. Vt qui competitorem ſuum ambitus dãnaſſet, pro eo ſubſtitueretur. Cicero pro Syllana. Vt qui quempiam ambitus damnaſſet, eius tribũ aſſequeretur. Cicero pro Balbo. Vt qui de ambitu damnatus alium eodem crimine damnaſſet, in integrum reſtitueretur. Cicero pro Cluentio. Vt accuſatori cuſtos apponeretur, qui uideret, quæcunque ad accuſationem pararet atque ageret. Plutar. in Cat. Vtic.

Lex de Cn. Publicio Menandro homine libertino, quem legati in Græciam proficiſcentes interpretem ſecum habuerunt, ut ſi domum reuertiſſet, & inde Romam rediſſet, ne minus ciuis eſſet. Cicero in ea pro Balbo. Pomponius autem in l. 5. D. de capt. & poſtlim. Et ideo, inquit, in quodam Menandro, qui poſteaquam apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos: non eſt uiſa neceſſaria lex de illo, ut maneret ciuis Romanus. Nam ſiue animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos, deſinebat eſſe ciuis: ſiue animus erat reuertendi, manebat ciuis: & ideo lex fuit ſuperuacua. De eodem Menandro Ciceronis locum illum in libro De Orat. primo, intelligendum arbitror, Similique in genere, inferiore ordine, ſi quis apud nos ſeruiſſet ex populo fœderato, ſeſeque liberaſſet, ac poſtea domum reueniſſet, quæſitum eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio redijſſet, & amiſsiſſet hanc ciuitatem.

Lex de militia. Vt qui ciuem ab hoſte ſeruaſſet, is ab Imperatore quercea corona donaretur. Plutarch. in Coriol. Item, Ne cuius militis ſcripti nomen, niſi ipſo uolente: deleretur. Liuius libro ſeptimo. Item, Ne quis loco ab Imper. deſignato cederet, atque ordinem deſereret. Diodor. lib. 12.

Lex de carminibus infamibus. Donatus in Terentium, Sed quum poetæ abuti licentius ſtilo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos: ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret lege lata, ſiluere.

— Lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.

Hæc Donatus, ex Horatii libro De arte. Idem etiã in libro Epiſtol. ſecundo, ad auguſtum legem eandem, his uerſibus ſignificat,

— Quinetiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquã
Deſcribi, uertere modum formidine fuſtis,
Ad benedicendum, delectandumque redacti.

Sed hanc XII. tab. legem eſſe arbitror, de qua Cic. li. 4. de Rep. ſcribit apud Auguſt. lib. de Ciuit. 2.

Eas autem leges peculiarem in librum retuli, quẽ ſi Dei uoluntas ferat, abſolutis Inſtit. Commentarijs, perpoliam.

Lex de ciuitate Romana. Mutini Libyphœnique danda, qui quum ab Annone Carthaginenſium Imperatore cuius præfectus fuerat, dignitate ſua ſpoliatus eſſet, Agrigentum Romanis prodidit. Liuius lib. 27.

Lex de Dictatore. Ne Dictatori equum conſcendere liceret. Plutarch. in Fabio Max.

Lex de C. Seruilio. Tulit. Cn. Seruilio, C. Seruilio Coſs. Anno DL. Ne illi fraudi eſſet, quòd patre qui ſella curuli ſediſſet, uiuo, quum id ignoraret: Tribunus pl. atque Aedilis pleb. fuiſſet, contrà quàm ſancitum legibus erat. Fuerat autem C. Seruilij pater annos X. apud hoſtes Boios captiuus. Liu. lib. 27. & 30.

Lex de comitiis. Ne in comitiis magiſtratuum abſentum ratio haberetur. Suet. & Plutar. in Cæſare.

Lex de pecunijs repetundis. Ne cui qui in prouincia cum imperio aut poteſtate eſſet, capere aut cõciliare pecunias liceret, extrà quàm ſi ad templũ & monimentum exigeret. Cicero 1. Epiſtol. ad Q. Frat. & Verrin. 5. & 1. Epiſt. lib. 6. ad Att.

Lex ne quis præſidum munus donũ caperet, niſi eſculentũ, potulentum, quod intra dies proximos prodigatur. l. plebiſcito, 18. D. de offi. præſid.

Lex Auguſti tempore lata ut præfecto Aegypti imperium par proconſuli daretur: commemoratur ab Vlp. l. 1. D. de offic. præt. Auguſt.

Lex agraria paulo poſt C. Gracchi necem lata, νῦν γῆν ὑπὲρ ἧς διεφέροντο ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε. id eſt, Vt liceret ijs qui agrum lege Sempronia poſsidebant, uendere. Hoc enim lex Ti. Gracchi uetabat. Appian. lib. De bello ciuil. 1.

Lex lata Papirio, Caruilio Coſs. Anno CDXL. Vt qui iuniorum non conueniſſet ad Imperatorium edictum, quique iniuſſu abiiſſet, caput Ioui ſacratum eſſet. Liuius lib. 10.

Leges de comitijs. Ne is qui comitijs præeſſet, ſui rationem in magiſtratu petendo haberet. Liuius lib. 10. Ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Cic. De legib. lib. 3.

Lex ut rei frumẽtariæ procuratio Sex. Clodio adẽpta Cn. Pompeio mandaretur. Cic. Pro domo ſua. Plutar. in uita. Dio lib. 39.

Lex de repetundis. Vt euntibus in prouincias inquirendi in eos cauſſa, quos repetundarum reos fecerant, certus comitum numerus eſſet. Vt literæ ex prouincia deportatæ triduo ad Prętorem deferrentur, iudicumque ſignis obſignarentur. Vt accuſatori ſex tantùm horæ darentur. Cicero pro Flacco, ubi recentem hanc legem appellat. unde apparet inter Corneliam & Iuliam aliquam fuiſſe: cùm id de neutra intelligi poſsit.

Lex apud Romanos. Vt neque libera neq; ſerua liberet uinum, neq; uerò clarorum uirorum quiſpiā à pube uſq; ad xxxv. annum. Aelianus lib. 2.

Lex de magiſtratibus. Vt numerus liberorum in cādidatis præpolleret. Cornel. Tacit. lib. 2. Videtur legis Papiæ Poppeę pars fuiſſe.

Lex, Ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret, quod propter M. Manlium Capitolinum factum eſt. Liu. lib. 6.

Lex ex auctoritate patrum ad populum lata, ut Priuernatibus ciuitas daretur. Liuius lib. 8.

Lex de ſacerdotijs. Ne duo ex eadem gente idem ſacerdotium haberent. Dio lib. 39.

Lex pecuniaria. Ne quis in argento uel auro plus LX. H-S. poſsideret, quam legem Iulius Cæſar II. Coſ. confirmauit. Dio 41.

Lex de Quæſtoribus. Vt Quæſtoribus anno confecto redire ex prouincia liceret. Plutar. in Gracchis.

Lex de militia. Vt ciues R. annos x. cùm uſus Reip. poſtularet, militarent. Plutar. in Gracchis.

Lex, qua Flaminica Dialis ſactorū cauſa in poteſtate uiri, cetera ꝓmiſcuo iure ageret. Tacit. li. 4.

Lex quæ ſumptum ſepulcrorum definiebat, & qui eum modum ſuperaſſet, tanta pecunia quantam præter modum impendiſſet, multabat. Cicero ad Attic. lib. duodecimo, Epiſt. 33.

Lex, P. Scipione, C. Liuio Coſs. lata per unum è Tribun. pleb. Anno DCVI. Vt Belli Punici ſecundi administratio P. Scipioni Conſuli mandaretur, ut ex delectibus ſupplementum conſcriberet, uoluntarios quotquot poſſet à ſocijs acciperet, & ad reges ac ciuitates literas daret in ſcriptas populi Rom. nomine. Appian. De bell. Punicis.

Lex Caſtrenſis apud Romanos. Quæ pro deſerto re habet, ſi quis ulterius ſecedat, quàm unde ſigna audiri poſsint. Appian in Libyco.

Lex de Tribunis pleb. Εἰ δήμαρχος ἐνδέοι ταῖς παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. Vt ſi Tribunus nondum promiſſa præſtiterit, eius in primis ratio à populo Comitijs Tribunitijs habeatur. Appian. De bel. ciuil. 1.

Lex de triumpho. Ne quis triumpharet, niſi qui hoſtium quinq; millia una acie cæcidiſſet. Valer. Max. libro ſecundo, cap. tertio, & Dio lib. 37. Vt ſolis Conſulib. & Ducib. triumphare liceret. Plutarchus in Pomp. & Caton. Vtic. Ne qui triumphaturus erat, ante triumphum urbem introiret. Plutar. in Pomp.

Lex de trigeminis. ὁ. κελεύσα, ὅτι γένοιντο τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης. Vt quibus trigemini liberi nati erant, ijs ad alendos pueros ſumptus de publico ſuppeditetur. Dionyſius lib. tertio, qui propter Horatiorum laudem eam tam ſuoq; adhuc tempore obſeruatam ſcribit.

Lex de uacatione. Appian. De bello ciuil. libro ſecundo, ſic ſcribit: ὧ τω δ' ὅτι ῥωμαίοις ἐπίφοβα, ὡς νόμῳ τῶν περὶ ἀστρατείας ἱερέων καὶ γερόντων ἐγγραφῆναι, πλὴν εἰ μὴ κελτικὸς πόλεμος ἐπίοι, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. Vſque eò, inquit, Galli Romanis terribiles & formidoloſi ſunt, ut ī lege de uacatione militiæ, quæ ſacerdotibus & ſenibus permittitur, illud aſſcriptum ſit, niſi ſi bellum Gallicum exoriatur. tum enim & ſenes & ſacerdotes in militiam proficiſci. Liuius quoque libro octauo tradit, exorto tumultu Gallico, Mamercum Coſ. iuſſum ſcribere exercitum ſine ulla uacationis uenia. quin opificum quoque uulgus, & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Idem pręterea libro decimo, ubi de eodem nuncio commemorat: Senatus, inquit, Iuſtitia indici, delectum omnis generis hominum habere iuſsit, nec ingenui modò, aut iuniores ſacramento adacti ſunt: ſed ſeniorum etiā cohortes factæ, Libertiniq; centuriati. Plutarc. præterea in uita M. Marcelli, de Gallis loquens: οὓς μάλιστα, inquit, ῥωμαῖοι δεῖσαι δοκοῦσιν, ἅτε δὲ καὶ τὴν πόλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποβαλόντες, ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ θέμενοι νόμον, ἀτελεῖς εἶναι στρατείας τοὺς ἱερέας, πλὴν εἰ μὴ γαλατικὸς πάλιν ἐπέλθοι πόλεμος id eſt, Quos maximè Romani metuiſſe uidentur, quippe à quibus urbe pulſi aliquando fuerant, ac iam tum legem tulerant, ut uacatio militiæ ſacerdotibus eſſet, præterquam ſi rurſus bellum Gallicum exoriretur. Item in Camillo: οὕτω δὲ ἦν ὁ φόβος ἰσχυρὸς, ὥστε θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας, χωρὶς ἂν μὴ γαλατικὸς ᾖ πόλεμος id eſt, Tantus erat Gallorum metus, ut legem Romani tulerint, ut ſacerdotes militiæ uacationem haberent, præterquam ſi bellum Gallicum exoriretur. Tumultu tamen, non bello Gallico, hanc fuiſſe cōſuetudinem, Cicero Philippica octaua docet is uerbis: Grauius autem eſſe tumultum, quam bellum, hinc intelligi poteſt, quòd bello Gallico uacationes ualent, tumultu non ualent. Huius legis etiam in ea pro Fonteio meminit.

LEGVM ROM. INDICIS

FINIS.

EIVSDEM HOTOMANI

MAGISTRATVVM ROMANORVM
Accommodata ad literarum ordinem deſcriptio.

AEDILES plebis duo primùm creati ſunt Anno CCLXI. auctore Dionyſ.Halic. lib. 6. Curules uerò Anno CCCLXXXVIII.ut Liuius in fine li.6. teſtatur. Vtrique magiſtratum Calend.Ianuar.inibant,ut Cic.Verr.2.eſt auctor.Curulium autem triplex fuit procuratio. primùm ut ludos facerent:deinde ut ædes ſacras, publicasq́; item uias publicas tuerentur: poſtremò ut ne in mancipiorum uenditione & menſuris fraus admitteretur. quod ex Verrina 7. & edicto Curulium intelligitur, quod extat lib.Panc.21.His ergo de rebus quemadmodum anno ſuo ius dicturi eſſent,Prætorum exemplo edicebant. deinde in ſella curuli conſidentes,ex edicto ſuo ius reddebant.nam ſellam curulem eos habuiſſe,idem Ciceronis locus oſtendit. Plebeiorum autem quadripartitam Dionyſius Halyc. procurationem facit in lib.6. Vt eſſent Tribunorum pleb. adminiſtri, cùm res poſtularet.de rebus ad ſe ab illis delatis iudicarent.loca ſacra & publica tuerentur. annonæ curam ſuſciperent.Cùm autem Curulibus Cicero ſacrarum & publicarum ædium procurationem attribuat,arbitror diſtinctam poſtea eorum curam ita fuiſſe,ut Curules ludos omnes præter plebeios,hi plebeios ſolos curarent: illi ædes ſacras & publicas, itemq́ue uias, hi priuatas & cloacas tuerentur: illi mancipiorum uenditionibus, hi annonæ præeſſent. Tullius autem in lib. De legib.3.hæc omnia permiſcet, nec ſingula ſingulis attribuit. Suntoq́ue Aediles,ait, curatores urbis, annonæ,ludorumq́; ſolennium. Cùm autem Aediles plebis Tribunorũ adminiſtri tantùm eſſent, nec propriam Iuriſdictionem haberent,ſed de rebus tantùm ad ſe Tribunorum arbitrio delatis cognoſcerent,edictum eos nullum propoſuiſſe uериſimile eſt. Nunc ueterum ſcriptorum auctoritates, ex quibus adoleſcentes de huiuſce magiſtratus ui ac poteſtate æſtimare poſſint,ſubiiciemus. Varro lib. De lingua Lat.4.Aedilis, qui ædes ſacras & priuatas procuraret. Cicero Verrina 7. Nunc ſum deſignatus Aedilis: habeo rationem quid à populo R.acceperim:mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cerimonia Cereri,Libero, Liberæq́ue faciendos:mihi Floram matrem populi R.plebique Rom.ludorum celebritate placandã mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati,maxima cum dignitate ac religione,Ioui,Iunoni,Mineruæq́ue eſſe faciundos:mihi ſacrarum ædium procurationem:mihi totam urbem tuendam eſſe commiſſam. Liuius in fin. lib. 6.de Curulibus. Recuſantibus ferias Latinas curare Aedilibus plebeiis, conclamatum à patriciis eſt iuuenibus,ſe id honoris Deum immortalium cauſſa libenter acturos,ut Aediles fierent. quibus cùm ab uniuerſis gratiæ actæ eſſent, factum S.C. ut duos uiros Aediles ex patribus Dictator populum rogaret,patres actores omnibus eius anni comitiis fierent. Aediles idem ſcribit libro 30. & uiatores & ſcribas habuiſſe. Pomp. l. 2. De orig. iur.Itemq́ue ut eſſent qui ædib.præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat: duos ex plebe cõſtituerunt,qui etiam Aediles appellati ſunt. Idem,Tunc ut aliquo pluris Patres haberentur, placuit duos ex numero patrum conſtitui. ita facti ſunt Aediles Curules. Zonaras libro ſecundo, οὕτω μὲν οὖν ἡ τῶν δημάρχων δυναστεία συνέστη. οἷς καὶ ἀγορανόμους δύο προσείλοντο, ὥσπερ ὑπηρέτας σφίσιν ἐσομένους πρὸς γράμματα. πάντα γὰρ τά τε παρὰ τῷ πλήθει καὶ τὰ παρὰ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς γραφόμενα λαμβάνοντες, ὥστε μηδὲν σφᾶς τῶν πραττομένων λανθάνειν ἐφύλασσον. τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ἐπὶ τούτῳ ἡροῦντο, καὶ ἐπὶ τῷ δικάζειν, ὕστερον δὲ καὶ ἄλλα ἄττα, καὶ τὴν τῶν ὠνίων ἀγορὰν ἐπετράπησαν, ὅθεν καὶ ἀγορανόμοι τοῖς ἑλληνίζουσιν ὠνομάσθησαν. i. Atque hoc quidem modo Tribunorum poteſtas conſtituta eſt. quibus duo etiam Aediles adiuncti ſunt: quorum miniſterio atque opera in literis ac tabulis publicis uterentur. Omnia enim plebiſcita,& leges,& Senatuſconſulta in literas relata,Aediles accipiebant,ac ne quid illos eorum quę in repub.gerebantur, latere poſſet, aſſeruabant. His igitur de cauſſis Aediles à principio creati ſunt,Itemq́ue ut ius dicerent. Poſtea uerò cum alia nonnulla,tum etiam rerum uenalium forum eis commiſerunt: qua de cauſſa ἀγορανόμοι a Græcis nominati ſunt. Reperio præterea Aediles de ſtuprorum licentia quam mulieres profitebantur,decreuiſſe. Tacitus libro ſecundo, Eodem anno grauibus Senatus decretis libido fœminarum coercita,cautumq́ue ne quæſtum corpore faceret,cui anus,aut pater, aut maritus eques R. fuiſſet. nam Veſtilia Prætoria familia genita licentiã ſtupri apud Aediles uulgauerat,more inter ueteres recepto,quo ſatis pœnarum aduerſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant. Suetonius in Tiberio, Fœminæ famoſæ ut ad euitandas legum pœnas iure ac dignitate matronali exoluerentur,lenocinium profiteri cœperunt: & ex iuuẽtute utriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque famoſam iudicii notam ſponte ſubibant.

Iidem

Iidem ptæterea quæ itet in publica uia impediebãt, frangere atque conſcindere poterant:ut intelligitur ex l. 12.D.de peric.& comm. menſuras item iniquas confringere. l. 13.§.8.D. locat. qua de re Iuuenalis ſic:

Et de menſura ius dicere,uaſa minora,
Frangere pannoſus uacuis Aedilis Vlubris.

Item in uenalitios animaduertere.l. 12.D. de decurionib.Scribit etiam Tacitus lib. 13. Aediles pignora cepiſſe,& multam irrogaſſe. Cohibita, inquit,arctius & Aedilitia poteſtas. ſtatutumque quantum Curules,& quãtum plebeij pignoris caperent. Dio lib.53.in fi.An. DCCXXXI. Aedili cuidam plebis mortuo C.Calpurnius,qui tamen antè Aedilis Curulis fuerat,ſucceſsit, quod alias factum fuiſſe, memoriæ proditum nuſquam eſt.Feſtus Pomp.Aedilis initio dictus eſt magiſtratus, qui ędium non tantùm ſacrarum,ſed etiã priuatarum curam gerebat. Poſtea hoc nomen & ad magiſtratus translatum eſt. Dictus eſt autem Aedilis,quòd facilis adi eum plebi aditus eſſet.Sed & Aedilatus dicebatur eadem diguitas, ſicut Pontificatus.

Gellius lib. 13.cap. 14.Qui poteſtatem ueque uocationis populi uiritim habent,neque prehenſionis, eos magiſtratus à priuato in ius quoque uocari eſt poteſtas.M.Lepidus Aedilis Curulis, à priuato ad Prætorem in ius eſt eductus:nunc ſtipati ſeruis publicis non modò prehendi non poſſunt, ſed etiam ultrò ſummouent populum. Plutarchus in Mario,Poſt Tribunatum maiorem Aedilitatem petiuit.Duo enim erant ordines Aedilium: alter in quo ipſi Aediles in iure dicẽdo ſellis incuruos pedes habentibus utebantur:& hic nomen magiſtratus retinebat.alterum plebeium magiſtratum appellabant.Quibus ex uerbis intelligitur quod etiam ſuperius ex Verrina 7.docuimus: Aediles Curules,ſellam curulem habuiſſe.quod etiam Liuius lib.7.confirmat,ubi & de prętexta toga loquitur:Non parentibus, iuquit, Tribunis, quòd pro Conſule uno plebeio tres patricios magiſtratus curulibus ſellis prætextatos tanquam Conſules ſedentes nobilitas ſumpſiſſet. Eodem die de utroque comitia fiebant. Liuius li. 3. Iuſtitutum eſt etiam ab iiſdem Conſulibus, ut Senatuſconſulta in ædem Cereris ad Aediles pl.differenter,quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur,nunciabanturque.

Aediles cereales. Pomp. l. 2. De orig. iur. Deinde C. Iulius Cæſar duos Aediles creauit, qui frumento præeſſent, & à Cerere Cereales conſtituit.Dio lib. 43. in fi.Anno ab V. C. DCCX. primùm ſex Aediles ſuut couſtituti,duo patricii, qui Cereris Aediles dicerentur,quatuot plebeii:isque mos ad noſtram uſque ætatem pèrductus eſt.

CENSORES.

Censores duo primùm creati ſunt, Papirius & Semprouius,Anno CCCX.auctor Liuius lib.55. & lib. 10.Varro lib. De ling. 4. Cenſor, ad cuius cenſionem,id eſt arbitrium, cenſeretur populus. Feſtus lib. 3.Cenſores dicti,quòd rem ſuam quiſque tanti æſtimare ſolitus ſit,quantum illi cenſuerint. Liuius lib.4.Cenſores dicti,quòd ceuſui agẽdo præeſſent.Cicero De legib. 3. Cenſores populi æuitates,ſoboles,familias,pecuniasque cenſento.Vrbis templa,uias,aquas, ærarium, uectigalia tuentor:populique partes in tribus diſtribuunto. ex in pecunias,æuitates,ordines partiuntor.Equitum,peditumque prolem deſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento.mores populi reguuto.bini ſuunto.magiſtratum quinquennem habento.eaque poteſtas ſemper eſto.Pedianus in Diuinat. Cic. Regendis moribus ciuitatis Cenſores quiuto quoq; anno creari ſolebant.hi prorſus ciues ſic notabãt, ut qui ſenator eſſet,eijceret ſenatu,qui eques Romanus,equum publicum perderet: qui plebeius, in Ceritum tabulas referretur, & ęrarius fieret. ac per hoc non eſſet iu albo centuriæ ſuæ, ſed ad hoc eſſet ciuis tantùm, ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet.ijdem completo quinquennio urbem luſtrabant,& Suouetaurilia ſacrificia, de ſue,oue,tauro,faciebant.eorum notam ſucceſſores plerunque ſoluebant.Zonaras lib. ſecundo: Κεχειροτόνηντο δὲ, ὅτι οἱ ὕπατοι ἀδύνατοι ἐπὶ πάντας διὰ τὸ πλῆθος ἐξαρκεῖν ἦσαν. τὰ γὰρ τοῖς τιμηταῖς ἀπονεμηθέντα προνόμια ἐκεῖνοι μέχρι τότε ἐποίουν. δύο τε ἦσαν οἱ τιμηταὶ ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐκ τῶν εὐπατριδῶν. ἦρχον δὲ τὰ μὲν πρῶτα καὶ τὰ τελευταῖα ἐπὶ πενταετίαν. ἐν δὲ τῷ μέσῳ χρόνῳ ἐπὶ τρεῖς ἑξαμήνους, καὶ ἐγένοντο τῶν ὑπάτων μείζους, καίτοι μέρος τῆς ἐκείνων λαβόντες ἀρχῆς. ἐξῆν δὲ αὐτοῖς τάς τε προσόδους τὰς κοινὰς ἐκμισθοῦν καὶ τῶν ὁδῶν, καὶ τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῆς ἑκάστου εὐπορίας ἐξατελεῖν, καὶ τὸν βίον τῶν πολιτῶν ἐπισκοπεῖν τε καὶ ἐξετάζειν, καὶ τοὺς μὲν ἀξίους ἐπαινεῖν ἐς τὰς φυλὰς καὶ ἐς τὴν γερουσίαν ἐγγράφειν, καθὼς ἑκάστοις προσήκειν ἐνομίζετο. τοὺς δὲ κακῶς βιοῦντας ἁπανταχόθεν ὁμοίως ἐπαλείφειν, ὃ μεῖζον πάντων ἦν τῶν τοῖς ὑπάτοις καταλειφθέντων. ὤμνυον δ᾽ ὅρκους ἐφ᾽ ἑκάστῳ πεποίηντο, ὡς οὔτε πρὸς χάριν, οὔτε πρὸς ἔχθραν τί ποιοῦσι, ἀλλ᾽ ἐξ ὀρθῆς γνώμης τὰ συμφέροντα τῷ κοινῷ καὶ σκοποῦσι καὶ πράττουσι. καὶ τὸν δῆμον ἐπί τε νόμων εἰσφοραῖς καὶ τοῖς ἄλλοις συνήθροιζον, καὶ τῷ τῶν μειζόνων ἀρχῶν κόσμῳ πλὴν ῥαβδούχων ἐχρῶντο. id eſt, Creati autem propterea Cenſores fuerunt, quia Conſules rebus omnibus propter earum multitudinem ſufficere non poterant. nam Conſules omnem illam quæ tum Cenſoribus attributa eſt præfecturam,ad illud uſq; tẽpus geſſerant. Sunt autem à principio duo,ijque ex Patricijs creati: qui piimis & poſtremis temporibus magiſtratũ illum quinquennium obtinuerunt.interiecto uerò tempore,ſeſquiannum. quinetiam. poteſtatem Conſulibus maiorem obtinuetunt, tameiſi partẽ duntaxat eorum magiſtratus adepti eſſent. Munus autem illorum erat,uectigalia publica locare,uiarum,

re,uiarum, publicarumq; ædium curationem ſuſcipere,ciuis cuiuſq; facultates cenſere,mores notare atque animaduertere: laude dignos ciues in trib.in equeſtrem ordinem,in Senatum, pro cuiuſque dignitate adſcribere: qui minus honeſtè uiuerent,omni ordine ac tribu mouere.quæ poteſtas maior erat omni ea quæ Conſulibus erat delicta. Iuſiurandum autem ſuper uno quoque dabant, ſe neque gratia, neque odio quicquam geſturos,ſed ex animi ſui ſententia quæ Reipublicæ utilia eſſent,re quæſita & deliberata facturos Præterea populum ad legum & aliarum rerum comitia euocabāt. maiorumq; magiſtratuum inſignia præter lictores habebant.Cic.de Offic. 3. Nulla de re diligentius, quàm de iureiurando Cenſores iudicabant.Liu.li.40. Comitijs pfectis Cenſores in cāpo ad arā Martis in ſellis curulib.cōſederūt. Eorum autem officium erat legere Senatum, recenſere equites,agere cenſum, luſtrum condere. In omnibus precationib. hæc uerba nuncupabant,Vt ea res mihi collegæq; meo bene & feliciter eueniat. Cenſori autem defuncto nunquā aliquis ſufficitur.auctor idem Liuius lib.4.5.6.9.& Plutar.in Vitis.Liu.item lib.4. & 9. Cenſurā primò quinquennem fuiſſe ſcribit.deinde Mam.Aemilium Dictatorem legem tuliſſe,ut Cēſura,quæ antea quinquennalis fuerat, annua & ſemeſtris eſſet.Plut.in Pompeio,Mos erat Romanis, ut equites qui per legitimum tempus militaſſent,equum per medium forum coram Cenſoribus ducerent: & apud illos Imperatores ſub quib.ſtipendia meruiſſent,nominarent.Vide præterea Gellium lib. 13.cap.14.Plutarchum in Flaminio, & in Catone Maiore. Liuium lib.29.qui curam publicarū tabularum Cenſorum propriam fuiſſe ſcribit, & ius ſartorum tectorum exigendorum ad eoſdem pertinuiſſe.quod idem Pedianus in Verr. 3. confirmat.Et de nota Cenſoria Val.Max. item Cice. in Cluentiana. Liuius lib. 29. Cenſores Marcus Porcius & Lucius Valerius metu mixta expectatione Senatum legerunt:ſeptem mouerunt Senatu,ex quibus unum inſignem & nobilitate & honoribus L. Quintium Flaminium Conſularem. Patrum memoria,inquit,inſtitutum fertur,ut Cēſores motis è Senatu aſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos quos aut Senatorio loco mouit, aut quib.equos ademit. Longè grauiſsima in L. Quintium oratio eſt,quaſi accuſator ante notam nō Cēſor poſt notam uſus eſſet,retinere Quintium in Senatu,ne frater quidem Titus Quintius,ſi tum cenſor eſſet potuiſſet.

CENTVMVIRI.

Centemviri magiſtratus quidem non erant, ſed cum a Cic.libr. De legib.3.ij qui lites contractas iudicabant,hoc eſt uelCentumuiri,uel certè Decemuiri in minorum magiſtratuum ordinem referantur,de ijs quoq; hoc loco dici poſſe,non incommodè iudicauimus.Feſtus lib.3. Centumuiralium iudicia a Centumuiris ſunt dicta. nā cum eſſent Romæ xxxv.tribus,quæ & Curiæ ſunt dictæ,terni ex ſingulis tribubus ſunt electi ad iudicandum, qui Centumuiri appellati ſunt. & licet quinq; amplius quàm centum fuerint,tamen quo facilius nominarentur,Centumuiri ſunt dicti. Cicer. lib. de Orat. 1. Nam uolitare in foro,hærere in iure, ac Prætorum tribunalibus iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto,ſed de æquitate & iure certetur: iactate ſe in cauſsis Centumuiralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum,circumluuionum,nexorum, mancipiorum,parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium, iure uerſentur, &c. Eoſdem de inoffic. teſt. cognouiſſe, patet ex l. 13. & 17. D.de inoff. teſt. Ouid.lib. De ponto, 3.

Vtq; fui ſolitus,ſediſſem forſitam unus,
De centum iudex in tua uerba uiris.

Poſterioribus autem temporibus eorum iuriſdictio multum creuit. quemadmodum ex ijs quæ ſubijciam quiuis ſua ſponte intelliget.Fab. lib. 4. cap.1.Quibuſdam in iudicijs, maximeque capitalibus,ut apud Centumuiros, ipſi iudices exigunt ſolicitas & accuratas actiones:contemniq; ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat,credūt: nec doceri ſolum,ſed etiam delectari uolunt. Quo in loco Capitalia dici putarem, non publica, ſed ea in quib.de capite ciuis R.agitur:ut in cauſsis liberalibus.Idem lib.5.cap. 2. Præiudicia etiam uerſantur in iudicijs, cùm de cauſſa pronunciatum eſt,ut in aſſertione ſecunda,& partib. Centumuiralium,quæ in duas haſtas diuiſæ ſunt. Idem lib. xi.cap. 1.Etiam ſi apud alios iudices agetur, ut in ſecunda aſſertione, aut in Centumuiralib. iudiciis duplicibus parte uicta.Corn. Tacitus in li. de Oratore.Lege Pompeia omnia apud Prætores gerebantur,apud quos quòd maiora olim negocia exerceri ſolita ſunt,quod maius argumentum eſt,quàm quod cauſſæ Centumuirales, quæ nunc primùm obtinent locum adeò ſplendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæſaris, neque Bruti,neque Cælii,neque Calui,non denique ullius magni oratoris liber apud Centumuiros dictus legitur, exceptis orationibus Aſinii.Plinius lib.Epiſt.11. Diſtringor Centumuiralibus cauſsis, quæ me exercent magis quàm delectant. Sunt enim pleræq; paruæ,& exiles.rarò incidit uel perſonarum claritate, uel negocii magnitudine inſignis. ad hoc perpauci,cum quibus iuuet dicere. Ceteri audaces,atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri declamatum huc tranſeunt, tam irreuerenter

uerenter & temerè, ut mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe uideatur, ſic in foro pueros a Centũuiralibus cauſsis auſpicari, ut ab Homero in ſcholis. Auctus eſt autem poſtea Centumuirorum numerus. manente tamen ſemper nomine, diuiſusque in quatuor Conſilia Plin. libro ſexto Epiſt. Fœmina ſplendidè nata, nupta Prætorio uiro, exhæredata ab octogenario patre intra undecim dies, quàm ille nouercam ei amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat. Sedebant iudices centum & octoginta (tot enim quatuor Conſiliis conſcribuntur. His autem præerat Prętor, quemadmodum idem libro quinto ſignificat his uerbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus pæſidet, deliberaturus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit. Erant autem Centumuirorum conſilia quatuor. in quadam baſilica inter ſe uſq; adeò ꝓxima, ut actiones unius Tribunalis ab alio exaudiri poſſent, ut ex eodem Plinio libro ſecundo intelligimus. Quintilianus libro duodecimo, de Trachallo loquens: Certè, inquit, cum in Iulia baſilica diceret primo Tribunali, quatuor autem iudicia (ut moris eſt) cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum & intellectum & quod agentibus ceteris contumelioſum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.

CONSVLES.

Consvles exactis Regibus duo creari cœpere Anno CCXLV. ut Liuius in fine libri I. tradit: & libro II. Omnia iura, inquit, omnia inſignia primi Conſules tenuere. id modo cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror uideretur. Varro libro IIII. Conſul nominatus, quod cõſulere populum, & ſenatum debet: niſi illinc potius, unde Actius in Bruto, Qui rectè conſulat, Conſul fiat. Cicero lib. de Legib. III. Regio imperio duo ſunto: iique præeundo, iudicando, conſulendo, Prętores, Iudices, Conſules appellantor. militię ſummum ius habento, nemini parento. Ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Ius autem Conſules dixiſſe, uel ex II. Liuii intelligi poteſt: ubi ſcribit Appium Conſulem quàm aſperrimè ius de creditis pecuniis dixiſſe. Pomponius l. 2. §. 8. de orig. iur. Conſules ab eo dicti ſunt, ꝙ plurimùm Reipub. conſulerent. Lege lata ſummum ius eis delatum eſt, prouocatio ab iis populo conceſſa, prohibitum eiſdem ne poſſent in caput ciuis Rom. animaduertere iniuſſu populi. ſolùm relictum eſt illis, ut coercere poſſent, & in uincula publica duci iuberent. Nonius Marcellus, Conſulũ & Prætorum proprietas, quòd conſulant, & præeant populis, auctoritate Varronis oſtenditur De uita populi Rom. lib. II. Quòd idem dicebantur Conſules & Prætores, quòd præirent populo, Prætores: quòd conſulerent Senatui, Conſules. Polybius libro VI. Conſules antequam ex urbe legiones educant, urbanarum rerum omnium ius atque imperium habent. His etenim ceteri omnes magiſtratus, Prætor, Tribunus pleb. parent ac ſubiecti ſunt. Hi legationes in curiam introducunt: quæ celeriter ſtatuenda ſunt, decernunt: quæ & deliberanda ſunt, ad Senatum referũt. quæ uerò à Senatu decreta ſunt, ea ut perficiantur, ipſorum officium eſt. quinimò & quæ de Repub. per populum tranſigenda & perficienda ſunt, eorum officium eſt perpendere, ac diligenter examinare, concionem quoties opus eſt, aduocare, Senatuſconſulta ad populum referre, quicquid maior pars iuſſerit, exequi. Quinetiam in his quę ad belli apparatum, & caſtrenſem diſciplinam pertinent, hi ſummum imperium habent. His ius eſt ſocijs quicquid uiſum fuerit, imperare, Tribunos militum creare, delectum habere. ad hęc de ijs qui ſub imperium eorum ſunt, in caſtris arbitratu ſuo ſupplicium ſumere. His præterea licet eos comitante Quæſtore, ac ſedulo impetrata faciente, publici æris quantum res ipſa tulerit, impendere. Hęc Polyb. Conſtat autem ex Cicerone Philipp. quinta, Legitimum conſulatus annum fuiſſe XLIII. ex Murænianæ, & libro Epiſt. ſeptimo: & Liuij lib. I. centuriatis comitijs eos creari conſueuiſſe. ex Pediano in Verrin. 2. diem comitiorum Conſularium fuiſſe VI. Calend. Sextil. ex Philipp. 2. & Plutarcho in Cicero. Conſules captis pignoribus Senatores qui nec aderant, & quibus cauſſa non erat, coercuiſſe. ex Liuii lib. 42. cùm ad bellum proficiſcerentur, uotis in Capitolio nuncupatis paludatos ex urbe exiſſe, omnibus ordinibus eos comitantibus. ex Verrinã 3. deſignatos in comitiis Conſules domum à multitudine deduci ſolitos. ex locis innumeris, eoſdem Calend. Ianuariis magiſtratum iniſſe: pompamque inſignem adhibitam fuiſſe. qua de re uerſus Ouidii pulcherrimos ex libro quarto De Ponto ſubſcribemus.

Ergo ubi Iane biceps longum reſeraueris annum,
Pulſus & à ſacro menſe December erit,
Purpura Pompeium ſummi uelabit honoris,
Ne titulis quicquam debeat ille ſuis.
Cernere iam uideor rumpi penè atria turba,
Et populum lædi deficiente loco.
Templaque Tarpeiæ primùm tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua uota Deos.
Colla boues niueos certæ præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.
Curia te excipiet, patresq; ex more uocati,
Intendent aures ad tua uerba ſuas.
Inde domum repetes toto comitante Senatu,
Officium populi uix capiente domo.

Item Elegia IX.

Dumq; latus cinget ſancti tibi turba ſenatus,
Conſulis ante pedes ire iuberet eques.
Et quanquam cuperẽ ſemper tibi proximus eſſe,

Gauderem

Gauderem lateris non habuiſſe locum.
Nec querulus turba quamuis eliderer,eſſem:
Sed foret à populo tunc mihi dulce premi.
Proſpicerē gaudens,quantus foret agminis ordo,
Denſaq; quàm longum turba teneret iter.
Quoq; magis noris, quàm me uulgaria tangunt,
Spectarem qualis purpura te tegeret.
Signa quoq; in ſella noſſem formata curuli,
Et totum Numidæ ſculptile dentis opus.
At cum Tarpeias eſſes deductus in arces,
Dum caderet iuſſu uictima ſacra tuo:
Me quoq; ſecretò grates ſibi magnus agentem,
Audiſſet, media qui ſedet æde Deus.

Idem etiam Elegia ſequenti de extraordinaria Conſulis poteſtate, nonnulla ſcribit: quæ quia nuſquam alibi me legiſſe memini, ſubiiciam.

Aut reget ille ſuos dicendo iura Quirites,
Conſpicuum ſignis cùm premet altus ebur.
Aut populi reditus poſitam componet ad haſtā,
Et minui magnæ non ſinet urbis opes.
Aut ut erunt patres in Iulia templa uocati,
De tanto dignus Conſule rebus aget.
Aut feret Auguſto ſolitam, natoq; ſalutem,
Deq; parum noto conſulet officio.

Item Elegia. IX.

Hæc modò te populo reddentem iura uidebit,
Et ſe ſecretis finget adeſſe tuis.
Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri
Credet,& exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum uerba ſenatu,
Publica quærentum quid petat utilitas.
Nunc pro Cæſaribus, ſuperis decernere grates,
Albave opimorum colla ferire boum.

DECEMVIRI.

Decemviri Reipubli. adminiſtrandæ primùm creati ſunt,mortuo Romulo. Patres enim centum à Romulo creati,decem decuriis factis,ſingulisq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociarunt. Decem imperitabant:unus cum inſignibus imperii, & lictoribus erat. quinque dierum ſpacio finiebatur imperium,ac per omnes in orbem ibat. Hæc Liuius lib.primo.Dionyſius autem lib.2.ſcribit, ducentos patres fuiſſe,& imperium decuriis factis uni, eodem modo commiſiſſe.

Decemviri Reip.adminiſtrandæ ſecundò creati ſunt Anno. CCCII. Hac de cauſſa, inquilini, plebs de nimio Conſulum imperio querebatur, qui ius non è certis legibus, ſed arbitrio ſuo dicerent. Petitis igitur è Græcia legibus, ſenatuſconſulto,& plebiſcito confirmatum eſt, ut omnibus abrogatis magiſtratibus,Decemuiri cum ſummo imperio crearentur: qui decimo die ius populo ſinguli redderent, & eo die penes Præfectum iuris faſces XII.eſſent: collegis nouem ſinguli accenſi apparerent.& Liuius li.3.Hæc Dionyſ. lib. 10.Pomponius in l.2.§.13.De orig. iur. Et cùm placuiſſet leges quoq; ferri,latum eſt ad populū, uti omnes magiſtratu ſe abdicarent. quo Decemuiri cōnſtituti anno uno cùm magiſtratum prorogarent ſibi,& cum iniurioſè tractarent, neque uellent deinceps ſufficere magiſtratibus, ut ipſi, & factio ſua perpetuò Rempubli. occupatam retinerent: nimia atque aſpera dominatione eò rem perduxerunt, ut exercitus a Repub. ſecederet.

Decemviri litibus ſiue ſtlitib. (ut olim loquebantur)iudicandis, quo tempore creati fuerint, non reperio. Lites autem eos cauſſasq; priuatas iudicaſſe, in quibus de iure controuerſia erat, multis ex locis conſtat. Ouidius ad Piſonem:

Seu trepidos ad iura decem citat haſta uirorum,
Et firmare iubet centeno iudice cauſſas.

Pomponius l.2.§.16.De orig.iur.Deinde cùm eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſent, decemuiri ſtlitibus iudicandis ſunt cōſtituti.Suetonius Auguſto, Auctor fuit, ut Centumuiralem haſtam, quam Quæſtura functi conſueuerant cogere,Decemuiri cogerent. Cicero pro Cæcina, Cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemuiris religionem inieciſſet, Decemuiri prima actione non iudicauerunt. Idem pro Domo,Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtam iudicaſſent, tamen quotieſcunq; uellet quis,hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe uoluerunt.Dio præterea lib.LIIII.ſcribit,Decemuiros iis iudiciis quæ ad Centumuiros ſorte deferebantur,præfuiſſe.Cicero in Oratore, Planè Duorum uirorum iudicium,aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorum litibus iudicandis,dico nunquam.

DICTATORES.

Dictator, inde nomen inuenit,quòd, ut inquit Varro, Conſule dicebatur, cui dicto audientes omnes eſſent.nam(ut Dionyſ.libro.v.Plutarchus in Marcello, & Liuius libro IX. XXII. & XXIII. tradunt)non a populo in comitijs,ut ceteri magiſtratus:ſed a Conſule captatis auſpiciis,nocte, ac ſilentio dicebatur Seneca li.Epiſt.19.Epiſt.109. Præterea notat eum quem nos Dictatorem dicimus,& in hiſtoriis ita nominari legimus,apud antiquos Magiſtrum populi uocatum. hodieque id extat in Auguralibus libris, & teſtimonium eſt, quòd qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt.Plutarch.Dictator non à populo, aut à patribus creari poteſt,ſed alter Conſulum,quem nult Dictatorem dicit.unde quia ita dictus ſit,Dictator appellatur.Dionyſius autem Senatuſconſ. factum ſcribit,ut Conſules qui tum erant, magiſtratuſque reliqui ſe abdicarent, unuſque uir quem Senatus nominaret populus ſciſceret, haud ampliuſ quàm per ſex menſium ſpacium ſine prouocatione,

catione,& maiore quàm conſules poteſtate, imperaret. Cauſſam creandi Cicero libro de Legib. III. ſic explicat. Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium poſcunt, Dictator eſto, ne amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit: idem iuris quod duo Conſules teneto. Isq; aue ſiniſtra dictus, populi magiſter eſto. Dionyſius eius imperium lib. quinto ſic exponit. οὗτος πρῶτος ἐν ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται δικτάτωρα, εἴτε διὰ τὴν ἐξουσίαν τοῦ κελεύειν καὶ διατάττειν, ὅ, τι θέλει, τά τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ. Pomponius l. 2. §. 10. D. de orig. iur. Populo deinde aucto cùm crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur: interdum re exigente placuit maioris poteſtatis magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores proditi ſunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduerſio data eſt. Hunc magiſtratum quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere. Feſtus, Optima lege cùm dicebatur in magiſtro populi faciendo, qui uulgò Dictator dicitur, quam pleniſsimum poſſet ius, ſignificabatur. Præter ſuperiores cauſſas, quib. Dictator creabatur, nimirum Rei gerendæ & ſeditionis ſedandæ: inuenio creatum etiam fuiſſe claui in peſtilentia figendi cauſſa: de quo Liuius lib. VII. commemorat. item Comitiorum habendorum: eodem auctore libr. VII. & IX. Quæſtionis exercendæ, ut apud eundem lib. IX. Ludorum faciendorum, Senatus agẽdi, feriarum Latinarum: ut paſsim apud eundem legimus. Tantum autem illius erat imperium, ut eo creato magiſtratus omnes præter Tribunos pleb. imperio ſeſe abdicarent: auctore Plutar. in Fabio. Duo uerò eſſe Dictatores non poterant, ac ne Dictator quidem ſine Magiſtro equitum: auctore Dionyſ. libr. V. & Liuio XXIII. neque extra Romanum agrum, hoc eſt Italiam, dici poterat: ut idem libro XXVII. ſcribit. Nonnunquam & Senatus populum rogari decernebat, ut quem uellet Dictatorem iuberet, qui deinde à Conſule diceretur: cuius rei exemplum extat apud Liuium libr. XXVII. Quin & L. Cornelius Sylla Dictator à L. Valerio Flacco Interrege dictus eſt: auctore Appian. libro de bel. ciuil. I. Caium autem Iulium Cæſarem Senatus Dictatorem creauit: ut Plutar. in eius uita ſcribit.

DVVMVIRI.

DVVMVIRI capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine iudicabant. Liuius lib. I. De Tullo Rege loquens, Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat. Duumuiri peduellionem iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. ſi uincent, caput ob nubito: infelici arbore reſte ſuſpendito: uerberato, uel intra pomœrium, uel extra pomœrium. Idem libro ſexto: Sunt qui Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores ſint. Loquitur de M. Manlio, de quo Plutarchus idem in Vitis ſcribit. Durauit hic mos ſtante ſemper Repub. Itaque C. Rabirius à Iulio Cæſare, & L. Cæſare Duumuiris perduellionis damnatus eſt, ſed ad populum prouocauit: ut ex Ciceronis Oratione pro eo, & Suetonio, & Dionis lib. XXXVII. notum eſt omnibus. Cicero in Oratore, Planè Duũ uirorum iudicium, aut Titium uirorum Capitalium dico nunquam.

DVVMVIRI nauales lege Decia, quam M. Decius Trib. pl. tulit, creari ſunt: ut claſsis ornandæ reficiendæq; curam haberent. Liuius lib. IX.

DVVMVIRI ſacerdotes ad inſtitutum noſtrũ non pertinent.

DVVMVIRI curatores uiarum quæ extra urbem eſſent, nominantur à Dione libr. IIII. in eorum XXVI. uirorum numero, unde alij quoque magiſtratus minores erant.

DVVMVIRI municipales, uide Duumuiri, ſub litera D.

INTERREX.

INTERREGNVM primùm inſtitutum eſt mortuo Romulo: ut Liuius & Diony. & Plutarc. ſcribunt Patres enim decem decurijs factis, ſingulisq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociarunt. decem imperitabant, unus cum inſignibus imperii & lictorib. erat: quinque dierum ſpacio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumq; interuallum regni fuit: id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum appellatum. Hæc ille. inde autem mos fluxit, ut cùm ſine ſummo imperio ciuitas eſſet, tum & Patricius & à Patricijs Interrex proderetur, qui dies duntaxat quinque imperium obtineret, à quo alius deinde creabatur, in dies alteros quinque, itemq; alius atque alius eodem modo: dum Conſules creari poſſent. ut ex Ciceronis Ora. pro domo, Aſconio in Milon. & Liuii locis innumeris intelligitur: qui etiam lib. VII. ſcribit ad undecimum peruẽtum eſſe, dum per dies quinquagintaquinque ſine ſummo imperio ciuitas eſſet. Infeſtam, inquit, Patribus plebẽ Interregẽs cùm accepiſſent, ad undecimum Interregem ſeditionibus certatum eſt.

IVRIDICVS ALEXANDRIAE.

IVRIDICVS Alexandriæ dicebatur, qui Alexandriæ iuri dicundo tam præerat, quàm Prætor Vrbanus Romæ. nam Vlpian. in l. 1. D. de offic. iurid. Alex. ſcribit ei legis actionem datam fuiſſe: ſibi & uti, quæcunque lege agi poſſent, agere apud

cum

eum liceret. Spartianus iu Seuero, Deinde, Inquit, Alexaudrinis ius Buleutarum (ideſt ſenatorum) dedit, qui ſine publico conſilio, ita ut ſub Regibus antè uiuebant, uno iudice contenti, quē Cæſar dediſſet. Strabo lib. xvii. de Aegypto loquens, quam cum prouinciam & uectigalem populi Roma. dixiſſet eſſe, ad eamq; regendam mitti cū ſummo imperio Præfectū, qui principis locū obtineret ὑπ' αὐτῷ δὲ, inquit ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος· ideſt, Sub eo eſt Iuridicus: penes quem iuris dicundi poteſtas eſt.

MAGISTER EQVITVM.

Magister equitum dicebatur, inquir Varro, quòd ſumma poteſtas huius in equites, & adcenſos, ut eſt ſumma in populum Roma. Dictatoris: unde is quoque Magiſter populi appellatus eſt. Moris autem erat, ut à Dictatore diceretur noctu, ſimulatq; creatus Dictator fuerat. Liuius lib. IIII. Dictator à Conſule dicitur: ipſe deinde C. Seruilium Ahalam magiſtrum Equitum dicit. Itē Et Senatus Dictatorem dici Mamercum Aemilium iuſſit. Is magiſtrum Equitum L. Quintiū Cincinnatum dixit. Item, Virginius dum collegam conſuleret, moratus, permittente eo, nocte Dictatorem dixit. Is ſibi magiſtrum equitum Poſtumium dixit. Pomponius l. 2. De origine. Et his Dictatoribus Magiſtri equitum iungebantur, ſic quo Regibus Tribuni Celerum, quod officium fere tale erat, quale hodie Præfectorum prætorio. Aurelius l. 1. D. de offic. præf. prætor. Cùm apud ueteres Dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur, & magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati participes curæ militiæ gratia ſecundam poſt eos poteſtatē gererent.

PRAEFECTI AERARII.

Praefecti ærarij primùm ab Auguſto inſtituti ſunt, ut ſcribit Dio libr. LV. Cùm enim ærarium conficiendi ratio excogitari non poſſet, ipſe certum ac proprium ære ſuo conſtituit, quod Militare appellauit: eiusq; adminiſtrationem tribus Prætorijs ſorte lectis ad triennium mandauit: qui binis lictoribus, aliisq; miniſtris uterentur. pòſt cùm neque ipſius pecunia, neque ea quæ à Regibus & populis mittebatur, ſatis locupletari ærarium poſſet, conſtituit ut pars hæreditatum ac legatorum uiceſima eò referretur: præterquā quæ proximis cognatis, aut pauperibus relinquerentur. Poſtremis autem temporibus eoſdē Præfectos à Principe deligi, & ſine lictoribus creari ſolitos, eodem loco ſcribit. Vlpianus l. 8. §. 2. D. de tranſact. Apud Procuratorem Cæſaris tranſigi de alimentis poteſt, ſcilicet ſi à fiſco petantur alimenta. Secundum quæ & apud Præfectos ærarij tranſigi poterit. Sueton. in Auguſto, Vtque perpetuò ac ſine difficultate ſumptus, ad tuendos eos, proſequendosq; ſuppeteret: ærarium militare cum uectigalibus nouis conſtituit. Quod autem ad hoc ærarium Dio Prętorios refert, id Suetonius alteri attribuere uidetur. Auctor fuit Senatui, inquit, ut cura ærarii à Quęſtoribus Vrbanis ad Prætorios Prætoresve tranſiret. niſi fortè in utroque hoc factum ſit. cum idem lib. XLIII. ſcribat, publicæ pecuniæ adminiſtrationem quæ Fabio, Caninio Coſs. ad Aediles translata fuerat, poſtea Quæſtoribus redditam non eſſe, ſed Prætoriis uiris commiſſam. quod ipſum etiam ex Gellij lib. 13. ca. 23. intelleximus. Quod autem, inquit, per Quæſtorem dixi pecuniam ex prædæ uenditione contrahi, intelligi nunc oportet Præfectum ærario ſignificari: nam cura ærarij à Quęſtore ad Præfectum translata eſt.

PRAEFECTVS VRBI.

Praefectvrae urbis triplicem uideo rationem fuiſſe: aliam enim Regum, aliam Imperatorum, aliam mediis temporibus eius magiſtratus procurationem fuiſſe, animaduerto. nam primis temporibus præfectus urbi à Regibus creabatur. Liuius lib. 1. L. Brutus Imperium in urbe Lucretio Præfecto urbis iam antè à Rege inſtituto, reliquit. Et paulo pòſt, Duo Conſules inde comitiis centuriatis à Præfecto Vrbis ex commentariis Ser. Tullii creati ſunt. Tacitus li. v. Sed præcipua ex eo gloria, quòd Præfectus urbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentia pari grauiorem, mirè temperauit. namque antea profectis domo Regibus, ac mox magiſtratib. ne urbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur. feruntque à Romulo Dentrem Romulium, pòſt a Tullo Hoſtilio Nūmam Martium, & à Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impoſitos. Dein Conſules mandabant. Duratq; ſimulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui conſulare munus uſurpet. Hæc Tacitus: ex quib. ſecunda huiuſce magiſtratus forma intelligitur, de qua loquitur Gell. lib. XIIII. cap. ult. Præfectum urbi inquit, Latinarum cauſſa relictum Senatum habere poſſe, negat Mutius: quoniam ne Senator quidem ſit, neque ius habeat ſententiæ dicendæ, cùm ex ea ætate Præfectus fiat, quæ non ſit ſenatoria. M. autem Varrò & Atteius Capito ius eſſe Præfecto Senatus habendi dicunt. Deq; ea aſſenſum eſse Capitonem Tuberoni, contra ſententiam Mutii, refert Pompon. l. 2. §. 17. De orig. iur. Quoties, inquit, proficiſcuntur extra Remp. magiſtratus unus relinquitur qui ius dicat. is uocatur Præfectus urbi. qui Præfectus olim conſtituebatur: poſtea uerò Latinarum feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſeruatur. Latinæ autem ferię dicebantur, quæ quotannis in Albano monte à quin-

quaginta

quaginta Latinis ciuitatibus Romaniſque magiſtratibus quatriduano ſacrificio Ioui Latiali celebrabantur. unde ſacrificium Latiar dicebatur: in eoque Latini à Romanis carnem petebant. Macrobius lib. I: Conceptiuæ feriæ ſunt, quæ quotannis à magiſtratibus, uel ſacerdotibus concipiũtur in dies certos, uel incertos, ut ſunt Latinæ, Sementinæ. item, Quare nec Latinarum tempore quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinoſque firmatæ ſunt, inchoari bellum decebat. Dionyſ. autem lib. VI. tradit has per unum diem celebratas à Superbo Rege fuiſſe: exactis autem Regibus, per biduum: tandemque poſt ſeceſsionem in ſacrum montem, per triduum. Plutarchus autem in Camillo propter patrum & plebis concordiam diem quartum additum fuiſſe teſtatur. Verum hæc quidem hactenus de Præfectura urbis, quæ ſtante Rep. uſurpata eſt. Poſtremis uerò temporibus immutata eius ratio eſt multis in rebus, uideturque Magiſtratus hic ab Auguſto primum renouatus. Sueto. enim ſic ſcribit, Quoque plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, uiarum & aquarum, aluei Tyberis, frumenti populo diuidendi, Præfecturam urbis. Ego has ferè uideo ab Vlpiano partes ipſius procurationi attributas eſſe. Vt ſeruorum de dominis querelas, uiciſsimque horum in illos criminationes audiret. Vt patronis de libertis ingratis querentibus ius diceret. Vt de tutorum curatorumve criminibus cognoſceret. Vt numulariorũ argentariorumque fraudes coerceret. Vt carnis curam gereret. Vt quietem in populo procuraret, illicitaque collegia coerceret. Vt ſpectaculorum diſciplinæ præeſſet. denique quicquid non modò intra urbem, uerumetiã intra centeſimum ab urbe lapidem commiſſum eſſet, animaduerteret: ſic ut & urbe, & Italia interdicendi poteſtatem haberet, itemque in inſulam deportandi. l. 6. D. de interd. & releg. l. rei capitalis, §. conſtat, D. de pœn. Quod autem Vlpianus de carnis cura ſcribit, inuenio in Epigrammatis urbis Romæ cõfirmatum, in edicto Aproniani Præf. urbi, de carne occiſi pecoris appendenda & uendenda. Quod de criminibus, uideo etiam ad publica pertinere. l. 1. §. generaliter, D. de pœn. ut ſcilicet eas pœnas quæ legibus conſtitutæ ſunt, imponat, tametſi extra ordinem cognoſcit. l. ordo, D. de pub. iud. De extraordinariis autẽ arbitratu ſuo ſtatuebat. l. 1. D. de effractoribus. Itaque & Prætores & Pręfecti uigilum, ſi quis grauiore ſupplicio plectendus eſſet, eum ad illum remittebant. l. nam ſalutẽ & l. ult. D. de offic. præf. uigil. Dio uerò lib. LII. πολίαρχον eum appellat, & Mecœnatem ſuadentem Auguſto facit, ut eum è primariis uiris deligat qui omnes magiſtratus priores geſſerit, ut eas cauſſas in quibus prouocatio fuerit, & nonnullas etiam publicas & capitales diſceptet, non modò in urbe, uerumetiam μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων: quod ille pro centum paſſuum millibus poſuit: ut patet ex l. 1. D. de offic. præf. urb.

PRAEFECTVS ANNONE.

PRAEFECTVS annonæ magiſtratus fuit extraordinarius, utilitatis cauſſa conſtitutus, uti ſcribit Põponius l. 2. §. 17. De orig. iur. Liuius lib. IIII. L. Minutium nominat, quem Præfectum ubi à plebe creatum fuiſſe ſcribit. Conſtat eius munus fuiſſe, ut uideret ne plebs annonæ inopia & caritate laboraret. Itaque ſi quid ad annonam pertinens commiſſum erat, ipſe cognoſcebat. Marcianus l. 13. D. de accuſat. Mulierem, inquit, propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri à Præfecto annonæ deferentem, diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

PRAEFECTVS PRAETORIO.

PRAEFECTVS prætorio tranſlata in unius dominatum Repub. exemplo Magiſtrorum equitum ab Imperatore creari ſolebat: eique dari plenior (ut Arcadius ſcribit) licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem. quibus initiis adeò is magiſtratus creuit, ut appellari à Præfectis prætorio non poſsit. credidit enim princeps, eos qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide & grauitate ad huius officii magnitudinem adhiberet, non aliter iudicaturos eſſe, pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret iudicaturus, l. 1. D. de offic. Præf. præt. Vnde autem dictus ſit demiror eſſe qui ambigant, cùm Aſconii extet auctoritas. Veteres, inquit, omnem magiſtratum cui pareret exercitus Prætorem appellauerunt. Vnde & Prætorium tabernaculum eius dicitur, & in caſtris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus prætorio. Quibus ex uerbis perſpicuum eſt, Præfectum prætorio dici eum qui militibus iis præeſſet, quos Imperatores in ſui cuſtodiam allegerãt: quod inſtitutũ primùm ab Auguſto fluxiſſe Suetonius in eius uita, & Dio lib. LV. teſtantur. Dio quidem, ubi ſcribit eorum decem millia fuiſſe, legionemque illam ſuos habuiſſe faſces. Conſtat autem ex pleriſque omnibus ſolitum ab Imperatore cingulum unà cum gladio dari Præfecto prætorio. & memorabilis uox Traiani literis mandata eſt, qui cum Præfectum ſuum cingulo donaret, ita dixiſſe traditur, Accipe hunc enſem: & ſiquidẽ rectè atque è Repub. imperauero, pro me: ſin ſecus, in me utere. Quam, ut ego mihi perſuadeo, uocem ſuam in Panegyrico Plinii ſignificans, ita loquitur: Ego quidem in me ſi omnium utilitas ita poſceret, etiam Præfecti manum armaui. Suetonius & Plinius hanc præfecturam equitibus Romanis mandari ſolitam ſcri-

bunt. Ille his uerbis: Veſpaſianus, inquit, præfectu rã quoque prætorii ſuſcipit nũquã ad id tẽpus, niſi ab equite Rom. adminiſtratam. Plinius autem Titum alloquens, Et quod his nobilius feciſti, dum illud patri pariter & equeſtri ordini præſtas, Præfectus prætorio eius. Hæc autem poteſtas uſque eo poſteriorum Cæſarum beneficiis creuit, ut etiam poſtremis temporibus ad prouincias regendas cum ſummo imperio miſsi ſint ut ex illis Iuſtiniani conſtitutionibus intelligitur de officio Præfecti præt. Africæ, de officio Præfect. præt. Orientis. Caſsiodorus etiam epiſtol. lib. VI. Poteſtati Præfecti prætorio, inquit, nulla dignitas eſt æqualis, uice ſacra iudicat. nullus ei miles fori auctoritate præſcribit, excepto Officiali magiſtri militum. Curiales enim etiam uerberat. in officio ſuo ius retinet ſingulare: & talibus tantiſque noſcitur iubere, quos etiam prouinciarum non auderent Iudices in qualibet parte contemnere. Militia perfunctis, Tribunorum & notariorum honorem tribuit, & milites ſuos illis exæquat. gratanter implet Imperator quæ ille conſtituit.

PRAEFECTVS VIGILVM.

Praefectvs uigilum inſtitutus eſt ab Auguſto. nam cùm ſeptem cohortes opportunis locis conſtituiſſet, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueretur: præpoſuit eis Tribunos, & ſuper omnes ſpectabilem uirum, qui Præfectus uigilum appellaretur. Is cognoſcebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: niſi ſi qua tam atrox, tamque famoſa perſona ſit, ut Præfecto urbi remittatur. & quia plerunque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos qui negligentius ignem habuerunt: aut ſeuera interlocutione comminatus, fuſtium caſtigationem remittit. Idem per totam noctem uigilare debebat, & coerrare calciatus, cum hamis, & dolabris, & curare omnes inquilinos admonendos, ne negligentia aliqua incendii caſus oriatur, præterea ut aquam unuſquiſque inquilinus in cœnaculo habeat. Hęc ex leg. 3. D. de offic. præf. uigil. Dio lib. LV. ἐπειδή τε, ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῇ πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντας ἱππέας αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων, οὐ μέντοι, καὶ ἐποίησε τοῦτο. καταμαθὼν γὰρ ἐκ τῆς πείρας, καὶ χρησιμωτάτην, καὶ ἀναγκαιοτάτην τὴν παρ' αὐτῶν βοήθειαν οὖσαν, ἐτήρησεν αὐτούς. καὶ εἰσὶ καὶ νῦν οἱ νυκτοφύλακες οὗτοι ἴδιόν τινα τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι μόνον. ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι, καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι, καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσι. id eſt, Cùm per id tempus multa in urbe incendio periſſent, libertini generis homines ſeptem in locis, incendiis procurandis delegit: eiſque Equitem unum præfecit eo conſilio, ut per exiguo tempore illorum opera uteretur. Verùm cùm experiundo cognouiſſet, præſidium & illud utiliſsimum & maximè neceſſarium eſſe, retinuit. ſuntque uſque adhuc nocturnę quodámodo excubiæ militares, non ex libertinis tantùm, uerumetiam ex aliis conſtitutæ: quæ muris in urbe præſunt, mercedemque de publico accipiunt. In candem ſententiam Suetonius in Auguſto, Aduerſus incendia excubias nocturnas, uigileſque commentus eſt. item, Libertino milite, prę terquam Romæ incendiorum cauſſa, & ſi tumultus in grauiore annona metueretur, bis uſus eſt.

PRAEFECTVS AVGVſtalis.

Praefectvs Auguſtalis, ſiue Præfectus prætorio Auguſtalis, dicebatur is cui Princeps ſummũ imperium & proconſulari par in Aegyptum dedit quemadmodum Vlpianus ſcribit l. 1. D. de offi. præf. Auguſt. Tacitus libro. 12. Nam D. Auguſtus apud Equeſtres, qui Aegypto præſiderẽt, lege agi, decretaque eorum perinde haberi ſuſſerat, ac ſi Romani magiſtratus conſtituiſſent. Idẽ lib. 11. M. Silano, L. Norbano Coſs. Germanicus in Aegyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis cauſſa, ſed cura prouinciæ prætendebatur: leuauitque apertis horreis precia frugum, multaque in uulgus grata uſurpauit, ſine milite incedere pedib. intectis, & pari cũ Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitauiſſe apud Siciliam, quamuis flagrante adhuc Pœnorũ bello, accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenib. uerbis perſtricto, acerrimè increpuit, quòd contra inſtituta Auguſti, non ſponte principis, Alexandriam introiſſet. nam Auguſtus inter alia Dominationis arcana, uetitis ſine permiſſu ingredi ſenatoribus, aut equitibus Rom. Illuſtribus, ſepoſuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quiſquis eam prouinciam, clauſtraque terrę ac maris, quamuis leui præſidio aduerſus ingentes exercitus inſediſſet. Strabo lib. XVII. de Aegypto loquens, ἐπαρχία νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικεῖται τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν. id eſt, Aegyptus autem nunc prouincia eſt, uectigalis populi Rom. regiturque à uiris ſapientibus qui eò cum imperio mittuntur. Qui mittitur, principis loco eſt. Dio præterea lib. LI. in eandẽ ſententiam cum Suetonio & Tacito loquitur, ubi ait, Auguſtum propter gentis leuitatem, & regionis frugumq; omnium ubertatem & copiam non eſſe auſum eam prouinciam ulli Senatori committere: quin & proficiſcendi in Aegyptum poteſtatem, niſi ipſe nominatim alicui conceſsiſſet, nemini fuiſſe.

PRAESIDES PROVINciarum.

Praesides prouinciarũ dici cœperunt, poſt diuiſionem prouinciarũ ab Auguſto factam. Sic cũ prouincias diuiſit, ut aliæ Cæſaris, aliæ populi dicerẽtur. Cæſaris, quæ ualidiores erant, & quas annuis (ut Suetonius ſcribit) Magiſtratuũ edictis regi, nec facile, nec tutũ erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in easque Rectores mittere inſtituit, uiros (ut ait Strabo) tum Conſulares, tum prætorios, tum ẽt equites. Quos & ille generali nomine ἡγεμόνας. & Iuriſconſulti in Pandectis præſides appellant. Nomen (inquit Macer) præſidis generale eſt, eo quòd & proconſules, & legati Cæſaris, & omnes prouincias regentes licet Senatores ſint, Præſides appellãtur. Vbi tamẽ senatores non sint cum negatione legendum uidetur: ut equites ſignificaret, de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem prouinciis qui præerant, Proconſules (ut ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput eſt in libro Pandectarum 1. De officio proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nam etſi populus in ſuas prouincias στρατηγοὺς καὶ ὑπάτους (ut Strabo appellat) id eſt, Prætores & Conſules (quibus nominibus abuſus eſt pro, Prætores & Proconſules, ut continuò pòſt demonſtrat) tamen utroſque Proconſulum nomine appellari ſolitos, & Suetonius teſtatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu eſt: quũ ſcilicet extraordinariũ eſſet eo tempore ꝓpẽ omniũ in prouinciis imperium: eoque generali nomine, Rectores omnes appellarentur. Nam ut in eiuſdem Imperatoris uita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouincias mitterentur. Præſides autem maius imperium in ſua prouincia habebant omnibus poſt principem l. 4. De off. præſid. & omnia prouincialia deſideria, quæ Romæ uarios iudices habebant, ad officium Præſidum pertinebant. l. 11. eod. denique omnium Romę magiſtratuum uice & officio fungebantur. l. 12. eod. Plura de iis ſub uerbo, Proconſules.

PRAETOR VRBANVS.

Praetores dictus, inquit Varro, qui præiret iure, & exercitu. à quo id Lucilius, Ergo Prætorum eſt antè pręire. Hinc Feſtus, Prætorem maiorem (inquit) L. Cæſar putat dici, Vrbanum: ceteros, minores. Maximum prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii ſit: alii, qui ætatis maximæ pro collegio: quia Augurum decretum eſt, ꝙ in ſalutis augurio Prætores maiores & minores appellantur, nõ ad ætatem, ſed ad uim imperii ꝑtinere. Hinc apud Liuiũ li. VII. Lex uetuſtis ſcripta uerbis. ut qui Prætor maximus eſſet, Idibus Septemb. clauum pangeret: id eſt, qui ſummum imperium & poteſtatem haberet, ueluti Conſul, aut Dictator. Verùm hoc cõmune uerbum tandẽ eius proprium factum eſt, qui in urbe iuri dicundo præeſſet. de quo Pomponius in l. 2. De orig. iur. Cumque Conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet, factum eſt ut Prætor quoq; crearetur qui Vrbanus appellatus eſt, quòd in urbe ius redderet. Liuius li. VI. & VII. ſcribit ãno ab. V. C. CCCLXXXVIII. conceſſum à plebe nobilitati de Prætore uno, qui ius in urbe dicèret, ex patritiis creãdo. cũque ſibi honorẽ Patritios quæſiuiſſe, ꝓ conceſſo plebi altero Cõſulatu. Hæc ille. Moris autẽ erat, ut is creatus comitiis cẽturiatis, priuſquã ius diceret, ut cuiq; notum eſſet, quemadmodũ anno ſuo ius dicturus eſſet, in albo edictũ cõſtitueret atque proponeret, qđ ab edicẽdo, id eſt antè denũciãdo ac prædicendo dictũ eſt: quaſi tanto antè populo denũciaret quæ eſſet in iure dicẽdo obſeruaturus. Hoc autem inito Magiſtratu, habita cõcione & iuratus in leges, faciebat. Cic. De finib. II. Quid enim mereri uelis iam, quum Magiſtratum inieris, & in cõcionẽ aſcenderis (eſt enim tibi edicendũ, quæ ſis obſeruaturus in iure dicendo: & fortaſſe etiã ſi tibi erit uiſum, aliquid de maiorib. tuis & de te ipſo dices more maiorum) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magiſtratu omnia uoluptatis cauſſa facturũ eſſe. Iuris dicũdi autẽ munus tribus hiſce continebatur uerbis, Do, Dico, Addico. Dabat bonorũ poſſeſſionẽ ex legibus, ex edicto ſuo, ex ſenatuſconſultis. Dabat iudicium Recuperatorium, itemque Arbitros, cùm priuati poſtulabant. Dicebat uiã in formulis, Iſtã uiã dico. Dicebat tutorẽ ex lege Attilia, dicebat ſententiã quibuſdam in cauſis maiorib. ut in liberalib. in popularib. in executionib. ſentẽtiarũ, in appellationib. & aliis præterea nõnullis. Dicebat etiã interdicẽdo cũ de poſſeſſione, interdũ etiã cũ de proprietate ageretur: quod ex lib. Pand. XLIII. cuiuis facile eſt intelligere. Dicebat præterea indicẽdo uel uti, cũ ferias indicebat, ut Gell. li. X. cap. 24. Et item Macrobius li. Saturn. 1. demonſtrant. Suetonius in Claudio, Obſeruauitq; ſedulò ut quoties terra in urbe mouiſſet, Ferias aduocata concione Prætor interdiceret. Addicebat autem cũ in Iure ceſſio fiebat: cuius rei ritum in formulis expoſuimus. Cicero li. De legib. III. Iuris diſceptator q priuata iudicet, iudicarive iubeat, Prætor eſto. Is iuris ciuilis cuſtos eſto. Polybius aũt & Plutarch, ei ſex Lictores datos tradũt. Vnde ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν appellãt, id eſt, ſex ſecuriũ. Notãdũ etiã qđ Cicero ſcribit lib. fam. Epiſt. XII. Placuit nobis, inquit, ut ſtatim ad Cornutũ prætorẽ urbis has litteras deferrẽ, qui, ꝙ Cõſules abeẽt, Cõſulare munus ſuſtinebat more maiorum. Gellius libro XII. cap. XIIII. Prætor etſi collega Conſulis, eſt neque Prætorem, neque collegam iure rogare po-

 teſt,

teſt, quia imperium minus Prętor, maius habet Conſul: & à minore imperio maius, aut à minore collega rogari iure non poteſt. Sed & collegam eſſe Prætorem Conſulem, Meſſala docet: quod eodem auſpicio creantur. Hunc Centumuiralib. iudiciis poſtremis temporibus præfuiſſe, Plinius lib. Epiſt. v. his demonſtrat uerbis: Hoc facto Nepotis commotus Prætor, qui Centumuiralibus præſidet, deliberaturus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis ocium dedit. Seneca lib. De tranquill. uitæ I. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & ciues, aut urbanus Prætor adeuntibus aſſeſſorib. uerba pronunciat, quàm qui docet quid ſit iuſticia, &c.

PRAETOR PEREGRINVS.

PRAETOR Peregrinus, ut Pomponius ſcribit, creatus eſt propter magnam peregrinorum turbam, ut inter eos ius diceret. cum Vrbanus prætor ſatis facere utriſque non poſſet. Eum autem reperio in epitome Liuii li. XIX. an. DX. primum creatũ fuiſſe: & peregrinum dictum, quòd inter ciues & peregrinos ius diceret. Itaque uideo apud Liuium ſemper urbanam iuriſdictione ei quæ inter ciues & peregrinos eſt, opponi. Vt li. XXII. Romæ iuris dicẽdi urbana ſors Pomponio, inter ciues Ro. & peregrinos, P. Fuxio Philo euenit. Et libro XXIII. Prætores deinde prouincias ſortiti, L. Apuſtius Fullo urbanã iuriſdictionẽ, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos. Et lib. XL. Iuriſdictio urbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio euenit. Et lib. XLI. Prætores L. Papyrius Maſo urbanam, M. Aburius inter peregrinos ſortiti ſunt. Et lib. XLII. Prætores deinde prouincias ſortiti ſunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Clunius Saxula inter ciues & peregrinos. Honoratiorem autẽ Vrbanã peregrina fuiſſe, Appianus & Dio non obſcurè ſignificant: ille lib. De bellis ciuilib. II. ubi ſcribit, Brutum & Caſsium Prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, uter iuris inter ciues dicũdi prouinciã obtineret. hic autẽ li. XLII. ubi narrat Prætorem Cæcilium indignè tuliſſe, quòd Cæſar eã prouinciã collegæ Trebonio dediſſet. omnibus autẽ Præturis præſtãtiorem & gratioſiorẽ fuiſſe in orat. pro Muræna perſpicuè demonſtrat. Sed quæri ſolet, quid inter Vrbanam & Peregrinam Præturam interfuerit. Ego tres ferè differentias reperio. Prima hæc eſt, quòd (ut modò diximus) ſoli ciues Ro. agere apud Vrbanum poterant, Peregrini non poterant. Altera, quòd apud illum lege agebatur, apud hunc autẽ, nequaquam. Itaq; (ut eſt in orat pro Flacco) cùm Græcus homo Heraclides à C. Plotio ſenatore mancipia quædã petiiſſet, & fore uideret, ut Iudex ſumptus ſententiam ſecũdum reum diceret, & ab eo iudice abijt, &, quòd iudicium lege non erat, cauſſam totam reliquit. Quod cùm ita ſit, ſequitur ciues Ro neque ſuos liberos emancipare neque alienos adoptare, neque ſuos ſeruos manu mittere, neque in iure cedere, neque bonorum poſſeſsionem, tutoremve ciui Ro. impuberi poſtulare apud eum potuiſſe: denique, ut rem uno uerbo complectar, legis actionem eum Prætorẽ non habuiſſe. Falſum eſt aũt quod quidã ſcribũt, eũ de pecuniis repetundis quæſiſſe. nam Aſconii locus, in orat. Ciceronis contra Competitores, quo ſolo argumento nituntur, longè aliò pertinet. Scribit enim Antonium cum magiſtratũ adhuc nullum obtinuiſſet, ſed equitum turmas de Syllano exercitu nactus eſſet, Græcos ſpoliaſſe: ideoque ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat, à Græcis in ius eductum eſſe non igitur Repetundarum iudicium illud erat, ſed iniuriarum potius: quę cũ atrociores eſſent, dignæ uiſæ ſunt, de quib. Prætor ipſe inter ciuem & peregrinos Græcos homines, cognoſceret. Tertia differentia eſt, quòd Prætor urbanus edictum in albo proponebat, quibus de rebus ius anno ſuo dicturus eſſet: cum alter nuſquam, quod ſciam, legatur propoſuiſſe: ſed (ut opinor) ex Vrbano edicto ius dicebat.

PRAETORES PROVINciales.

PRAETORES prouinciales creati ſunt circa annum DXIX. Sicilia & Sardinia captis, atque in prouinciarum formam redactis: quemadmodum Solinus cap. XXI. & Liuius Epit. XX. prodiderunt. Põponius autem in l. 2. De orig. iur. Capta Sardinia, inquit, mox Sicilia, itẽ Hiſpania, deinde Narbonẽſi prouincia, totidẽ Prætores quot prouinciæ in ditionem uenerant, creati ſunt. Poſt autem moris fuit, ut cum armis tutandæ prouinciæ uiderentur eò ſtatim & Conſules & Pręetores inito magiſtratu mitterentur. Tandem etiam inſtitutum eſt, ut qui Conſulatu aut Prætura abiiſſent, eò cum ſummo Imperio proficiſcerentur: illique Proconſules, ſiue Proprætores (tametſi uerbis hiſce nonnũquam ueteres abutantur) appellarentur. Demonſtraui etiam in Verrinarum commentariis moris fuiſſe, ut cùm à Senatu decretæ & Conſulares, & Prætoriæ prouinciæ fuiſſent, tum Conſules inter ſe, itemque Pręetores prouincias ſortirentur, aut uerò inter ſe compararent. Conſules autem id adhuc deſignati, & antequam magiſtratum inirent facere ſolebant: quemadmodum ex orat. De prouinc. Conſul. Salluſtio in Iugurth. & innumeris Liuii locis intelligitur. Prætores uerò quo tempore magiſtratu abibãt, id factitaſſe ſignificat locus ille Verrinæ IIII. Qui, ſimulatq; ei ſorte prouincia Sicilia obuenit, ſtatim Romę, & ad urbẽ, antequã proficiſceretur, querere ipſe ſocũ. & cogitare cũ ſuis cœpit, quibusnã rebus in ea prouincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet.

PRAETOR FIDEICOMmiſſarius.

Praetores fideicommiſſarios duos a Claudio Cæſare inſtitutos eſſe qui de fideicommiſsis ius dicerent, ſcribit Pomp.l.ſecundo.§. decimoſeptimo. D. de orig. iur. ex ijsq; unum a Tito Cæſare detractum eſſe. Suetonius autem in Claudio: Iuriſdictionem de fideicommiſsis, inquit, quotannis, & tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per prouincias, poteſtatibus demandauit. Sed hæc facilè eſt ex Fabij uerbis explicare, qui libro tertio cap. ſex to.ſic ſcribit, Non debes apud Prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud Conſules. maior enim Prætoria cognitione ſumma eſt. quæritur an maior ſumma ſit, &c. Quo ex loco intelligitur, fideicommiſſorum iuriſdictionem ita partitam fuiſſe, ut Prætor uſque ad certam ſummam cognoſceret, de maiore Conſul ius diceret. Budæus autem eum locum in Annotationib. ſuis proferens ita duobus in locis interpretatus eſt, ut uel ea res admonere nos debeat quanta in alliorum ſcriptis legendis beneuolentia, & facilitate uti debeamus. Verùm ut inſtitutum ſermonem perſequamur, Vlpian.perſpicuè id quod diximus confirmat,cap.Inſt.25.Fideicommiſſa,inquit,nō per formulam petuntur,ut legata. Sed cognitio eſt Romæ quidem Conſulum, aut Prætoris, qui fideicommiſſarius uocatur: in prouincijs uerò, Præſidum prouinciarum. De Prætore fideicommiſſario Imp.l.2.C qui pot.in pign.habeāt.Paul. l.quæſitum,78.§.pen.D.de legat.3.& l. 4. in fid. D.Quib.ad lib. Vlp.l.ſicuti legatum,92.De condit.& demonſt.

PRAETOR FISCALIS.

Praetor fiſcalis ab Imperatore Nerua creatus eſt, qui inter fiſcum & priuatos ius diceret, ut Pomponius ſcribit in l.2.§.28.De orig.iur.

PRAETOR TVTELARIS.

Praetor tutelaris primus a M. Antonino philoſopho creatus eſt, quemadmodum Iulius Capitolinus, ſcribit: cùm antea tutores a Conſulibus poſcerentur, ut diligentius de Tutoribus tractaretur. Quantum autem ex Iuſtiniano intelligimus officium eius erat, ut cogerent tutores & ſatiſdare rem pupilli ſaluam fore, & delatam tutelam recipere.

PRAETORES RERVM CApitalium.

Vide infrà Quæſitores.

PROCVRATOR CAESARIS.

Procvrator Cæſaris ab Auguſto primum inſtitutus eſt, ut ex Dionis lib.LIII. intelligimus: ubi ait Auguſtum in omnes prouincias præterquam ubi Proconſules eſſent, mittere inſtituiſſe Curatores, qui uectigalia cōquirerent, impendiaq;, ſi quę opus eſſent, facerent. Hoc autem potius officium quàm magiſtratus appellatur in l. non licet, 46. D.de cont.emp. Itaq; Rationales paſsim in libris noſtris appellantur: eosq; deportandi ius non habere, ſed petulantibus aditu prædiorum Cæſaris interdicere poſſe, Calliſtratus auctor eſt in l. ult. D.de offic.procur. Præterea iuriſdictionem inter priuatos extra fiſcales cauſas non habebat.l.1.C. de iuriſd.om.iud.l.1.& paſsim, C.ubi fiſc.cauſſæ. Inter fiſcū autem & priuatos ius dicebat. Vlp.l.5. C.eod.l.1.D.de offic.pro.Cæſar. ſcribit, ea quæ ab illo acta geſtaq; ſunt, ſic a Cęſare comprobari, atq; ſi a ſeipſo geſta eſſent. Hinc illud Taciti lib. XII.de Claudio Cæſare: Eodē anno, inquit, ſæpius audita uox principis, parem uim rerum habendā a procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuitò prolapſus uideretur, Senatuſconſulto quoque cautum plenius & uberius, quàm antea. Suetonius tamen id illum precibus impetraſſe ſcribit. Vt ſibi in curiā, inquit, Præfectum prætorij ſecum inducere, liceret, utq; rata eſſent quæ procuratores ſui in iudicando ſtatuerent, præcariò exegit. Ad eundem illud quoq; pertinet quod idem in Veſpaſiano ſcribit, procuratorē rapaciſsimū quenq; ad ampliora officia ex induſtria promouiſſe, quo locupletiores mox condemnaret. ex quibus quidem uulgò pro ſpongijs dicebatur uti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.

PROCONSVLES ET PROprætores.

Propraetores & Proconſules qui fuerint, olim in Verrinarum commentarijs ſic expoſuimus. Cùm antiquitus auctis imperij finib. prætores crearentur, qui in prouincias ſummo cum imperio mitterentur (de quibus apud Liuium frequens eſt mentio) inſtitutum tantum fuit, ut qui Romæ conſulatum aut præturam geſsiſſent, ij anno inſequenti in prouincias eodem cum ſummo imperio mitterentur, quæ icelrco conſulares, & prætoriæ uocabantur: quarum illæ biennium obtinebantur, hæ annum unum: ut teſtis eſt hic ipſe in prima Philippica. Qui uerò ex conſulatu prouinciam obtinebant, proconſules ſiue proconſule: qui ex prætura, Proprætores ſiue Proprætore dicebantur. De proconſulibus quidem nemini dubiū id eſſe arbitramur. de proprætoribus uerò, quoniam dubitare non

nullos animaduertimus, teſtimonijs confirmandum uidetur. Cicero lib. de Diuinat. 11. Bellicam rē adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicatò noluerunt. quàm multi ſunt anni, cum bella à proprætoribus & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent? Quin igitur Gabinius, qui ex conſulatu Syriam obtinuit, proconſul: quin Verres qui ex prætura Siciliam, proprætor dici poſſet, dubitaturum neminem exiſtimamus. At enim prætor hic perpetuò nominatur. Ita eſt, ſed aut præturam magiſtratum eſſe annuum negemus, aut per abuſionem id dici, fateamur neceſſe eſt. Repugnat enim præturam Verris eſſe annuā, & Verrem prætorio imperio, tum Romæ, tum in Sicilia, quadriennium præfuiſſe. ac ne cui mirum uideatur, uerbum prætoris pro proprætoris uſurpari, locum ex Verrina 1111. ſubſcribemus, in quo & Conſul pro proconſul, & prætor pro proprætore, perſpicuè uſurpatur. Quū id qđ omnes intelligebāt diceret Heraclius, legem eſſe Rupiliam, quam prætor Rupilius ex S. C. de decem legatorum ſententia dediſſet, hoc omnes ſemper in Sicilia conſules prætoresque ſeruaſſe, &c. Sententiam noſtram nunc ita perſpicuè confirmabimus, ut quod amplius dubitetur nihil futurū ſit. Cælius ad hunc noſtrū ſcribens lib. Epiſtol. 8. ſic ait, Itemque ſenatui placere, in Ciliciam prouinciam inque VIII. reliquas prouincias, quas prætorij pro prætore obtinerent, eos qui prætores fuerunt, neq; in prouincia cū imperio fuerunt, quos eorū ex S.C. cum imperio in prouincias pro prætore mitti oporteret, eos ſortitò in ꝓuincias mitti placere: & quæ ſequuntur. Videmur, opinor, apertè nūc, eos ipſos qui prætorii erant, prætorio imperio in prouincias mitti moris fuiſſe. In quo tamen illud intelligendum eſt, tametſi more id inſtitutoque fieret, ut qui ex prætura conſulatuve exirent, in prouincias proprætorio proconſularive imperio mitterētur, eoq; hi magiſtratus eſſent ordinarij. nonnunquam tamen extra ordinē, tum proprætores, tum proconſules mitti conſueuiſſe: quorum imperium extraordinarium appellabatur. Velut in his duobus de quibus modò cōmemoratum eſt, Cn. Pompeio, & L. Gellio; quorum uterque quum conſul antea nunquam fuiſſet, pro Conſule tamen in prouinciam eſt miſſus. Nam de Pōpeio quidem apertè id Cicero undecima Philippica teſtatur: cuius uerba paulo antea deſcripſimus. quod eodem modo intelligendum eſt in ijs, qui cum Conſules quidem fuiſſent, non tamē ſtatim ex Cōſulatu in prouinciā proficiſcebātur, quemadmodū Ciceroni uſuuenit: qui quia IX. poſt cōſulatū annis in Ciliciā procōſul ꝓfectus eſt, propterea extraordinarium ſuum imperium appellat in Epiſtola 9. lib. ad Atticum quinti: Faciam, inquit, ut ſumma modeſtia & ſumma abſtinentia munus hoc extraotdinarium traduceamus. Atque hæc quidem de Proconſulum imperio extraordinario. A quo proprętorum extraordinarium imperium nihil omnino differt; hinc intelligi poteſt, quòd Cicero Philippica 11. imperium à ſenatu in ſuam ſententiam C. Cæſari adoleſcenti, neque ullo unquam magiſtratu functo, delatum ut proprætor eſſet, extraordinarium appellat. At enim, ait, C. Cæſari adoleſcenti imperiū extraordinariū mea ſentētia dedi. Significat autem S.C. quod in oratione V. perſcriptum eſt. Eiuſdē modi fuit Cn. Piſonis imperium, de quo Salluſtius in coniuratione Catilinæ ſic ſcribit: Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam Quæſtor pro prætore miſſus eſt, adnitente Craſſo, &c. Non igitur aut Proconſulum aut Proprætorū perpetuò extraordinarium imperiū fuit: quemadmodū placere quibuſdā uideo. Sed tum demū, cum in prouinciam aut ante Conſulatum Præturamve, aut non ſtatim ex Conſulatu Præturave cum imperio mitterentur. Hæc cum ita ſe haberent, illud tamen minimè ſilentio prætermittendum uidetur: quoniam prætoris uocabulo ueteres pro eo qui exercitui præeſſet utebantur (quemadmodum ex Aſconio notum eſt) eos qui duces exercitus Vicarij relicti eſſent (quos Locum tenentes generales uulgò nominamus) Proprætore etiam appellari conſueuiſſe: quod uel ex eo intelligi licebit, quia Salluſtius in bello Iugurthino ſcribit, Albinum conſulem ad comitia profectum, Aulum fratrē in caſtris pro prætore reliquiſſe: quem paucis pòſt uerſibus legatum appellat. & in eodem C. Marium in expeditionem profectum, L. Syllam Quæſtorem ſuum in caſtris pro prætore reliquiſſe. Valerius autem Maximus libro 2. cap. De diſciplina militari, L. inquit, Martius tribunus militum cum reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionū, quos arma Punica in Hiſpania abſumpſerāt, diſperſas mira uirtute collegiſſet, earumq; ſuffragijs dux eſſet creatus, ſenatui de reb. actis à ſe ſcribēs, in hūc modū orſus eſt: L. MARTIVS Proprętor, cuius honoris uſurpatione uti eū Patribus cōſcriptis non placuit, quia duces à populo, nō à militibus ſolerent creari. Hæc Valerius. De proconſulum autē & proprætorū ordinario imperio lubet Appiani uerba ex lib. Syriaco ſubſcribere: καὶ στρατηγοὺς, inquit, ἐπὶ τῷ στρατῷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι καὶ δυώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐστὶ τοῖσδε στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεα παράσημα. Quę nos cum Appianum Latinum faceremus, ſic conuertimus: Imperatores cum exercitu miſerunt, quos ipſi ſex ſecurium magiſtratus (id eſt Proconſules aut Prætores) uocant, Nam cum utantur Conſules duodecim ſecuribus, totidemque faſcibus, quemadmodum priſci Reges: dimidium autē poteſtatis illorū magiſtratus iſti habeāt, inſigniū etiam partē duntaxat habent dimidiam. Atque hæc quidem uſque ad Auguſti imperium ita ſe quemadmodū diximus habuerunt.

habuerunt. Hic uerò prouincias ita diuiſit, ut aliæ Cæſaris, aliç Populi dicerentur. Cæſaris quæ ualidiores erant, & quas annuis (ut Suetonius ſcribit) magiſtratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipſe ſuſcepit, in easque Rectores mittere inſtituit, uiros (ut ait Strabo) tum Conſulares, tum prætorios, tum etiam equites. quos & ille generali nomine δυνάστας, & Iuriſconſulti in Pandectis Præſides appellant. Nomen (inquit Macer) Præſidis generale eſt, eo quòd & Proconſules & legati Cæſaris & omnes prouincias regentes, licet Senatores ſint, Præſides appellantur. Vbi tamen, SENATORES NON SINT, cum negatione legem dum uidetur. ut Equites ſignificet de quibus hoc ipſum Strabo teſtatur. Populi autem qui prouinciis præerant, Proconſules (ut ait Suetonius) dicebantur. Vnde caput in libro Pandectarum 1. De officio proconſulis: quod ad populi prouinciarum ſolos rectores pertinet. Nam etſi populus in ſuas prouincias στρατηγικοὺς ὑπάτους (ut Strabo appellat) id eſt Prætores & Conſules (quibus nominibus abuſus eſt pro. Proprætores & Proconſules, ut continuò pòſt demonſtrat) tamen utroſque Proconſulum nomine appellari ſolitos, & Suetonius teſtatur. & ex Pandectarum libris facilè intellectu eſt. cum ſcilicet extraordinarium eſſet eo tempore propè omnium in prouincijs imperium, eoque generali nomine (ut paulo antè moris fuiſſe oſtendimus) rectores omnes appellarentur. Nam ut in eiuſdem imperatoris uita Suetonius ſcribit, Auguſtus auctor ſenatui fuit, ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in prouinciaa mitterentur. & ut cura ærarii à Quæſtoribus urbanis ad Pretorios Prætores ve tranſiret. Atq; hæc quidem de primis temporibus dicta ſint. De poſtremi uerò temporis ratione pauca hæc ex Dionis lib. LIII, à nobis conuerſa, hunc in locū adſcribemus. Cæſar cum appetendi regni ſuſpicionem omnem ab ſeſe remouere cōſtituiſſet, decem ſibi annorum Imperium ſuas prouincias ſumpſit, hoc enim temporis ſpacio pacatas ſe illas redditurum recepit. Simulque iuueniliter exultans, hoc addidit quo celerius ſedatæ & quietæ eſſe poſſent: eo ſe maturius illas depoſiturum. Atque eo primùm tempore ſenatores & in ſuas & in ſenatus prouincias cum imperio miſit: præter Aegyptum, quam ſolam equiti Ro. ijs de cauſsis quas ſuperius expoſuimus, attribuit. Pòſt deinde hæc conſtituit: Vt eorum præfecturæ eſſent annuæ, ſortæque legerentur, niſi ſi quis uel propter liberorum multitudinem, uel propter uxorem ductā ius aliquod præcipuum ac ſingulare haberet: Vt ex S.C. mitterentur, & neque gladiis accincti, neque habitu militari eſſent: Vt proconſules dicerētur non modò illi duo, qui Conſulatu eſſent functi, ſed etiā ceteri uiri prætorij, quive pro prætore mitterenē: Vt tot lictores utriuſq; darent, quot habere in urbe legibus licebat: Vt imperij inſignia quamprimum pomœrio egreſsi eſſent, acciperent: eaque uſque dum ex prouincia decederēt, perpetuò retinerent. Reliquos uerò à ſe deligi, ſuosque legatos, etſi Conſulatum geſsiſſent, tamē Proprætores nominari uoluit. duo nanque hæc nomina ualde floruerunt tum, cum penes populū imperium eſſet. Is enim iam inde à primis temporibus Prætoris nomen, tanquam rei militari maxima conueniens, attribuit ijs quos delegiſſet, & Proprętores eos appellauit: reliquos autem quaſi uocabulo ad pacem magis accommodato, è nomine Conſulum Proconſules appellauit. Hæc enim nomina Prætoris & Conſulis in Italia retinuit: qui uerò extra Italiam erant, quaſi horum locum obtinerent, prefectos omnes appellauit. Effecit igitur, ut quos ipſe deligeret non Proprætores ſolum dicerentur, uerumetiam & plures annos cum imperio eſſent, & habitu militari uterentur, & gladium animaduertendique in milites poteſtatem haberent. Siquidem nulli neque proconſuli, neque proprætori, neque præfecto ius gladij geſtandi permittebatur, quin ſimul eadē animaduertendi in milites poteſtas legibus concederetur neque uerò ſenatoribus tantum, uerùm etiam equitibus Romanis, qui eam poteſtatem habent, ius illud permittitur. Atque hæc quidem ita ſe habent. Iam uerò lictoribus ſex omnes utuntur proprætores, & quicunque Conſulares non ſunt: ex eoque lictorum numero nomen inuenerunt, ut ἑξαπελέκεις dicerentur. Imperii etiā inſignia, poſtquam in prouincias ſuas peruenerunt, utrique accipiunt: eaque unà cum imperio deponunt. Hoc eodem modo leges etiam iubent, ex Prætorijs & Conſularibus uiris præſides in Senatus Imperatoriſq; prouincias mitti: quos imperator & quæ in loca uolebat, & quo tempore uolebat, mittere cōſueuerat. ita multi non modò Pretores, uerumetiam Conſules prouinciis præfuerunt. id quod hodieque nonnunquam fieri conſueuit. Senatus autem & ſeorſim quidem Conſularibus Africam atque Aſiam conceſsit: & Prætorijs reliquas omnes diſtribuit. Omnibus autem æquabiliter interdixit, ne quis quinquennio antè, quàm magiſtratum in urbe geſsiſſet, prouincias ſortiretur. Sic tēporis progreſſu, licet maior eorum qui ſortiebantur quam prouinciarum numerus eſſet, tamen ad imperium omnes perueniebant. Poſteà cum malè nonnulli magiſtratus geſsiſſent, illæ quoque prouinciç Imperatori adiectæ ſunt, ſic ut eas ipſe quodammodo diſtribueret: cum tot ſortiri iuberet, quot eſſent prouinciæ. Alii autem Imperatores etiam à ſe delectos in prouincias miſerunt, ijſque annos complures imperium prorogarūt. Alij uerò equitibus ſenatorum loco prouincias mandarunt. quo ferè tempore hæc legibus conſtituta ſunt de ſenatoribus, qui ius necis in eos qui imperio ſuo ſubiecti eſſent, haberent. Mittuntur enim etiam quibus ius illud non permittitur in eas prouincias

uincias quæ populi & Senatus eſſe dicũtur,& pro quæſtores quos ſors dederit,& aſſeſſores eorum qui cum imperio ſunt. Hoc enim nomine rectè illos, ſi officium illorum ſpectemus, appellabimus: cum alii legatos etiam illos appellent. Sed de nomine ſuperius ſatis dictum eſt. Hos igitur aſſeſſores ſibi quique deligunt, unum quidem prætorij ex ſui aut inferioris ordinis hominibus: tres uerò Conſulares, ex eiuſdem dignitatis uiris, quos ipſe Imperator probauerit. Quanquam hæc ratio innouata eſt. Sed quia breui interiit, ſatis erit ſuo loco indicare. De prouinciis igitur, populi hæc ita ſe habent. Mittuntur uerò & in alias prouincias, quæ Imperatoris dicuntur, ab eo ipſo præſides pluribus legionibus inſtructi: plurimùm ex prætoriis, interdum ex iis qui quæſturam, aut alium magiſtratum intermedium geſſerũt. Hæc ex Dione.

PRODICTATOR.

PRODICTATOR propter Conſulum abſentiam nõ nunquam creatus eſt. Liuius lib. 32. Itaque ad remedium iamdiu deſideratum, nec adhibitum, Dictatorem dicendum, ciuitas confugit. & quia Cõſul aberat, à quo uno dici poſſe uidebatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium aut literas mitti: nec Dictatorem populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat. Prodictatorem populus creauit Q. Fabium Maximum, & Magiſtrum equitum M. Rufum Minutium.

QVAESTORES AERARII.

QVAESTORES (inquit Varro) à quærendo: qui cõquirerent pecunias publicas. Cornelius Tacitus lib. XI. Annalium, Apud maiores uirtutis id præmium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta Conſulatum ac Dictaturas inirent. Sed Quæſtores Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt, quod lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. Manſitq́ue Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatiq́ue primùm Valerius, Poſthumius, Aemylius Mamercus LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliſcentibus negociis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus ſtipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum uectigalibus. Pòſt lege Syllæ uiginti creati ſupplendo ſenatui cui iudicia tradiderat. Et quanquam equites iudicia recuperauiſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuitò concedebatur, donec ſententia Dolobellæ uenundaretur. Aſconius Verrina I. Quæſtores urbani ærarium quærebant, eiuſq́ue pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueuerant. Liuius autem lib. VII. teſtis eſt, eoſdem Quæſtores ſigna ex ærario prompſiſſe Imperatoribus ad bellum exeuntibus. Pomponius l. 2. §. 12. D. de orig. iur. Deinde cum ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet, ut eſſent qui illi præeſſent, conſtituti ſunt Quæſtores qui pecuniæ præeſſent. dicti ab eo, ꝙ inquirendæ & conſeruandę pecuniæ cauſſa creati erant. Vlpian. in l. 1. de offic. quæſt. Origo Quæſtoribus creandis antiquiſsima eſt, & penè ante omnes magiſtratus. Gracchanus denique Iunius lib. ſeptimo de Poteſtatibus etiam ipſum Romulum, & Numam Pompilium binos Quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſua uoce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicuti dubium eſt an Romulo & Numa regnantibus Quæſtor fuerit, ita Tullo Hoſtilio, rege Quæſtores fuiſſe certũ eſt. Sanè crebrior apud ueteres opinio eſt, Tullũ Hoſtilium primum in Rempublicam induxiſſe Quæſtores. Et à genere querendi Quæſtores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt. Tacitus lib. XIII. de Nerone loquens: Deinceps curam tabularum publicarum à Quæſtoribus ad Præfectos tranſtulit, uariè habita hac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere Præfectos. Deinde ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero prætorum, qui præeſſent: neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc claudius Quæſtores rurſus impoſuit: iiſq́ue ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Sed deerrat robur ætatis eum primũ Magiſtratũ capeſſentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit. Eorundem etiam munus erat prædam ex hoſtibus captam uendere, pecuniamq́ue inde redactam in ærarium referre: quemadmodum Gellius lib. XIII. cap. XIII. declarat. Item multas irrogatas exequi, & in publicas tabulas referre: ut patet ex Liuii lib. XL. Tacitus lib. XIII. Cenſuit Piſo deſignatus Conſul, ne multam à Tribunis dictam Quæſtores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent. Dio præterea in libro LV. extremo ſcribit, Tuberone, Fabio COSS. ad Quęſtores tranſlatam eſſe curam Senatuſconſultorum aſſeruandorum, cùm antea Tribunorum ple. & Aedilium id munus fuiſſet.

QVESTORES PROVINCIALES.

QVAESTORES Prouinciales erant, qui unà cũ Proconſulib. aut Proprætoribus in prouincias exibant, cum pecuniam ſibi ex ærario à Senatu attributam, & à Tribunis ærarii adnumeratam accepiſſent, unde ſtipendio, frumento, legatis, proquæſtoribus, cohorti prætoriæ ſuppeditarent: quemadmodum ex Verrin. III. intelligitur. Aſconius, Prima Senatoris adminiſtratio eſt Quæſtorem fieri,

fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in uſus diuerſos erogandæ. Inter urbanos autem & prouinciales Quæſtores hanc differentiā reperio. Primum quòd illi neq; lictores, neque uiatores habebant: cum neque uocationem, neq; prehenſionem haberent: uti ſcribit Gellius libr. XIII. cap. XIII. Hi uerò & lictores, & togam prætextam habebant: ut in Verrinam IIII. docuimus. idq; conſtat ex Orat. pro Plancio his uerbis Nam ſimulac me Dyrrachium attigiſſe audiuit (de Plancio loquitur, Quæſtore tum Macedoniæ) ſtatim ad me lictoribus dimiſsis, inſignibus abiectis, ueſte mutata profectus eſt. Altera differentia eſt, quòd Vrbani ius non dicebant: Prouinciales autem iure dicundo conuentus circumibant, ut ſcribit Suetonius in Cæſare, & quæcunq; commiſſa populo Rom. eſſent, exquirebant; deq; iis iudices ac Recuperatores dabant: quemadmodum uidemus in Diuinatione Q. Cæcilium Verris Quæſtorem in Agonidem iudicium dediſſe, Si pateret eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe.

QVAESITORES PARICIDII.

QVAESTORES paricidij (quemadmodum ſcribit Pomponius in l. 2. De orig. iur.) creari a populo ſolebant, qui capitalibus rebus præeſſent. nam Conſulibus de capite ciuis Romani iniuſſu populi ius dicere non licebat. Feſtus lib. XIIII. Paricidii Quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſſa rerum capitalium quærendarum. Nam paricida non utique is qui parentem occidiſſet dicebatur: ſed qui qualemcunque hominem. idem autem fuiſſe indicat lex Numæ Pompilij Regis, his compoſita uerbis: Si quis hominem liberum dolo ſciens neci duit, Paricidia eſto. Poſtea uerò cum à Senatu quæſtiones extra ordinem mandari cœpiſſent, nomen quidem obſoleuit, res ipſa in uſu manſit. Dictatorem tamen quæſtionibus exercendis creatum, legimus apud Liuium libro IX. Senatus uerò modò Conſulibus, modò Prætoribus quæſtiones decernebat. de COSS. qui de Bacchanalib. quærerent, autor eſt Liuius lib. XXXIX. Sic Iugurthinæ coniurationis quæſtionem Conſuli mandatam Cic. in Bruto ſcribit. De prætorib. qui de ueneficiis & peculatu quærerent, ſcribit Liuius lib. 38. & 39. Talis fuit quæſtio de ui, Cn. Domitij prætoris: de qua Cicero & Aſco. in Milonianam. Cum igitur uariæ & incertæ iudiciorum publicorum quæſtiones eſſent, eæq; modo coss. modò Prætoribus mandarentur. Cornelius Sylla lege ad populum lata perpetuas (ut ait Pomponius) quæſtiones conſtituit, & quatuor Prætores adiecit. Nam ex lege Bæbia alternis annis (ut Liuius libro XL. ſcribit) quatuor Prætores creabātur: duo qui urbe ius dicerent, urbanus & peregrinus: reliqui qui in Prouincias Siciliam & Sardiniam irēt. Deinde ſex creari cœperunt. totidem enim idem numerat libro XLV. Tum Sylla quatuor adiecit, utq; ex iis decem, octo de publicis criminibus quærerent, conſtituit. Nam ante legem Corneliam non quæſtionibus exercendis, ſed prouincijs adminiſtrandis creabantur prætores: quibus tamen quandoq; extra ordinem quæſtiones (ut diximus) mandabantur a Senatu. Vnde extraordinariæ quæſtiones illæ, hæ ordinariæ, perpetuæ & quotidianæ a Cicerone appellantur. Decem autem prætores hi ſunt. Prætor urbanus, item peregrinus qui priuatis de cauſsis ius dicebant. Publicorum autem iudiciorum Quæſitores ſunt: Prætor repetundarum, ueneficii, inter ſicarios duo, qui etiam de paricidio quærebant, auctore Cicerone pro Sex. Roſcio: peculatus, ambitus, maieſtatis, de ui publica. Ex quibus omnibus intelligitur rectè ſcripſiſſe Pomponiū primum Syllam publicas conſtituiſſe quæſtiones, & quatuor prætores adieciſſe. Deinde C. Cæſarem duos addidiſſe, ac proinde XII. Prætores Cæſaris tempore fuiſſe. unde patet decem ante Cæſarem fuiſſe prætores: quod idem Ciceronis teſtimonio confirmatur, qui in oratione Cluentiana ſex publicorum iudiciorum Prætores commemorat: Q. Voconium de ueneficio, M. Pletorium, & C. Flaminium inter ſicarios, C. Orchinium peculatus, ſeipſum de repetundis pecunijs, C. Aquilium ambitus. Deinde, quid reliquæ queſtiones? inquit. quibus uerbis certè prætorem urbanum non intelligit, ut nonnulli ſuſpicantur: neq; enim is quærere, ſed cognoſcere dicitur. Intelligit ergo C. Caſsium, qui de maieſtate eó anno quæſiuit, & alium qui de ui publica. quibus omnibus ſi urbanum & peregrinum adijcias, decē omnino prætores efficies. Nam qui prætorem inter peregrinos de pecunijs repetundis quæſiſſe exiſtimant, nullis ſanè commodis rationibus ſententiam ſuam confirmant. Confundunt enim & perturbant iuriſdictionem, & quæſtionem: publicaq; & priuata iudicia. quin etiam Pretorem peregrinum de repetundis pecunijs non queſiſſe, Liuius teſtis eſt lib. XLII. quod enim C. Antonium apud M. Lucullum prætorem qui ius inter peregrinos dicebat, accuſatum Pedianus ſcribit, quòd Achæos ſpoliaſſet, non illud repetundarum iudicium eſt. neq; enim Prætor in Achaia Antonius fuerat, neq; legatus: uix enim erat Quæſtorius. Sed nactus (inquit Aſconius) de exercitu Syllæ equitum turmas, Achæos ſpoliauit. Non enim hoc in iudicio repetundarum quæritur, an ſpoliarit ſocios, cum nullam haberet imperium: ſed ceperitne contra leges pecunias Antonius teſtis Cic. Verrina V. & lib. de Orat. II. Quamobrem cum lex nulla ſanxiſſet pœnam in eos qui latronum more, priuati prouincias ſpoliarent & diriperent, ſed tantùm ui Magiſtratus (neq; enim cum lex Iulia lata erat) quomodo prætor repetundarum

tundarum hac de re iudicare potuiſſet: cum quæſtiones legibus exercerentur? Rectè uerò Prætor peregrinus qui inter ciues & peregrinos ius dicebat. Et quidem inter ſenatores & prouinciales, Romæ fieri ſolita iudicia, Cic. libro XIII. Epiſt. fam. ad Ser. Sulpitium teſtis eſt. Satis ergo conſtat decem fuiſſe prætorea; recteque Nicolaum Gruchium uirum clariſsimum & eruditiſsimum in optimo ſuo de Comitiis libro id ex Pomponio defendiſſe: tametſi contumelioſè ſanè à nonnullis, qui eum neſcio quem appellant, hanc ob cauſſam reprehendatur. Atque hic quidem numerus Prætorum ordinarius fuit. Nam octo quoque creatos Cicero pro Milone, & in ea quã poſt reditum in Senatu habuit oratione demonſtrat: & Cælius lib. VIII. Ep. octo Prætorias prouincias nominat. extraordinariæ tamen illæ ſunt. De Aſia enim agitur in eo S.C. quam Sylla (ut pro Flacco Cic. ſcribit) pro portione in prouincias deſcripſit. Quibus ſi adiiciamus illum prætorem quem lege Clodia conſtitutum, Cic. pro domo ſcribit, nouem certè efficiemus. Nam quod Dio lib. XLII. Cæſarem decem prætores conſtituiſſe ſcribit, tam uerum eſſe exiſtimo, quàm illud Taciti aut Paterculi, qui Octauiano illud attribuunt. Cæſar enim qui pro libidine remp. tractaret, modò decem, modò XII. modò XIIII. Prætores creabat: ut idem lib. XLIII. teſtatur. Decem igitur ordinarios prætores fuiſſe, cum Pomponio & Cicerone crediderim: pro ratione tamen prouinciarum quandoque pauciores, quandoque plures extra ordinem creatos non negarim. huc enim ſpectat illa Ciceronis lex, Huic poteſtati pari quotcunque ſenatus creauerit, populuſve iuſsit, tot ſunto. Atque hæc quidem hactenus. quæ tibi omnia, Lector optime, ex adoleſcentis clariſsimi Richardi Strein, Baronia generoſiſsimi commentationibus optimis de Magiſtratibus deprompta, hunc in locum referre uolui: ut tibi arrabonem quendam ac ſpecimen illarum meditationum hoc tempore præberem: & adoleſcenti nobiliſsimo, quem propter optimarum artium ſtudium incredibile in conuictu meo habitum, ſemper clariſsimum iucundiſsimumque habui, honorem meritiſsimum adiungerem, animumque ad hunc ſuum curſum perſequendum quacunque ratione poſſem, adderem.

QVAESTORES CANDIDATI.

Qvaestores candidati dicebantur, qui libris, hoc eſt epiſtolis, ſiue orationibus Principis in Senatu legendis præerant: quemadmodum docet Vlpianus in l. 1. D. de off. quæſt. Lampridius in Alexandro, Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſsit munera populo dare, ſed ut poſt Quæſturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent. Quibus ex uerbis candidatos ſuſpicor ea re dictos eſſe, quòd hic ingreſſus erat, & quaſi primordium gerendorum honorum, & ſententiæ in Senatu dicendæ, quemadmodum Vlpianus eodem loco ſcribit. Dio lib. LIIII. συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἐπ᾽ αὐτοῖς ἐφθέγξατο· τὸ δὲ δὴ βιβλίον τοῦ ταμιείᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τότε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. Tacitus lib. XVI. Inter quorum aſpectus & minas ingreſsi curiam Senatores & oratio Principis per Quæſtorem eius audita eſt. Suetonius in Tito: Recepta ad ſe propè omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipſe epiſtolas dictaret, & edicta conſcriberet, orationesq; in Senatu recitaret etiã Quæſtoris uice.

TRIBVNI AERARII.

Tribvni ærarii dicebantur, inquit Varro, quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent. Et Pedianus Verrina III. Pecunia attributa eſt, quę in ſtipendium militum de ærario à Tribunis ærariis adnumerari Quæſtori ſolet. Hi magiſtratus quidem non erant, ſed quia procurationem publicam habebant, iccirco à nobis in hunc ordinem relati ſunt: eo magis, quòd Cicero in libro De legib. III. ubi de magiſtratibus ſe leges dare profitetur, hunc quoque adſcribit, & minorem magiſtratum appellare uidetur: his uerbis quæ ante annos ſex à me multis audientibus caſtigata, ſubſcribam. Minores magiſtratus, partiti iuris plures in plera ſunto. Militiæ quibus iuſsi erunt, imperanto. Aerariique Tribuni ſunto. Domi publicam pecuniam cuſtodiunto. Quam lectionem manuſcriptorum librorum auctoritate confirmari, mihi magnopere placuit, Ordinis autem nomen hoc fuiſſe, magnumque illorum numerum extitiſſe, uel ex eo intelligi poteſt, quòd in lege Aurelia diximus, latum fuiſſe, ut iudicia quæ penes ſolos Senatores erant, cum equitibus & Tribunis ærariis communicarentur. Quòd ſi quis differentiam inter Tribunos ærarii, & Quæſtores ærarii requirat, hanc me reſpondebo fuiſſe arbitrari, quòd Tribuni pecuniam in urbe ſignatam cuſtodirent: Quæſtores, ex uectigalibus quæſitam. Illi tribuebant atque adnumerabant Quæſtoribus in prouincias abeuntibus: hi pecunias ærarii tum acceptas, tum expenſas in tabulas publicas referebant.

TRIBVNVS CELERVM.

Tribvnvs Celerum à Romulo primùm creatus eſt, ut Liuius li. I. teſtatur, ubi ſcribit illum trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello ſolùm, ſed etiam in pace habuiſſe. Feſtus libro III. Celeres, inquit, antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à

Romulo iis præpoſitus fuit,qui primitus electi fuerût ex ſingulis decuriis deni,ideoq; omnino recêti fuere. Idem etiam Dionyſ.lib. II. ſcribit, & hoc amplius,Celerum alios,equites,alios pedites fuiſſe eorum Tribunos tres ſubiectos cêturiones fuiſſe,rurſusq; his alios:omnesq; per urbem haſtatos Regem comitatos eſſe,eiusque mandata obiiſſe,in militia uerò anteſignanos fuiſſe, primos pugnam iniiſſe, poſtremos diſceſſiſſe: equites quidem in planitie,pedites uerò in aſperis & inæqualibus locis pugnaſſe. Paulo aliter tamen Pomponius ſub tit. De orig.iur. Regum temporibus, inquit,Tribunum Celerum fuiſſe conſtat. is autê erat,qui equitibus præerat,& ueluti ſecundum locum à Regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor fuit Regis eijciendi. Et paulo pòſt ait, Magiſtros equitum ita dictatoribus eſſe iunctos, ut Regibus Tribunos Celerû. Ouid.lib.Faſtorum IIII.

Hoc Celer urget opus,quẽ Romulus ipſe uocarat:
Sintq;,Celer curæ,dixerat,iſta tuæ.
Neve quis aut muros, aut factam uomere foſſam
Transeat,audentem talia dede neci.

TRIBVNI MILITVM CONſulari poteſtate.

TRIBVNI militum terni Conſulari poteſtate creati ſunt,anno Vrbis CCCX. cum orta inter patres & plebê diſſenſio eſſet,propter C.Canuleij Trib. ple.legem qua de Conſule altero de plebe creando agebatur. Placuit igitur, ut pro Conſulibus Tribuni militû ex patricijs terni,totidemq; ex plebe crearentur: qui Conſulari ac ſummo imperio Reipub. ſummam adminiſtrarent. Verùm terni tantum,ijq; patritij creati ſunt: plebs eo contenta fuit, quòd ſui ratio in Comiuijs habita fuiſſet. Liuius lib. IIII.& Dionyſ.lib.XI. Pomponius l. 2.§.14. De orig.iur. Deinde cùm poſt aliquot annos plebs cum patribus contenderet, & uellet ex ſuo quoq; corpore Conſules creare, & patres recuſarent:factum eſt,ut Tribuni militum crearentur partim ex plebe,partim ex patribus, conſulari poteſtate hiq; conſtituti ſunt uario numero. interdum enim uiginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.

TRIBVNI MILITVM IN legionibus.

TRIBVNI militum, inquit Varro,quòd terni ex tribus tribubus, Ramnium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Pedianus autem Verrina II. Tribunorum, inquit, militarium duo ſunt genera:primum eorum qui Rufuli dicuntur. hi in exercitu creari ſolent. alij ſunt Comitiati, qui Romæ comitiis deſignantur. Zonaras autem lib. II. ſcribit eos ſic appellatos, qui imperium in mille uiros obtinerent. Cic. li. III. De legib. munus eorum his complectitur uerbis,Militiæ quibus iuſſi erunt imperanto. Polyb. in VI. de Repub. Deſignatis Conſulibus poſtea Tribunos militum creât,& quatuordecim quidem ex ijs faciunt Tribunos, qui habent annua quinq; ſtipendia. his deinde adiiciunt decem, quos creant ex ijs qui ſupra quinq; uſq; ad decem habent annua ſtipendia: Equites quidem qui decem omnino habent ſtipendia,pedites autem qui ſex & eo amplius habent annua ſtipendia. Liuius lib. VII. Et cùm eo anno primùm placuiſſet Tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri (nã & antea ſicut nunc, quos Rufulos uocant, Imperatores ipſi faciebant) ſecundum in ſex locis tenuit. Idem lib. IX. Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum,utraq; ad rem militarem pertinentia: unum, ut Tribuni militum ſenideni in quatuor legiones à populo crearentur: quæ antea perquàm paucis ſuffragio populi relictis locis Dictatorum & Conſulum fermè fuerant beneficia. Tulerunt eam rogationem Tribuni pl. L. Attilius, C. Marcius. Idem lib. XLII. In tribunis militum nouatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod Conſules ex S. C. ad populum tulerunt,ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur: ſed Conſulum Prætorumq; in iis faciendis iudicium arbitriumq; eſſet. Hinc illud apud Suetonium in Cæſare: Tribunus militum, qui primum Romam reuerſo per ſuffragia populi honor obtigit, auctores reſtituendæ Tribunitiæ poteſtatis enixiſsimè iuuit. Item apud Plutarchum in Catone Vticenſi:In petitione Tribunatus militaris legem quæ candidato nomenclatores adeſſe uetabat, ſolus Cato ſeruauit, per ſeipſum appellans populum. Plinius autem lib. 31. cap. 7. & lib. 34. cap. 3. ſcribit eorum ſtipendium, Salarium dictum fuiſſe, à ſalis nomine: quod honoribus, inquit, militiæq; interponitur, ſalariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ uiæ: quoniam illa ſal in Sabinos portari conſueuerat. Macer in l. officium, 12. D. de re milit. Officium Tribunorum eſt, uel eorum qui exercitui præſunt, milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claues portarum ſuſcipere, uigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum probare, menſorum fraudem coercere, delicta ſecundum ſuæ auctoritatis modum caſtigare, principijs frequenter intereſſe,querelas commilitonum audire, ualetudinarios inſpicere.

TRIBVNI PLEBIS.

TRIBVNI pl. primùm ita creati ſunt. Anno CCLX. cùm plebs ex urbe ad Aequorum bellum educta propter nobilium feneratorum impotentiam, Conſu-

Conſulibus relictis, trans Anienem amnem collem occupauit: neque eo anno reuocari in urbem potuit, uſquedum Senatus ei per decem Legatos promiſit, ius ipſi ſorte magiſtratum è ſuo corpore contra Patritiorum potentiam creare: primùm autem duo, uel, ut alij tradunt, quinque creati ſunt: ſed An. CCXCVI. Horatio, Minutio COSS. decem effecti. Liuius lib. III. & Dionyſ. lib. VI. & X. In eandem ſententiam Pompon. l. 2. §. 2. D. de orig iur. Iiſdem temporibus, inquit, cum plebs a patribus ſeceſsiſſet, anno ferè ſeptimo decimo poſt reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creauit, qui eſſent Plebeij magiſtratus. Dicti Tribuni, quòd olim in tres partes populus diuiſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: uel quia tribuum ſuffragio creabantur: Sic Varro lib. De lingua Lat. IIII. Tribuni plebeij, qui ex Tribunis militum primum Tribuni plebeij facti, qui plebem defenderent, in ſeceſsione Cruſtumerina. Cic. lib. De legib. III. poteſtatem eorum his declarat uerbis: Plebes quos pro ſe contra uim auxilij ergò decem creaſsit, Tribuni eius ſunto. quodq; ij prohibeſsint, quodq; plebem rogaſsint, ratum eſto. ſanctiq; ſunto: neve plebem orbam Tribunis relinquunto. Erat enim hic magiſtratus ſacroſanctus. Liuius li. III. Ipſis quoq; Tribunis, ut ſacroſancti uiderentur, cuius rei propè iam memoria aboleuerat, relatis quibuſdam ex magno interuallo cerimonijs, renouarunt. & tum religione inuiolatos eos, tum legem etiam fecerunt ſanciendo, ut qui Tribunis plebis, Aedilibus, iudicibus, Decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, liberi, liberæq; uenum irent. Idemq; tradit Dionyſ. lib. VI. Viatorem quidem & prehenſionē habebant, uocationem uerò, nequaquam (ut ait Gellius) antiquitus creati uidentur, non iuri dicundo, nec cauſsis, querelisq; de abſentibus noſcendis: ſed interceſsionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent: ut iniuria quæ coram fieret, arceretur. ac propterea ius ad ſe uocandi ademptum: quoniam ut uim fieri uetarent, aſsiduitate eorum, & præſentium oculis opus erat. hæc Gellius lib. XIII. c. XIII. Scribit etiam in hanc ſententiam lib. XV. ca. XXVII. his uerbis, Tribuni neq; aduocant Patricios, neq; ad eos referre de re ulla poſſunt. Ita ne leges quidem propriè, ſed plebiſcita appellantur, quæ Tribunis plebis ferrent accepta. Plutarchus autem in Catone Vtic. Ius, inquit, Tribunitiæ poteſtatis magis ad impediendum eſt, quàm ad agēdum: quippe ceteris omnibus collegis uolentibus, unus qui nolit & intercedat, plus poteſt. Idē in Problemat. Cur. Tribunus plebis purpura non utitur, cum ceteri magiſtratus utantur? an quòd magiſtratus non eſt? nam nec in ſella ius dicunt, nec ineunte anno item ut reliqui, magiſtratum ineunt, nec Dictatore creato ſe abdicant: imò quaſi magiſtratus non ſint, delato ad Dictatorem imperio, ſuam ipſi poteſtatem retinent. Cuius rei teſtimonium apud Liuiū lib. VII. uidemus de Tribunis plebis, qui L. Manlium Dictatorem magiſtratu abire coegerunt. Idem etiam lib. VI. intercedendi formolam & ſolenne uerbum fuiſſe hoc VETO, ſignificat his uerbis, Faxo, ne iuuet uox iſta VETO, qua nūc cōcinentes collegas noſtros tam læti auditis. Reperio etiam apud eundem libro IIII. Conſules a Tribunis plebis duci in uincula potuiſſe. & lib. IX. Cenſorem Appium a P. Sempronio Tribuno pleb. prehendi, & in uincula duci iuſſum eſſe. & libro V. Tribunos pleb. minitari ſe iuſſuros eſſe uincula Tribunos militum duci. Apud Dionem autem libro XXXVII. Metellum Conſulem a L. Flauio Tribuno pleb. in carcerem ductum eſſe. Plutarchus in Problematis autor eſt, moribus Romanorum conſtitutum eſſe, ut domus Tribunorum noctu ne clauderetur (quod & Macrobius Satur. I. confirmat) ſed interdiu noctuq; indigenti cuiq; eorum auxilio paterent, quaſi portus quidam & præſidium pericli tantium. Maiores enim communem Tribunum eſſe uoluerunt, & tanquam aram omnibus acceſsibilem. proinde honore quidem ſacroſanctos eos eſſe uoluerunt, nec ſine inexpiabili ſcelere uiolabiles. Idem in uita Catonis Vticenſis tradit Tribunos pleb. in baſilica Porcia χρηματίζειν εἰώθεσαν: quod ego non Ius dicere, ſed conuentum agere, & pro collegio decreta ſua interponere, interpretandum puto.

TRIVMVIRI CAPITALES.

TRIVMVIRI capitales (inquit Pomponius) creati ſunt qui carceris cuſtodiam haberent, ut cum animaduerti oporteret, id interuentu eorum fieret. Salluſt. in Catil. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, uindices rerum capitalium quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Hi octo lictores habebant, qui eorum iuſſu in dānatum animaduertebant. Plautus Amphyt. Quid faciam nunc, ſi Treſuiri me in carcerem cōpegerint? Inde cras è prōptuaria cella depromar ad flagrū. Nec quicquam ſit, qui non me omnes eſſe dignum deputent. Ita quaſi incudem me miſerum homines octo ualidi cædent. Et in Aſinaria, Vbi ſæpe cauſſam dixeris pendens aduerſus octo Aſtutos audaces uiros, Valentes uirgatores. Et paulo pòſt, Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo Validos lictores ulmeis affectos lentis uirgis. Et in eadem, Ibo ego ad Treſuiros, ueſtraq; ibi nomina Faxo erunt capitis. Verùm illi de uilibus & abiectæ tantum cōditionis hominibus ius dicebant: ut furibus, ſeruis nequā, & apud colūnā Meniam cauſſas cognoſcebant. auctor Cic. in Diuin. Et Aſconius in eandem. Memorabile autē eſt quod Valerius Max. lib. V. cap. III. commemorat

rat de muliere quadam quam Prætor damnatam Triumuiro in carcere necandam tradiderat: quã receptam is qui cuſtodiæ præerat, non protinus ſtrangulauit: aditum autem ad eam filiæ dedit: quam poſt animauertit exerto ubere famem matris lenientem. itaque res ab ipſo ad Triumuirum, a Triumuiro ad Prætorem, a Prætore ad Cõſulum iudicium perlata, remiſsionem pœnæ mulieri impetrauit. Idem etiam lib. VIII. cap. IIII. de L. Calpurnio Triumuiro mentionem facit, a quo ſeruus quidem in crucem eſt actus.

TRIVMVIRI NOCTVRNI.

TRIVMVIRI incendijs arcendis præfuiſſe dicuntur apud uetuſtiores, a Paulo in l. I. D. de off. præf. uigil. & ab eo quòd excubias agerent, nocturnos dictos eſſe. interueniſſe etiam nonnunquam & Aediles & Tribunos pleb. fuiſſeq; familiam publicam, circa portam & muros diſpoſitam, unde ſi opus eſſet, euocabatur. Dio uerò li. LV. ita ſcribit, οἱ δὲ δὴ στενωποὶ ἐπιμεληταῖς τισιν ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν, καί σφισι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη, ἥ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα ἐπετράπη, καὶ τοὶ καὶ ἐκείνων καὶ τῶν δημάρχων, τῶν δὲ στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσταχθέντων· ὃ καὶ νῦν γίγνεται. στενωπάρχους Dio uocat, qui Vicorum magiſtri dicebantur quos non ſemper Prætexta uſos, ſed eo tantum tempore quo ludos compitalitios faciebant, Cicero in Orat. in Piſonẽ, & Aſconius in eandem ſignificãt. tametſi ad Auguſtum hæc potius referenda ſunt, de quo Suetonius ita ſcribit: Spacium urbis in regiones, uicosq; diuiſit: inſtituitq; ut illas annui magiſtratus ſortitò tuerentur, hos magiſtri è plebe cuiuſque uiciniæ lecti. Valerius autem Max. lib. VIII. ca. I. de M. Militio, Cn. Lolio, L. Sextilio Triumuiris commemorat, qui quòd ad incendium in ſacra uia exortum extinguendum tardius uenerãt, a Tribuno ple. die dicta ad populũ damnati ſunt. Item de P. Bilio Triumuiro nocturno qui a P. Aquilio Tribuno pl. accuſatus, iudicio concidit, quia uigilias negligentius circumierat.

TRIVMVIRI MONETALES.

TRIVMVIRI monetales, auro, argento, æri flando feriundo, conſtituti ſuntut ſcribit Pomponius in leg. 2. §. 16. De orig. iur. Hinc illud Ciceronis li. De legib. III. Aes, argentum, aurum publicè ſignanto. Item ad Trebatium de Treuiris Gallis iocãs, Treuiros uites cenſeo: audio capitales eſſe, mallem auro, ære, argento eſſent.

DE MAGISTRATIBVS FINIS.

EIVSDEM AVCTORIS, DE SENATV ET INSIGNIBVS ALIQVOT SENATVS-conſultis, obſeruationes.

QVI SENATORES ESSENT, QVIbusque ſententiæ in Senatu dicendæ ius eſſet. Caput primum.

SEnatũ à Romulo primum inſtitutum eſſe, Liuius, Dionyſius, Plutarchus, alijq; auctores tradunt. Liuius quidẽ ĩ libro primo ſic: Cùm iam uirium haud pœniteret, cõſilium deinde uiribus parat. Centum creat ſenatores, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui ciere Patres poſſent. Patres certè ab honore, patricijq; progenies eorum appellati. Dionyſius autem libro II. ὁ δὲ Ῥωμύλος ἐπεὶ ταῦτα διεκόσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ' ὧν πράξειν τὰ κοινὰ ἔμελλε, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος. ἐποιεῖτο δὲ αὐτῶν τοιάνδε τὴν διαίρεσιν. αὐτὸς μὲν ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατιὰν ὑπερόριον. τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστῃ προσέταξε τρεῖς ἄνδρας αἱρεῖσθαι τοὺς ἐν τῇ φρονιμωτάτῃ τότε ὄντας ἡλικίᾳ, καὶ διὰ γένος ἐπιφανεῖς. μετὰ δὲ τοὺς ἐννέα τούτους, ἑκάστῃ φράτρᾳ πάλιν ἐκέλευσε πατρικίων ἐπιλέξαι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους. ἔπειτα τοῖς πρώτοις ἐννέα τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδειχθεῖσι τοὺς ἐνενήκοντα προσθείς, οὓς αἱ φράτραι προεχειρίσαντο, καὶ τούτων ὃν αὐτὸς προέκρινεν ἡγεμόνα ποιήσας, τὸν τῶν ἑκατὸν ἐξεπλήρωσε βουλευτῶν ἀριθμόν. τοῦτο τὸ συνέδριον ἑλληνιστὶ ἑρμηνευόμενον, γερουσίαν βούλεται δηλοῦν, καὶ μέχρι τοῦ παρόντος οὕτως ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. πότερον δὲ διὰ γῆρας τῶν καταχθέντων εἰς αὐτὸ ἀνδρῶν, ἢ δι' ἀρετὴν ταύτης ἔτυχε τῆς ἐπικλήσεως, οὐκ ἔχω τὸ ἀσφαλὲς εἰπεῖν. καὶ γὰρ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους, γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ καλεῖν. οἱ δὲ μετέχοντες τοῦ συνεδρίου, πατέρες ἔγγραφοι προσηγορεύθησαν. καὶ μέχρις ἐμοῦ ταύτης ἐτύγχανον τῆς προσηγορίας. id eſt, Romulus autẽ his cõſtitutis, ſtatuit cõtinuò ſibi cõſiliarios cooptare. Viroſq; centum ex patricijs legit, quibus cũ Remp. adminiſtraret. Eorũ aũt hoc diſcrimen fecit. Ipſe quidem unũ ex omnibus præſtantiſsimũ deſignauit, quẽ exiſtimaret urbanis rebus præeſſe oportere, ſi quando ipſe cum exercitu extra urbem eſſet. Deinde iuſsit unamquamque tribum tres uiros ætate, prudentia & nobilitate generis preſtãtes deligere. Poſt illos noue, ſingu-

las curias iuſsit denuò tres uiros è patritijs maximè idoneos deligere. Poſtquã ad primos illos nouem a tribubus deſignatos, iſtos nonaginta quos curiæ crearant, adiunxiſſet, & ijs illum præfeciſſet, quem ipſe antea decreuerat, centum Senatorum numerum impleuit. Is conſeſſus, ſiue concilium, uerbum pro uerbo Græcè expreſſum, γερουσίαν, id eſt Senatum ſignificat: & uſque adhuc eo nomine a Romanis appellatur. Vtrum autem propter ſenectutem eorum qui cooptati fuerant, an propter uirtutem nomen illud repererit, non habeo certũ quod dicam. quippe Priſci homines ſolebant eos qui natu grandes, & boni uiri eſſent, γέροντας, id eſt ſenes apppellare. qui uerò in eo conſilio erant, Pattes conſcripti uocati ſunt, & nſq; adhuc eam appellationem retinuerunt. Plutarchus autem in Romulo ferè in eandem ſententiam ſcribit. Cicero etiam in Catone ſic ſcribit: Nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis uteretur (ſed ſenẽ Scipione loquitur) ſed cõſilio, ratione, ſententia. quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſiliũ maiores noſtri appellaſſent Senatum. Seneca autem a qua ætate non cogerentur Senatores in ſenatum uenire, duobus locis conſtituit: quorum unus eſt lib. Declamat. 1. Senator, inquit, poſt ſexageſimumqnintum annum in curiam uenire nõ cogitur, nec uetatur. Et in fine libri De breuitate uitæ, Lex, inquit, a quinquageſimo anno militem non cogit: a ſexageſimo ſenatorem non citat. Zonaras autem lib. 1 t. in hunc modum: Τῶν μέν τοι περιφανεστέρων γένει τε, καὶ συνέσει, καὶ βίου αἱρέσει, ἑκατὸν ἀπέδειξε βουλευτὰς, πατρικίους ὀνομάσας αὐτούς. τὸ δὲ τούτων κοινὸν σύστημα, σενάτον προσηγόρευσεν, ὅ ἐστι γερουσία. πατρίκιοι μέν τοι οἱ βουλευταὶ ἐπεκλήθησαν ἢ ὅτι παίδων ἦσαν γνησίων πατέρες, ἢ μᾶλλον ὅτι αὐτοὶ πατέρας ἑαυτῶν ἀποδεικνύειν ἠδύναντο, ἕκαστοι δὲ γένους ὄντες γνωρίμου, ἢ ἀπὸ τῆς πατρωνείας. οὕτω δ' ἐκάλουν τὴν προστασίαν. πάτρωνας γὰρ τοὺς κηδεμονικοὺς καὶ βοηθητικοὺς προσηγόρευον. μάλιστα δ' ἄν τις καταστοχάσαιτο τῆς τοῦ Ῥωμύλου διανοίας, εἰ οἴοιτο διὰ τῆς κλήσεως ταύτης ἐμφαίνειν χρῆναι τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους τῆς πόλεως πατρικῇ κηδεμονίᾳ κήδεσθαι τῶν ταπεινοτέρων, ἅμα δὲ καὶ τὸν δῆμον ἐνάγειν διὰ τῆς τῶν πατρικίων προσηγορίας εἰς τὸ μὴ ἄχθεσθαι ταῖς τῶν κρειττόνων τιμαῖς, ἀλλ' εὐνοικῶς διακεῖσθαι, νομίζοντας πατέρας αὐτοὺς καὶ προσαγορεύοντας. id eſt, Romulus ex ijs qui tum amplitudine generis, tum prudentia, tum etiam inſtituto uitæ clariores eſſent, centum deſignauit conſiliarios: eoſq; Patritios nominauit. Eorum autem cõuentum uniuerſum, Senatum appellauit: quem Græci γερουσίαν uocant. Senatoribus autem iccirco Patritiorum nomen eſt impoſitum, uel quòd ingenuorum liberorum patres eſſent: uel potius quòd ipſi demonſtrare patres ſuos poſſent, quippe qui nobili genere orti omnes eſſent: uel etiam a patrocinio (ſic autem προστασίαν Latino uerbo appellant: Patronos enim eos qui præſidium atq; opem ferunt, nominabant.) Sed uideamus, ne proximè ad Romuli mentem accedat is, qui per hanc appellationem exiſtimet illum hoc ſignificare, oportere primarios uiros, & ciuitatis principes, paterno ſtudio inferiorem curã ſuſcipere: ſimulq; plebem per hanc Patritiorum appellationem perducere, ut ne potẽtiorũ honoribus indignentur: ſed erga eos bono animo ſint, quippe quos Patres & habeãt, & appellent. Idem de Patritijs eodẽ lib. τοῖς γὰρ δὴ πατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἀστικὰ καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος εἶχε κόσμον, τοῦ γ' ἐκ τούτων δοκεῖν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τοὺς κατ' ἀρχὰς βουλεύσαντας καθεστάναι. τὸ γράμμα δ' ἐφ' ᾧ φασιν εἶναι, ἢ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν ἐκείνων ἀνδρῶν δηλωτικὸν ὄν, ἢ ὡς τοῦ τῶν ῥωμαίων κατάρχον ὀνόματος. id eſt: Patritijs enim urbanos calceos, tum corrigiarum implicatione, tum literæ unius forma inſignitos dederunt: ut ab illis centum uiri qui à principio Senatores fuerunt, fluxiſſe uiderentur. Literam autem Ro. fuiſſe aiunt: ſiue quòd numerum illorum cẽtumuirorum ſignificet (nam apud Græcos ρ nota eſt numeri centenarij) ſiue quòd prima ſit litera, qua Romanorum nomen ſcribitur. Nunc qui ſenatores eſſent, quiq; in ſenatu dicendæ ſententiæ ius haberent, breuiter ex antiquorũ auctoritatibus ordine expoſitis aperiendum eſt. Salluſt. in Catilin. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia ualidum erat, Reipublicæ conſultabant: hi uel ætate, uel curæ ſimilitudine Patres appellabantur. Liuius lib. 1 t. Deinde quo plus uirium in ſenatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus Regiis diminutum patrum numerum primoribus equeſtris gradus lectis, ad trecentorum ſummam expleuit. traditumq; inde fertur, ut in ſenatum uocarentur, qui patres, quiq; conſcripti eſſenr. Cõſcriptos uidelicet in nouum ſenatum appellabant lectos. id mirum quantum profuit ad concordiam ciuitatis, iungendoſq; patribus plebis animos. Feſt. lib. 1. Patres dicuntur, qui ſunt patricii generis: Conſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcriptis annotati: Allecti autem dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum ſunt numerum aſſumpti. Idem li. 14. Patres Senatores ideo appellati ſunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus, ac ſi liberis propriis. Idem lib. 15. Qui patres, quòd conſcripti uocati ſunt, in curiam, quo tempore Regibus urbe expulſis, P. Valerius Conſul propter inopiam patritiorum ex plebe allegit, in numerum ſenatorum centum & ſexaginta & quatuor, ut expleret numerum trecentorum. Sic duo genera appellauere, Idem lib. 17. Senatores a ſenectute dici, ſatis conſtat, quo initio Romulus elegit centum: quorum conſilio Rempub. adminiſtrabat. Itaq; etiã patres appellati ſunt, & nunc cũ ſenatores adeſſe iubentur, additur, Quibus in ſenatu ſententiã dicere licet. quia ii, qui poſt luſtrũ cõditũ ex iunioribus magiſtratũ cepere, in ſenatu ſententiã dicunt, & non uocantur ſenatores antequàm in ſenatoribus ſunt cenſi. Quibus ex uerbis apparet, primùm eos demum ſenatores fuiſſe, qui a cenſoribus lecti in ſenatum eſſent ut de ſumma Reipub. ſententiam rogati loco & modo dicerent.

dicerent. Deinde fuiſſe etiam alios qui quamuis a cenſoribus lecti non fuiſſent, tamen pro iure magiſtratus quem aut tum gerebant, aut antè geſſerant, ſententiæ in ſenatu dicendæ ius habebant. De quibus uerba Gellij lib. 3. ca. 18. ſubſcribam. Videturq́;, inquit, eos ſignificare, qui nondum a coss. in ſenatum lecti, ſenatores quidem nō erãt: ſed quia honoribus populi uſi quidem erant, in ſenatum ueniebant, & ſententiæ ius habebant. nam & Curulib. magiſtratibus functi qui nondum a cẽſorib. in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant. Et quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nũc quoque coss. quum ſenatores in Curiam uocãt, ſeruandæ conſuetudinis cauſſa translatitio utuntur, ſenatores quibus in ſenatu ſententiam dicere licet. hæc Gellius. Huius autem edicti mentionẽ, Liuius facit in li. XXIII. Conſules, inquit, edixerũt quoties ſenatum uocaſſent, uti ſenatores, quibusq́; in ſenatu dicere ſententiam liceret, ad portam Capœnam conuenirent. Quo in libro, paulo ſuprà, ea quæ modo dicebamus planiſsimè confirmat. Dictator, inquit, recitato uetere ſenatu, inde primum in demortuorum locũ legit, qui poſt L. Aemilium & C. Flaminium cẽſores Curulem magiſtratum cepiſſent, necdum in ſenatum lecti eſſent, ut quiſque eorũ ſenator primus creatus erat. Tum legit, qui Aediles, Tribuni & Pretores, Quæſtoresve fuerant. Idem lib. XXXVI. P. Cornelius cos. edixit, qui ſenatores eſſent, quibusq́; in ſenatu ſententiam dicere liceret, quiq; minores magiſtratus eſſent, ne quis eorum ab urbe abiret. Iam uerò ſcire illud oportet, cum olim quidem ſenatores a Cenſoribus ex ætate & rerum uſu prudentiaq́; legerẽtur, quemadmodum ſuperius dictum eſt, poſtea tamen ex cenſu legi conſueuiſſe. quam rem Plinius lib. 14. deplorans: Poſteris, inquit, laxitas mundi, & rerũ amplitudo damno fuit. Poſtquam ſenator cenſu legi cœptus, Iudex fieri cẽſu, magiſtratũ ducemq́; nihil magis exornare quàm cenſus, peſſum iere uitæ precia, &c. Seneca etiam lib. Declamat. II. Senatorium ad gradum cenſus aſcendere facit. Cenſus Romanum equitem a plebe diſcernit. Cenſus in caſtris ordinem promouet. Cenſu in foro iudex legitur. Cenſus autem ſenatorius quãtus fuerit, Suetonius in Auguſto his demonſtrat uerbis: Senatorium cenſum ampliauit, ac pro octingentorum millium ſumma, duodecies H——S. taxauit, ſuppleuitq́; nō habẽtibus.

QVIBVS DE REBVS SENAtus cognoſceret. Cap. 2.

Dionyſius Halic. lib. 6. ſcribit, legem ſemper ab urbe condita Romæ fuiſse, ut Reſpublica omnis in poteſtate ſenatus eſset, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli pacisve arbitrium. Itaque Polybius libro ſexto ærarium uectigaliaq́; omnia in eius manu fuiſſe, impendiaq́; de publico eiuſdem arbitratu facta eſse teſtatur. Quæſtores enim ſine ſenatus auctoritate, præter ea quæ Conſules iuſsiſsent, ne minimum quidem cum opus eſſet, in rem ullam ſumptum facere potuiſſe: grauiſsimis etiam & maximis ſumptibus, quos cenſores in luſtri quinquennalis apparatum faciebant. præfuiſſe: ab eodemq́; auctoritatem & facultatem illam his conceſſam fuiſſe. Iam uerò maleficia & crimina per Italiam commiſſa, de quibus iudicium publicè fieri debebat, utpu ta proditionis, coniurationis ueneficij, cædis atque inſidiarum, ad ſenatum referebantur, eiusq́; de his cognitio erat. Quòd ſi qua in Italia controuerſia dirimenda, ſi publicè uel priuatim quiſpiam, uel ciuitas obiurganda, ſi cui auxilium, aut præſidium ferendum erat, de his omnibus curam ſenatus habebat. Eodemq́; modo ſi extra Italiam ad aliquos legatio mittenda erat, uel ad aliquid decidendum, uel ad fœdus faciendum, uel ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut poſtremò ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: hæc ſenatus ipſe curabat ac prouidebat. Præterea quid de legationibus exterarum gentium quæ in urbem uenerint, agendum, quid eis reſpondendũ, in ſenatus uoluntate, atque arbitrio poſitum erat. Hæc Polybius: quæ tamen ubi de iudiciis loquitur, obſcura ſunt. non enim ſenatum de rebus capitalibus iudicaſſe legimus. Nam etſi Quæſitores ex ſenatoribus crearentur data opera, qui de crimine aliquo cũ cōſilio, hoc eſt adhibita iudicũ aliquot eodẽ ex ordine decuria quærerent, re uerò iudicata priuati eſſent: nō tamẽ ſenatũ idcirco iudicaſſe, ſed ſenatores tantũ, dicendũ eſt. Itaq; poſterioribus tẽporibus cũ etiã ſenatores ſoli lege Cornelia iudicarẽt, Cicero Verrina VII. ſic loquiť, Quo cōfugient ſocij? quẽ implorabũt? ad ſenatũ deuenient, qui de Verre ſuppliciũ ſumat? nō eſt uſitatũ, nō ſenatoriũ. Veruntamen ut rem illã omnẽ planius intelligamus, ſcire illud oportet, Primis temporibus iudicia penes ſolos Senatores fuiſſe: quẽadmodum ex Polybio modò didicimus: nimirum uſq; ad annũ urbis DCXXX. quo lex Sẽpronia lata eſt, ut iudicia in equeſtrẽ ordinẽ trãsferrẽtur: quæ ratio durauit ad annũ uſque DCXLVII. quo lege Seruilia latũ eſt, ut Equeſtria iudicia cũ ordine ſenatorio ita communicarentur, ut minor tamen ſenatorũ numerus eſſet. quod quidẽ uſq; ad annum DCLXII. obſeruatũ eſt, quo Liuia lege ſancitũ eſt, ut æqua ex parte iudicia penes ſenatũ, & equeſtrẽ ordinẽ eſſent: uſquedũ Plautia lex ferreť ann. DCLXIIII. quæ nonnullos etiã ex plebe unà cũ ſenatoribus & equitibus admiſit. Pòſt uerò iterũ ad ſolũ ordinem ſenatoriũ iudicia redierũt lata lege Cornelia, an. DCLXXIII. ut iudicia equeſtri ordini adempta, ad ſolos ſenatores transferrentur. quod uſque ad legem Aureliam uſurpatum

fuit,quæ anno DCLXXXIII.ſanxit, uti cum ſena
toribus & equites & Tribuni ærarij iudicarent.
Sed hos Iulius Cæſar ſuſtulit, iudiciaq; ad ſolos
equites & ſenatores iterum reuocauit. Iam uerò
non minimam ſenatus poteſtatis partem illã fuiſ-
ſe conſtat,quòd & in comitijs maioribus, & in le
gibus ferẽdis,neceſſaria & cognitio, & auctoritas
ſenatus eſſet.Liuius libro I.Decreuerunt, inquit,
ut eũ populus Regem iuſsiſſet, id ſic ratum eſſet,
ſi patres auctores fierent. hodieq; in legibus magi
ſtratibusq; rogandis uſurpatur idem ius ui adem
ptum:priuſquam populus ſuffragiũ ineat:in incer
tum comitiorum euentum patres auctores fiunt.
Idem etiam lib.VIII.ſcribit, a P.Philone Dicta-
tore legem latam, ut legum quæ Comitijs centu-
riatis ferrentur,ante initum ſuffragium patres au
ctores fierent. & Appianus lib.de bellis ciuilibus
I. legem a L. Sylla latã commemorat, ut nihil ad
populum referretur, niſi quod antea confirmatũ
a Senatu fuiſſet:quemadmodum, inquit, antiqua
lege iubebatur. Hæc cum ita ſint,facile intellectu
eſt,quàm ridiculè Tribonianus & in l.2.De orig.
iur. & inſtitut. ſcribat, cum auctus eſſet populus
Ro.in eum modum,ut difficile eſſet in unũ eũ cõ
uocari legis ſanciendę cauſſa: ſenatum uice popu-
li conſultum eſſe. Non enim propter ciuium co-
piam populi poteſtas ad ſenatum translata eſt, ſed
Cæſarum aſtutia & calliditate,qui ſenatus augen-
da potentia,ſuæ ſeruiebant. Tacitus li.I.Tum pri
mum è campo Comitia ad patres translata ſunt.
nam ad eam diẽ etſi potiſsima principis arbitrio,
quædam tamen ſtudijs tribuum fiebant:neq; po-
pulus ademptum ius queſtus eſt, niſi inani rumo-
re.Suetonius in Cæſare: Comitia cum populo par
titus eſt:ut exceptis cõſulatus competitoribus de
cætero numero candidatorũ pro parte dimidia
quos populus uellet,pronunciarentur: pro altera
parte,quos ipſe dediſſet.Idem in Tiber.Neq; tam
paruum quicquam,neq; tam magnum publici pri
uatiq; negocij fuit,de quo non ad P.C.referretur.
Idem in Calig. Tentauit & Comitiorum more re
uocato ſuffragia populo reddere.

PER QVOS SENATVS MORE maiorum haberetur, & conſule retur. Cap.III.

PEr quos autem ſenatus more maiorum habe
ri conſuliq; ſoleret, Gell.li.XIIII.ex Var-
rone his exponit uerbis. Primum ibi ponit,
qui fuerint, per quos more maiorum Senatus ha-
beri ſoleret, eosq; nominat,Dictatorem, Conſu-
les,Prætores,Trib.ple. Interregem, Præfect. ur-
bis:neq; alij præter hos,ius fuiſſe dixit facere Sena
tuſconſultum. Quotiesq; uſu ueniſſet, ut omnes
iſti magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent,
tum quo ſuprà ordine ſcripti eſſent, qui eorum
prior alijs eſſet,ei potiſsimum Senatus conſulendi
ius fuiſſe.Addit deinde, extraordinario iure Tri-
bunos quoq; militares, qui pro cõſulibus fuiſſent:
item Decemuiros,quibus imperium conſulare tũ
eſſet: item Triumuiros reip. conſtituendæ cauſſa
creatos, ius conſulendi Senatum habuiſſe. Vtrum
autem Præfectus urbi Latinarum cauſſa relictus
ſenatum habere poſſet,dubitatum, idem capite in
ſequenti tradit:quoniam ne ſenator quidem ſit,ne
que dicendæ ſententiæ ius habeat: cum ex ea æta-
te Præfectus fiat,quæ non ſit ſenatoria.Sed & Ca
pitonem & Tuberonem contra Mutium ſenſiſſe,
Ius eſſe Præfecto ſenatus habendi. Namq; & Tri-
bunis pl.ſenatus habendi ius fuiſſe: quanquam ſe-
natores ante Atinium plebiſcitum non eſſent.

QVO LOCO SENATVS HA- beretur.Cap.IIII.

SEnatum alibi quàm in locis per augures con-
ſecratis, quæ templa uocabantur,haberi non
licuiſſe, Gell.lib.XIIII.memoriæ prodidit: cap. VII.
Senatuſconſultumq; alioqui iuſtum nõ fuiſſe.Pro
pterea & in curia Hoſtilia,& in Pompeia, & pòſt
in Iulia cum profana illa loca fuiſſent, templa eſſe
per Augures conſtituta:ut in ijs Senatuſconſulta
more maiorum iuſta fieri poſſent. Seruius in illud
Aeneidos libro XI. Alta intra limina cogit:Quæ-
ritur,inquit,cur ad priuatam domum conuocetur
Senatus, qui non niſi ad publica & auguratò con-
dita loca conuenire conſueuit. Sed ſcimus domũ
Latini auguratò conditam, & eãdem tam templũ
fuiſſe, quàm curiam. namq; in ſuperioribus legi-
mus tectum auguſtum, id eſt augurio conditum.
Item paulo pòſt:Hinc ſceptra accipere & primos
attollere faſces,Regibus omen erat:hoc illis curia
templum.Meritò ergo ad domum Regis quaſi ad
locum publicum conuocatur ſenatus.nam,ut ait,
in ſeptimo, Tali intus templo diuum patriaq; La
tinus Sede ſedens. Idcirco etiam in Palatij atrio,
quod auguratò conditum eſt, apud maiores con-
ſulebatur Senatus: ubi etiam arietes immolaban-
tur, quod(ut in ſeptimo diximus) Virgilius ad La
tini tranſtulit domum. Multi dicunt peritè Virgi
lium nec templi nec curiæ hoc loco feciſſe com-
memorationẽ: ſed tantũ dixiſſe,intra tecta regia:
ut oſtenderet conſiliũ quod initur,non eſſe com-
plendum:quia nec ritè eſt inchoatũ.Ea enim quæ
dicet Latinus, effectu carebunt.Hæc Seruius.Lo-
ca aũt ea in quibus Senatus cogebat, ſenacula uo-
cabantur.Senaculũ,inquit Varro, ſupra Græcoſta
ſin,ubi ædes Cõcordiæ & baſilica Opimia, ſenacu
lũ uocatũ,ubi Senatus aut ſeniores cõſiſterent:di-
ctũ ut γερουσία apud Græcos.Feſtus li.XVII.Sena-
cula tria fuiſſe Romæ in quibus ſenatus haberi ſo
litus ſit,memoriæ prodidit Nicoſtratus ĩ libro,q̃
inſcribitur de Senatu habẽdo.unũ ubi nũc èſt ędes
Concordiæ, inter Capitolium, & forum: in
quo ſolebant magiſtratus, ut dicit Titinnius,
cum ſenioribus deliberare. alterum ad portam
Capenam.

Capenam.tertium intra ædem Bellonę,in quo exſterarum nationum legatis,quos in urbem admittere nolebant,Senatus dabatur. Hæc ille. Animaduerti etiam magiſtratibus qui ad urbem dicebantur,datum in eo templo Senatum fuiſſe. Liuius li. 38. de P.Scipione loquens:Ipſe,inquit,decem nauibus Romam redijt. Et Senatu extra urbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania geſsiſſet, diſſeruit. Et lib. XLIX. Lucius, inquit, Manlius proconſul ex Hiſpania redierat:cui poſtulanti ab ſenatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat. Memorabile eſt etiam quod Plinius lib. 8. cap. 45. ſcribit, cum eſſet nunciatum bouem locutum(quod frequens in priſcorum prodigijs fuiſſe ait(Senatum ſub dio haberi ſolitum fuiſſę.

QVO TEMPORE SENATVS haberetur. Cap. v.

POrrò autē Senatus alius fuit legitimus, alius indictus. Legitimus dicebatur, qui uel lege uel more certis ſemper diebus habebatur: Calēdis, Nonis, Idibus. Sueton. in Auguſto: Sanxit nō plus quàm his in menſe legitimus Senatus haberetur, ſcilicet Calendis,& Idibus: neve Septemb. Octobrive menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quàm ſorte ductos. Indictus autem dicebatur, qui reliquis diebus menſis, qui modò comitiales non erant, Magiſtratuum uocatu cogebatur. Capitolinus in Gordiano: Non legitimo,ſed indicto Senatus die Conſul iam domi conuentus,cum Prætoribus, Aedilibus,& Tribunis in curiam uenit. Comitialibus autem diebus idcirco Senatus non indicebatur, ne ſenatores a ſuffragio ferendo auocarentur. Præterea Gellius lib. 14. docet, Senatusconſultum nec ante exortum, nec poſt occaſum ſolem factum,ratum fuiſſe:opus etiam cenſorium feciſſe exiſtimatos per quos eo tempore S. C. factum eſſet. Seneca uerò lib. De tranquill. uitæ 1. Maiores noſtri, inquit, nouam relationem poſt horam decimam,in ſenatu fieri uetabant. Quin & menſem totum Februarium legationib. exterarū gentium audiendis attributum fuiſſe,multis ex locis conſtat, Cic. ad Lentulum, Senatus haberi Februario toto nō poteſt: niſi perfectis,aut reiectis legationibus. Idem ad Q. fratrem lib. 2. Ep. 12. Et quod Gabinia lege ſanctum ſit ex Cal. Febr. uſq; ad Cal. Martias, Legatis Senatum quotidie dari.

QVOMODO SENTENTIAE IN Senatu & rogarentur & dicerentur. Cap. VI.

SEnatuſconſulta duobus modis fieri ſolita, Gell. lib. XIIII. ex Varrone docet:aut per diſceſsionem,ſi conſentiretur:aut ſi res dubia eſſet,per ſingulorum ſententias exquiſitas: ſingulos autem debere conſuli gradatim,incipiq; a conſulari gradu, ex quo gradu ſemper quidem antea primum rogari ſolitum qui princeps in ſenatum lectus eſſet. In S.Conſulto per diſceſsionem faciendo,moris erat (quemadmodum Feſtus lib. XV. ſcribit)ut præco diceret,Qui hoc cenſetis,illuc tranſite:qui alia omnia, in hanc partem. Ominis autē cauſſa ſic præibat, ne diceret, Qui non cenſetis. Hinc illud Hircij lib. VIII. de bello Gall. diſceſſionem faciente Marcello, Senatus frequens in alia omnia tranſijt. Sueton. in Tiberio: Cum S.C. per diſceſsionem fieret, tranſeuntem eum in alteram partem in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo. Plinius autem in Epiſtolarum lib. VIII. conſuetudinem illam ſic explicat: Quid? lex non apertè docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, cum ita diſceſsionem fieri iubet? Qui hæc ſentitis,in hanc partem:qui alia omnia, in illam partem ite quā ſentitis. Examina ſingula uerba,& expende. Qui hæc cenſetis:hoc eſt, qui relegandos putatis:in hanc partem, id eſt,in eā in qua ſedet qui cenſuit relegandos. Ex quo manifeſtum eſt,nō poſſe in eadem parte remanere eos qui interficiendos arbitrantur. Qui alia omnia: animaduertis,ut non contenta lex dicere Alia, addiderit, Omnia. num ergo dubiū, Alia omnia ſentire eos qui occidunt,quàm qui relegant? In illam partem ite,qua ſentitis. Nonne uidetur ipſa lex eos qui diſſentiunt in contrariā partē uocare,cogere, impellere? num conſulere etiā, ubi quiſque remanere,quo tranſgredi debeat, non tantum ſolennibus uerbis,ſed manû,geſtuq; demōſtrat? Hæc Plinius. Eodē aūt illa quoq; pertinent, quæ ex Gellij libr. 3. ca. 18. ſcribemus. Non pauci ſunt qui opinātur Pedarios Senatores appellatos qui ſententiam in Senatu non uerbis dicerent,ſed in alienam ſententiam pedibus irent. Quid igitur, cum S.C. per diſceſsionem fiebat:nonne uniuerſi ſenatores ſententiam pedibus ferebant? Feſtus lib. 1. Pedarium ſenatorem ſignificat Lucilius cum ait, Agipes uocem mittere cœpit:quia ita appellatur quòd tacitus tranſeundo ad eum, cuius ſententiam probat, quid ſentiat indicat. Cicero libro ad Att. 1. Epiſt. 18. Cum eſt actum, neque animaduerſum eſt ad quos pertineret,& raptum in eam ſententiam Pedarij concurrerunt. Plinius libro Epiſt. 11. Sed cū fieret diſceſsio, qui ſellis curulibus aſtiterant,in Cornuti ſententiam ire cœperunt. tum illi qui ſe collegæ annumerari patiebantur,in diuerſum trāſierunt. Seneca lib. De uita beata 1. cap. ſecundo. Cum de beata uita agitur,non eſt quòd mihi illud diſceſsionum more reſpondeas, Hæc pars maior eſſe uidetur. Hactenus de S.C. quod per diſceſsionem fieri dicebatur. Nunc de eo quod exquirendis ſingulorum ſententijs fiebat,breuiter explicandum eſt. Moris erat ut poſt Comitia conſularia,Conſules deſignati,primi ſententias rogarentur,& eorum is prior, qui priore loco declaratus

eſſet ante comitia uerò, is qui è cenſoribus princeps Senatus lectus erat.ij deinde quos conſulibus uidebatur:ita tamen ut ne Prætorium Conſulari, Aedilitium Prætorio, Tribunitium Aedilitio anteferrent: quemadmodum ex Salluſtio & Gellio intelligimus. Cic. Philip. 5. Sed qui ordo in ſententijs rogandis ſeruari ſolet, eundem tenebo in in uiris fortibus honorandis. a Bruto igitur conſule deſignato more maiorum capiamus exordium Memorabile autem eſt, quod Suetonius ſcribit in Iulio Cæſare, moris fuiſſe, ut quem ordinē rogandarum ſententiarum Conſul Calend. Ianuarijs tenuiſſet, eundem toto anno uſurparet. Poſt nouam affinitatem, inquit, Pompeium primum rogare ſententiam cœpiſſe: cùm Craſſum ſoleret, eſſetq; conſuetudo ut quem ordinem interrogandi ſententias Conſul Calendis Ianuarijs inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret. Cum autem rogatus ſenator dicere ſententiam uellet, aſſurgebat, ſtansq; dicebat. Cic. ad Att. 1. Locutus ita eſt in ſenatu, ut omnia illius ordinis conſulta γενικῶς laudaret: mihiq; ut aſſedit, dixit ſe putare, ſatis ab ſe etiam de iſtis rebus reſponſum. Stans autem non modò de ea re, de qua relatum fuiſſet, uerumetiā quacunq; de re uolebat & quamdiu uolebat, dicendi poteſtatem habebat: quemadmodum Gellius teſtatur. Tacitus lib. III. Decretum ne uaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent ne ueſtis ſerica uiros fœdaret: excelsit Fronto, ac poſtulauit modum argento, ſuppellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens ſenatoribus, ſi quid è Repub. crederent, ſententiæ loco dicere. Idem lib. 13. De bello & pace, inquit, de nectigalibus, & legib. quibusq; alijs Romana continentur, ſuadere diſſuadereve licebat patribus, quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, & quæ uellent expromere, relationemq; in eo poſtulare. Gellius lib. 4. cap. 10. C. Cæſar Conſul M. Catonem ſententiam rogauit: Cato quæ conſulebatur, quoniam non è Repub. uidebatur, perfici nolebat. Eius rei gratia ducendæ, longa oratione utebatur, eximebatq; dicendo diem. Erat enim ius Senatori, ut ſententiam rogatus, diceret antè quicquid uellet alius rei, & quod uellet. Cæſar Conſul uiatorem uocauit: eumq; cū finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci iuſsit. Senatus conſurrexit, & proſequebatur Catonem in carcerem. Hac, inquit, inuidia facta, Cæſar deſtitit, & mitti Catonem iuſsit. Hanc autem hiſtoriam etiam Plutarchus in Catone commemorat. Forma autem ſententiæ dicendæ quemadmodum ex Philippicis orationibus apparet, ferè hæc erat, Quòd uerba facta ſunt de literis, &c. de ea re ita cenſeo. Neq; uerò prætereundum illud eſt, quod Pedianus docet in Milonianę commentarijs, cum aliquis in dicenda ſententia duas pluresve res complexus eſſet, eæ ſi non omnes probarentur, poſtulari ſolitum a quouis ſedente, ut diuidat: id eſt, ut de rebus ſingulis referatur. De quo more multa Plinius in epiſtola ad Ariſtonem lib. Ep. VIII. Vbi ſcribit cum in Senatu relatum eſſet de libertis Conſulis interfecti, & pars abſoluendos, pars relegandos, pars morte multandos cenſuiſſet, eum qui libertos relegandos, ſeruos ſupplicio afficiendos dixiſſet, coactum eſſe diuidere ſententiam: quoniam, inquit, duas res comprehendebat. Eius rei etiam exemplum extat in epiſt. Ciceronis ad Lentulū. Itaq., inquit, cū ſententia prima Bibuli pronunciata eſſet, ut tres legati regē reducerēt: ſecūda Hortēſij, ut tu ſine exercitu reduceres: tertia Volcatij, ut Pōpeius reduceret: poſtulatū eſt, ut Bibuli ſententia diuideretur, quatenus de religione dicebat: & rei qua iam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt.

DE NVMERO SENATORVM ad S.C. faciendum neceſſario. Cap. VII.

SEnatores primū a Romulo cētū, deinde a Bruto cōſule ducentos creatos fuiſſe, ſuperius ex Liuio docuimus. eumq; trecentorū numerū ad uſq; Gracchi tribunatū duraſſe, patet ex Dione li. LIIII. & Epitome Liuij LX. Vbi tamen quę de aucto Senatorū numero leguntur, mihi planè obſcura ſunt: quemadmodū in lege Seruilia ſignificauimus. Ciceronis quidē tempore CDXV. reperio numerari, in eius primo ad Att. Epiſtolarū li. Dio uerò lib. XLIII. Cæſaris ætate ſcribit nongentos fuiſſe. & Sueto. in Auguſto, poſt cædem Cæſaris amplius mille fuiſſe teſtatur. ſed Auguſtū ad modum priſtinū redegiſſe: qui modus quemadmodū intelligi debeat, mihi non ſatis conſtat. Dio nāque li. LIIII. ea de re ſcribens, ait eū in animo quidē habuiſſe, trecentos duntaxat ex antiquo more cōſtituere: ſed offenſionis uitandæ cauſſa, numerum ſexcentorū expleuiſſe: ut uerisimilius ſit, modū illū priſtinū a Suetonio, nō antiquiſsimum: ſed qui ante corruptiſsima tēpora fuerat, intellectū eſſe. Vtcunq; ſit, illud conſtat, ſenatori qui nec aderat, aut cauſſam, aut culpam fuiſſe: quemadmodum in Legibus Cicero loquitur: id eſt, aut legitimę excuſationis eguiſſe, aut ī culpa fuiſſe. nā ut idē ait, grauitatē res habet, cū frequēs ordo eſt. Culpa autem pignoribus capiendis coercebatur. Itaq; cū Antonius interminatus eſſet, ſe Ciceronis domū, qui in Senatū nō uenerat, publicis operis diſturbaturū: Quis unquā, inquit, tāto damno & Senatorē coegit? aut quid eſt ultra pignus & multā? hoc eſt, extra multā, lege conſtitutā: quæ dū ſoluatur, pignora capiuntur: quemadmodū in §. penult. Inſt. Qui ſatiſd. cog. legimus pignoribus captis coerceri tutores, qui non ſatiſdant. multā enim, redacta ex pignorū uēditione pecunia, Quæſtores ærarij capiebāt. Cicero li. de Ora. III. An tu, cū omnē auctoritatē uniuerſi ordinis pro pignore putares, eamq; in conſpectu populi Romani concideres, me his

pignoribus exiſtimas poſſe terreri? nó tibi illa ſunt cædéda, ſi Craſſum uis coercere: hæc tibi eſt excindenda lingua, qua uel euulſa ſpiritu ipſo libidiné tuá libertas mea refutabit. Quo ex loco exiſtimare concidi, frangiq; pignora ſolita fuiſſe, ridiculú eſt. Cædere namq; ueteres pro conſumere dicebant: ut Nonius demonſtrat ex illo Lucilij,

Lana, opus omne perit: ſqualor, tineæ omnia cædunt.

Quare cum cædi pignora lex uetus dixiſſet, pro, ita capi auctione diſtraherentur, & conſumerentur, ludens Craſſus ancipiti ſignificatione uocabuli, ſic locutus eſt: ſimiliter ut Cicero in ea pro Sex. Roſcio, Neſcimus, per iſta tempora eoſdem ferè ſectatores fuiſſe collorum, & bonorum? nó enim ſectores bonorú ab eodé uerbo, quo ſectores collorum appellatos eſſe, cuiuis perſpicuú eſt. Itaque idem in eodé libri tertij procemio, paulo ſuperius ſic ſcripſit: Nó tulit ille, & grauiter exarſit, pignoribusq; ablatis Craſſum inſtituit coercere. Et Gellius libro 14. capite 1. Prætor hæc de pignore quoque capiendo diſſerit, deq; multa dicenda Senatori, qui cum in Senatum uenire deberet, nó adeſſet. Atq; hæc quidem hactenus. Certum autem Senatorum numerum S. C. faciendum neceſſariú fuiſſe, multis ex locis conſtat. Itaq; NVMERA SENATVM, dicere ſolebat quiuis Senator Conſuli, cum impedimento uolebat eſſe, quo minus fieret S. C. ſi tot non eſſent Senatores, quo numero liceret S.C. ſcribi, ut expectaretur: quod ex lib. XII. Sext. Pompeij didicimus. Verú qui numerus in omnib. S.C. legitimus fuerit, conſiderandum eſt. Dio ſanè in fine libri LIIII. quadringentorum numerú prodidit. Nam de Auguſto loquens, ὁρῶν δὲ ὅτι οὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐφῆκε τὰ δόγματα αὐτῶν καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι· οὐ γὰρ ἐξῆν τινὰ ἐκ τῶν πρὶν ἄλλως κυροῦσθαι. Cum uideret, Senatum non ſemper frequentem conuenire, decreuit ut eius conſulta etiam a paucioribus quàm quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quàm eo numero conſtante rata eſſe poterant. Quod quidem tum de poſtremis temporibus, quibus uſqueadeò Senatus creuerat, intelligendum eſt: tum de maioribus rebus, de quibus Senatus conſuleretur. Nam ſi ſuperiora ſpectemus, Liuius lib. XXXIX. ubi de Bacchanalibus loquitur, ſcribit S.C. tantum fuiſſe, ut ſi quis tale ſacrum neceſſarium eſſe duceret, apud Prætorem urbanum profiteretur: Prætor Senatum conſuleret, ſi ei permiſſum eſſet, cum in Senatu centum non minus eſſent, ita id ſacrum faceret, cum ne plus quinque ſacrificio intereſſent. Pedianus autem de re non ita magni momenti loquens, in Corneliana ſcribit, lege Cornelia cautum fuiſſe, ne quis in Senatu ſolueretur legibus, niſi ducenti adfuiſſent.

QVAE FORMA SCRIBENDI S.C. fuerit. Cap. VIII.

IN Senatuſcon. ſcribendis primum moris erat, ut ea res de qua rogatæ ſententiæ fuerant, ſummatim exponeretur. Quod M. Marcellus Conſul uerba fecit de prouincijs D.E.R.I.C. uel, M. Pomponius Senatum conſuluit. Quòd uerba facta ſunt de Philoſophis, & Rhetoribus, D.E.R.I.C. Quòd ſi quid Senatus conſulibus mandaret, Donatus in Adelph. Terentij ſcribit, addi ſolitum. Si eis uideatur. Cuius rei exemplum uideo in Philipp. Ciceronis IX. utiq; C. Panſa, A. Hirtius coss. alter, ambove, ſi eis uideatur, Quæſtoribus urbanis imperent, tametſi apud eundem eam interdum formulam prætermiſſam animaduerti. Quoniam autem S.C. intercedere Tribuni poterant, propterea moris erat, ut illa clauſula adderetur, Si quis hic S.C. interceſſerit. Senatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad Senatum, populumq; referri. Deinde ſi quis interceſsiſset, addebatur, Huius S. C. interceſsit C. Cælius, C. Panſa Tribunus pl. Ac tum quidem non S. C. ſed auctoritas perſcripta dicebatur. quemadmodum Dio lib. LV. his docet uerbis: εἰ δ' οὖν ποτε ἐκ συντυχίας τινὸς μὴ συλλεχθεῖεν, ἔδοξε δὲ χρεία ἑκάστοτε, ἐβουλεύοντο μέν, καὶ ἥ γε γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπερ φανερὸν τὸ βούλημα. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστι. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴ ποτε ἐν τόπῳ τινὶ μὴ νενομισμένῳ, ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος ὑπὸ σπουδῆς ἠθροίσθησαν, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων, τὸ μὲν δόγμα οὐκ ἠδύνατο γενέσθαι, τὴν δὲ γνώμην σφῶν οὐχ ὑπομένοντες ἀποκρυφθῆναι. Quòd ſi fortè uſuuenerit, ut non tam multi quàm opus erat, conuenirent, ſenatus quidem habebatur, decretumq; perſcribebatur. non tamen quaſi ratum, effectum habebat: ſed erat auctoritas, uti Senatus ſententia nota ac teſtata eſſet. Tale enim quiddam uis huius uerbi declarat, quod uno uerbo Græcè exprimi non poteſt. Quod idem etiam obſeruatum eſt, ſi quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, ſed ambitioſè Senatus coactus eſſet, aut nonnulli Tribuni plebis interceſsiſſent. Tum enim S.C. fieri non poterat. quid tamen placuiſſet, teſtari reliqui uolebant. Quibus uerbis illa ſunt apud Ciceronem conſentanea: ut lib. primo. ad Lentulum, De his rebus Senatus auctoritas grauiſsima interceſſerat: cum Cato & Caninius interceſsiſſent, tamen eſt perſcripta. Præterea illud animaduertimus, notari nominatim illum oportuiſſe, cuius in ſententiam S.C. eſſet factum. Cicero lib. ad Attic. quarto. Epiſto. prima Factum eſt decretum in meam ſententiam, ut cum Pompeio ageretur,

ageretur, ut eam rem ſuſciperet, lexq; ferretur. quo S. C. recitato, cum concio more hoc inſulſo & nouo plauſum, meo nomine recitãdo dediſſet, habui concionem. Huc etiam illud pertinet, quod Feſtus ſcribit, Aelium Gallum Iuriſc. Senatus decretum a Conſulto ſic diſtinguere, ut id dicat particulam quandam eſſe Senatuſconſulti: ut cũ prouincia alicui decernitur. quod tamen ipſum Senatuſconſulti eſt. Scripto Senatuſconſulto, primùm eorum omnium nomina qui tum affuiſſent, adſcribi ſolebant. Cælius ad Ciceronem, Senatuſconſultum factum auctoritateſq; perſcriptæ, pridie id. Octob. in æde Apollinis. Scribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. &c. Cic. in procem. libri de Ora. III. Et eundẽ, id quod in auctoritatibus perſcriptis extat, S. C. ſcribendo affuiſſe. Moris autem fuiſſe uidetur, ut ad Conſulis pedes id fieret. Lampridius enim in Heliogabalo ſic ſcribit: Deinde ubi primum diẽ Senatus, habuit matrem ſuam in ſenatum uocari iuſsit: quæ cum ueniſſet, uocata ad Conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit, id eſt Senatuſconſulti conficiendi teſtis.

QVAE FACIENDIS S. C. IMpedimenta eſſent: & ſi fierent, ubi aſſeruarentur: Cap. IX.

SVmma Senatus uoluntas certis de cauſsis interdum ſic impediebatur, ut fieri S.C. nõ poſſet. Primũ impedimentũ reperio, ſi legitimus Senatorũ numerus non adeſſet: quo tempore cuiuis ſenatori dicere Conſuli licebat, NVMERA SENATVM: ut ſuperius docuimus. Alterum, cum dies tolleretur: hoc eſt, cũ quis uſq; ad ſolis occaſum orationẽ producebat: quo tẽpore S.C. fieri non poterat: uti ſuperius quoq; demõſtrauimus, ubi de Catone diẽ eximente commemorauimus: eoq; ille quartæ Verrinæ locus pertinet: Eo die tranſigi nihil potuit, quòd & id tẽporis erat, & ille pater iſtius inueneratt homines, qui dicendo tempus conſumerent. Tertium, cum quis Tribunus plebis moram interponebat: ueluti, cum Attilius noctem ſibi ad deliberandum poſtulauit, quo tempore de Cicerone reuocando in Senatu agebatur: ut eſt in oratione pro Sextio. Quartum, cum quis intercederet. nam (ut ſcribit Gellius lib. XIIII.) intercedẽdi ne S.C. fieret, ut fuit ijs qui eadẽ poteſtate, qua ij qui S.C. facere uellẽt, maioreve eſſent. Memorabile autẽ eſt quod Valerius lib. II. ſcribit, uetuſtis temporibus ius nõ fuiſſe Tribunis pl. curiã intrare: ante ualuas autẽ poſitis ſubſellijs decreta patrũ examinaſſe: ut ſi quæ ex eis improbaſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaq; ueteribus Senatuſconſultis T. literam ſubſcribi ſolitam: qua nota ſignificabatur, illa Tribunos quoq; cenſuiſſe. Iam uerò Liuius lib. III. auctor eſt, anno ab V. C. CCCVIII. inſtitutum a Valerio & Horatio coſs. fuiſſe, ut Senatuſconſulta in ædẽ Cereris ad Aediles ple. deferentur: quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, uitiabanturq;. Poſtea tamen ad ærarium ea delata fuiſſe, & Cicero Philippica V. & Suetonius in Auguſto, & Tacitus lib. 3. teſtantur. Hactenus de Senatu. nunc ea S.C. quæ tum in Iuriſconſultorum libris, tum apud antiquos ſcriptores maximè memorabilia exiſtimantur, literarum ordine breuiter ſtrictimq; perſcribemus.

S.C. Aemilianum, de fideicommiſſarijs libertatibus, factum eſt Aemilio Iunio, & Iulio Seuero coss. Vt ſi quis ex his qui fideicommiſſam libertatem ex quacunque cauſſa deberent ſeruo, qui mortis tempore eius qui rogauit non fuerit, isq; adeſſe negabitur: Prætor cognoſcat. Et, ſi in ea cauſſa eſſe uidebitur, ut ſi præſens eſſet, manumittere cogi deberet, id ita eſse pronunciet. Cumq; ita eſse pronunciaſset, idem iuris ſit, quod eſset ſi ita ut ex fideicommiſso manumitti debuiſset, manumiſsus eſset. l. ſi eum ſeruum, 28. §. ſi quis, D. de fideicom. libert.

S.C. Apronianum de fideicommiſsarijs hęreditatibus, factum eſt M. & L. Antoninis Imperatoribus, Aproniano, Paulo cos. anno DCCCCXXIII. Vt omnibus ciuitatibus quæ ſub imperio populi Romani ſunt, reſtitui deberet & poſset fideicommiſsa hæreditas. Sed & actiones in eas ex Trebelliano transferentur: quin & municipes ad eas admitterentur. ita tamen, ut his quibus reſtitueretur hæreditas, auctorem eligerent, & ad agendum & ad excipiendas actiones. l. omnibus, 26. & l. ſeq. D. ad Trebell.

S. C. Articuleianum de libertatibus ſeruorum. factum eſt imperante Traiano; ipſo & Articuleio Pœto COSS. ann. DCCCLIX. Vt quacunque in prouincia libertas ſeruo relicta teſtamento fuerit, Præſes eius prouinciæ de ea cognoſcat, quamuis hæres non ſit eius prouinciæ. l. non tantum, 51. §. quinto. D. de fideic. libert.

S. C. Antonianum de haſtis Martiis in regia motis. Factum M. Antonio, A. Poſthumio COSS. anno DLIII. Quod C. Iulius L. F. Pontifex nunciauit, in ſacratio in regia haſtas Martias mouiſse, de ea re ita cenſuerunt: Vt M. Antonius Conſul, hoſtiis maioribus Ioui & Marti procuraret: quod & ceteris diis quibus uideretur placandis uti procuraſset, ſatis habendum cenſuerunt. Si quid ſuccidaneis opus eſſet, Robigus accederet. Gell. lib. 4. cap. 6.

S. C. Carbonianum, de ſtatu liberorum: Vt ſi cui controuerſia fiat, an inter liberos ſit, & impubes ſit; cauſsa cognita perinde bonorum poſseſſio detur, ac ſi nulla de ea re controuerſia eſset: & iudicium in pubertatis tempus differtur. l. 1. & paſ. D. de Carbo. edic.

S. C. Claudianum, de nuptiis ſexagenarii. Vt qui maior ſexagenario minorem quinquagenaria

uxorem

uxorem duxerit, perinde habeatur, ac ſi minor ſexaginta annorum uxorem duxiſſet. Vlpianus. cap. Inſt. x v i.

Sena. C. Caluitianum de nuptijs quinquagenarij: ut ſi maior quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit, nihil ea res ad capiendas hæreditates & legatas dotes pertineat. Itaque mortua muliere dos caduca erit. Vlp. cap. Inſt. x v i.

Sena. C. Claudianum de prouincijs conſularibus. Factũ eſt L. Paulo, C. Marcello co s. an. dcciii. Quod M. Marcellus Conſul uerba fecit de prouincijs conſularibus, de ea re ita cenſuerunt: Vt L. Paulus, C. Marcellus coss. cum magiſtratum iniſſent a. d. ex Cal. Martijs quæ in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus prouincijs ad ſenatũ referrent, neve quid prius ex Calend. Martijs, neve quid coniunctim de ea re referretur a conſulibus, utique eius rei cauſſa per dies comitiales ſenatum haberent, S.Q.C. facerẽt. Et cum de ea re ad ſenatum referretur a conſulibus, eorum qui in trecentis iudicibus eſſent, ſex adducere liceret, ſi quid de ea re populũ plebemve lato opus eſſet, ut Ser. Sulpitius, M. Marcellus cos. Præt. Tribuni pl. qui bus eorum uideretur, ad populum plebemve ferrent. quod ij non tuliſſent, uti quicunq; deinceps eſſent, ad populum plebemve ferrent. Cælius ad Ciceron. Epiſt. lib. v i i i.

Sen. C. Claudianum de muliere ſeruo alieno coniuncta. Vt ea mulier quæ ſe alieno ſeruo iunxerat, domino ſerui cum bonis ſuis omnibus addiceretur. L. I. C. de ſen. Claud. toll. Vbi Iuſtin. ait, denunciationibus ſententia iudicum opus fuiſſe. Vlpia. autẽ ca. Inſtit. x i. Maxima capitis diminutio, inquit, dicitur, per quam ciuitas & libertas amittitur, ueluti cum mulier alterius ſeruo ſe iunxerit denunciãte domino, & ancilla facta fuerit ex S.C. Claudiano. Quare autem hoc Claudianũ S.C. uocetur, ſatis conſtituere non poſſum. nã Claudij Imp. nomine ſic appellatum dicere nulla ratio eſt: cum ſatis conſtet Senatuſcõſulta non ex Imperatorum, ſed ex Conſulum referentium nomine appellata fuiſſe. Locum igitur Cornelij Taciti conſiderans, in quo poſt expoſitam Senatuſconſulti ſententiam, ſcribit Pallentem, quẽ Claudij libertum, & apud illum gratia & auctoritate mirabili præditũ fuiſſe conſtat, editum ac nominatum a Claudio reperto re huius relationis, ac propterea Prætoria inſignia, & centies quinquagies h——s. ei decreta fuiſſe: uenio in opinionem, Claudianum ex illius liberti nomine appellatum eſſe. Verba Cornelij. Inter quæ, inquit, refertur ad patres de pœna feminarũ, quæ ſeruis coniungerentur, ſtatuiturq; ut ignaro domino ad id prolapſa in ſeruitutem ſui cõſenſiſſet: & qui nati eſſent, pro libertis haberentur. Pallenti quem repertorẽ eius relationis ediderat Cæſar, Prætoria inſignia & centies quinquagies cenſuit Conſul deſignatus. His autem ex uerbis ſcrupulus aliquis naſcitur, cum Vlpianus & Iuſtinianus non aliter eam ſeruitutem addictam ſcribant, quàm ſi denunciante domino deſiſtere noluiſſet. Video autem Tranquillum in Veſpaſiano ſcribere, auctorẽ illum ſenatui fuiſſe decernendi, ut quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur. Vt ſuſpicari liceat, quod Claudij tempore inſtitutum erat, id Veſpaſiani auctoritate abſolutum fuiſſe: & a Iuriſconſultis hoc totum ei Senatuſconſulto attributum: quod uetuſtius, & Claudij autoritate inceptum, Claudianum nominarunt.

Sena. C. Claudianum de quæſtione familiæ. cum S.C. Silaniano coniungitur, ſub tit. De S. C. Silanian. & Claud. Vide S. C. Silanianum.

Sena. C. Daſumianum de libertatibus fideicommiſſarijs. Vt ſi ex iuſta cauſſa abſit, qui fideicommiſſam libertatem debet, & hoc pronunciatum fuerit, perinde libertas competat, atque ſi, ut oportet ex cauſſa fideicommiſsi, manumiſſus eſſet. Itẽ, ut quicunque fideicommiſſam libertatem ex quacunque cauſſa debere pronunciatus fuerit, & cũ eos ve abeſſe contigerit, perinde habeatur, atq; ſi, ut oportet, ex cauſſa fideicommiſsi manumiſſus eſſet. l. neque, 36. & l. non tantum, ſi, §. Senatuſc. D. de fideic. libert.

Sena. C. Fannianum de Philoſophis & Rhetoribus. Factum C. Fannio Strabone, M. Valerio Meſſala Coſs. Anno d x c i i. Quod M. Pomponius Prætor ſenatum conſuluit de Philoſophis & Rhetoribus. De ea re ita cenſuerunt, ut M. Põponius Prætor animaduerteret, curaretq; ut ei è Rep. fideq; ſua uideretur, uti Romæ ne eſſent. Gellius li. x v. cap. x i.

Sena. C. Iunianum de libertatibus fideicommiſſarijs: ut ſi hæres rogatus ſit non hæreditarium, ſed proprium ſeruum manumittere, is ſeruus poſt pronunciationem, ad libertatem perueniat, ſiue ex iuſta cauſſa dominus abſit, ſiue latitet, ſiue præſens non uult manumittere, ſiue etiam dominus eius ſerui emptor ſit. l. non tantum, 5 i. §. ſed ſi, D. de fideic. libert.

Sena. C. Iunianum de colluſione detegenda, factũ Domitiano imperante, Cæſare & Ap. Iunio Sabinio Coſs. An. dcccxxxix. ut qui per domini & ſerui, aut patroni & liberti colluſionem factã pronunciaretur, ut uel ſeruus ad libertatem, uel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberéq; aut ingenuus pronunciaretur, is ſeruum quidem in poteſtate ac dominio ſuo, libertum autem in patronatu ſuo haberet. l. i. D. de colluſ. deteg. l. 2. eod. l. adoptiuum, 8. D. de in ius uoc.

Sena. C. Iulianũ de petitione hereditatis, diſtractis rebus hæreditarijs, dolo præterito, & fructibus. Factũ Hadriani tẽporibus, Q. Iulio Balbo, P. Iuuẽtio Celſo, T. Aufidio Frontone, Arrio Seueriano Coſs. Vt ſi antequàm partes caducæ ex bonis defuncti fiſco peterẽtur, hi qui ſe hæredes exiſtimãt, hæreditatẽ diſtraxerint, ne redactæ ex precio rerũ uenditarum pecuniæ uſuræ exigantur, idemq; in ſimilibus

ſimilibus cauſsis ſeruetur. Item, ut a quibus hæreditas petita fuiſſet, ſi aduerſus eos iudicatum eſſet, ij precia quæ ad eos rerum ex hæreditate uenditarum perueniſſent, & ſi eæ ante petitam hæreditatem deperiſſent, deminutæve fuiſſent, reſtituere deberent. Item, ut ij qui bona inuaſiſſent, cùm ſcirent, ad ſe non pertinere, etiamſi ante litem conteſtatam fecerint, quo minus poſsiderent, perinde condemnarentur. quaſi poſsiderent: ij autem qui iuſtas cauſſas habuiſſent, qua re bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, uſque cò duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent. Petita autem fiſco hæreditas ex eo tempore exiſtimaretur eſſe, quo primùm ſcierit quiſque eam à ſe peti: id eſt cùm primùm aut denunciatum eſſet ei, aut literis, uel edicto euocatus eſſet. Vlpia. l. item ueniunt, 20. D. de hæredit. petit. apud quem pro OENVS, legendum FRONTO ARRIVS ex Faſtis Onuphrij Veronenſis intelligitur.

SENA. C. Largianum de bonis libertorum ut liberi manumiſſoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis libertinorũ præponerentur. Veluti, Lælius liberis ſuperſtitibus obijt. Thracius eius Libertus teſtamentum ſcripſit, ſibiq; extraneos quoſdam hæredes inſtituit. Senatus noluit, ut hæc hæreditas inſtitutis hæredibus adimeretur, libertisq; Lælij tribueretur, ſi modò a patre exhæredes facti non eſſent. Nam ſi eſſent, paterno iudicio indigni omni emolumẽto uidebantur, quod patris cauſſa undecunque proficiſci poterat. §. ult. De ſucceſs. libert. l. 1. & paſſ. C. de lat. lib. tol.

SENA. C. Libonianum de falſis. Factum, opinor, Hadriano imp. L. Nonio, M. Annio Libone Coſs. Anno DCCCXXC. Vt pœna legis Corneliæ de falſis teneatur, qui ob inſtruendam aduocationem, teſtimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, ſocietatem coierit, ad obligationem innocentum qui ſibi eive qui in ſua poteſtate eſt, legatum fideicommiſſumve aſcripſerit in teſtamento militis, aut etiam alterius: dummodo id ſignatum perfectumq; fuerit: qui hæres inſtitutus exhæredatione nominatim filij, uel aliarum perſonarũ adſcripſerit, qui libertatem manu ſua ademerit ſeruo teſtatoris, & maximè cui a ſe legata uel fideicommiſſa data erãt. Vt ſi ſeruus domini ſui iuſſu teſtamento codicillisve libertatem ſibi adſcripſerit: ob eam rem quod ipſius manu adſcriptum eſt, minus liber ſit: ſed libertas ei ex fideicõmiſſa cauſſa præſtetur, ſi modò poſt eam ſcripturam manu ſua teſtator teſtamento, codicillisve ſubſcripſerit. l. 1. & paſs. D. de falſis.

SENA. C. Macedonianũ de filiorumfa. ære alieno, Veſpaſiani, ut opinor, tempore factũ eſt. Ne cui qui filiofa. mutuo pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis eius, cuius in poteſtate fuiſſet, actio petitiove daretur. ut ſcirent qui peſsimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filiũfam. bonum nomen expectata patris morte fieri. l. 1. D. ad Macedon. in qua duo obſcura ſunt: quo tempore ſit factum, & utrũ Macedo qui S. C. cauſſam dedit adoleſcẽs perditus fuerit, ut Theophilus exiſtimat: an fœnerator netus ac nobilis, ut eruditi omnes putant. Quod ad priorem dubitationem attinet, conſtat legem Lætoriam antiquiſsimam fuiſſe, qua uetabatur, ne ob pecuniam minoribus uigintiquinque annis creditã, ſiue ij filijfamil. ſiue ſui iuris eſſent, jus diceretur. nam quod ad locum illum Terentij in Phormione pertinet, Quaſi quiſquam crederet te uiuo: non ad ullam legem, ſed a filijfa. ius referendum puto. Iam uerò Tacitus libro XI. ubi de Claudio loquitur: Lege lata, inquit, ſæuitiam creditorum coercuit, ne in morte parentũ pecunias filijfa. fœnori darent. quo in loco MORTEM legendum puto, quaſi dixerit obligationem non præſen præſentem, ſed in diem collatam in mortis tempus fuiſſe: hoc modo, Centum quæ tibi credidi, poſt patris mortem dare ſpondes? Suetonius autẽ in Veſpaſiani uita ſic ſcribit: Auctor, inquit, ſenatui fuit decernendi, ne filiorumfa. fœneratoribus exigendi crediti ius unquam eſſet: hoc eſt, ne poſt patris quidem mortem. quod Macedonianum eſſe S. C. planè uidetur, quia Tacitus non de S. C. ſed de lege nominatim loquitur: uenioq; in ſuſpicionẽ ea lege Claudia certas quaſdam cauſſas exceptas fuiſſe: ueluti ſtudiorũ, & alias honeſtas ac neceſſarias. Macedonem autem cum exemplo peſsimo, malisq; moribus, hoc eſt, contra bonos mores, pecuniam adoleſcentibus crederet, cauſſam mutuationis nõ adſcripſiſſe, atque illud eſſe quod legimus INCERTIS NOMINIBVS: quod uerbum eadem in re Cicero Verrina V. poſuit. Ex omni pecunia, inquit, quam aratoribus ſoluere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebãt: primũ pro ſpectatione, & collybo: deinde ꝓ neſcio quo Cerario. Venio iam ad Macedonis nomẽ quod in epigrammatis Romanis reperio, pag. 89. in ſepulcro C. Modeſtij Macedonis. Quicunque autẽ is fuerit, arbitror eum uerſurã facere ſolitũ fuiſſe, ut pòſt eã pecuniam adoleſcentibus quorum amicitia & conſuetudine utebatur, crederet. nam omnino uerba illa, AES ALIENVM ADHIBERET, ad eum qui crederet pertinere non poſſunt.

SENA. C. NERONIANVM de ſimulatis adoptionibus, Nerone Imp. factum eſt. Ne ſimulata adoptio in ulla parte muneris publici iuuaret, ac ne uſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet. Percrebuerat enim ea tempeſtate prauiſsimus mos, cum propinquis comitijs, aut ſortitione prouinciarum plerique orbi aſciſcerent filios, præturasq; & prouincias, quòd inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptauerant. Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt, ius naturæ, labores educandi, aduerſus fraudem & artes: & breuitatem adoptionis enumerant. Satis precij eſſe

orbis.

orbis, quòd multa ſecuritate, nullis onerib. gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberẽt. Sibi promiſſa legum diu expectata in ludibrium uerti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum uota repentè adæquaret. Tacitus lib.xv.

Sena. C. Orphitianum de maternis hæreditatibus: factum eſt Marco & Commodo Imperatoribus, Orphitio et Rufo cos. Vt filius & filia quamuis patris in poteſtate ſint, ad bona matris inteſtatæ ante conſanguineos uoeentur: ſiue mater ingenua ſit, ſiue libertina: item ſiue liberi legitimi ſint, ſiue uulgò quæſiti. l. 1. & pen. D. ad Tertyll. & Orfic. ſpurios tamen matri quæ illuſtris ſit, non ſuceedere, ſi modò extent ex iuſtis nuptijs procreati. Imp. ſcribit in l. pen. C. eo. Quin. & illud intelligẽdum eſt, ex Imperatorũ cõſtitutionibus, nepotes & Neptes ad auiæ inteſtate ſucceſsionẽ admiſſos, admiſſasq; eſſe. l. ſi defunctus, 4. De legit. hæred. in cod. Theodoſ.

Sena. C. Pegaſianum de qusrta fideicommiſs retinenda, factum Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo & Puſione Coſs. ut ei qui rogatus eſſet hæreditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. quam ſi retinuiſſet, tum omnes actiones quæ in hæredes hæredibusq; dari ſolent, in eum, eiq; darentur. Is autem qui partem hæreditatis ex fideicommiſſo reciperet, legatarij partiarij loco eſſet: hæreditatisq; tum commoda, tum incommoda inter hæredem, & eum cui reliquæ partes eſſent reſtitutæ, communicarentur, interpoſitis ſtipulationibus ad exemplum partis & pro parte ſtipulationum Sed ſi hæres ſcriptus hæreditatem adire recuſet, ob id quòd dicat ſibi eam ſuſpectam eſſe quaſi damnoſam, poſtulatu eius cui reſtituere rogatus eſſet, iuſſu prætoris adiret, totamq; reſtitueret, ita nt ei & in eum qui recipit hæreditatẽ, auctiones dentur. Iuſtinianus ſub tit. De fideic. hæreditat. Vlpianus cap. Inſti. 25. Paulus lib. Sent. 4. cap. 3.

Sena. C. Planciannm de liberis agnoſcendis, & partu ſubiecto. Vti liceat mulieri, parentive in cuius poteſtate eſt, uel ei cui mandatum ab eis eſt, ſi ea ſe facto diuortio prægnantem putet, denunciare intra dies triginta poſt diuortium connumerandas ipſi marito, uel parenti cuius in poteſtate eſt, uel etiam domi eius, ſi nullius eorũ copia eſt. Et ſi maritus cui denunciatum erit, cuſtodes ad uentrem cuſtodiendum, inſpiciendumq; non miſerit, neque conteſtato dixerit, eam ex ſe prægnantem non eſſe, ut ei id quod editum ſit, agnoſcere ſit neceſſe. l. 1. D. de liber. agnoſ.

Sena. C. Piſonianum de ſeruis obnoxijs nenditis. Vt ſi ſeruus pœnæ propter necatum dominum obnoxius ueniſſet, quandocunque animaduerſum in eũ eſſet, uenditor preciũ præſtaret: ne emptori iniuriam feciſſe uideatur ſenatus. l. ſenatuſc. 8. de S.C. Silaniano.

Sena. C. Pernicianum de nuptijs. Vt qui intra ſexageſimum, uel quæ intra quinquageſimum annum neque liberos ſuſceperit, neque matrimonium cõtraxerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis teneatur. Vlp. cap. Inſtit. xvi.

Sena. C. Prætextstum appellamus, nobile illud in Papyrij prætextati honorem factum. Vti pueri prætextati deinceps cum patribus in curiam non introirent, præter unum illum Papyrium: utq; ei puero poſtea prætextati cognomentum honoris gratia imponeretur. Nota eſt hiſtoria ex Macrobio lib. Satur. l. cap. vi. & Gellius lib. primo. cap. xxiii.

Sena. C. Rubrianum de fideicommiſſarijs libertatibus, factum eſt temporibus diui Traiani, Rubrio Gallo, & Cælio Hiſpone coss. anno dccclix. Vt ſi a quibus libertatem præſtari oportet, euocati a Prætore adeſſe noluiſſent, dum hi neque infantes ſint, neque furioſi, neque ab hoſtibus capti, neque hi quos religio, aut honeſtior cauſſa, aut calamitas aliqua, uel maior res familiaris, aut capitis famæve periculum, aut ſimilis cauſſa moretur: ac ne pupilll quidem, qui tutorem non habent, aut eos habeant, quos earum quæ cauſſa detinet. Si cauſſa cognita Prætor pronunciaſſet, libertatem his deberi, eodem iure ſtatus ſeruaretur, ac ſi directò manummiſsi eſſent. l. cum uerò, 26. §. ſubuentum, & l. neque, 36. l. ſi filius, 33. D. de fideicom. libert.

Sena. C. Silanianum de quæſtione familiæ, Auguſti temporibus factum nonnullis uidetur, Dolabella & Silano coss. anno dcclxii. quibus idcirco aſſentiri uix poſſum, quia neque leges, neque ſenatuſconſulta ex cognominibus appellabantur: tametſi uideo & Piſonianum, & Meronianum eodem modo nominari. Vti de ſeruis eius qui domi ſuæ necatus erit, qui quidem ſub eodem tecto fuerint, neque opem ei tulerint, niſi qui impuberes fuerint, quæſtio habeatur: & conuicti ſummo ſupplicio afficiantur. Qui uero non ſub eodem tecto, ſed in eadem regione fuerint, non aliter puniantur, quàm ſi conſcij fuerint, ut quod ad cauſſam teſtamenti pertinens relictum erit ab eo qui occiſus eſſe dicitur, id ne quis ſciens dolo malo aperiẽdũ, recitandum, deſcribendumq; ante quæſtionem de ſeruis habitam curet. qui ſecus faxit, quod eo teſtamento ei relictum fuerit, publicetur. l. 1. & l. 13. & l. 14. D. ad S.C. Silanianum.

Sena. C. Statilianum nel Domitianum de quinquennij præſcriptione, Auguſti temporib. factum eſt, Tauro & Lepido Coſs. An. dcclxiii. Vt in eo gnitione teſtamenti eius qui a familia ſua occiſus eſſe dicetur, ante habitam de familia quæſtionem aperti quinquennij tempus hæredibus conſtituatur. l. in cognitione, 13. D. ad S. C. Silanianum.

Sen.C.Summum,ſiue ſupremum appellatur, quod ſummis Reipub.temporibus fieri ſolebat:de quo Liuius lib. III. Tantum,inquit, terrorem Hernici incuſſere patribus,ut quæ forma ſenatuſconſulti ultimę ſemper neceſsitatis habita eſt,Poſtumio alteri conſulum negocium daretur, uideret ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Salluſtius in Catilinario, Itaq: (quod plerunq; in atroci negocio ſolet)ſenatus decreuit,darent operam Conſules,ne quid Reſpub.detrimenti caperet.Ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratus maxima permittitur,exercitum parare, bellum gerere,coercere omnibus modis ſocios atq; ciues, militiæq; imperium atque iudicium ſummum habere:aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum Conſulis ius eſt.

Sena. C. Trebellianum de actionibus a fideicommiſſarijs in hæredes transferendis, factum eſt tẽporibus Neronis,octauo Calend. Septemb. Anneo Seneca, Trebellio Maximo Coſ.An.DCCCX. Vt cùm æquiſsimum eſſet in omnibus fideicommiſſarijs hæreditatibus ſi qua de his bonis iudicia penderent,ex his eos ſubire, in quos ius fructusq; transferetur, potius quàm cuiq; periculoſam eſſe ſuam fidem: deinceps actiones quæ in hæredem, hæredibusq; dari ſolent, eæ neq; in eos neque his darentur, qui fidei ſuæ commiſſum,ſicuti rogati eſſent,reſtituiſſent: ſed his & in eos quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutũ fuiſſet, quo magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum uoluntates.Hæc Vlp.l.1.D.eod.

Sena. C. Turpilianum de accuſationibus deſertis. Factum fortaſſe Imp.Nerone,C.Silio,M.Turpiliano Coſs.Anno DCCCXIX.Vt qui crimen publici iudicij detulit,& cauſſa criminis ordinata,id eſt inſcriptionibus depoſitis, & fideiuſſore de exercenda lite præſtito,eoq; qui accuſatur,ſub cuſtodia officij facto, non impetrata abolitione ab executione criminis deſtitit: qui accuſatorẽ ſummiſit,aut inſtigauit,aut mandauit alicui,& inſtruxit eum ad accuſationem capitalem, deinde probationes,allegando excuſationes, qui chirographum ob accuſandum dedit,pactionemve aliquã interpoſuit, pœna quinq; librarũ auri multetur.l. 1.& paſſ.C.& D.ad Turpillian.l.tertia,in fine,D. præuaric.

Sena.C.Tertyllianum de liberorum hæreditatibus matri deferendis, D.Pio imperante factum eſt, Tertullo & Sacerdote Coſs.Vt mater ĩgenua triũ liberoru ius habens, libertina quatuor ad liberorum inteſtatorũ hæreditatẽ admittatur,ſiue ſui iuris,ſiue in patris poteſtate ſit,ita tamen ut ſi filiafa.ſit,parentis iuſſu hæreditatem adeat: deinde ut filio mortuo,ſui:filia mortua, liberi præferantur matri:utrouis mortuo,pater,non etiam auus: itẽ conſanguineus,ſiue ſolus ſit, ſiue cum eo ſoror, eidem præferantur: conſanguinea uerò ſola pariter cum matre ſuccedat. l. 1. & 2. D.eod.& libro Inſtit. III.tit.III.

Sena.C.Tacitum cuiuſmodi fuerit,Capitolinus in Gordianis docet his uerbis. Omnino exemplum Senatuſconſulti taciti non aliud eſt hodie quàm quod ueſtra clementia conuocatis ad interiora maioribus ea diſponit quæ non ſunt omnibus publicãda:de quibus adiurare etiam ſoletis, ne quis ante rem completam quicquam uel audiat uel intelligat.Hunc autem morem apud ueteres neceſſitates publicæ repererunt, ut ſi fortè aliqua uis ab hoſtibus immineret, quæ uel cogeret humilia captare conſilia, uel aliqua conſtituere quæ non prius oporteret dici quàm effici, uel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, ſenatuſconſultum tacitum fieret:ita ut non ſcribæ,non ſerui publici,nõ cenſuales illis actibus intereſſent, ſenatores exciperent,ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarumq; complerent, ne quid fortè proderetur.

Sena.C.Velleianum de mulierũ, intercesſionibus, factũ eſt Marco Silano & Velleio Tutore Coſs. ne ius aduerſus mulieres diceretur, quæ fideiuſſionibus & mutationibus pro alijs interceſsiſſent:cum eas uirilibus officijs fungi, & eius generis obligationibus obſtringi,non ſit æquum. Ergo in ueterem debitorem, aut in eum qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream dabitur:magis enim ille, quàm creditor mulierem decepit. l. 1. & 2. D.eod.

Sena.C.Velleianum de aſsignatione libertorum,factum eſt Claudianis temporib. Velleio Rufo, Oſterio Scapula Coſs qui duos pluresve liberos iuſtis nuptijs quæſitos in poteſtate haberet,de liberto libertave ſua ſignificaſſet, cuius ex liberis ſuis eum libertum, eamve libertam eſſe uellet, eave quandoque is qui eum eamve manumiſit, inter uiuos uel teſtamento in ciuitate eſſe deſiſſet,ſolus ei patronus,ſolave patrona eſſet,perinde atque ſi ab eo eave libertatem conſecutus conſecutave eſt, neque ei liberi ulli eſſent: ceteris eius liberis qui manumiſit, perinde omnia iura ſeruentur, ac ſi nihil de eo liberto, eave liberta is parens ſignificaſſet. l. prima. D. de aſſig.libert.

Sena.C.Vitraſianum de fideicom.libertatibus.Factum opinor Veſpaſiano imperante,Sulpitio Galbo, Vitraſio Pollione Coſs. Vt patres ſeruorum quibus per fideicommiſſum libertas data eſt, iuſto precio æſtimentur:atque ita ſeruus ab his qui rogati ſunt manumittatur: hi autem qui eos manumiſerunt, precij nomine perinde fratribus & cohæredibus ſuis obligati ſint, atque ſi ob eam rem indicati cauſſa cum his agi poſsit. Nam antè ſi plures hæredes erant inſtituti, & inter eos qui fari non poterant, ſed non ipſe rogatus erat ſeruum manumittere: non oportebat intercidere libertatem ob hoc quod cohæredibus ſuis uendere eum infans non poſsit.l.cum quaſi,30.§. ſi plures,D.de fideic.libert.

Sen.C.

S.C.Vigintiuirale factum eſt Auguſto Imp.Tiberio & Varo Coſs.Anno DCCCLI. Vt uiginti uiri ex equitibus conſtituerentur,quorum deinceps nullus in ſenatum allegeretur,niſi quem etiam alium magiſtratum cuius ratione ſenatus poſſet fieri, geſsiſſet.Hi uiginti uiri in locum XXVI. uirorum ſucceſſerunt:quorum tres capitalibus iudicijs,alij tres pecuniæ ſignandæ præfecti ſunt: quatuor uiis urbis,decem iis iudicijs,quæ ad centumuiros ſorte deferuntur. Vt quoniam nemo facilè Tribunatum pleb.petebat, ſorte ex ijs qui Quæſtores fuiſſent dum quadrageſimum annum attigiſſent, deligerentur.Dio lib.54.

S.C.Voluſianum de coitione in litẽ:ut qui improbè in alienam litem coeunt,ut quicquid ex condemnatione in rem ipſius redactum fuerit, inter eos communicaretur,lege Iulia de ui priuata teneretur.l.6.D.ad leg.Iul.de ui priuat.

DE SENATV ET S.C. FINIS.

EIVSDEM AVCTORIS DESCRIPTIO EORVM IVRISCONSVLTORVM, QVI A POMponio ſub titulo De orig. iur. enumerantur.

P. PAPYRIVS Iuriſcõſultus,Tarquinio Superbo regnante floruit. Is leges omnes à Regibus latas in ordinem redegit, unũque in librum coegit,qui liber icirco Ius ciuile Papyrianũ appellatus eſt. Pompon.l.2.§.1.& §.18.De orig.iur. Videtur is fuiſſe papyrius quem Dionyſ.Halicarn. ſcribit primum Regem ſacrificulum creatum fuiſſe,quem Maniũ appellat.Superbum autem non Demarati filium, ut Pomponius:ſed nepotem, Liuius: pro nepotem Dionyſius appellant.

AP.CLAVDIVS, Decemuir Iuriſconſultus,Anno CCCIII.quo leges XII. tabularum conſcriptæ & conſtitutæ fuerunt.Eius maximum in iis legibus conſcribendis conſilium extitiſſe Pomponius tradit l.2.§.18.De orig.iur.

HERMODORVS Epheſius Iuriſconſultus, legum quæ à legatis Romanis ex Græciæ ciuitatibus allatæ ſunt,quum in Italia tum fortè exularet, interpres fuit,ob eamque cauſſam ſtatua ei in Comitio dicata eſt.Plin.lib.34.cap.5. & Pompon.l.2. §.1.D.de orig.iur.ubi tamen Auctorem ſcribit, pro Adiutorem,ſocium,interpretem. Strabo lib. 14.de Epheſiis commemorans, Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι γεγόνασιν ἐν αὐτῇ. τῶν μὲν παλαιῶν ἡράκλειτός τε ὁ σκοτεινὸς καλούμενος, καὶ ἑρμόδωρος. περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτος φησὶν, ἄξιον ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑωυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον, φάντες, ἡμέων μηδεὶς ὀνήιστος ἔστω εἰ δὲ μὴ, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. δοκεῖ δ' οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς ῥωμαίοις συγγράψαι.id eſt, In ea uiri fuere memorabiles.è ueteribus quidẽ Heraclitus cognomento Obſcurus, & Hermodorus. de quo ille ipſe loquens,Digni ſunt, inquit, omnes ad unum Epheſii,quibus laqueo gula frangatur:qui Hermodorum uirum inter ipſos utilem exilio multarunt. dicentes: Nemo noſtrum utilis eſto: alioqui, alio in loco & apud alios ſit. Fertur. etiam is leges quaſdam Romanis conſcripſiſſe.

AP.CLAVDIVS Cæcus Iuriſconſultus. Cenſor fuit Sulpitio, Sempronio Coſs. Anno ab V. C. CDXLIX. Primus actiones,ideſt formulas de uſurpationib.ſcripſit:ſcribæ ſuo Cn.Flauio ſuaſit, ut faſtorum tabulam exſcriberet, eamque promulgaret.Plinius lib.33.cap.1.& Pompon.l.2.§.18.De orig.iur.Tribonianus autem in eadem l. §.3.ſcribit eum legis actiones propoſuiſſe, & ad formam redegiſſe,quarum librum ſurreptum poſtea Cn. Flauius populo tradiderit.

CN.FLAVIVS, Cn.F.ſcriba,Iuriſconſultus, Sulpitio,Sempronio Coſs. Anno ab V. condita CDXLIX. Is patre libertino,humili fortuna ortus,ceterum callidus uir & facundus, Aedilis curulis fuit. ciuile ius repoſitum in penetralibus Pontificum euulgauit,faſtoſque circa forum in albo propoſuit:ut quando lege agi poſſet,ſciretur. Ob id munus Aedilis curulis & Tribunus plebis creatus eſt.Liuius libro.9.extremo, Cicero pro Muræna,Gellius libro 6.cap.9.Plin.lib.33.cap.3. Tribon.l.2.§.3.De orig.iur.

P.SEMPRONIVS Sophus Iuriſconſultus Coſ.cum P.Sulpitio Sauerrione,anno ab V. condita CDXLIX. Pomponius ſcribit in l. 2. §. 18. hunc à populo Romano Sophum eſſe appellatum, nec quenquam ante hunc aut poſt hunc hoc nomine cognominatum eſſe. quum tamen plures in

Conſulum tabulis hoc cognomine afficiantur:& conſtet Atilium, Lælium & Catonem Sapientes cognominatos fuiſſe.

TI.CORVNCANIVS Iuriſconſultus, Conſul cum P. Valerio, Anno ab Vrbe condita, CDLXXII. Primus ius ciuile docere ac profiteri cœpit, quum priores id in latenti retinere cogitarent, ſolumque conſultatoribus uacare. Pompon. l. 2. §. 18. De origine iur. Cicero in Bruto ſcribit ex Pontificum commentariis intelligi eum longè plurimum ingenio ualuiſſe. Idem in libro De Orat. 3. Pontificem Maximum eum fuiſſe tradit, ad eum, eiusque ſimiles de omnibes diuinis atque humanis rebus referri ſolitum: eundem & in ſenatu, & apud populum, & in cauſsis amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum fidemque probaſſe. Eadem ferè in Epitome Liuiana XVIII.

Q. FABIVS Iuriſconſultus. cuius ad Carthaginienſes legatio celebratur; Cornelio, Sempronio Coſs. Anno DXXXII. nam quum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis altera belli, arbitrio ſibi dato, utram malet referrè Romam, utranq; ſuſtulit, & ait: Carthaginienſes petere debere utram mallent accipere. Hæc Pomponius. Aliter tamen Gellius lib. 10. cap. 27. aliter etiam Polyb. lib. 3. Liuius lib. 21. & Appianus lib. De bellis Hiſpan.

SEX. AELIVS Paitus Catus Iuriſconſultus, Conſul fuit cum T. Quinctio Flaminio, Anno DLII. qui propter Iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poeta eſt, Egregiè cordatus homo catus Aelius Sextus: ut ait Cicero lib. de Orat. 1. qui in Bruto hunc quoque ait iuris quidem ciuilis peritiſsimum, ſed etiam ad dicendum paratum: & Tuſc. prima hunc eundem uerſum profert. Varro autem in lib. De ling. 6. Cata, inquit, acuta. Hoc enim uerbo Sabini dicunt. quare Catus Aelius Sextus, non, ut aiunt, ſapiens: ſed acutus. Pomponius autem his uerbis, Sextum Aelium etiam Ennius laudauit, & extat illius liber, qui inſcribitur Tripartita: qui liber ueluti cunabula iuris continet. Tripartita autē dicitur, quoniā lege XII. tabularum præpoſita, iungitur interpretatio, dein ſubtexitur legis actio. eiuſdem eſſe tres alij libri referuntur: quos tamen quidam negant eiuſdem eſſe. Plinius uerò lib. 33. capite ſecundo, L. Pauli qui Perſeū deuicit, generū ait fuiſſe. & quum legati Aetolorum in Cōſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, miſſa ab his uaſa argentea non acepiſſe, neque aliud habuiſſe argenti ad ſupremum, uitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob uirtutem donaſſet.

P. AELIVS PAETVS Iuriſconſultus, Conſul fuit cum Cn. Cornelio, An. DXLIX. apud Liuium lib. 32. & Pomponium. Plinius libro 18. cap. 18. Plutarchus in Africano.

P. ATILIVS Iuriſconſultus. Cicero in Lælio: Scimus L. Atiliū apud patres noſtros appellatū eſſe Sapientē, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur. Hunc quoque primum à populo ſapientē appellatum fuiſſe, Pomponius ſcribit Meminit Cicero in Catone, lib. De offic. 2. De diuin. 1. Epitome Liuiana 49.

P. CORNELIVS Scipio Naſica Iuriſc. Conſul fuit cū M. Glabrione, An. DLIX. adoleſcens nondum Quæſtorius optimus in ciuitate iudicatus eſt, eidemque publicè domus in ſacra, uia data, quo facilius conſuli poſſet. Liuius lib. 29. & Pompon. l. ſecunda, §. 18. de Orig. iuris.

M. PORCIVS Cato, Iuriſconſ. Conſul fuit cum L. Valerio, Ann. DLV. Iuris ciuilis peritiſsimus fuit, ut Cicero ait lib. De oratore primo. libros etiam de iure reliquit, ut ſcribit Pompon. d. l. 2. Eius res geſtas Plutarchus in Vitis exponit, & Liuius lib. 33. & 34. ſed maximè lib. 39. ex quo elogium hoc Catonis noſtri quin deſcribam, facere non poſſum. In hoc uiro tanta uis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe uideretur, nulla ars neq; priuatę, neque publicæ rei gerendæ ei defuit. Vrbanas ruſticasq; res pariter callebat. ad ſummos honores alios ſcientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit, huic uerſatile ingeniū ſic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunq; ageret: in bello manu fortiſsimus, multisque inſignibus clarus pugnis: idem poſteaquam ad magnos honores peruenit, ſummus imperator: idē in pace, ſi ius cōſuleres, peritiſsimus: ſi cauſſa oranda eſſet, eloquentiſsimus. nec is tantum, cuius lingua uiuo eo uiguerit, monumentū eloquentiæ nullū extet. uiuit imò, uigetque eloquentia eius, ſacrata ſcriptis omnis generis. Orationes & pro ſe multæ, & pro aliis, & in alios. nam non ſolùm accuſando, ſed etiā cauſſam dicendo fatigauit inimicos. ſimultates nimio plures & exercuerunt eū, & ipſe exercuit eas. nec facilè dixeris, utrum magis preſſerit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Aſperi proculdubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: ſed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocētiæ, cōtēptor gratiæ, diuitiarū: in parſimonia, in patiētia laboris periculiq; ferrei propè corporis animique, quē ne ſenectus quidē, quæ ſoluit omnia, fregerit: qui ſextū & octogeſimū annū agens, cauſsā dixerit, ipſe pro ſe orauerit, ſcripſeritq;: octogeſimo anno Ser. Galbam adduxerit in iudicium.

M. PORCIVS Cato Iuriſconſultus, Marci ſuperioris filius. Is Prætor deſignatus patre uiuo mortuus eſt. Plurimos in iure ciuili libros reliquit. Gellius libro 13. cap. 18. Pomponius De orig. iur. Cicero de Orat. ſecundo. Huius ea creditur fuiſſe regula, quæ Catoniana in noſtris libris appellatur libro Dig. 34. ut legatum quod non ualeret, ſi teſtamenti facti tempore teſtator deceſsiſſet: quandocunque is decedat,

dat,non ualeat. Celebratur etiam eius de diuiduis ſtipulationibus diſputatio,in l. 4. D. de uerbo. obli. Citatur & à Iuſtin. lib. 1. Inſt. tit. De adopt. Paulo l. 44. Solut. matr. Vlpiano l. 10. De ædil. edict. Celſo l. 18. De uerb. ſig.

P. MVTIVS Scæuola Iuriſconſultus, Conſul fuit cũ L. Calpurnio, anno DCXVII. & Pontifex. Maximus fuit,quo anno Ti. Gracchus interfectus eſt. Decem de iure libellos reliquit. Pomponius d. l. 2. Cicero de Orat. 2. & pro Cæcina, De legibus 1. De nat. deor. 3. Pompon. l. ult. De iur. im munit. Aſcon. Ver. 2. Interiit eo morbo quem phthiriaſin appellant Plutarchus in Sylla.

M. IVNIVS Brutus Iuriſconſultus, uir Prætorius fuit, ſeptemq́ue, ut ait Pomponius, reliquit libros. Cæſar tamen apud Ciceronem libro de Orat. 2. audiſſe ſe ait ex Scæuola quum diceret, tres, duntaxat ueros Bruti libros fuiſſe. In eodem libro Bruti in iure deſcribendo ratio improbatur, quòd hypotheſes non theſes exponeret. Eius meminit Cicero in Cluentiana, lib. Epiſt. fam. 7. Gellius lib. 18. cap. 7.

M. MANILIVS Iuriſconſultus, Conſul fuit cum L. Marcio Cenſorino, Anno DCI. Tres in iure reliquit libros, extabant etiam Pomponii ætate uolu mina inſcripta Manilij monumenta. Hunc Craſſus lib. de Orat. 3. ſcribit ſe uidiſſe tranſuerſo ambulantem foro: quod erat inſigne eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilii ſui copiam. Conſulatus etiam in Bruto meminit. Gellius etiam doctrinæ lib. 18. cap. 7. Cicero eius librorum de mancipiis uendendis, De orat. 1. Varro de Re ruſt. perſæpe.

P. RVTILIVS Rufus Iuriſconſultus, Conſul fuit cũ M. Manilio, Anno DCXLV. M. Manilii, de quo diximus, diſcipulus, ut Pomponius teſtatur. Cicero in Bruto ſcribit eum magnum de iure reſpondendi munus ſuſtinuiſſe, eiusq́ue operam atque induſtriam propterea gratiorem fuiſſe. Memoratur eius iniuſta damnatio, quòd quum ambitus à Scauro accuſatus eſſet, noluerit ſuam cauſſam ornatius dici, quàm ſimplex ueritatis ratio poſtularet. qua de re libro De orat. 1. in Bruto, De nat. deor. 3. De finib. 2. Tuſcul. 4. Offic. 2. pro Plãcio, pro Balbo, in Piſonem, pro Fonteio, pro Poſthumo, pro Cluentio. Valerius lib. 2.

PAVLVS VERGINIVS Iuriſconſultus. Hic apud Pomponium numeratur: corruptè, mea ſententia, quum iſto modo nominetur nemo. Paulus prȩterea Aemiliorum eſt cognomen. Quum autẽ Cicero in Bruto Scaurum Rutilio adiungat, Panætii diſcipulum & conuictorem in 3. de Oratore appellet, & Pomponius hoc loco Panætii auditores enumeret, haud ſcio an pro SCAVRVS VIGELLIVS, repoſuerit aliquis PAVLVS AERGINIVS.

Q. AELIVS Tubero L. Pauli nepos, P. Africani ſororis filius Iuriſconſultus, Triumuir agris, optimor, ex lege Sempronia diuidundis fuit. Hunc in Bruto Cicero Stoicum & doctiſsimum in diſputando fuiſſe ſcribit. Craſſus autem in lib. de Orat. 3. Dies, inquit, & noctes uirum ſumma uirtute & prudentia uidebamus philoſopho quum operam daret, Q. Tuberonem. Pomponius autem Panætii auditorem appellat. ubi tamen PANSAE deprauatè legitur: ut quod ſequitur QVI ET IPSE CONSVL. nam in Conſulum recenſione Tubero non nominatur hoc tempore. uidenturq́ue hæc uerba potius ad Scaurum pertinere. Cicero in libro qui inſcriptus eſt, De iure ciuili in artem redigendo, uerba hæc poſuit: Nec uerò ſcientia iuris maioribus ſuis Q. Aelius Tubero defuit. doctrina etiam ſuperfuit. Hoc ex Cell. lib. 1. cap. 22. Hiſtoria de eo inſignis refertur à Cicerone in ea pro Muræna.

SEX. POMPEIVS Iuriſconſultus, Cn. Pompeii Magni patruus fuit. Hic, ut ait in Bruto Cicero, præſtantiſsimum ingenium contulit ad ſummam iuris ciuilis, & ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. Hunc eundem in lib. de Orat. 3. Stoicum appellat, & lib. 1. eruditum hominem in philoſophia.

L. CAELIVS Antipater Iuriſconſultus, ſcriptor, ut ait in Bruto Cicero, ut temporibus illis luculentus, fuit iuris ualde peritus, multorum etiam, ut L. Craſsi, magiſter. Pomponius eum ſcribit maiorem eloquentiæ quàm ſciẽtiæ iuris operã dediſſe. nã ad hiſtoriam ſcribendam animum appulit, cui maiorem quàm ſuperiores ſonum uocis addidit: ut ait Cicero lib. de Orat. 2. & de Legib. 1.

P. LICINIVS Craſſus Mutianus Iuriſconſultus. Cõſul fuit cum L. Valerio, Anno DCXIX. cognomẽto Diues, P. Mutii filius, & P. Mutij Scæuolæ Iuriſconſultorum frater germanus à P. Licinio Craſſo adoptatus, domi à patre & fratre ius ciuile didicit. in eo induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamq́ue gratiam, quum & conſuleretur plurimum, & diceret. Eloquens etiam fuit. Hæc ex Ciceronis Bruto, & primo de Orat. Gellius autem libro 1. cap. 13. auctor eſt, Hiſtoricos pleroſque ſcripſiſſe, habuiſſe illum quinque rerũ bonarum maxima & præcipua: quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſsimus, quòd eloquentiſsimus, ꝙ iuriſconſultiſsimus, quòd Pontifex maximus. Pomponius autem hunc ſcribit à Cicerone dici Iuriſconſultorum diſertiſsimum. falsò. nam de L. Craſſo M. Antonij æquali loquitur in Bruto his uerbis, Vt eloquentium iuriſperitiſsimus Craſſus, iuriſperitorum eloquentiſsimus Scæuola putaretur. Meminit Velleius libro 2. Cicero in Catone, ad Attic. lib. 5. Philipp. 11. Valerius lib. 8. cap. 6. Epitome Liu. 59. Strabo lib. 13. Eutrop. lib. 4. Florus libro ſecundo, cap. 22.

Q. MVTIVS Scæuola Iuriſconſultus Conſul fuit cũ L. Cæcilio, An. DCXXXIII. Scæuolæ filius, Põtifex Maximus, item ut pater: iuriſconſultiſsimus,

ut idem. Sic enim Cicero in libro de Legibus 2. ſcribit. Pomponius autem hunc ait primum ius ciuile conſtituiſſe, generatim in libros 18. redigendo. Cicero in Lælio tradit eum primum Augurem, deinde Aedilem cum L. Craſſo fuiſſe: itẽ lib. Offic. ſecundo, & de Conſulatu lib. de Orat. 1. meminit. Appianus autem libro ἐμφυλ.α. ſcribit eum C. Marii iuſſu occiſum in Tyberim proiectũ eſſe: itemque Lucanus libro ſecundo, Velleius libro 2. Florus lib. 3. cap. 23. Valerius lib. 9. & lib. 8. Cicero de Natura deor. 3.

C. Aqvilivs Gallvs Iuriſconſultus Prætor, de ambitu quæſtionem exercuit, cum eius collega Cicero eſſet: ut ipſe in Cluentiana teſtatur. Hunc Q. Mutii Pont. Max. auditorem fuiſſe Põponius tradit. Cicero autem in Bruto, Ser. Sulpitii præceptorem in iure, hominem acutum & exercitatũ, prompta in agendo & in reſpondendo celeritate præditũ fuiſſe. ab eo ipſo prolata eſt, de dolo malo formula, quam idem libro De natura deor. 3. & de Offic. 3. euerriculum malitiarum omnium appellat. Eius extat laudatio in Orat. pro Cęcina, his uerbis: Hoc loco percommodè accidit, quòd non adeſt is qui paulo ante affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſſa ſolet, uir ornatiſsimus C. Aquilius. Nam ipſo præſente, de uirtute eius & prudẽtia timidius dicerem, quòd & ipſe pudore quodam afficerentur ex ſua laude, & me ſimilis ratio pudoris à præſentis laude tardaret. cuius auctoritati dictum eſt ab illa cauſſa concedi nimium non oportere. Vereor de tali uiro ne plus dicam, quam uos aut ſentiatis, aut apud uos commemorari uelitis. Quapropter hoc dicam, nunquam eius auctoritatem nimium ualere, cuius prudentiam pop. R. in cauendo, non in decipiendo perſpexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Ro. promptã expoſitamque præbuerit: qui ita iuſtus & bonus uir eſt, ut natura non diſciplina conſultus eſſe uideatur: ita peritus ac prudens, ut ex iure ciuili, nõ ſcientia ſolum quædam, uerumetiam bonitas nata uideatur: cuius tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut quicquid inde haurias, purum liquidumq; te haurire ſentias. Eiuſdem iudicium ſingulare Valerius lib. octauo, capite ſecundo commemorat fuiſſe, rem tamen non aperit. Is eſt de quo Cicero in Topicis memoriæ prodidit: ſi quis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quæreretur, ad Ciceronem, inquibat. ſignificans Iuriſconſultos non de facto, ſed de iure conſuli oportere.

L. Lvcilivs Balbus Iuriſconſ. L. Mutii auditor à Pomponio nominatur: à Cicerone autem in Bruto Ser. Sulpitii cum C. Aquilio in iure præceptor: ubi hunc doctum & eruditum hominem appellat, & tum in agendo, tum in reſpondendo conſiderata tarditate præditum. Meminit idem lib. ad Attic. VIII. Sed qui in libris De Natura deorum diſputat Q. Balbus, eſt huiuſce, ut uideatur frater.

Sex. Papirivs Iuriſconſultus, inter Ser. Sulpitii pręceptores à Pomponio numeratur.

C. Ivventivs Iuriſconſultus à Pomponio inter Ser. Sulpitii præceptores numeratur. Cicero autem in Bruto T. Iuuentium Iuriſc. nominat: quẽ alium ab hoc fuiſſe ratio temporum declarat. Multis enim poſt hanc Seruii iuuentutem annis numeratur. In eodem genere, inquit, cauſſarum multum erat T. Iuuentius, nimis ille quidem lentus in dicendo, & penè frigidus, ſed & callidus, & in capiẽdo aduerſario uerſutus, & præterea nec indoctus, & magna cum iuris ciuilis intelligẽtia.

Ser. Svlpitivs Iuriſc. Conſul fuit cum M. Marcello, Anno DCCII. Hic præceptores adoleſcens habuit in iure, Aquilium, Balbum, Papyrium, & Iuuentium: ut Pomponius teſtatur, cuius hæc uerba ſubſcribemus: Seruius cum in cauſis orandis primum locum, aut pro certo poſt M. Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Quintum Mutium de re amici ſui perueniſſe. cumque eum ſibi reſpondiſſe de iure, Seruius parum intellexiſset, iterum Quintum interrogaſse, & à Quinto Mutio reſponſum eſse, nec tamẽ percepiſse: & ita obiurgatum eſse à Quinto Mutio. Namque eum dixiſse, turpe eſſe Patricio, & nobili, & cauſsas oranti, ius in quo uerſaretur, ignorare. ea uelut contumelia Seruius tractatus, operam dedit iuri ciuili: & plurimum eos de quibus locuti ſumus, audiit. Inſtitutus à Balbo Lucilio, inſtrutus autem maximè à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinę. Itaque libri complures eius extant Cercinæ confect. Hic cùm in legatione periſset, ſtatuam ei pop. R. pro Roſtris poſuit. hodieque extat pro Roſtris Augusti. huius uolumina complura extant. reliquit aũt propè centũ & octoginta libros. Cicero autem in Bruto, cum ſcribit eloquentiæ tantum aſſumpſiſſe, ut ius ciuile facilè tueri poſſet. Nec facilè inquit, quem dixerim plus ſtudii, quam illum & ad dicendum, & ad omnes bonarum artium diſciplinas adhibuiſſe. Item, Atque haud ſcio an par principibus eſſe potuiſset, ſed fortaſse maluit id quod eſt adeptus, longè omnium non eiuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam qui fuiſsent, in iure ciuili eſse princeps. Sic enim exiſtimo, iuris ciuilis magnum uſum & apud Scæuolam & apud multos fuiſse, artem in hoc uno: quod nunquam effeciſset ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſset artem, quæ doceret rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcurã explanare interpretando, ambiguam primùm uidere, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulã, qua uera & falſa iudicarent, & q̃ qbus ꝓpoſitis eſsẽt, queq; nõ eſsẽt cõſequẽtia. Hic enĩ attulit hanc artem, artiũ omnium maximam, quaſi lucẽ ad eá quæ cõfusè ab alijs aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi ui-

deris

deris dicere, Inquit. Rectè, inquam, intelligis, ſed adiunxit etiam & literarum ſcientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex ſcriptis eius, quorum ſimilia nulla ſunt, facillimè perſpici poteſt. Cumque dicendi cauſſa duobus peritiſsimis operam dediſſet, L. Lucilio Balbo: C. Aquilio Gallo, Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate diligentiaque ſuperauit. Balbi docti & eruditi hominis in utraque inconſideratam tarditatem uicit expediendis conficiendiſque rebus: ſic & habet quod uterque eorum habuit, & expleuit qđ utrique defuit. Hæc Cicero. Idem præterea in Murænian a oſtendit. Sulpitium Quæſturā Præturamque geſsiſſe: quæſtionemq; peculatus ei in Prætura obtigiſſe. Aſconius autem in argumento Milonianæ ſcribit eum Anno DCCI. V. Cal. Martias, menſe intercalario interregem factū, ut Cn. Pompeium ſolum conſulem crearet: anno uerò inſequenti ipſe cum M. Marcello Conſul (ut diximus) factus eſt. Cumque oppreſſa à Iulio Cæſare ciuitate Athenas ſe contuliſſet, tandemque ab illo reſtitutus Græciæque præfectus fuiſſet, Romā reuerſus eſt, legatusq; à Senatu ad M. Antonium Triumuirum, qui Mutinæ D. Brutum obſidebat, miſſus: ut eum à perditis conſiliis ad ſanitatem pacemq; reuocaret. Qua in legatione interijt, ut ex eius legatione apud Ciceronē intelligitur, quæ Philippica IX. legitur. Meminit idem lib. Epiſt. fam. 7. ad Attic. 5. Gellius libro 2. cap. 10. & lib. 6. cap. 8.

P. ALFENVS Varus Iuriſconſultus, Conſul fuit cū P. Vinutio Anno DCCLIIII. ut Pomponius ſignificat, qui Seruii Sulpitii diſcipulum, hunc fuiſſe aſcribit, plurimumq; ex ipſius auditoribus auctoritatis habuiſſe. Gellius quoque lib. 6. cap. 5. eiuſdem diſcipulum appellat eiusq; librum Digeſtorum trigeſimumquartum, & Collectaneorum ſecundum citat. Horatius Sermonum I. ut Alfenus Vafer, omni abiecto inſtrumento artis, clauſaq; taberna ſutor erat. Vbi Acron: Vrbane, inquit, Alfenum Vafrum Cremonenſem deridet, qui abiecta ſutrina, quam in municipio ſuo exercuerat, Romam uenit: magiſtroq; uſus Sulpitio iuriſconſulto, ad tantam peruenit ſcientiam, ut & conſulatum gereret, & publico funere efferretur. Aliter. Alfenus ſutoris filius, qui ita iuris ſtudio intēdit, ut beneficio artis huius latū clauū ſumeret, & ad conſularē cōſurgeret dignitatē. ſunt qui dicant hunc Cremonēſem fuiſſe. Vafer autē, aſtutùs, cordatus. Antiqui ēt pro bono hoc dicebant. Alfenum itē alterum ab hoc Lampridius inter Alexandri Imp. conſiliarios numerat, Vlpiani, Pauli, Pomponii, aliorum multorum æqualem.

A. OFILIVS Iuriſconſultus Ser. Sulpitii auditor numeratur à Pomponio, qui eundem in equeſtri ordine permanſiſſe tradit: Cæſariq; familiariſsimum fuiſſe, & libros de iure ciuili plurimos, & qui omnem partē operis fundarent, reliquiſſe. primumq; de legibus Viceſimę conſcripſiſſe, itē de iuriſdictione, eundem edictum prætoris diligenter compoſuiſſe. Huius Ofilii uxor ea fuiſſe uidetur Clodia, quam Plinius libro 7. cap. XLVIII. centum & quindecim annos uixiſſe, quindecies autē enixam eſſe tradit. Meminit Cic. lib. Epiſt. fam. 7. & 16. Ad Att. 13.

T. CASEIVS Iuriſconſultus Seruii Sulpitii auditor numeratur à Pomponio. Apud Ciceronem, Marcū & Sextū Cæſium reperio. ſed nihil ad noſtrū.

AVFIDIVS Tucca Iuriſconſultus Seruū Sulpitii auditor numeratur à Pomponio. Cicero T. Aufidii in Bruto meminit, qui uixit ad ſummam ſenectutem, eratque & bonus uir & innocens, ſed dicebat parum. Fuit & T. Aufidius Aſiæ prætor: in Orat. pro Flacco.

AVFIDIVS Namuſa Iuriſc. Ser. Sulpitii auditor numeratur à Pomponio, traditurque condiſcipulorum ſuorum ſcripta in centum quadraginta libros digeſsiſſe.

FLAVIVS Priſcus Iuriſconſultus Seruij Sulpitij auditor numeratur à Pomponio.

C. ATEIVS Pacuuius Iuriſconſultus Seruii Sulpitii auditor à Pomponio numeratur.

LABEO Antiſtius Cinna Iuriſconſulti Ser. Sulpitii auditor à Pomponio numeratur. Tribunus plebis fuit, Sylla & Pompeio Coſs. De quo Cicero in Bruto, Rabula, inquit, ſanè probabilis: qui multos cum tacuiſſet annos, neque contemni ſolum, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in Tribunatu primùm contra C. Iulii illam Conſulatus petitionē extraordinariam ueram cauſſam agens eſt probatus. Itaque poſt Tribunatum primò multæ ad eum cauſſæ, deinde omnes, maximæ quæcunque erant, deferebantur. Hæc Cicero. Plutarchus autē & Oroſius, Appianus item & Velleius traduut hunc cum Pompeii ſocer eſſet, ut Syllanum à Marianis interfectum fuiſſe. Appianus autē lib. bell. ciuil. quarto extremo factum eius memorabile prodit, quod ſubijciam: Λαβεὼν δὲ ὁ ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ Λαβεῶνος τοῦ κατ᾽ ἐμπειρίαν νόμων ἔτι νῦν περιωνύμου, βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος αὐτάρκη σώματι ὀρυξάμενος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς θεράπουσιν ἐντειλάμενος ἐπέσκηψε τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς παισὶ περὶ ὧν ἐβούλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε τοῖς οἰκέταις· τοῦ δὲ πιστοτάτου τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν ὡς ἔθος ἐστὶ ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. καὶ τῷδε μὲν ἡ σκηνὴ τάφος ἐγένετο. id eſt, Labeo uerò doctrina & prudētia clarus, pater Labeonis qui propter iuris ciuilis peritiam hodieque celebratur, cùm foſſam in tabernaculo ſuo pro corporis ſui magnitudine fodiſſet, mandataque ſuis ſeruis ceteris de rebus dediſſet, uxori ac liberis ut uoluit proſpexit, literasque ſeruis ad eos dedit. Tū eorū fideliſsimū dextra prehendit, eūq; circumegit, ut mos eſt Romanis manumittere, conuerſoque gladium tradidit, & iugulum præbuit. atque huic quidem taber-

naculum pro ſepulcro fuit.

PVBLICIVS Gellius Iuriſc. Ser. Sulpitii auditor à
Pomponio numeratur in libris Florentinis: cor-
ruptè. duarum nanque familiarum hæc nomina
ſunt. In uulgatis libris, Publius Cæcilius. Legen-
dum opinor, Publicola Gellius, pro Pomponii &
ipſius ætatis conſuetudine. ut ſi L. Gellius Publi-
cola, de quo Cicero in Bruto, Non tam uendibi-
lis orator, quàm ut neſcires quid ei deeſſet. nec
enim erat indoctus, nec tardus ad excogitan-
dũ, nec Romanarum rerum immemor, & uerbis
ſolutus ſatis, ſed in magnos oratores inciderat
eius ætas. multam tamen operam amicis & utilẽ
præbuit, atque ita diu uixit, ut multarum ætatum
oratoribus implicaretur, multum etiam in cauſis
uerſaretur. Hunc Valer. Max. libro 5. cap. 9. om
nibus honoribus ad Cenſuram uſque functum
fuiſſe tradit.

C. TREBATIVS Iuriſconſultus, eques R. Ciceronis
familiariſsimus, ad quem extant ſcripta ab eodem
Topica, & epiſtolæ complures, omnes propè fe-
ſtiuæ & iucundæ. Hunc Pomponius Cornelii
Maximi auditorem fuiſſe tradit, compluresque
reliquiſſe libros, ſed qui parum frequententur.
Eiuſdem autem tantam apud Auguſtum aucto-
ritatem fuiſſe Iuſtinianus ſub tit. De codicillis tra
dit, ut eius ſuaſu atq; conſilio codicillorum uſum
receperit. Extat etiã Horatij Satyra lib. Sermonũ
II. ad Trebatium Iuriſconſultum, quem, niſi Por
phyrionis me moueret auctoritas, uix hunc eun-
dem fuiſſe putarem: cùm etiam Acron eum Iuri-
ſperitum quẽdam nominet. Porphyrio uerò ſcri-
bit eum locum obtinuiſſe inter Poetas, & aliquot
libros de iure ciuili compoſuiſſe, & de religione
nouem. Citantur autem De religione libri eius à
Macrob. lib. 3. cap. 4.

A. CASCELIVS Iuriſconſultus, Quæſtorius fuit:
nec ultrà, inquit Pomponius, proficere uoluit,
cùm illi etiam Auguſtus Conſulatum offerret.
Quod autem apud eundem ſic legitur, Fuit Au-
lus Caſcelius Quintus Mutius Voluſij auditor, de
nique in illius honorem teſtamento Publiũ Mu-
tium nepotem eius reliquit hæredem: corruptum
uidetur. Primum enim QVINTI Mutii in ſe-
cundo caſu poſtular, qđ ſtatim de P. Mutio eius
nepote Infert. At uerò Voluſius non cognomen
ſed nomẽ familiæ fuit. Plinius autem Volcatium
nominat huiuſce præceptorẽ lib. 8. cap. 40. Reme
dium igitur aut ab antiquo libro, aut ab eruditio
re aliquo expectemus. nunc illud quod Macro-
bius refert li. 2. cap. 16. adijciemus. Caſcelius Iu-
riſconſultus urbanitatis. Quod autem de Furio &
Caſcelio prædiatoribus Cicero pro Balbo, & Va
lerius Max. lib. 8. cap. 13. commemorãt, quos Q.
Scæuolæ æquales faciunt, nihil ad hunc noſtrum
pertinere conſtat. Huius autem noſtri ſcripta prę
ter unum librum Benedictorum, Pomponius ſuo
tempore non extitiſſe affirmat. Benedicta autem
facetas & acutas reſponſiones quales ſuperius pro
tulimus, interpretamur.

Q. AELIVS Tubero Iuriſconſultus patricius, ut ait
Pomponius, fuit, & à cauſis agendis ad ius ciuile
tranſijt. maximè poſtquam Q. Ligarium accuſa-
uit, nec obtinuit apud Caium Cæſarem. Is eſt Q.
Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmũ
Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam
haurire: quo nomine eum accuſauit, & Cicero de
fendit. Tuberonem autem cùm dicit, patrem in-
telligit. Nam ut ex huius Oratore intelligitur, Q.
Ligarius à C. Conſidio proconſule prouinciæ
præfectus fuerat. Cùm autem Actius Varus in eã,
pulſus à C. Cæſare ueniſſet, Q. Tuberonẽ huiuſce
patrẽ, cui ea ꝓuincia obuenerat, portu prohibuit.
De filio igitur illa Pompon. quibus hæc addit, Tu
bero doctiſsimus quidem habitus eſt iuris publi-
ci & priuati, & complures utriuſq; operis libros
reliquit. ſermone etiã antiquo uſus affectauit ſcri
bere, & ideo parum libri eius grati habentur. Me
minit Cæſar lib. De bello ciuili I.

ATEIVS Capito Iuriſconſultus quem Pomponius
& Tacitus Conſulem fuiſſe produnt. ut ualde mi
rer, Caſsiodorum, & Dionem ſcriptum habere
Anno DCCLXIIII. C. Fõteium cũ Germanico
Cæſare. Hũc Tacitus principem in ciuitate locũ
ſtudiis ciuilibus aſſecutum tradit lib. 3. extremo,
principique ac dominantib. obſequentiorẽ fuiſſe.
Põponius autẽ Offilio præceptori operã dediſſe,
inque iis quæ ab eo acceperat perſeueraſſe. In eũ
dẽ M. Põponii Grãmatici memorabile dictũ cele
brãt ab auctore libelli De Grãmaticis illuſtrib.
Nã cũ Põponiũ ex oratione reprehẽdiſſet, affirmã
te Ateio Capitone & eſſe illud Latinũ, & ſi non
eſſet, futurum certè iam inde: Mentitur, inquit,
Capito. Tu enim Cęſar ciuitatem dare potes ho-
minibus, uerba non potes. Meminit Gellius lib.
13. cap. 12. lib. 4. cap. 14. lib. decimo, cap. 20. Ma-
crob. lib. Satur. ſeptimo, cap. 13.

ANTISTIVS Labeo Iuriſc. ſuperioris filius, à Põpo
nio Trebatii diſcipulus fuiſſe traditur, conſulatũ-
que ſibi ab Auguſto delatũ recuſaſſe: ſed plurimã
ſtudiis operã dediſſe, totũq; annũ ita diuiſiſſe, ut
Romæ ſex mẽſib. cũ ſtudioſis eſſet, ſex mẽſib. ſece
deret, & cõſcribendis libris operã daret. itaq; qua
dringẽta uolumina reliquiſſe, ex quib. plurima in
ter manus ſuo tempore uerſabãtur. Eũdem præte
rea ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & ce
teris operis ſapientiæ operã dederat, plurima in-
nouare inſtituiſſe. Hunc Tacitus lib. 3. extremo
iuris ciuilis ſcientia Capitonem Ateium antecel-
luiſſe ſcribit, & incorrupta libertate, atq; idcirco
fama celebratiorẽ fuiſſe, Præturãq; eũ geſsiſſe tan
tum: aditũ enim ad Conſulatum iniuria illi præ-
cluſum fuiſse. Lubet etiam locum Gellii ex li. 13.
cap. 12. de hoc noſtro ſubſcribere. In quadã epi-
ſtola Ateii Capitonis ſcriptũ legimus, Labeonẽ
Antiſtium, legum, atque morũ populi R. iuriſq;
ciuilis

ciuilis doctũ apprimè fuiſſe. Sed agitabat, inquit, hominem libertas quædam nimia atq; uecors: uſque eò, ut D. Auguſto iam principe, & Remp. obtinente, ratum tamen pẽſumq́; haberet, niſi quod iuſtum ſanctumq́; eſſe in Rom. antiquitatibus legiſſet. Ac deinde narrat, quid idem Labeo per uiatorem a Trib. plebis uocatus reſponderit, Cùm a muliere, inquit quadam Tribuni plebis aduerſum eum aditi, Gellianum ad eum miſiſſent, ut ueniret, & mulieri reſponderet: iuſsit eum qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere, neque ſe, neque alium quenquam uocandi: cùm moribus maiorum Trib. pleb. prehenſionẽ haberent, uocationem non haberent: poſſe igitur eos uenire, & prehendi ſe iubere, ſed uocandi abſentem ius non habere. Meminit idem lib. 20. ca. 1. De eodem Suetonius in Auguſto his uerbis, Antiſtius Labeo, ſenatus lectione, cùm Triumuirum legeret Marcum Lepidum hoſtem olim eius & tunc exultantem, interrogatus ab eo, an non eſſent alij digniores, ſuum quemq; iudicium habere reſpondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

MASVRIVS Sabinus, Iuriſconſultus, Ateio Capitoni ſucceſsiſſe traditur a Pomponio, equeſtremq́; in ordinem iam natu grandem ac propè quinquagenarium receptum fuiſſe, & publicè primum de iure reſpondendo ſcripſiſſe. poſt eum enim hoc beneficiũ a Ti. Cæſare cepit. Huic, inquit idẽ, nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimum a ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt. Citantur autem eius libri a Gellio & Macrobio multis locis.

COCCEIVS Nerua Iuriſconſultus Antiſtio Labeoni ſucceſsiſſe traditur à Pomponio, Cæſariq; Tiberio familiariſsimus fuiſſe: quod idem Tacitus lib. 5. confirmat. Cùm enim lib. 4. ſcripſiſſet, Cocceium Neruam, ſenatorem Conſulatu functum, cui legum peritia, a Tiberio in Campaniam proficiſcente deductum eſſe, tum libro. 5. Nerua, inquit, continuus principis, omnis diuini humaniq́; iuris ſciens, integro ſtatu, corpore in læſo, moriẽdi conſilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adſidere, cauſas requirere, addere preces, fateri poſtremò graue conſcientiæ, graue famæ ſuæ, ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus uitã fugeret. aduerſatus ſermonem Nerua, abſtinẽtiam cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius quanto propius mala Reipublicę uiſeret, ira & metu, dum integer, dum intentatus, honeſtum finem uoluiſſe.

COCCEIVS Nerua Iuriſconſultus, ſuperioris filius, traditur ab Vlpiano, Anno ætatis XVII. aut paulo grandior publicè de iure reſponſitaſſe. l. 1. D. de poſtul.

C. CASSIVS Longinus, Iuriſconſultus, Maſurio Sabino ſucceſsiſſe traditur a Pomponio, natusq; ex filia Tuberonis quæ fuit neptis Ser. Sulpitij: & ideo proauum ſuum Ser. Sulpitium appellaſſe. Cõſulq́; fuiſſe cum Quartino temporibus Tiberij: ſed plurimũ in ciuitate auctoritatis habuiſſe, euſq; donec eum Cęſar ciuitate pelleret. expulſus ab eo in Sardiniam, reuocatus a Veſpaſiano diẽ ſuũ obijt. Hæc Pomponius. Tacitus autem libro. 12. ſcribit hunc imperante Claudio Syriæ præfuiſſe, eaque tempeſtate ceteris præcelluiſſe peritia legum. nã militares artes per otium ignotæ, induſtriosque ac ignauos pax in æquo tenet. attamen quantum ſine bello dabatur, reuocare priſcum morẽ, exercere legiones, cura prouiſum, agere perinde ac ſi hoſtis ingrueret. ita dignum maiorib. ſuis, & familia Caſsia ratus, per illas quoq; gentes celebrata. Et lib. 14. orationem eius commemorat, in Senatu habitam, cum quæreretur: an uetere ex more familiam omnem Pedanij Secundi præfecti urbis, quæ ſub eodem tecto fuerat, cum ille a ſeruo uno interfectus fuiſſet, ad ſuppliciũ agi oporteret. qua oratione maiorum morem retinendum imitandumq́; diſſeruit. At lib. 16. Neronem miſſa ad Senatum oratione remouendum a Rep. Caſsiũ diſſeruiſſe, obieciſſeq́; Caſsio, quòd inter imaginem maiorum etiam C. Caſsij effigiem coluiſſet, ita inſcriptam: DVCI PARTIVM. quod idem Suetonius in Nerone ſcriptum reliquit, adijcitq́; eundem Caſsium tũc luminibus orbatum fuiſse. nec ita multo pòſt, Idem Nero appoſuit qui quaſi iudices Lepidam Caſsij uxorem, Syllani amitam, inceſtum cum fratria & filio, & diros ſacrorũ ritus facere denunciarent. tumq́; Senatuſconſulto Caſſio exilia decernuntur, deportatusq́; in inſulam Sardiniam.

CASSIVS Longinus Iuriſc. alter a ſuperiore numeratur a Pomponio, qui ex equeſtri ordine ad Præturam peruenit.

PROCVLVS Iuriſconſul. a Pomponio traditur Neruæ patri ſucceſsiſse, tantaq; auctoritate fuiſse, ut cum acceptam a Labeone & Nerua quaſi ſectam acerrimè tueretur, qui in eam partem ſtudioſi ſe dabant. Proculeiani uocitati ſint. Quo tempore autem, quoq; uitæ genere fuerit, non conſtat. Tacitus lib. 18. ſub Othone Proculum Prætorij præfectum nominat. Vlp. autẽ in l. diui. D. de iure patron. non leuẽ iuris auctorẽ hunc appellat. Duos autem patrem ſcilicet & filium fuiſse, confirmari ex l. & Proculo, 30. D. de lega. & fid. 2. nõ poteſt. nam de patre ſuo Celſus, non Proculi perſpicuè loquitur.

CAELIVS Sabinus Iuriſc. Caſsio Longino in iuris diſciplina ſucceſsiſse traditur a Pomponio, plurimumq́; Veſpaſiani temporibus potuiſse. Cornelius autem Tacitus lib. 17. ab Othone deſtinatũ ei bimeſtrem Conſulatum cũ Flauio Sabino ſcribit: a Calendis Maij ad Cal. Iulias. Eiuſdem Gellius lib. 7. c. 4. meminit, quem ait ſcriptũ reliquiſſe pileatos ſeruos uenum ſolitos ire, quorum nomine uenditor nihil præſtaret.

PEGASVS Iuriſconſ. Proculo in iuris ciuilis diſcenſione

ſione ſucceſsiſse traditur a Pomponio: præfectusque urbis Veſpaſiani temporib. fuiſſe. Creditur is eſſe Pegaſus quo Conſulatum cum Proſione gerente S.C. factum eſt, quod uulgò Pegaſianum uocatur, ut ei qui rogatus eſſet hæreditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. ut Iuſtin. lib. Inſt. 3, ſub tit. De fideicommiſ. hæred. teſtatur. De hoc illud eſt Iuuennalis Satyra IIII.

Pegaſus attonitæ poſitus modò uillicus urbi
An ne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atq;
Interpres legum ſanctiſsimus.

Priscus Iauolenus Iuriſc. Cælio Sabino in iuris ciuilis diſſenſione ſucceſsiſſe traditur a Pomponio. uixit autem Adriani & Antonini Pij temporibus. Capitolinus enim in huius uita ſcribit Iauolenũ in iure conſtituẽdo magno huic Imperatori uſui fuiſſe. Hunc Iulianus præceptorem ſuum fuiſſe ſcribit in l. an apud ſe, 5. D. de manum. uind. & in Africa & Syria cũ imperio fuiſſe, iuriſdictionẽq; exercuiſſe teſtatur. Pli. autem 2. Epiſt. lib. 6. hiſtoriam de eo commemorat, quam propter iucunditatem adſcribere eſt melius. Mirificæ rei non interfuiſti, ne ego quidem, ſed me recens fabula excepit. Paſsionus Paulus, ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus, ſcripſit elegos: gentilitium hoc illi. eſt enim municeps Propertij, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerat. Is cùm recitaret, ita cœpit dicere, Priſce iubes? Ad hoc Iauolenus Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atq; etiam ius ciuile publicè reſpondet: quo magis, quod tunc fecit & ridiculum, & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam ſolicitè recitaturis prouidendum eſt, non ſolùm ut ſint ipſi ſani, uerumetiam ut ſanos adhibeant.

Celsi duo Iuriſc. pater & filius, a Pomponio memorãtur, Pegaſianamq; ſectam ſecuti traduntur. Spartianus autem in Adriano de altero ſcribit his uerbis: Cum iudicaret, in conſilio habuit nó amicos ſuos, aut comites ſolùm, ſed Iuriſconſultos ac præcipuè Iulium Celſum, Sabinum, Iulianũ, &c. Filium autem bis Conſulem fuiſſe Pomponius teſtatur. Eius autem reſponſum extat in l. pater, 29. D. de legat. 2. in quo patrem ſuum in conſilio Diui Veri Cõſulis qui de fideicommiſſo ius dicebat, fuiſſe teſtatur. Hunc Iuuẽtium Celſum fuiſſe lex proximo declarat.

Priscus Neratius Iuriſconſultus a Pomponio, numeratur, traditurq; Pegaſianam ſectã cum Iulio Celſo filio tenuiſſe, & cum eo Conſulatum geſsiſſe. Spartianus autem in Adriano de eo ſic ſcribit: Frequens ſanè opinio fuit Traiano id animi fuiſſe, ut Neratium Priſcum non Adrianum ſucceſſorem relinqueret, multis amicis in hoc conſentientibus, uſq; eò ut Priſco aliquando dixerit: Comẽdo tibi prouincias, ſi quid mihi fatale contigerit. Item aliquanto pòſt: Cùm Adrianus iudicaret, in conſilio ſuo habuit non amicos ſuos, aut comitẽs ſolùm, ſed Iuriſconſultos, & pręcipuè Iulium Celſum, Neratium Priſcum, aliosq; quos tamen Senatus omnis probaſſet.

Aburnius Valens Iuriſconſultus, nominatur a Põponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſsiſse. Capitolinus autẽ in Antonino Pio Saluium Valentem inter eos Iuriſconſultos numerat, quib. Antoninũ Pium uſum tradit. ut hũc noſtrum Saluium Valentem Aburnium appellatũ fuiſse ueriſimile ſit. Aburnius enim non Aburnus in Florentinis libris ſcriptum reperio.

Tuscianus Iuriſconſultus nominatur a Pomponio, & Iauoleno Priſco in Iuris ciuilis diſciplina ſucceſsiſſe traditus. Eius tamen nuſquam mentionem reperio, uereorq; ne pro T. Metiano ſcriptũ ſit Tuſciano. Nam T. Voluſium Metianũ unà cũ Valente Capitolinus in Antonino coniungit: cui Valenti Tuſcianum Pomponius ſociũ attribuit.

Salvius Iulianus Iuriſconſultos nominatur a Pomponio, traditurq; Pegaſianorum ſectam ſecutus fuiſſe. Hunc Didii Iuliani, qui poſt Pertinacem Imperium R. adeptus eſt, proauum fuiſſe, Spartianus ſcribit: quem adſcribit bis Conſulem, præfectum Vrbi, & Iuriſconſultum fuiſſe: quod magis, inquit, eum nobilem fecit. In Adriano uerò idem ſcribit, Iulianum hunc ſemper ab eodem Imperatore in conſilio adhibitum fuiſse cum res iudicaret. Eutropius autem lib. 9. hunc ipſum ſub eodẽ Imperatore Adriano perpetuum edictum cõpoſuiſse ſcribit. quod ipſum Inſtinianus confirmauit in l. 2. C. de uer. Iur. enucl. ubi Iulianum legũ & edicti perpetui ſublimiſsimum cõditorẽ appellat. Itemq; in l. pen. C. de cond. indebit. ubi Saluiũ Iulianum ſublimiſsimum teſtem, ſummæq; auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorẽ fuiſse ſcribit, & in l. antequam, C. de uſuf. ſummũ Iuris ſcientiæ auctorem nominat. Ipſe autem in l. an apud ſe, 5. D. de manum. uind. teſtatur ſe Iauoleni auditorẽ ac diſcipulũ fuiſse. hactenus Põpo.

Volusius Metianus Iuriſconſultus in Pandectarũ libris celebratur, interq; iuris actores præcipuos numeratur. Eo conſiliario Antoninum Pium, magiſtro Antoninum Philoſophũ uſum eſse, Iulius Capitolinus tradit. Metianum item alterum, huius fortaſse filium Lampridius Alexandri Imper. in conſilio cum Africano, Florentino, Põponio, Paulo commemorat.

Martianum Iuriſconſultum Lampridius inter Alexandri Imp. conſiliarios numerat, & Vlpiani, Pauli, Pomponiiq; aliorumq; complurium æqualem facit.

L. Ceruidius Scæuola Iuriſconſultus, M. Antonini Philoſophi conſiliarius fuiſse traditur a Iulio Capitolino: maximoq; uſui ſuo Imperatori fuiſſe. Hunc inter principes & coryphæos Iuriſconſultorum numerat Modeſtinus in lib. De excuſationibus.

tionibus. Quin & Theodoſius Imp. lib. Theodoſiani Codicis ɪɪɪɪ. prudentiſsimum Iuriſconſultorum omnium appellat.

Aemylivs Papinianus Iuriſconſultus præfectus Prætorio, Septimio Seuero imperante fuiſſe traditur a Spartiano, qui eum iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum, appellat. Item aliquãto poſt Papinianum amiciſsimum fuiſſe Imperatori Seuero, & ut aliqui loquuntur, affinem etiam per ſecũdam uxorem, memoriæ traditur & huic præcipuè utrumq; filium a Seuero commendatũ, eumq; cũ Seuero profeſſum, ſub Scæuola & Seuero in adminiſtratione fiſci ſucceſsiſſe, atq; ad hoc concordiã fratrum Antoninorum fouiſſe. egiſſe quinetiam ne occideretur, cùm iam de inſidiis eius Baſsianus quæreretur, atque ideo unà cum his qui fautores fuerunt Getæ, a militibus, non ſolum permittente, ſed etiam ſuadẽte Antonino occiſum. Multi dicunt, Baſsianum occiſo fratri illi mandaſſe, ut & in ſenatu per ſe & apud populum, facinus dilueret: illum autem reſpondiſſe, Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri. Fertur etiam, Papinianum cùm raptus a militibus ad Palatium traheretur occidendus, prædiuinaſſe dicentem, ſtultiſsimum fore qui in ſuum ſubrogaretur locũ niſi appetitam crudeliter præfecturam uendicaret. Eius diſcipulos Lampridius in Alexandro numerat Pomponium, Alfenum, Africanum, Florentinum, Marcianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venuleium, Tryphonium, Medianum, Celſum, Proculum, Modeſtinum. Aſſeſſores autem eiuſdẽ Paulum & Vlpianũ. Eundem Spartianus ab Ant. Caracalla qui fratrem interſecerat, quum ab illo factum hoc improbaretur, necari iuſsiſſe ſcribit. Papinianus, inquit, ſecuri percuſſus eſt, & a militib. occiſus. quo facto Imperator percuſſori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iuſſum. Eius hoc epitaphium in lib. Antiquorum epigrammatum reperi, D. M. Aemilio Paulo Papiniano præfect. prætor. Iuriſc. qui uixit annis xxxvɪ. diebus x. M. ɪɪɪɪ. Papinianus Hoſtilius Eugenia Gracilis turbato ordine in ſenio heu parentes fecerunt filio opt.

Fabii Sabini Iuriſconſulti pater & filius memorantur. Filius a Lampridio Cato ſui temporis appellatur, & inter Alexandri Seueri conſiliarios cum Vlpiano, Paulo aliiſq; compluribus numeratur.

Domitivs Vlpianus Iuriſconſultus, Phœnice Syriæ urbe natus, quemadmodum ipſe in l. 1. D. de cenſibus teſtatur, conſiliarius Alexandri Seueri, & magiſter crinii, Papinianiq; præfecti Prætorio aſſeſſor cum Paulo fuiſſe traditur a Lampridio, magnoq; in honore apud ſuum Imperatorem, & primum doctiſsimorum Iuriſperitorum, & principi fidelium fuiſſe. neq; unquam Alexandrum ſolum niſi Vlpianum præfectum ſuum uidiſſe, ex aſſeſſore ſemper ſuo, cauſſa iuſticiæ ſingularis. cùm autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iuſſiſſe. Et aliquanto pòſt: Vlpianum, inquit, Alexander pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde gratias agente, quem ſæpe a militum ira obiectu purpuræ ſummè defendit: atq; ideo ſummus Imperator fuit, quòd eius conſiliis præcipuè Remp. rexit. Itaq; idem Imperator in l. 4. C. locato, præfectum prætorio & parentem ſuum appellat. & in l. 4. C. de contrah. ſtipul. reſcriptum ſuum ſic exorditur, Secundum reſponſum Domitii Vlpiani præfecti annonæ, Iuriſconſulti, amici mei, ea quæ ſtipulata eſt, &c. Xiphilinus è Dione ſcribit, ei ab Alexandro Imp. præfecturam Prætorianorum datam, ceteraq; quæ ad Imperii adminiſtrationem pertinent, ei permiſiſſe. Cùm autem Vlpianus multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erant emendaſſet, ipſum non multo pòſt a Prętorianis, qui de nocte eum inuaſerunt, interfectũ eſſe: quanquam in Palatium ad Imperatorẽ eiuſq; matrem confugiſset. Hunc eundem Modeſtinus in lib. De excuſationibus, præſtantiſsimum, & cũ Paulo ac Scæuola Iuriſconſultum coryphæum ac principem appellat Diocletianus autem in l. Diuo Marco, C. de quæſt. prudentiſsimum. Iuſtinianus in l. ult. C. de inſt. et ſubſt. diſertiſsimũ: in l. un. §. ne autem, C. de cad. toll. ſummi ingenii uirum.

Ivlivs Paulus Iuriſconſultus, conſiliarius Alexãdri Seueri, & Papiniani præfecti prætorio aſseſſor unà cum Vlpiano fuiſse traditur a Lãpridio: qui eundem præfectum uel ab Heliogabalo, uel ab eodem Alexandro fuiſse adſcribit. Etiam de aſseſsione ſua mentionem facit in l. lecta, D. de reb. cred. Libros in iure ciuili tam multos ſcripſit, ut facilè in eo genere ſuperiores omnes uicerit.

Herennivs Modeſtinus, Vlpiani fuiſse diſcipulus uidetur. Hic enim ſic ſcribit in l. ſi quis, § 2. D. de furt. Si quis aſinũ. Gordiano Imperatore floruit, ut conſtat ex l. 5. C. ad exhiben. ubi Imperator eum non contemnendæ auctoritatis Iuriſconſultum uocat.

Iuriſconſultorum deſcriptionis

FINIS.

uerti poſtea a ſimiolis quibuſdam quaſi pro ſua
editam & diuulgatam fuiſſe.

Arrogationis.

AVCTOR'NE, ut in te P. Fonteius uitæ neciſq; pote
ſtatẽ habeat, ut in filio. Cice. in Orat. pro Domo.

Aſſerendi in libertatem.

HVNC EGO hominem ex iure Quiritium liberali
aſſero cauſſa manu. Terentius Adelph. Plautus
Pœnulo, & Curcul. Donat. in Ter. uide, Libe-
rali cauſſa.

Belli indicendi.

Legatus ubi ad fines eorum uenit, unde res repetun-
tur, capite uelato (filium lanæ uelamen eſt) AVDI
IVPITER, inquit, audite fines (cuiuſcunq; gentis
ſunt, nominat) audiat fas. ego ſum publicus nun-
cius po. Rom. iuſtè pieq; legatus uenio: uerbiſq;
meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata, inde Iouẽ
teſtem facit: SI EGO iniuſtè, impieq; illos homi-
nes, illaſq; res dedier populo Romano, mihiq; ex
poſco, tum patriæ compotem me nunquam ſinas
eſſe. Hæc, cum fines ſupraſcandit, hæc, quicunq;
ei primus nir obuius fuerit, hæc, portam ingre-
diens, hæc forum ingreſſus, paucis uerbis carmi-
nis, concipiendique Iuriſiurandi mutatis, peragit
ſi non deduntur quos expoſcit, diebus tribus &
triginta (tot enim ſolennes ſunt) peractis, bellum
ita indicit: AVOI IVPITER, & tu Iuno, Quirine,
diiq; omnes cœleſtes, noſq; terreſtres, noſq. infer
ni audite. Ego uos teſtor, (populum illum, quicũ
que eſt, nominat) iniuſtum eſse, neque ius perſol-
uere. ſed de iſtis rebus in patria maiores natu con
ſulemus, quo pacto ius noſtrum adipiſcamur. Cũ
is nuncius Romam ad conſulendum redit, confe-
ſtim rex his fermè uerbis patres conſulebat: QVA
RVM rerum, litium, cauſsarum condixit Paterpa-
tratus populi Rom. Quiritium, Patripatrato pri-
ſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Lati-
nis, quas res nec dederunt, nec ſoluerunt, nec fece
runt, qua res dari, fieri, ſolui oportuit: dic (inquit
ei, quem primum ſententiam rogabat) quid cen-
ſes?tum ille: PVRO pioque duello quærendas cen
ſeo, itaque conſentio, conſciſcoque. Inde ordine
alii rogabantur. quandoque pars maior eorum
qui aderant, in eandem ſententiam ibat, bellum
erat conſenſu fieri ſolitum: ut fecialis haſtam fer-
ratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum
ferret, & non minus tribus puberibus præſentib.
diceret, QVOD POPVLI priſcorum Latinorum, ho
mineſque priſci Latini aduerſus populum R. Qui
ritium fecerunt, deliquerunt, quod populus R.
Quiritium bellum cum priſcis Latinis iuſsit eſse
ſenatuſque populi R. Quiritium cenſuit, conſen-
ſit, conſciuit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret:
ob eam rem ego, populuſque Ro. populis priſco-
rum Latinorũ, hominibuſque priſcis Latinis bel-
lum indico, facioque. Id ubi dixiſset, haſtã in fines
eorum emittebat. Ex Liuii lib. 1.

Belli indicendi.

QVOD POPVLVS Hermundulus, hominesque po-
puli Hermunduli, aduerſus populum R. bellum fa
cere, deliquereque: quodque populus R. cum po
pulo Hermundulo, hominibusque Hermundulis
bellum iuſsit: ob eam rem ego, populusque Ro-
manus populo Hermundulo, hominibusque Her
mundulis bellum indico, facioque. Ex Gellii
lib. 16. capite 4.

Carminis Sibyllini.

QVANDOCVNQVE hoſtis alienigena terræ Italiæ
bellum intuliſset, eum pelli Italia uincique poſse
ſi mater Idæa Peſsinunte Romam aduecta eſset.
Ex Liuii lib. 29.

Carminis in ducendis nuptis.

O HYMEN Hymenæe Hymen,
Hymen ò Hymenæe.
Hymen ò Hymenæe, Hymen ades, ò Hymenæe.

Catullus duobus locis, Seruius Aeneid. 1. Plautus in
Caſina.

Cautionis de dolo malo.

VTI NE propter te fidemve tuam captus, frauda-
tusve ſim. Cic. lib. de offic. 3.

Ceſsionis in iure.

In iure ceſsio fit hoc modo. Apud Magiſtratum po
puli Romani, uel apud Prætorem, uel apud Præſi-
dem prouinciæ, is cui res in iure ceditur, rem te-
nens ita uendicat: HVNC EGO HOMINEM EX
IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Dein-
de poſtea quàm hic uendicauerit, Prætor interro
gat eum qui cedit, an contrà uindicet: quo negan
te aut tacente, tunc ei qui uendicauerit eum addi
cit. idq; Legis actio uocabatur. Boetius in Top.
Cic. ex 2. comment. Caii.

Cinguli a Traiano Imp. præfecto
præt. dati.

ACCIPITO hunc enſem, ut ſiquidem rectè,
atque è Repub. imparauero, pro me: ſin ſecus,
in me utaris.

Coemptionis in matrimonio.

Vir in coemptione ſic ſtipulabatur: VISNE MVLIER
mihi materfamilias eſse? illa reſpondebat. VOLO.
item mulier interrogabat, VISNE VIR mihi pa-
terfamiliàs eſſe? ille reſpondebat, VOLO. itaque
mulier uiri conueniebat in manum: & uocaban-
tur hæ nuptiæ per coemptionem. Hæc Boetius
in Topic. ex Vlp. Inſt.

Coemptionis.

VBI TV Caius, & ego Caia. Plut. in Proble. & Cic.
pro Muræn.

Commeatus.

SI QVIS ueſtrum ſuos inuiſere uult, commeatũ do:
primo uere adſitis, edico. Liu. lib. 30.

Conlucandi luci.

Lucum conlucare Romano more ſic oportet. Por-
co piaculo facito. Sic uerba concipito: SI DEVS,
ſi dea es, cuius illud ſacrum eſt, uti tibi ius ſiet por
co piaculo facere, illiuſce ſacri coercendi ergo.
Harumque rerum ergo, ſiue ego, ſiue quis iuſſu
meo

meo fecerit, uti id rectè factum ſiet. Eius rei ergò te hoc porco piaculo immolando bonas preces præcor, uti ſies uolens propitius mihi, domo, familiæq; meæ, liberiſq; meis. Harumce rerum ergò macte hoc porco piaculo immolando eſto. Ex Catone De re ruſt.c.139.

Conteſtandæ litis.

CONTESTARI litem dicuntur duo, aut plures aduerſarij: quòd ordinato iudicio utraq; pars dicere ſolet, TESTES ESTOTE Feſtus lib.3.

Cretionis in hæreditatibus.

Cretio eſt certorum dierum ſpacium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hæreditatem, necn e: uelut, TITIVS HAERES eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poteriſq;: niſi ita creueris, exhæres eſto. Cernere, eſt uerba cretionis dicere, ad hunc modum: CVM ME Mæuius hæredem inſtituerit eam hæreditatem adeo, cernoq;. Ex Vlpiani Inſtit. cap.22.

Decreti Trib.pl.

QVOD P. SCIPIO Africanus poſtulauit pro L. Scipione Aſiatico fratre, cùm contra leges, contraq; morem maiorum Trib. pleb. hominibus accitis per uim inauſpicatò ſentẽtiam de eo tulerit, multamq; nullo exemplo irrogauerit, prædeſq; eũ ob eam rem dare cogat: aut ſi non det, in uincula duci iubeat: ut eum a collegæ ui prohibeamus, & quòd contrà collega poſtulauit, ne ſibi intercedamus, quò minus ſuapte poteſtate uti liceat: de ea re noſtrum ſententia omnium data eſt: Si L. Cornelius Scipio Aſiaticus, collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in uincula ducat intercedemus: ſi eius arbitratu prædes non dabit, quo minus collega ſua poteſtate utatur, non intercedemus.

Item:

CVM L. CORNELIVS Scipio Aſiaticus triumphãs hoſtium duces in carcerem coniectauerit, alienũ uidetur eſſe a dignitate Reipub. in eum locum imperatorem Pop. R. duci, in quem locum ab eo cõiecti ſunt duces hoſtium. Itaq; L. Cornelium Scipionẽ Aſiaticum a collegæ ui prohibeo. Ex Gell. lib.7.c.19.

Dedicationis ſpoliorum & templi, qua Romulus Sabinorum rege interfecto eſt uſus.

IVPITER Feretri, inquit, hæc tibi uictor Romulus rex regia arma fero, templumq́ue ijs regionibus quas modò animo metatus ſum, dedico, ſedem opimis ſpolijs, quæ, regibus ducibusq́ue hoſtium cæſis, me auctorem ſequentes poſteri ferrent. Ex Liuij lib.1.

Dedicati ſigni a T. Quintio.

IVPITER, atque diui omnes hoc dederunt, ut T. Quintius dictator oppida nouem caperet. Ex Liuij lib.6.

Deditionis a fecialibus.

QVANDOQVIDEM hice homines, iniuſſu populi R. Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt: ob eam rem, quo populus R. ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines uobis dedo. Ex Liuij lib.9.

Deditionis.

Rex interrogauit: ESTIS'NE vos legati oratoreſq; miſſi a populo Collatino, ut uos populum Collatinum dederetis? Sumus. Eſt'ne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditisne uos populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, diuina humanaq; omnia in meã populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Ex Liuij lib.1.

Deferendi nominis.

Cùm in ius uẽtum eſſet, dicebat, accuſator apud Prætorem reo, AIO TE SICVLOS SPOLIASSE. ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, ut uicto: ſi negabatur; petebatur a magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio. Aſconius in Verrin.2.

Deferendi nominis.

CONSVL & dies. apud illum Prætorem uel Proconſulem L. Titius profeſſus eſt, ſe Mæuiam lege Iulia de adulterijs ream deferre, quòd dicat eam cum C. Seio in ciuitate illa, domo illius, menſe illo, Conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. Paulus l.3. D. de accuſat.

Deuotionis urbium & exercituum.

DIS PATER, ſiue Iouis, manes, ſiue quo alio nomine fas eſt nominare, ut omnes illam Vrbem Carthaginem, exercitumq; quem ego me ſentio dicere, fuga formidine, terrore compleatis, quiq; aduerſus legiones, exercitumq; noſtrũ arma telaque ferer, uti uos eos exercitus, eos hoſtes, eosque homines, urbes, agroſq́ue eorum, & qui in his locis, regionibuſq;, agris, urbibuſq; habitant, abducatis lumine ſupero princeps: exercitumq; hoſtium, urbes agroſq; eorum, quos me ſentio diceret: Vti uos eas urbes, agrosque, capita, ætatesque eorum deuotas, conſecratasq; habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maximè hoſtes deuoti, eosque ego, uicarios pro me fide magiſtratuque meo, & pro po. R. exercitib. legionibuſq; noſtris do, deuoueo: ut me, meamq; fidem, imperiumq;, legiones, exercitumq; noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſaluos ſinatis eſſe. Si hæc ita faxitis, ut ego ſciam, ſentiam, intelligã: Tunc quiſquis uotum hoc faxit, ubi faxit, rectè factum eſt, ouibus atris tribus, Tellus mater, teq; Iupiter obteſtor. Ex Macrobij lib.3.c.9.

Deuotionis qua Decius eſt uſus.

IANE, IVPITER, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouenſiles, dij Indigetes, diui, quorũ eſt, poteſtas noſtrorum, hoſtiumq;, diiq; Manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, feroq;, uti populo R. Quiritium uim uictoriamq; proſperetis: hoſtesq; pop. R. Quiritium terrore, formidine, morteq; afficiatis. Sicut uerbis nũcupaui, ita pro Rep

Quiritium, exercitu, legionibus, auxilijs populi R. Quiritiũ, legiones, auxiliaque hoſtiũ mecum dijs Manib. Telluriq; de noueo. Ex Liuij lib. 8.

Dimittendæ concionis à Trib. pl.

SI VOBIS VIDETVR DISCEDITE QVIRITES. Liuius lib. 2.

Dimittendi funeris.

Corona populi tandiu ſtabat, reſpondens fletibus præficę, id eſt, principi planctuum, quandiu con ſumpto cadauere, & collectis cineribus, diceretur nouiſſimum uerbum ILICET: quod ire licet ſignificat. unde eſt, Dixitque nouiſſima uerba. Seruius in lib. Aeneid. 6.

Dimittendi iudicij.

ACTVM EST, ILICET. Donatus in Phormion. Sic iudices de conſilio dimittebantur, ſuprema dicta, cùm præco pronunciaſſet, ACTVM EST, ILICET: id eſt, Ire licet.

Dimittendi iudicij.

Moris fuit ueterum, cùm ſatis uiſum eſſet fluxiſſe uerborum, hanc ſibi neceſsitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, DIXI. quod etiam ab utraque parte oratione conſumpta, ut in conſilium dimitterentur, Prætor ſolere pronunciare, DIXERVNT. Aſconius in II. Verrinam. Cice. tamen Verrina IIII. Præco, inquit, dixiſſe pronunciat.

Dimittendi Senatus.

NIHIL VOS MORAMVR P. C. Iul. Capitol. in Ant. Philoloph.

Dimittendorum manium.

Dicebatur VALE, poſt tumuli peracta ſolennia. Seruius Aeneid. 6. Idem in lib. 3. Mortuis etiam dicitur. ut, Salue maxime Palla, Aeternumque uale. Item in eod.

— *animamque ſepulcro.*

Condimus, & magna ſupremum uoce ciemus.

hoc eſt, inquit Seruius, Dicimus more ſolenni, VALE.

Diuortij.

TVAS RES tibi habeto. Tuas res tibi agito. Ex l. 2. D. de diuortijs.

Duumuirorum qui de perduellione iu di cent faciendorum.

DVVMVIRI perduellionem iudicent: ſi à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi uincent, caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito, uerberato uel intra pomœrium, uel extra pomœrium. Ex Liuij lib. 1.

EDICTA ædilitii, uide in l. 1. & l. 38. D. de ædil. edict. & apud Gell. lib. 4. cap. 2.

Edicti Cenſorum de coercendis Rhetoribus.

RENVNCIATVM eſt nobis eſſe homines, qui nouũ genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludum conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras. ibi homines adoleſcentos dies totos deſidere. Maiores noſtri qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare uellẽt, inſtituerũt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinẽ, ac morẽ maiorum fiunt, neque placent, neq; recta uidentur. Quapropter & ijs qui eos ludos habent, & ijs qui eò uenire conſueuerunt, uiſum eſt faciundum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. Ex Gellii lib. 15. cap. 11.

Edicti Prætorij exẽpla paſsim in Pandectis extant.

Emancipationis.

Eſt autẽ emãcipatio, imaginaria quædã uenditio, quę ipſum ius propriũ Romanorũ eſt. Eaq; res ita agitur, adhibitis nõ minus quàm quinq; teſtibus, ciuib. Romanis, puberib. & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: HVNC ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio. Iſque mihi emptus eſt hoc ære æneaque libra. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quaſi precii loco. Ex Caii lib. Inſtit. 1.

Euocationis deorum.

SI Deus, ſi dea es, cui populus, ciuitaſque Carthagīnienſis eſt in tutela, teque maximè ille, qui urbis huius, populique tutelam recepiſti, precor, ueneror que, ueniamq; à uobis peto, ut uos populum ciuitatemque Carthaginienſium deſeratis: loca tẽpla, ſacra, urbemque eorum relinquatis, abſque his abeatis: eique populo, ciuitatiq; metũ, formidinem, obliuionem iniiciatis: proditiq; Romam ad me, meoſq; ueniatis: noſtraq; uobis loca, templa, ſacra, urbs acceptior, probatiorq; ſit, mihi quoque, populoque Ro. militibuſque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamuſque. ſi ita feceritis, noueo uobis templa, ludoſq; facturum. Ex Macrobii lib. 3. cap. 9.

Exceptionis.

EXTRAQVAM ſi quid ita factum ſit, uti lege fieri licuit. l. 1. §. Labeo, D. de flu. EXTRAQVAM in reũ capitis præiudicium fiat. lib. 2. De inuent. SI non ui, non clàm, non precariò feceris. l. ſi uitem, D. quod ui aut. SI in ea re nihil dolo malo actoris factum eſt. l. 2. D. de dol. excep. SI in ea re qua de agitur præiudicium hæreditati non fiat. l. 1. D. fam. erciſc. SI in ea re nihil metus cauſſa factum eſt, l. 4. §. ult. De dol. except. SI non uoluntate creditoris fundus uenit. l. ſicut, D. quib. mod. pig. SI non mihi mandatum ſit, ut à debitoribus peterem. l. itaque, 48. D. de procre. act.

Exercitus educendi.

SI eſſet tumultus, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitoliũ: & exinde proferẽs duo uexilla, unũ roſeũ, quo pedites euocabat, alterum ceruleũ, quo equites, dicebat: QVI uult ſaluam Remp. me ſequatur. Seruius in lib. Aeneid. VIII.

Fideiubendi.

CENTVM QVAE mihi Caius debet, eadẽ mihi dare ſpõdes? ſpõdeo. Stichũ aut decem fide tua iubes? iubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua

eſſe iubes?iubeo. Mille modios tritici fide tua eſſe iubes?iubeo. Si reus quadraginta non ſoluerit, fide tua eſſe iubes ?iubeo. Ex tract. De fideiuſſ. in Pandectis.

Fiduciæ.

VT INTER bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Cicero de Offic. 3. & Epiſt. fam. 7. epiſt. 12.

Fœderis peragendi.

FECIALIS regem Tullum ita rogauit, Iubesne me rex cum patrepatrato populi Albani fœdus ferire? Iubente rege, Sagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait: Pura tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: poſtea regem ita rogauit: Rex, facis ne me regium nuncium populi Romani Quiritium? Vaſa comitesq; meos? Rex reſpondit: Quod ſine fraude mea, populiq; Romani Quiritum fiat, facio. Dein Fecialis patrempatratum facit, qui legibus fœderis recitatis, AVDI, inquit, Iupiter, audi paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus: ut illa palàm prima poſtrema ex illis tabulis cera'ue recitata ſunt ſine dolo malo, utique ea hic hodie rectiſsimè itellecta ſunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. ſi prior defecerit, publico conſilio, dolo malo, tum me Dieſpiter populum R. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoq; magis ferito, quanto magis potes pollesq;. Quod ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſsit. Ex Liuij lib. 1.

Fœderis cum Antiocho rege.

AMICITIA REGI Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus eſto. Ne quem exercitum qui cum populo Romano ſocijsq; bellũ geſturus erit, Rex per fines regni ſui eorumve qui ſub ditione eius erunt, tranſire ſinito. neu cómeatu, neu qua alia ope iuuato. idẽ Romani ſocijq; Antiocho, & ijs qui ſub imperio eius erunt, præſtent. Belli gerendi ius Antiocho ne eſto, cum iis qui inſulas colunt, neve in Europam tranſeundi. Excedito urbibus, agris, uicis, caſtellis cis Taurinum montem uſq; ad Tanaim amnem, & à ualle Tauri, uſque ad iuga qua in Lycaoniam uergit, ne qua arma efferto ex ijs oppidis, agris, caſtellisq; quibus excedat ſiqua extulit, quæ quoque oportebit, rectè reſtituito. ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum urbium ciues quæ regno abſcedunt, cum rege Antiocho, intraq; fines eius regni ſunt, A pameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos ſociosque ſunt, ijs ius abeundi manendiq; eſto. Seruos, ſeu fugitiuos, ſeu bello captos, ſeu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis ſociisq;. Elephãtos tradito oẽs, neq; alios parato. Tradito & naues lõgas, armamẽtaq; earum: neve plures quam decẽ naues actuarias, nulla quarũ plus quã XXX. remis agatur, habeto. neve monerẽ ex belli cauſſa, quod ipſe illaturus erit: neve nauigato citra Calycandrũ, neve Sarpedonẽ, promontoria: extra quã ſi qua nauis pecuniã, ſtipendium, aut legatos, aut obſides portabit. Milites mercede cõducendi ex iis gẽtibus, quæ ſub ditione populi Romani ſunt, Antiocho regi ius ne eſto: ne uolũtarios quidẽ recipiẽdi. Rhodiorum ſociorumve quæ ædes edificiaq; intra fines regni ANTIOCHI ſunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorũ ſociorũve ſunto. Si quæ pecuniæ debentur earũ exactio eſto. Si quid ablatũ eſt, id conquirendi, cognoſcendi, repetẽdiq; ius itẽ eſto. Si quas urbes, quas tradi oportet, ii tenẽt, quibus Antiochus dedit, ex iis præſidia deducito: utiq; rectè tradantur, curato. Argẽti probi Attica talẽta XII. millia dato intra XII. annos pẽſionibus æquis. talentũ ne minus pondo LXXX. Romanis põderib. pendat. & tritici DXL. millia modium. Eumeni regi talenta CCCL. intra quinquenniũ dato: & pro frumẽto, quod æſtimatione fiat, talẽta CXXVII. Obſides Rom. XX. dato, & triẽnio mutato, neve minores octonum denum annorũ, neu maiores quinũ quadragenũ. Si qui ſociorũ populi Romani ultrò bellũ inferent, Antiocho, uim ui arcendi ius eſto: dum ne quam urbem aut belli iure teneat, aut in amicitiam accipiat. controuerſias inter ſe iure ac iudicio diſceptẽt, aut ſi utriſq; placepit, bello. Ex Liuij lib. 38.

Hæredis inſtituendi.

Hæres inſtitui rectè poteſt his uerbis TITIVS hæres, Titius hæres ſit, Titium hæredem eſſe iubeo. Illa autem inſtitutio, Hæredem inſtituo, Hæredẽ facio, pleriſq; improbata eſt. Ex Vlp. Inſt. cap. 21.

Hæredis inſtituendi ac ſubſtituendi.

Hæredes ſcripti ſunt, uelut, TITIVS hæres eſto, cernitoq; in diebus proximis centum, quibus ſcieris poterisq;: niſi ita creueris, exhæres eſto: tunc Mæuius hæres eſto, cernitoq; in diebus, & reliqua. Similiter & deinceps ſubſtitui poteſt. Ex Vlpiani Inſt. cap. 22.

Indicendi compitalia.

DIE NONI POST Cal. Ian. Quiritib. compitalia erunt. Ex Macrobij lib. 1. cap. 4. & Gell. lib. 10. cap. 24.

Inlicii uocandi.

QVOD BONVM, fortunatum felixq; ſalutareq; fiet populo R. Quiritium, reiq; publicæ populi Ro. Quiritium, mihiq; collegæq; meo, fidei, magiſtratuiq; noſtro: omnes Quirites, pedites, armatos, priuatosq;, curatores omniũ tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue pro altero dari rationem uolet, uoca inclicium huc ad me. Ex Varr. lib. De ling. 5. Liuius lib. 40.

Interceſsionis Tribunitiæ.

VETO Liuius lib. 6.

Interdicti de bonis prodigi.

QVANDO TV BONA PATERNA auitaq; nequitia tua diſperdis, liberosq; tuos ad egeſtatẽ perducis, ob eã rẽ tibi ea re commercio quæ interdico. Ex

Paul.

Paul.Sent.lib.3.tit.5.Locum autem ſic correximus,cum antea legeretur, HABITA QVAE. Noſtræ correctionia teſtes ſunt ante biennium clariſsimi uiri Bonifacius Amerbachius, Paulus Manutius: ad quos de communibus ſtudiis, ut fit,ſcribens, ea de re mentionem inieci. Interfuit etiam correctioni Iacobus Calonius,adoleſcens eruditiſs.& mihi amiciſsimus. Pòſt eadem Iuriſconſulto doctiſsimo Iac.Cuiacio in mentem uenit.hoc tamen teſtari nunc operæpreciū putaui. Aliorum Interdictorum Prætoris,exépla in Pandectis obuia ſunt omnib.lib.Pandect. XLIII.

Interrogationis,qua Cēſores in ſolēni Iureiurando de uxoribus utebantur.

ET TV EX ANIMI TVI SENTENTIA uxorem habes? Ex Gellii libro 4. cap.20. & libro De orat.2.

Iudicis dandi.

L. OCTAVIVS IVDEX ESTO. Si appareret fundum Capenatem quo de agitur ex iure Quiritium,P.Seruilii eſſe, neque is fundus reſtituatur.Ex Verr.4.

Iudicii recuperatorii.

SI PATERET EAM SE ET SVA Veneris eſſe dixiſſe.Cicero in Diuinat.Si pateret iugera eiuſmodi fundi eſſe plura,quàm colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur.Si pateret aduerſus edictū feciſſe.Ex Verrina 5.

Si pateret H-S ↀↀↀ.dari oportere.

Ex Orat.pro Q.Roſcio.

Si appareret eum dare oportere.Ex §.ſic itaque, De actionib.

Iudicij T.Manlij in filium.

QVANDOQVIDEM TV M. Manli neque imperiū conſulare, neque maieſtatem patriam ueritus,aduerſus edictum noſtrum, extra ordinem in hoſtē pugnaſti, & quantum in te fuit, diſciplinam militarem, qua ſtetit ad hanc diem Romana res, ſoluiſti: meq; in eam neceſsitatem adduxiſti, ut aut Reipub.mihi, aut mei,meorumque obliuiſcēdum ſit: nos potius noſtro delicto plectemur, quàm Reſp.tāto ſuo damno noſtra peccata luat. triſte exemplum, ſed in poſterum ſalubre iuuentuti erimus. me quidem cum ingenita caritas liberum, tum ſpecimen iſtud uirtutis, deceptum uana imagine decoris,in te mouet: ſed cùm aut morte tua ſancienda ſint Conſulum imperia, aut impunitate in perpetuum abrogāda: nec te quidē, ſi quid in te noſtri ſanguinis eſt recuſare cēſeam, quin diſciplinam militarem,culpa tua prolapſam, pœna reſtituas. I. lictor,de liga ad palum.Ex Liu. libro 8.

Iudiciorum bonæ fidei.

QVANTVM EX BONA fide illum dare facere oporteт.Cicero Off.lib.II.in Topic.

Iuſiurandi.

Maiorum diligentia hæc fuit. Primùm iurare EX ANIMI SVI SENTENTIA, quenq; uoluerunt: deinde ita teneri SI SCIENS FALLERET: quòd inſcitia multa uerſaretur in uita. Cicero lib. Acade.II.Idem lib.De offi. III. Non enim falſum iurare,peierare eſt:ſed quod EX ANIMI TVI SENTENTIA iura ueris,ſicut uerbis concipitur more noſtro, id non facere,periurium eſt. Liuius lib.32.Ex animi mei ſententia iuro, ut ego Rēp. non deſerā, neque alium ciuem deſerere patiar: Idē lib.43.Ex tui animi ſētētia ex edicto C. Claudii,Ti.Sempronij Cenſorum in prouinciā Macedoniā redibis, qđ ſine dolo malo facere poteris?

Iuſiurandi a P. Scipione concepti.

EX MEI ANIMI SENTENTIA iuro,ut ego Rēp. non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. ſi ſciens fallo,tum me Iupiter Opt. Max.domum,familiam, remque meam peſsimo leto afficias.Ex Liuii lib.22.

Iuriſiurandi,à L.Bruto ob Lucretiam præſtiti.

PER HVNC caſtiſsimum ante regiam iniuriam ſanguinem iuro,uosque dii teſtes facio, me L. Tarquinium Superbum cum ſcelerata coniuge & omni liberorū ſtirpe,ferro,igni, quacunq; dehinc ui poſsim,exacturum:nec illos, nec alium quēquam regnare Romæ paſſurum.Ex Liuij lib.1.

Iuriſiurandi per Iouem lapidem.

SI SCIENS FALLO, tū me dieſpiter ſalua urbe, arceque bonis eiiciat,ut ego hūc lapidē.Feſtus li. 10. Plaut.Aulu.Cicero.Epiſt. famil.7.Plutarchus in Sylla. Polybius autem lib.Hiſt.3.rē ſic explicat. ῥωμαῖοι δὲ διὰ λίθου ὀμνύουσι κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος, ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ τὸν Ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ διὰ λίθου τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια, περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε. εὐορκοῦντι μέν τ' ἀγαθὰ εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων ἱερῶν τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως, ὡς ὅδε ὁ λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός.

Iuriſiurandi militaris.

IN MAGISTRATV C.Lælij,C.F.Coſ. L. Cornelij P.F.Coſ.in exercitu, decemque millia paſſuum propè,furtum non facies dolo malo,ſolus, neque cum pluribus,pluris nummi argentei in dies ſingulos. Extra haſtam,haſtile, ligna, pabulum, utrem,follem,faculam.ſi quid ibi inueneris ſuſtuleriſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit:uti tu,ad C.Lælium, C.F. Cos.L.ve Cornelium P.F. Cos. ſiue ad quem eorum iuſſerit, proferas, aut profitebere in triduo proximo, quicquid inueneris ſuſtuleriſve dolo malo; aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe, reddes, uti quod rectè factum eſſe uoles. Deinde ita concipiebatur Iuſiurandum, ut adeſſent, his additis exceptionibus, niſi harunce aliqua cauſſa erit: funus familiare, feriæ uindemiales:calendæque quæ non eius rei cauſſa in eum diem collatæ ſint; quo is eo die minus ibi eſſet. morbus ſonticus, auſpiciumve, quod ſine piaculo præterire non liceat, ſacrificiumve

anniuerſarium, quod rectè fieri non poſſet, niſi ipſius eo die ibi ſit, ius hoſtisve, ſtatus, condictus ve dies cum hoſte: ſi cui eorum harunce quæ cauſſa erit, cum ſe poſtridie quàm per eas cauſſas licebit eo die uenturum, aditurumq; eum, qui eum pagum, uicum, oppidumve delegerit. Ex Gell. lib. 16. cap. 4.

Legis ferendæ.

VELITIS iubeatis Quirites, &c. Ex Cic. Orat. pro Domo.

QVICVNQVE poſt hanc legem. Ex Oratione pro Poſthumo, & l. 1. D, ad leg. Falcid.

CONSVL (uel Prætor, uel qui populum rogarat) Populum iure rogauit, populusq; iure ſciuit.

SI QVID ius non fuit rogari, eius ea lege nihilũ rogatum. Ex Philip. 1. Valerio Probo, Feſto Pomp. Orat. pro domo. pro Cæcina, lib. Epiſt. ad Att. 3.

SI QVID contra alias leges ergo latum ſit, ei qui hãc legẽ rogaſsit, impunè eſto. Cic. lib. 3. ad Att.

Legis iubendæ, uel antiquandæ.

VTI ROGAS: uel ANTIQVO. moris erat ut populo in comitiis legum duæ tabellæ darentur, quarum in altera V. R. in altera A. ſcriptum erat. patet ex Cic. lib. De leg. 2. Epiſt. ad Att. 1. Liuio, & aliis.

Legis ſanciendæ.

NE PER ſaturam abrogari, derogarive ius eſto. Feſtus.

Iuſſu mandatuque legis militaris.

P. R.

COS. IMP. TRIB. Miles, Tiro, Commilito armate, quiſquis es, manipularieve Centurio, turmave Legionariè hic ſiſtito, uexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnẽ Rubiconẽ ſigna ductum exercitum, commeatumque traducito. Si quis huiuſce iuſsionis ergo aduerſus præcepta ierit feceritve, adiudicatus eſto hoſtis P. R. ac ſi contra patriam arma tulerit, penatesque è ſacris penetralib. aſportauerit. S. P. Q. R.

SANCTIO plebiſciti, S. vel Conſulti. Vltra hos fines arma ac ſigna proferre liceat nemini. Ex epigram. Romanis.

Legati per teſtamentum.

Legamus quatuor modis: per uindicationem, per damnationem, ſinendi modo, per præceptionem. Per uindicationem, his uerbis legamus: DO, lego, capito, ſumito, ſiue habeto. Per damnationem his uerbis: HAERES meus damnas eſto dare, dato, facito, hæredem meum dare iubeo. Sinendi modo ita: HAERES meus damnas eſto ſinere, Lucium Titium ſumere illam rem, ſibique habere. Per præceptionem ſic: LVCIVS Titius illam rem præcipito. Ex Vlpiani Inſtit. cap. 24.

Literarum ab Impp. ad Senatum incolumi exercitu mittendarum.

SI VOS, & liberi ueſtri ualetis, bene eſt: ego & exercitus ualemus. Dio Caſſ. in Adriano, & Cic. in epiſt. perſæpe, aliiq; complures.

Luſtrandi agri.

MARS PATER te precor, queſoq; uti ſies uolens propitius mihi, domo, familiæq; noſtræ, quoius rei ergo agrum, terram, fundumq; meum ſuouitaurilia circũagi iuſsi. uti tu morbos uiſos, inuiſosq;, uiduertatẽ, uaſtitudinemq;, calamitates, intẽperiasque prohibeſsis defendas, auerruncesq; utiq; tu fruges, frumẽta, uineta, uirgultaq; grandire, beneq; euenire ſinas paſtores, pecuaq; ſalua ſeruaſsis, duisq; bonam ſalutem ualetudinemq; mihi, domo, familiæq; noſtræ, Harunce rerum ergo, fundi, terræ agriq; mei luſtrandi, luſtriq; faciendi ergo ſicuti dixi macte hiſce ſuouitaurilibus lactẽtibus immolandis eſto. Mars pater eiuſdem rei ergo, macte hiſce ſuouitaurilib. lactentib. eſto. Itẽ cultro facito ſtruem. & fertum uti adſiet. Inde obmoueto. Vbi porcum immolabis, agnum uitulũque, ſic oportet. Eiusq; rei ergo macte hiſce ſuouitaurilib. immolandis eſto, nominare uetat Martem, neque agnum, uitulumq;. Si minus in omnes litabit, ſic uerba concipito: MARS pater, ſi quid tibi in illiſce ſuouitaurilib. lactentib. neque ſatisfactum eſt, te hiſce ſuouitaurilib. piaculo. Si uno, duobusq; dubitauerit, ſic uerba concipito: Mars pater, qđ tibi illuc porco, neq; ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo. Ex Catone De re ruſt. ca. 141.

Mancipii faciendi.

Vide Nexus faciendi formulam.

Manumittendi ſerui.

Manumitti ſeruus dicebatur, cùm dominus aut caput eius ſerui, aut aliud membrum tenens dicebat, HVNC hominem liberum eſſe uolo. & emittebat eum è manu. Ex Feſti lib. 11.

Matrimonii teſtificandi.

COS. AVG. Pub. Claud. Quæſ. ær. Antoninam Voluminiam uirginem, uolent. auſpi. è parent. ſuff. coemit, è IIII. fac. indo. dux. id eſt, Conſule Auguſto, P. Claudius Quæſtor ærarii Antoninam Voluminiam uirginem uolentem, auſpicatò, è parentib. ſuis coemit, & quatuor facibus in domum duxit. Ex lapide Patauino.

Multæ in iudicio.

M. TERENTIO, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unam ouem multam dico. Gell. lib. 11. cap. 1.

Nexus faciendi.

Mancipatio eſt imaginaria quædam uenditio, quæ ſic agitur. adhibitis non minus quam quinque teſtib. ciuib. R. puberib. & præterea alio eiuſdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur Libripens. is qui mancipium accipit æs tenens ita dicit: HVNC ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, isq; mihi emptus eſt hoc ære, æneaq; libra. Deinde ære percutit librã. idq; æs dat ei à quo mancipium accipit, quaſi precii loco. Boetius in Topic. ex li. 1. Inſti. Caii.

Ominis nuptialis.

TALASIO. Liuius lib. 1. Vnam longè ante alias

ſpecie inſignem à globo Talaſii cuiuſdam raptã ferunt: multisque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent, ideutidem, ne quis uiolaret, TALASIO ferri clamitatum: inde nuptialem hanc uocem factam. Idem Seruius in lib. Aeneid. 1.

Oraculi Delphici.

ROMANE, aquam Albanam caue lacu contineri, caue in mare manare ſuo flumine ſinas. emiſſam per agros rigabis, diſsipatamque riuis extingues. tum tu inſiſte audax hoſtium muris, memor, quã per tot annos obſides Vrbem, ex ea tibi his quæ nunc panduntur, factis uictoriam datam. bello ꝑfecto donum amplum uictor ad mea templa portato: ſacraque patria, quorum omiſſa cura eſt, inſtaurata, ut aſſolet, facito. Ex Liuij lib. 5.

Oraculi Delphici.

TVM, SI faxitis Romani, ueſtræ res meliores feliciores〈q〉; erũt: magis ex ſentẽtia Reſpub. ueſtra uobis ꝓcedet: uictoriaq; duelli, po. Ro. erit. Pythio Apollini, Repu. ueſtra bene geſta ſeruataq; lucris meritis donum mittit ore: deq; præda, manubiis, ſpoliisq; honorem habetote. Ex Liuii lib. 23.

Pactionis ob pacem cum Aetolis.

IMPERIVM maieſtatemque populi R. gens Aetolorum conſeruato ſine dolo malo. ne quem exercitum, qui aduerſus ſocios amicosque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire finito, neve ulla ope iuuato. hoſtes eoſdem habeto, quos populus R. armaq; in eos ferto, bellũq; pariter gerito. perfugas fugitiuos, captiuosq; reddito Romanis ſociisq; præterquam ſi qui capti, cùm domos rediſſent, iterum capti ſunt: aut ſi qui eo tempore ex iis capti ſunt, qui tum hoſtes erant Romanis, cùm inter præſidia Romana Aetoli eſſent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magiſtratibus ſine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quãdo quiſque eorum primum inuentus fuerit, reddatur. Obſides XL. arbitratu Conſulis Romanis dato, ne minores XII. annorum, neu maiores XL. Obſes ne eſto Prætor, præfectus equitum, ſcriba publicus, neu quis qui antè obſes fuerit apud Romanos. Cephallenia extra pacis leges eſto. Ex Liuij lib. 38.

Precationis ob bellum Macedonicum.

QVAM rem Senatus populusq; R. de Rep. deq; ineundo nouo bello in animo haberet, ea res uti populo Ro. ſociisq; ac nomini Latino bene ac feliciter eueniret: ſecundum rem diuinam, precationẽque, ut de Rep. deq; prouinciis ſenatum conſulerent. Ex Liuii lib. 31.

Precationis P. Scipionis.

DIVI Diuæq;, inquit, qui maria terrasq; colitis, uos precor queſoq; quæ in meo imperio geſta ſunt, gerũtur, poſtq; gerẽtur: ea mihi, populo plebiq; Romanę, ſocijs nominiq; Latino, qui populi Romani, quiq; meam ſectã, imperiũ, auſpiciũque terra, mari, amnibusq; ſequuntur, bene uertuudo æquè uos omnia bene iuuetis, bonis auctib. auxiſtis: ſaluos incolumesq; uictis perduellibus uictores ſpoliis decoratos, triumphantesq; mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum hoſtiumq; ulciſcẽdorũ copiã faxitis: quæq; populus Carthaginiẽſis in ciuitatem noſtram facere molitus eſt, ea ut mihi populoq; Romano in ciuitatem Carthaginienſium detis. Ex Liuij lib. 29.

Precationis qua in principio Pompæ Romani Imperatores triumphantes, in Vaticano utebantur.

DI, NVTV, & imperio quorum nata & aucta eſt res Romana, eandem placati, propitiatiq; ſeruate.

In fine uerò in Capitolium aſcendentes, hæc.

GRATIAS tibi Iupiter optume maxume, tibique Iunoni reginæ, & ceteris huius cuſtodibus, habitatoribusq; Arcis Di lubens lætusq; ago, re Romana in hanc diem & horam per manus, quod uoluiſtis, meas ſeruata, bene geſtaq;: eandem & ſeruate, ue facitis, fouete, protegite propitiati, ſupplex oro. Ex Macrob. Saturn. lib. 1.

Precationis Herſiliæ.

NERIA Martis, te obſecro pacẽ dare, ut liceat nuptijs propriis & proſperis uti. quod de tui coniugis concilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos ſibi & ſuis poſteris patriæ patrarent. Ex Cellii lib. 13. cap. 21.

Precarionis Conſularis, in Conſule renunciando.

QVOD bonũ, fauſtũ, felix fortunatumq; ſit, mihi magiſtratuiq; meo, populo plebiq; Romanæ L. Licinium cos. renuucio. Cic. pro Muræna.

Præconii in ſacrificiis.

HOC AGE. Plutarch. in Numa, & Coriolauo. FAVETE linguis. Cic. 1. & 2. de Diuinat. Pli. li. 28. ca. 2.

Præfandi omnibus in rebus.

Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumq; ſit Cic. lib. de Diuin. 1.

Poſthumos nepotes inſtituendi.

FILIVS MEVS hæres eſto. ſi filius meus me uiuo moriatur, tunc ſi quis mihi ex eo uepos ſiue quæ neptis poſt mortem meam in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, hæredes ſunto. Scęuola ex C. Aquilio, l. gallus, 29. De lib. & poſthum.

Regis ab Interrege rogandi.

QVOD BONVM, fauſtum, felixq; ſit, Quirites regẽ create. ita patribus uiſum eſt. patres deinde, ſi dignum, qui ſecundus ab Romulo numeretur, creatitis, auctores fient. Ex Liuii lib. 1.

Regis inaugurandi.

IVPITER PATER, ſi eſt fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regẽ Romæ eſſe, uti tua ſigna nobis certa acclaraſsint inter eos fines, quos feci. Ex Liuii lib. 1.

Relegandi.

ILLVM PROVINCIA illa, inſulisque eis relego: excedereque debebit intra illum diem. Ex Vlpiano in l. 7. §. his qui, D. de interd. & releg.

Replicationis.

AVT Si mihi mandatum eſt, ut a te peterem. l. itaq; 48. De procurat.

AVT SI res iudicata non ſit. l. 24. De except. rei iudic.

AVT SI damnatione interpoſita ſecundũ decretũ uendiderit. l. conſilio, 7. D. de curat. fur.

Repudij.

CONDITIONE tua non utor. ex l. 11. D. de diuort. & Repud.

Rogandi iudicis.

ITAQVE præclarum à maioribus accepimus moré rogandi iudicis, ſi eum teneremus: QVAE SALVA FIDE facere poſsit. Hæc rogatio, ad ea pertinet, &c. Cic. lib. De offic. III.

Rogationis Atiliæ.

OMNES CAMPANI, Atellani, Calatini, Sabatini, qui ſe dediderunt in arbitrium ditionemq́ue populi Romani Fuluio Proconſuli, quæq́ue unà ſecum dediderunt, agrum urbemq́ue, diuina humanaq́ue utenſilia, ſiue quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri uelitis, uos rogo. Quirites. Plebs ſic iuſsit: Quod Senatus maxima pars cenſeat, qui aſsidetis, id uolumus iubemusque. Ex Liuij lib. XXVI.

Rogationis de Tribunitio magiſtratu.

SI TRIBVNOS PLEBIS DECEM rogabo, ſi quos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: hi tum, quos ſibi collegas cooptaſsint, ita illi legitimi eadem lege Tribuni plebei ſint, ut illi quos hodie Tribunos plebei feceritis. Ex Liuij lib. 3.

Salutationis matutinæ.

AVE. Veſpertinæ:

SALVE. Dio Caſsius in Adriano.

Salutationis patris Patriæ:

QVOD BONVM, fauſtumq́ue ſit tibi, domuiq́ue tuæ Cæſar Auguſte, Senatus te conſentiens cum populo Ro. Cõſultat Patriæ patrem. Ea Valerius Meſſala uſus traditur à Sueton. in Auguſto.

Salutationis in epiſtolis.

Seneca lib. epiſt. 11. ep. XV. Mos antiquis fuit, uſq; ad meam ſenatus ætatẽ, primis epiſtolæ uerbis adijcere, Si uales, bene eſt: ego ualeo. Rectè & nos dicimus. Si philoſopharis, bene eſt, &c.

Sacrificij porcæ præcidaneæ ante meſſem.

Priuſquam meſſem facies, porcam præcidaneã hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam fœminam, priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, ordeũ, fabam, ſemen rapicium, thure, uino, Iano, Ioui, Iunoni præfato. Priuſquã porcam fœminam immolabis, Iano ſtruem commoueto ſic: IANE PATER, te hac ſtrue commouenda bonas preces precor, uti ſies uolens propitius mihi liberiſq; meis, domo familiæq; meæ mactus hoc fercto. Ferctum Ioui moueto, & mactato ſic: IVPITER TE hoc fercto obmouendo bonas preces precor, uti ſies uolens propitius mihi liberiſq; meis, domo familiæq; meæ mactus hoc fercto. Poſtea Iano uinũ dato ſic: IANE PATER, uti te ſtrue cõmouẽda bonas preces bene precatus ſum, eiuſdẽ rei ergo macte uino inferiori eſto. Poſtea Ioui ſic: IVPITER MACTE fercto eſto, macte uino inferiori eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Vbi extra proiecta erunt, ita Iano ſtruem commoueto, mactatoq; itẽ uti prius obmoueras. Ioui fercłum obmoueto, mactatoq; ut prius feceras. Item Iano uinum dato, & Ioui uinum dato, ita uti prius datum fuit ob ſtruem obmouendam, & fercłum libandum. poſtea Cereri exta & uinum dato. Ex Catone De re ruſt. cap. 134.

S. Conſultorum à plebe comprobandorum.

QVOD SENATVS maxima pars iubeat. qui aſsidẽs, id uolumus, iubemusq;. Ex Liuij lib. 26.

S. C. quo quid Conſulibus mandatur.

DONATVS in Adelph. Terent. Fac ſis Soſtrata. SIS, inquit, honorificè additur uerbo, ne quod imperatiuo modo pronunciatur, ſuperbum ſit. deductum eſt autem à Senatuſconſulti formula. ubi enim aliquid Senatus Conſulibus injungit, addit: SI EIS VIDEATVR. Hæc ille. Et eſt hoc obſeruatum à Cicerone in illis S. C. quæ in Philippic. legimus, ut Philip. IX. Vtiq́ue C. Panſa, A. Hircius Coss. alter, ambove, ſi eis uidebitur, Queſtorib. urbanis imperent, &c.

Senatuſconſ. ſcribendi.

QVID DE EA re fieri placeret, de ea re ita cenſuerunt. Cælius in Epiſt. fam. 7. alibi perſæpe.

Senatuſconſulti ſummi.

VIDEANT CONSVLES, ne quid Reſpub. detrimenti accipiat. Salluſt. Catul. Cic. in Catil. alij.

Sententiæ in perduellionis damnatum ferendæ.

I LICTOR, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito. Cic. pro C. Rabirio, Liuius lib. 1. Gell. lib. 12. cap. 3.

Sententiæ in damnatos pronunciandæ.

LICTOR ADDE uirgas, & in eum lege agito. Liuius lib. 36.

Sententiæ per tabellam ferendæ.

IN cauſsis maioribus iudices in ciſtã tabellas conijciebãt ſuas, easq́; inſculptas literas habẽtes, A. abſolutionis, C. condemnationis; cùm de alicuius capite agebatur, N. L. ampliationis. his enim literis ſignificabant non liquere. Pedian. in Diuinat.

Sententiæ in priuatis litibus pronunciandæ.

CICERO lib. De finib. II. Priuatarum litium iudices ſumus. nihil enim poſſumus iudicare, niſi qđ eſt noſtri iudicii, in quo fruſtra iudices ſolent, cùm ſentẽtiã pronũciãt, addere, SI QVID MEI IVDICII EST. Si enim non fuit eorũ iudicii, nihilo magis, hoc non addito, illud eſt iudicatum, &c.

Sententiæ

Sententiæ prouinciandæ.

CVM conſtet Titium Seio ex illa ſpecie quinquaginta, item ex illa ſpecie uigintiquinq; debere: iccirco L. Titium Seio centum condemno. Ex l. 1. D. quæ ſent. ſin. appell.

Sententiæ pronunciandæ.

FECISSE VIDERI. Cic. pro Cæcina, Verr. 3. De finibus 2. & alijs locis innumeris: itemque alij complures.

Sponſionis.

QVOD A Flauio abſtulero, partem dimidiam inde Róſcio me ſoluturum ſpõdeo. Ex Cic. Orat. pro Q. Roſcio.

Sponſionis in iudicio.

NI TE Apronius in Decumis ſocium eſſe dicat. Ex Verrina 5.

Sponſionis in arbitrio.

NI VIR BONVS ſit. Cic. lib. 3. Offic.

Stipulationis in emptione ſuum.

ILLASCE ſues ſanas eſſe, habereque rectè licere, noxisque præſtare, neq; de pecore morboſo eſſe, ſpõdesne? Varr. lib. 2. cap. 4.

Stipulandi.

SPONES? ſpondeo. promittis? promitto. fideiubes? fideiubeo. datis? dabo. facies? faciam. Iuſtinianus. §. 1. De uerb. oblig.

Stipulationis in caprarum emptione.

ILLAS capras hodie rectè eſſe, & bibere poſſe, habereque rectè licere, hæc ſpondesne? Ex Varr. lib. de re ruſt. 2. c. 3.

Stipulationis in ouium emptione.

Cùm emptor dixit, TANTI SVNT MIHI EMPTÆ? & ille reſpondit, SVNT, & expromiſit numos: emptor ſtipulatur priſca formula ſic: ILLASCE oues, qua de re agitur, ſanas rectè eſſe: uti pecus ouillũ, quod rectè ſanum eſt extra luſcam, ſurdam, minã, id eſt, uentre glabro: neq; de pecore morboſo eſſe habereque rectè licere: hæc ſic rectè fieri ſpõdes? Ex Varr. lib. De re ruſt. 2. c. 2.

Stipulationum in boum aut iuuencorum emptione.

Eos quum emimus domitos, ſtipulamur ſic: ILLOSCE boues ſanos eſſe, noxisque pręſtari? Cum emimus indomitos, ſic: ILLOSCE iuuencos ſanos rectè, deque pecore ſano eſſe, noxisque pręſtari ſpõdesne? Varr. lib. 2. c. 5.

Teſtamenti nuncupati.

Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit: HAEC VTI in his tabulis cerisve ſcripta ſunt, ita do, ita teſtor. Itaq; uos Quirites teſtimonium præbitote. Ex Vlpiani Inſtit. c. 20.

Teſtimonij dicendi.

Maiorum hæc fuit diligentia. Voluerunt ut qui teſtimonium diceret, ARBITRARI ſe diceret, etiam quod ipſe uidiſſet. Cicero. Academie. ſecunda idem pro Fonteio, Primùm illud uerbum conſideratiſsimum noſtræ conſuetudinis ARBITROR, quo nos etiam tunc utimur, cùm ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi uidimus, ex toto teſtimonio ſuſtulit.

Vaticinij Martiani.

AMNEM Troiugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conſerere manus. ſed neque credes tu mihi, donec compleris ſanguine campum: multaque millia occiſa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera, piſcibus atque auibus, ferisque quæ incolunt terras, ijs fiat eſca caro. tua. nam mihi ita Iupiter fatus eſt. Hoſtes Romani ſi expellere uultis, uomicamque quæ gentium uenit longè, Apollini uouendos cenſeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant, cùm populus dederit ex publico partem, priuati uti conferant pro ſe ſuisque. His ludis faciendis præerit Prætor hic, qui ius populo plebique dabit ſummum. Decemuiri Græco ritu hoſtiis ſacra faciant. hæc ſi rectè faxitis, gaudebitis ſemper, fietque res ueſtra melior. nam is dius extinguet perduelles ueſtros, qui ueſtros campos paſcit placidè. Ex Liuij libr. 25.

Veſtalis a Pontif. Max. capiundæ.

SACERDOTEM Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere, pro populo R. Quiritibus, uti quod optima lege fiat, ita te Amata capio. Ex Gellij lib. 1. c. 12.

Voti ob bellum cum rege Antiocho.

SI DVELLVM quòd cum Antiocho rege ſumi populus inſsit, id ex ſententia Senatus populique R. confectum erit: tum tibi Iupiter populus R. ludos magnos, dies decem continuos faciet: donaq; ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreuerit. quiſquis magiſtratus eos ludos quando ubiq; faxit, hi ludi rectè facti, donaque data rectè ſunto. Ex Liuij lib. 36.

Voti concipiendi.

TVO ductu, Pythice Apollo, tuoque numine inſtinctus pergo ad delendam Vrbem Veios: tibique hinc decimam partem prædæ uoueo. te ſimul Iuno Regina, quæ nunc Veios colis, præcor, ut nos uictores in noſtram, tuamq; mox futuram urbẽ ſequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat. Ex Liuij lib. v.

Voti de uere ſacro concipiendi.

VELITIS iubeatis ne hoc ſic fieri? ſi res populi R. Quiritium ad quinquennium proximum, ſicut uelim eam, ſalua ſeruata erit hiſce duellis, datum donum duit populus R. Quiritium, quod duellum populo R. cum Carthaginienſi eſt, quæque duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt: quòd uer attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino grege, quæque orphana erunt, Ioui fieri, ex qua die Senatus populusque iuſſerit. qui faciet, quando uolet,

quaque

quaque lege uolet. facito: quo modo faxit, probè factum eſto. ſi id moritur, quòd fieri oportebit: prophanum eſto, neque ſcelus eſto. ſi quis rumpet, occidetur inſciens, ne fraus eſto. ſi quis clepſet, ne populo ſcelus eſto, neve cui cleptum erit, ſi atro die faxit inſciens, probè factum eſto. ſi nocte ſiue luce, ſi ſeruus ſiue liber faxit, probè factum eſto. ſi ante id ea Senatus populusque iuſſerit fieri, ac faxit, eo populus ſolutus, liber eſto. Eiuſdẽ rei cauſſa ludi magni uoti æris CCCXXXIII. milibus, triente: præterea bubus Ioui CCC. multis alijs diuis bubus albis, atque ceteris hoſtijs. Ex Liuii lib. XXII.

Voti Pontificum.

PONTIFICVM VOTIS ANNVANT dij Romanæ rei pub. arcanaque morbis præſidia Apollinis iuſſu ſumma ueneratione ex hoc Palladis cypho ſacramenta libarunt, annuant, quorum ritu Romano imperio regna ceſsere. Ex Antiquitatibus Romanis, capite 13.

FINIS FORMVLARVM RORENSIVM VETERVM.

EPITOME TRIVM LIBRORVM NICOLAI GRVCHII RHOTOMAgenſis, de Comitijs Romanorum.

PRAEFATIO.

COMITIA à coeundo, uel potius (ut ueteres dicebant) comeundo dicta ſunt: quòd populus coire his, & unum in locum conuenire ſoleret. à quo etiam uerbo locus in foro Romano Comitium appellabatur: & conciones quaſi Comitiones uocabantur. Erant autem Comitia, cum generaliter uerbum accipitur, & ut uulgò à Latinis ſcriptoribus uſurpatur, conuentus populi totius aut partis ad ferendum de aliqua re ſuffragium. Alio modo, & cùm propriè uerbum ſumitur, uniuerſi populi conuocatio ad aliquid ſciſcendum. nam ſi plebs tantum, quæ pars modò populi erat, à magiſtratu uocata fuiſſet: ea non propriè Comitia dicebantur, ſed Concilia. Id quod Gellius ex Lælio Felice his docet uerbis: Is, inquit, qui non uniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere iubet. Sæpe tamen apud auctores uerbo Concilij, ſicut nomine Comitiorum comprehenduntur omnes cum populo actiones: id eſt, omnes populi totius partisve cœtus & conuentiones. Quinetiam interdum Concilij nomen latius quàm Comitiorum patet. Neque enim Comitia unquam latius patent, quàm ut omnes cum populo aut plebe actiones ſignificent. At Concilium præterea etiam uſurpatur in concionibus appellandis, & aliis cuiuſque generis hominum conuentibus. Interdum autem eius uerbi uis aſtringitur ad id modò ſignificandum, quod ait Lælius: ut propriè concilia appellentur partis populi conuentus, ad aliquid iubendum. Cuius generis erant; quæ à Tribunis ple. habebantur Comitia. Habebant enim ius uocandæ plebis, non etiam uniuerſi populi Tribuni pl. Itaque uerius Concilia edicere quàm Comitia dicebantur. Quanquam autem nomen Comitiorum hanc, quam dixi, diſtinctionem admittit: in hac tamen noſtra de Comitijs diſputatione, nobis ea utendum eſſe non cenſemus: quandoquidem à Latinis ſcriptoribus uix, ac ne uix quidem, obſeruari demonſtrauimus. Itaque eo contenti quod obiter admonuimus, hanc diſtinctionem à quibuſdam poni, Comitia (ut ſæpius apud auctores ſumuntur) definimus, populi qualeſcunque conuentus, ad aliquid ſuffragijs ſuis decernendum. Nam & ludorum & cenſus cauſſa uel populus uniuerſus conuenire ſolebat: nec tamen ulla erant Comitia: quòd non ad ferendum de aliqua re ſuffragium populus ita conueniſſet. Genera Comitiorum inter ſe diuiſa, erant tria: Centuriata, Tributa, & Curiata. Nam quæ legimus Calata comitia, ea uel Centuriata uel Curiata erant. Et ex eo quòd primis temporibus calandi uerbum pro uocandi uſitatum erat, hinc ego opinor, omnia comitia ueteribus Calata fuiſſe. Sed poſtea cum in uſu hoc uerbum eſſe deſijt, retentum eſſe nomen Calatorum comitiorum in his tantum, quæ pro collegio Pontificum habebantur: idque religionis cuiuſdam & antiquitatis cauſſa.

DE COMITIIS CENTVRIATIS. Caput I.

CENTVRIATA comitia di cebantur, quibus populus per claſsium Centurias diuiſus, ſuffragium ferebat: ita ut ſuffragia colligerentur Centuriatim, & quod plures Centuriæ iuſsiſſent, id ratum haberetur. Centurias autem Seruius Tullius ex cenſu ſic deſcripſit. Ex his quorum erat maximus cenſus, id eſt, non minor centum millium æris, primam claſſem fecit octoginta Centuriarum: quadraginta quidem ſeniorum, ac totidem iuniorum. Prima claſsis omnes appellati. ſeniores ad urbis cuſtodiam ut præſto eſſent, iuniores ut foris bella gererent. Additæ huic claſsi duæ fabrûm Centuriæ, quæ ſine armis ſtipendium facerent. Datum munus ut machinas in bello ferrent. Secunda claſsis intra centum uſq; ad quinq; & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta. Et ex iis ſenioribus iunioribusq; uiginti conſcriptæ Centuriæ. Tertiæ claſsis quinquaginta millium cenſum eſſe uoluit, totidemq; Centuriæ, & ex eodem diſcrimine ætatum factæ. In quarta claſſe cenſus quinq; & uiginti millium, totidem Centuriæ factæ. Quinta claſsis aucta, Centuriæ triginta factæ. In his accenſi, cornicines, tibicinesq; in tres Centurias diſtributi. undecim millib. hæc claſsis cenſebatur. Hoc minor cenſus reliquam multitudinem habuit. Inde una Centuria facta eſt immunis militia. Ita pedeſtri exercitu ornato diſtributoq; equitum ex primoribus ciuitatis duodecim ſcripſit Centurias. Sex item alias Centurias, tribus à Romulo inſtitutis, ſub iiſdem quibus inauguratæ erant, nominibus fecit.

DE CAVSSIS CENTVRIAtorum comitiorum. Cap. II.

TRes erant Centuriatorum comitiorum habendorum cauſſæ: una creandorum magiſtratuum, altera legum ferendarum, tertia iudicij exercendi. ac magiſtratus quidem his Comitijs creabantur omnes, qui & maiores magiſtratus, & patricij uocabantur: præter Dictatorem, Magiſtrum equitum, & Interregem. Erant autem maiores magiſtratus, penes quos erât maiora Reipublicæ auſpicia, ueluti Conſules, Prætores, & Cenſores. Dictatores enim non à populo creabantur: ſed ſi Senatui uideretur, iubebatur Conſul Dictatorem dicere: hoc eſt, quem uellet, modò ex Conſularibus aliquem, nominare, qui Dictator eſſet. Tum Conſul captatis auſpicijs, oriente nocte, ſilentio Dictatorem dicebat, qui deinde Magiſtrum equitum quem uellet dicebat. Interregem autem Patricij prodebant: hoc: eſt, unum aliquem ex ſuo numero deligebant, & declarabant, qui magiſtratū Curulem quinq; dierum gereret, nō aūt à populo creabatur. Animaduertendum etiam eſt, his Centuriatis comitijs Proconſules interdum creatos: quod ex lib. Liuij 36. perſpicitur, ubi Centuriatis comitijs P. Scipionem 24. fermè annos natum creatum fuiſſe Proconſulem, & eum ſummo imperio in Hiſpaniam profectum ſcribit. Videntur etiam Reges ſacrorum iiſdem Comitijs creari conſueuiſſe. eius enim ſacerdotium magnum illuſtreq; fuiſſe conſtat: ut qui in Regis locum (quod quidem ad ſacra attinet) ſucceſſerat ideoq; ei & nomen regis, & ornatus Regius relictus erat. magnitudo igitur ſacerdotij efficit, ut probabile ſit, quoniam à populo conferretur (quemadmodum Gell. auctor eſt) iis potius comitijs quibus maximas quaſq; dignitates dare ſolebat, quæ erant Centuriata, creari ſolitum hunc ſacerdotem, quàm alijs. Itaq; ſub illa prima cauſſa magiſtratuum creandorum Regis quoq; ſacrificuli creandi cauſſam cōprehendimus: non quod Rex ſacrorum magiſtratus eſſet, ſed quòd dignitas quædam tamen eſſet, quæ à populo non alia ratione quàm magiſtratus daretur. De Decemuiris uerò qui legibus ferendis creati ſunt, & de Tribunis militaribus Conſulari poteſtate, quos hiſtoria certum eſt, comitijs Centuriatis creatos, propterea nihil dicimus, quod iam dudum ille magiſtratus Romæ creari deſierat.

Sequitur altera cauſſa, legum ſcilicet ferendarum: quo uerbo etiam rogationem cōplectimur, qua bellum à populo iubebatur. Leges autem non omnes, ſed eas quæ à plebiſcitis diſtinguuntur, intelligimus: quæ apud ueteres tum Centuriatæ, tum Conſulares appellantur Centuriatas autem hoc uno ueluti ſigno cognoſcemus, quòd quæ leges ferebantur à maioribus magiſtratibus, hæ ferè Centuriatis comitijs ferebantur: præſertim ſi auctoritate Senatus ferrenrur, ac de re quapiam maioris momenti eſſent: ueluti leges duodecim tabularum. Diximus autem ferè ita factitatum fuiſſe quia perpetuum non erat, ut quas leges ferrent maiores magiſtratus, eas Centuriatis comitijs ferrent. ſcribit enim Cicero primo libro ad Atticū à M. Piſone Cōſule rogationem latam ad populum, de religione à P. Clodio contempta: quum in comitio latam fuiſſe teſtatur, unde apparet non fuiſſe huius legis comitia Centuriata, ut quæ intra pomœrium haberi non poſſent. Belli etiam indicendi cauſſa ferri legem iiſdem comitijs ſolitam, patet ex quarto Liuij, ubi rogationem de

nem de bello Macedonico ab omnibus centuriis antiquatam ſcribit. Non iiſdem tamen comitiis,ſed Tributis pacem iuberi ſolitam, poſtea ſuo loco demonſtrabimus.

Tertia comitiorum Centuriarorum cauſſa eſt,uti iudicium de perduellione fiat, hoc eſt de eo qui ſe hoſtili animo in Rempublicam geſſit. nam maieſtatis quidem iudicium in foro, à certo Prætore exercebatur: perduellionis uerò à populo, in campo Martio, per Centurias diſtributo. Scribit enim Cicero pro Sextio cum & ſacratis legibus,& duodecim tabulis ſanctum eſſet, ut neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite ciuis, niſi Centuriatis comitiis rogari. Itaque & Tib. Graccho quod nimis ſeuerè cenſuram gerēdo ciuitatem exaſperaſſet, M. Pompilius Tribunus plebis diem perduellionis ad populum dixiſſe traditur à Valerio:& C.Rabirium eiuſdem criminis accuſatum,in cāpo Martio Cicero ea quæ extat oratione defendit.

DE PERSONIS, QVARVM interuentu Centuaria comitia fiebant Caput III.

Centuriata comitis non niſi à maioribus magiſtratibus haberi poterant. in iis enim & maioribus auſpiciis, & maximo imperio opus erat. itaq; habebant Conſules, Prætores, Cenſores, Dictatores,& Interreges. ac magiſtratuum quidem maiorum, quos ſolos his comitiis creari ſuprà oſtendimus, comitis Conſules ferè ſemper habebant. Itaq; & Conſules creabant, & Prætores. Etenim non modò Conſules, ſed ne Prætores quidem à Prætoribus creari ius erat. Conſules, quòd maius imperium à minore rogari ius non erat: Prætores autem, cum ita rogarentur ut collegæ Conſulum ſint, quorum eſt maius imperium. Porrò autem ſorte id alteri è Conſulibus eueniebat, niſi inter ſe de ea re comparaſſent. Cenſorum præterea comitiā Conſules habebant. At ſi fortè uel contentione ordinum, aut magiſtratuum, uel candidatorum ambitu, uel alia ratione perfici ante anni exitum comitia nouis magiſtratibus creandis non potuiſſent, dum patritios conuenire oportebat ad prodendum ex ſuo numero Interregem, qui dies quinq; imperaret, à quo alius deinde creabatur: eodemq; modo alii atq; alii ſinguli quinq; diebus creabantur, donec ſubrogati eſſent ab aliquo ex iis Conſules, qui ſtatim inirent magiſtratum. Non fuit tamen moris, ut ab eo qui primus Interrex proditus erat Comitia haberentur: ſed uel à ſecundo, uel ab inſequentibus: ſic ut ad undecimum etiam Interregem aliquando peruentum ſit. Legum uerò ac iudiciorum comitia Centuriata habere ſolebant, nec omnes tamen magiſtratus. Primum enim leges conſulares quæ paſſim reperiuntur apud auctores, ſatis oſtendunt legibus ferendis Conſules comitia Centuriata habere: & in judicio Manlii Conſules comitia habuerunt: & lex Hortenſia, quam tulit Dictator Q.Hortenſius, ut plebiſcita omnes tenerent: & Aemilia, quam tulit Aemilius Mamercus, ut cenſura ſeſquiannua eſſet: & omnes Corneliæ L. Syllæ, argumento ſunt, Dictatores legibus ferendis Comitia habuiſſe: & Dictator L. Quintius, iudicium ad quod maximè creatus erat,exercebat cum Sp. Melius à magiſtro equitum C. Seruilio Ahala interfectus eſt. Iam uerò ſi in urbe Conſules non eſſent, Prætorum ac præſertim urbani ſummum imperium fuiſſe,Cicero & Gellius demonſtrant. unde ſequitur, ſiue legum, ſiue iudiciorum comitia Centuriata habenda fuiſſent, Prætorum fuiſſe cum populo agere, cenſores autem Centuriatis comitiis legem tuliſſe, nunquam legimus: & cum leges cenſorias apud auctores reperimus, pro cenſorum ſubſcriptionibus, aut locationibus à cenſorib. factis accipi debent. Interreges uerò legum aut comitiorum iudicia habuiſſe, nunquam legitur. Sed nec ijs ea comitia habere licuiſſe argumento eſſe poteſt imperii breuitas, quæ promulgari perferriq; leges pati non poterat: tum uerò quòd in Interregno nihil prius agere cum populo licebat quàm ſubrogati eſſent magiſtratus ordinarii: ſic nec magiſtrum equitum habuiſſe unquam comitia legimus: fortaſſe quòd dictatorem ſequi, eiq; parere illum oporteret. Ex his uerò qui magiſtratus, non eſſent,ſolos pontifices ius habuiſſe cum populi agendi reperio: nimirum ut Regem ſacrificulum comitiis Centuriatis crearet. nam ut ceteris in rebus ſumma erat poteſtas magiſtratuū, ita in ſacris curandis maxima erat pontificum poteſtas: ideoq; de ſacris cum populo agendi ius pro ſua dignitate habuiſſe credendum eſt. SEQVITVR ut de iis perſonis dicamus, quæ comitiis Centuriatis ſuffragium ferebant. Exiſtimo autem equidem ipſas quidem centurias omnes ſuffragii ius habuiſſe,non tamen omnes ciues qui ſingulis centuriis continerentur. Quos enim cenſores ignominiæ cauſſa in Ceritum tabulas referebant, eos iure ſuffragii priuabant. utcunque ſit, omnes ciues Romani ſi modò pleno iure ciues eſſent, ius ferendi ſuffragii comitiis Centuriatis habebant. Quo in numero municipis,coloniæ, & præfecturæ Italiæ comprehendebantur. Adeſſe præterea his ipſis comitiis ſolebant diribitores, rogatores, cuſtodes, & præcones. Erant autem diribitores qui tabellas populo per centurias miniſtrabant: a diribendis, hoc eſt diſtribuendis tabellis ſic dicti. non enim populus ipſe domo ad comitia tabulas afferebat: ſed in comitiis ab illis diribitoribus accipiebat. Rogatores autem erant qui ciſtam deferebāt, in quam tabellas

tabellas ſuffragii populus conijciebat: quod mul
to tempore faciebant antequam tabella ſuffragi-
um ferri à populo cœptum eſſet: quo tempore di
ribitoribus non opus erat, ſed eo ſolum qui ro-
garet ſuæ centuriæ ſententias, quas poſtea refer-
ret. colligebant enim centuriatim ſuffragia prius
uoce, poſtea tabellis. Cuſtodes porrò erant qui
præter id quod obſeruabant, ne quid fraudis com
mitteretur in ſortitionibus & ſuffragiis dicendis,
deſcribebant etiam cuiuſq; centuriæ educta è ci-
ſta ſuffragia: ut inde appareret, quæ eſſet illius
centuriæ ſententia: quam ſententiam tum præ-
cones magna uoce pronunciabant. Animaduer-
tebant etiam ne quid uel magiſtratus ipſi in ſor-
tiendo fraudis admitterent. Præterea poſt lata
ſuffragia, in quibuſdam tabulis numerum ſen-
tentiarum punctis notabant. Et, quoniam tanti
intererat à prærogatiua centuria renunciari, ut
ferè ſemper prærogatiuam reliquæ centuriæ ſe-
querentur: idcirco ut ne hic fraus ulla fieret, exi-
ſtimo à ſingulis candidatis dari ſolitas ſingulas ta
bellas quibuſdam ſuis amicis, qui notarent in ſua
quiſq; tabula numerum ſuffragiorum, quibus ſui
candidati creati eſſent: qui numerus punctis no-
tabatur. unde fit ut puncta pro ſuffragiis à Ci-
cerone dicantur. Vt uerò prærogatiuæ centu-
riæ præficiebatur candidato primus cuſtos, ita
aliis centuriis alii præficiebantur cuſtodes. Po-
ſtremò illud intelligendum eſt, non fuiſſe per-
petuum, ut ſenatores primarii in comitiis roga-
torum, diribitorum, & cuſtodum munere fun-
gerentur: ſed ſi quando uellent comitia omni non
modò fraude carere, ſed etiam ſuo miniſterio
cohoneſtari, uel quia magna res ageretur, uel
quia id honori alicuius tribuerent. Ac magiſtra-
tuum quidem comitiis cuſtodes ab ipſis candi-
datis præficiebantur: ut iam dictum eſt. Roga-
tores uerò ante tabellas quidem populo datas, ex
ipſis deſumebantur centuriis aliqui uiri graues.
ſed poſt tabellarias leges latas, rogati opinor ab
eo qui comitia habiturus erat, operam ſuam pu-
blicè in ea re præſtabant ii homines, quos bona
fide ſuffragia collecturos exiſtimaſſet: uel ſua ſpō
te id honori amicorum tribuebant aliqui uiri gra
ues. Quod idem ut de diribitoribus ſentiam, eo
adducor, quod non quemadmodum præconum
erat ordo quidam ac uelut collegium ſodalitasve
quibus hoc erat munus proprium, ut præconium
facerent, ita diribitorum ordo cui hoc onus in-
cumberet, ut tabellas populo diriberent: ſed ip-
ſi interdum ſenatores hoc munus ſuſcipiebant,
ut ex iis quæ diximus planum eſt. Præcones por-
rò certi quidam homines erant, qui faciendo præ
conio queſtum faciebant, quos comitiis reperio
adfuiſſe: primum ut claſſes uocarent: deinde poſt
deſcripta ſingularum centuriarum ſuffragia, ut
magna uoce pronunciarent, quæ eſſet illarum
ſententia. Animaduerti præterea non modò ſin-
gularum centuriarum, ut quæq; ſuffragium dixiſ
ſet, ſententiam à præconib. pronunciari ſolitam,
ſed etiam poſt lata omnia ſuffragia, rurſum quid
populus uniuerſus iuſsiſſet uoce præconis decla-
rari. Sequitur nunc ut de candidatis dicamus.
Erant autem candidati, qui magiſtratum aliquem
petebant: ſic dicti à toga candida quam geſta-
bant, qui ſe magiſtratum petere profeſsi eſſent:
niſi fortè aliqui iam deſignati eſſent: qui ſi alium
magiſtratum peterent, ſine toga candida pete-
bant. Fuit autem in more ut candidati ſine tu-
nica uenirent ad ſupplicandum populo, illa ſola
toga candida, eaq; recincta, induti: uel ne in ſi-
nu geſtarent numos, quos populo diuiderent:
uel potius ut dignos magiſtratu non genere, non
opibus, non gratia, ſed uulneribus & cicatrici-
bus populus iudicaret: quæ ut ab iis conſpice-
rentur quos ambiendo prenſabant, ſine tunica
ad petendum deſcendebant: uel ut perinde huiuſ-
modi nuditate ſupplicum habitum oſtenderent,
atq; ſe prenſando, rogando, ſalutando populo
ſubmittebant. Hi candidati ſuam quidem peti-
tionem biennio antè incipiebant, quam magi-
ſtratum inire poſſent: non eo tantum tempore
quo toga candida induti populo ſupplicabant:
nam eo tantum anno uerè candidati erant, quo
uel deſignari, uel repelli ſuffragiis populi opor-
tebat: & hic propriè annus petitionis dicebatur.
Quin etiam exiſtimo poſt edicta tantum comitia
candida toga illos uſos fuiſſe. his enim indictis
qui petere uellent, profiteri ſe candidatos opor-
tebat: alioqui niſi intra legitimos dies profeſsi
eſſent ſe petere, ratio eorum haberi non poterat.
Quod de præſentibus intelligi uolo: nam etiam
abſentes poterant, tametſi eorum ratio haberi
non poſſet, ſe petere profiteri. Illam uerò ab-
ſentum profeſsionē intelligo, eorum in concio-
ne populi nominationem, & magiſtratus dein-
de per amicos ad populum ſupplicationem. Re-
perio enim eos, qui in prouinciis erant, ſi ad pe-
titionem conſulatus uenire uellent, ſatis habuiſ-
ſe, ſi poſt edicta comitia ueniſſent. Vt Cæſar cum
ex Hiſpania ad petendum conſulatum uenit, e-
dictis iam comitiis urbem ingreſſus eſt ad peten-
dum: ut ſcribit Suetonius. & Marius ad primi
conſulatus petitionem ex Africa deceſsit, cum
duodecim dies ſupereſſent ante comitia: & in iti-
nere ſeptem diebus conſumptis, petitione quin-
que dierum conſulatum obtinuit. Adornabant
igitur ſuam petitionem multo antè tempore qui
magiſtratus petebant: idq; aut per ſe, aut per a-
micos: ſed profeſſos petitionem ſuam ante edi-
cta comitia nuſquam reperimus. Neq; uerò in
profeſsione exiſtimo ſatis fuiſſe candidam togā
inducere, ſed etiam ſolenni ad populum nomi-
natione, quæ in concione ab aliquo magiſtratu
data, fieret. ut omittam quòd abſentes profite-
ri poterant: quæ ſine toga candida profeſsio ne-
ceſſariò

neceſſario fiebat. cādida aūt toga petitionis ſignū erat, ut a populo dignoſcerent̄, qui adirēt magiſtratus.quādiu.n. retinebant̄ toga cādida,tādiu perſtare ī petitione:ea depoſita,& petēdi uoluntatē depoſuiſſe cādidati cēſebātur.Iā uerò ne populus magiſtratū alicui mādaret īdigno,aut contra leges,publicè intererat cōſiderari cādidatorū cauſſas à magiſtratibus,& cōſilio publico:quæ deinde ad populū allegatæ efficiebāt,ut eorū tm̄ qui digni eſſent , rationē comitijs habere uellet. Ac ſæpe ēt cōtra populi ſtudia manifeſta,magiſtratus iudicio,aut ſenatus decreto excludebant̄ ſuffragijs populi nōnulli cādidati.Quod uerò ſuprà negauimus a cōſule qui habiturus eſſet comitia , nomē cādidatorū recipi,ad id tēpus nō pertinet,quo ī cāpo habebāt comitia,ſed ad initiū petitionis ī cādida ueſte , & ad ſimplicē profeſsionē . Nā qui ex cādidatis digni uidebant̄ quorū ratio haberetur, eorū nomē cōſul recipiebat:hoc eſt,populi ſuffragio permittebat , ut ex ijs deſignaret quos uellet : adeoq́; eū nomē cādidatorū recipere oportebat , ut omnino ſuffragio populi excluderet̄,cuius nomē nō recepiſſet. Ac ſi quē populus deſignaſſet,cuius nomē accipere nollet, nihil eo deſignādo populus perficere poſſet,quādo ei liberū eſſet populi cōſiliū dimittere cū uellet . ſanè poſt latas leges tabellarias, quia de publico ſuppeditabāt tabellæ ſuffragij,iā ante comitia cādidatorū nomina publicè recepta eſſe oportebat:ut nomē eorū publica auctoritate ī tabellis ſcriptū populo daret̄.Notādū eſt etiā , ordinariū fuiſſe,ut poſt edicta comitia trinundini ſpaciū relinqueret̄ ante diē comitiorū:partim ut ad eū diē populus undiq; ex Italia cōuenire poſſet,partim ut cādidati populo frequētiori,& nō modò urbanæ , ſed etiā ruſticanæ multitudini ſupplicare poſſent.ex quibus cōſequēs eſt,qm̄ cādidati poſt edictum cādidā togā ſumebāt,quā poſt comitia deponerēt , ſi modò ad diē præſtitutū comitia fierēt,ordinariū fuiſſe,ut nō multo plus q̄ trinundini ſpacio uerè candidati eſſent: hoc eſt , cādida toga īduti.Cauſſas aūt cur cādidatorū interdū ratio nō haberetur,multas fuiſſe reperio.una erat in ætate. Quia.n.lex erat,qua certi quidā anni conſtituti erāt , ante quos nō liceret magiſtratū capere : ea erat legitima cauſſa cur ratio alicuius nō haberet̄,ſi ante annos lege cōſtitutos ad petēdū magiſtratū deſcēderet. Nā primū cōſtat nulli ciuiū Romanorū licuiſſe ullū magiſtratū urbanū gerere,qui decē annos nō militaſſet. Quòd ſi militaris ætas fuit an. 17. relinquit̄ ante ſeptimū & uigeſimū annū magiſtratū urbanū gerere nō licuiſſe,niſi quis legibus ſolueret̄: quēadmodū de Pōpeio, Octauiano, Africano , alijsq́; permultis factum fuiſſe legimus. Legibus aūt annalibus Aedilitia ætas fuit an. XXXVII. Prætoria, ann. XL. Cōſularis. anno XLIII. adeò ut petere Aedilitatem non liceret ante annum ætatis XXXVI. Præturā ante annū XXXIX. Conſulatū ante XLII. Quoniā autē magiſtratū petere licebat decē peractis ſtipendijs,primus autē magiſtratus urbanus erat Quæſtura: hinc fit ut quæſtoria ætas eſſet primū XXVII. ætatis anno, ījs qui ætatis legitima ſtipēdia feciſſent . Hac ætate uterq; Gracchus quæſtor fuit:ijdemq́; XXX. anno ætatis Trib. ple. fuerunt. Ex quo etiā colligo, Tribunitia ætatē fuiſſe anno XXX. Altera cauſſa quamobrē eius qui petebat ratio nō haberetur,erat in ordine petendi magiſtratus . nā lege Cornelia uetitū erat,ne cui præturā petere liceret,niſi qui quęſtor fuiſſet:neque conſulatū,niſi qui prætor fuiſſet : itē ne niſi decennio interiecto eundē magiſtratū petere liceret.

Erat porrò & alia,lex qua uetabatur ne in magiſtratuū comitijs , abſentum ratio haberetur. Quare legibus ſolutos fuiſſe intelligendum eſt omnes, quos abſentes creatos reperimus . Poſtremò ſi qui turpi iudicio damnati eſſent , in perpetuum omni honore ac dignitate priuati erāt . Ac de cauſsis quidē ob quas nomina candidatorum interdū non reciperentur,hactenus. Rationem aūt petendi cādidatorū latiſsimè explicat liber Q. fratris, De petitione cōſulatus. Pauca tamē quædā ex hiſtoria ſubijciā. Animaduerti enim conuenire in forum ſolitos candidatos,ut populo ſupplicarent.quod non tantum de urbana multitudine intelligēdum eſt,ſed etiam de ruſticana,quæ nundinis in urbem cōuenire ſolebat.Illud quoq; ex Valerio intelligitur , ſolitos fuiſſe candidatos , ſingulorum manus quos rogabant apprehendere . Vnde effectum eſt, ut prenſare pro eo quod eſt ambire magiſtratum , tam ſæpe accipi reperiatur. Scribit etiā Macrobius , candidatis uſum fuiſſe olim in comitium nundinis uenire , & in colle conſiſtere , unde coràm poſſent ab uniuerſis uideri . Candidatos præterea reperio ſolitos ſecum adducere non modo in forū, ſed etiam in cāpum,uirum aliquē gratioſum apud populum, qui ſuo nomine peteret. lex porrò fuit quæ uetabat ne ſeruos nomēclatores candidati circumducerent , qui dominis ſuis nomina ſingulorum,ut quiſque obuius fiebat, ſuggerere ſoliti erant:quam tamen legem candidati non ſeruabant. præterea fuiſſe hoc in laboribus cādidatorum intelligimus,ut ſalutarent, nominatimq́; benignè appellarent ſingulos ciues,ut quiſq; ſe eis offerebat. Non fuit autem neceſſe,ut ſi quis candidatus magiſtratum quem petierat non obtinuiſſet,deponeret ueſtem candidam:ſed ad alium petendū uenire poterat. Nam in ipſo etiam campo , die comitiorum candidati populo ſupplicare ſolebant . Quod tamen antè faciendum erat,quàm miſſæ in ſuffragium tribus eſſent ab eo qui comitia habebat. Corrumpendorū aūt ſuffragiorū rationes complures erant. prima cū tributim aut centuriatim numi populo dabantur:hoc eſt , certa quædā pecuniæ ſumma diuidebatur in tribus,aut centurias,quas quis uellet corrumpere. Quā ad rē comparari ſolebant certi homines,huiuſce operis uelut redemptores,quos diuiſores appellabāt. Hi certo quodā precio accepto a candidatis,aut uerò ab amicis,qui ſe ſequeſtres,īterpretesq́; in eorū cauſſa interponebant , corrumpenda plebis ſuffragia ſuſcipiebant . quorū ego munus neceſſariū reipublicæ fuiſſe arbitror ex eo, ꝙ largitiones populo fieri legibus nō prohibitas , tā frequens uſitatumq́; erat , ut neceſſe fuerit eſſe certos homines qui operā ſuā hac in re populo præſtarēt. Imperatores.n.cùm uictores ad triumphū redibant, ſæpe reperiuntur congiariū populo dediſſe. Præterea teſtamento ſępe populo aliquid legabatur:in funeribus magnificis populo fieri largitio ſolebat . Deniq; ob alias multas cauſſas ab ijs qui populi fauorē captabant, largitiones populo factas reperimus . Hinc tria a Milone cōſūpta patrimonia: hinc illud epulū pop. Ro. à M. Craſſo datū,& tres minæ in ſingula ciuiū capita:hinc apud Suetoniū Auguſtus Fabianis,& Scaptienſibus tribulibus ſuis die comitiorū,ne quid a quoquā candidato deſiderarent,ſingula millia numùm à ſe diuidebat . Propter has igitur receptas Romæ largitiones,erat miniſteriū diuiſorum publicè neceſſariū. Neq;.n. exiſtimandum eſt , omnem numorum per tribus diuiſionem fuiſſe legibus ambitus prohibitam:alioqui legitimos

non habuiſſent diuiſores ſingulæ tribus. Sunt & aliæ corrũpendorũ ſuffragiorũ rationes legibus prohibitæ, quas, quia leuiores ſunt, breuitatis cauſſa prætermitto. atq; illa quidẽ ſufficiãt de candidatis. Nunc perſonas comitiorũ, quæ habentur aut legibus ferendis, aut iudiciorũ cauſſa, perſequamur. Ac legibus quidẽ ferendis nõ aliæ perſonæ interueniebant, quàm quæ cõmunes erãt aliis centuriatis comitiis. Vnũ hoc propriũ uidetur, ꝙ quoniã legẽ antè recitari oporteret, quàm populus ſuffragiũ diceret, ad eã rẽ ſcribas interuenire oportebat. Subiiciente.n.ſcriba, legẽ recitabat præco. Tũ uerò audiri eos oportebat, q de lege ad populũ dicere uolebant, aut ſuadẽdi aut diſſuadẽdi cauſſa. Qua de re in modo legũ ferendarũ explicãdo agemus. In comitiis uerò centuriatis iudiciorũ cauſſa, niſi accuſator is eſſet qui cẽturiata comitia habere poſſet, præter eas perſonas quas omnib. centuriatis comitijs adeſſe oſtẽdimus, interuenire primùm eũ oportebat, qui diẽ perduellionis ad populum dixiſſet: tum uerò defenſorem qui pro reo diceret: poſtremò & ipſum reũ ſordidatũ, cũ amicis qui populo ſupplicarent, priuſquam in ſuffragiũ mitteretur. Niſi fortè exilij cauſſa ſolum ante diem iudicii reus uertiſſet: quemadmodũ feciſſe Camillũ, Coriolanũ, Seruiliũ Ahalã, Cæſonẽ Quintiũ, & Ciceronẽ ipsũ in hiſtoriis legimus.

DE MODO COMITIORVM CENTVriatorum. Cap. IIII.

ANTE comitia centuriata edictum præmitti neceſſarium erat, ut ad quam diem conuenire populus deberet, multò antè intelligeret. Vnde fit ut in omni hiſtoria tam ſæpe reperiantur conſules comitia edixiſſe, ſcriptumque in tabella proponi publicè hoc edictum ſolebat. Et quoniam comitiis etiam adeſſe ex agris homines oportebat, qui in urbem ferè niſi nundinis, hoc eſt nono quoque die non ueniebant, propterea edictum illud per plures dies publicè extare neceſſe erat, ut populo uniuerſo notum eſſet. Quod ita accipi debet: ſi modò nihil accidiſſet quod impedimento eſſet, ne legitimo tempore comitia haberentur. Nam ſi quando res ad interregnum rediſſet, poſt præmiſſum ab Interrege edictum, nõ poterat tantum temporis interiici. Erat enim Interregis imperiũ quinque tantum dierum: poterat autem ſecũdus Interrex comitia habere, ut ſuperius oſtendimus. Iam uerò ſuperioribus temporibus, quibus conſules bellis urgentibus in urbe eſſe non ſolebant, ſæpe accidebat, ut in exitu annus prope eſſet, necdum tamen ſubrogati magiſtratus eſſent. Eo tempore interdum reperimus propter neceſſitatem ſubrogandorum magiſtratuum, paucis poſt edictum diebus, habita fuiſſe comitia. At temporibus ætati Ciceronis proximis Conſules totum ferè annum ſui cõſulatus agebant in urbe, nec ad exercitus, aut in prouincias, niſi ad finem anni proficiſcebantur. Vnde fiebat, ut legitimo tempore comitia magiſtratuum ceſſarent. De obnunciatione ſatis multa ſuprà dicta ſunt: de interceſſione nunc paucis dicendũ. Interceſſio tametſi penè tota, Tribunis ple. eſſet, ut qui creati antiquitus uiderentur non iure dicundo, nec cauſsis quæſtioniſque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis: tamen aliis etiam magiſtratibus pro ſuo imperio conueniebat. unde in legibus Ciceronis ſcribitur, Par maiorve poteſtas plus ualeto. Qua lege ſignificatur, parendum eſſe interceſſioni paris aut maioris poteſtatis, unde efficitur, intercedendi ius fuiſſe collegis inter ſe & maioribus poteſtatibus. Quare Conſules inter ſe Prætoreſque & Tribuni intercedebant: & Conſules ceteris magiſtratibus, non modò intercedere poterant, ſed etiam ius habebant ab omnibus magiſtratibus & comitiarum & cõcionẽ auocãdi. In quo tamẽ excipiendi ſunt Tri. pl. quorũ actionib. interceſsione impediẽdis ſoli collegæ ius habebant. Quia in intercedendo maior ijs poteſtas erat, q̃ reliquis omnibus magiſtratibus. in agendo. Quò fit, ut ceſſantibus omnibus imperijs, creato Dictatore, adhuc intercedendi poteſtas Trib. pl. relinqueretur. Ac ceteris quidẽ in reb. q̃ uel à ſenatu, uel à magiſtratib. publicè fiebant, interceſsionẽ locũ habuiſſe nemo ignorat. In comitijs uerò cẽturiatis an locũ habuerit, & quãdo interponi ſoleret, magis dubiũ eſt. In magiſtratuũ tamẽ comitijs locũ habuiſſe Liu. lib. 7. demõſtrat. Hoc uerò efficiebat Tribunorũ interceſsio, nõ ut populum uocare nõ poſſet Cõſul, qđ nemo ei uetare poterat: ſed ne quid his comitijs ſuffragijs populi peragi poſſet. In legum uerò comitijs certũ eſt interceſsioni locũ fuiſſe. Intercedere aũt ſolebãt magiſtratus, nõ cũ lex promulgabatur trinũdino, ſed eo die quo ferebatur. Neq;.n. Tribuni uetare poterant, ne quiſquã cõcionẽ haberet promulgandæ ſuæ legis cauſſa: ſed ne populus acciperet legem, quæ inutilis aut pernicioſa uideret. Itaq; quãdiu promulgabat, licebat oratione diſſuadere legẽ: cũ uerò ferebatur, interceſsio ĩterponẽda erat, ne a populo acciperetur. Hæc aũt ſuffragiorũ interruptio potiſsimũ accidebat in comitijs magiſtratuũ: quia niſi initis iã ſuffragijs, uix apparebat in hmõi comitijs q̃dquã contra leges fieri: q̃ erat maxima cauſſa, cur ſe Tribu. ĩterponerẽt ad impedienda comitia quæ ita fierẽt. Quòd ſi magiſtratus nec obnunciatione nec interceſsione ĩpedirẽt, quo poteſtas fieret populo: & ut inde liceret librarijs deſcribere, ſi qui uellet legẽ apud ſe habere. Qui aũt legẽ ita publicè ꝓpoſuerat, ꝓmulgaſſe dicebat, quãuis ad populũ nõdu eã ferre cœpiſſet. tametſi nõ negauerim quin dicaẽ etiã legẽ ꝓmulgare, quin trinũdino ad populũ de ſua lege dicit. Itaq; ſentio uerbũ promulgãdi ſignificare omnẽ rationẽ edẽdę ĩ uulgus rei, ſiue uerbo, ſiue ſcripto: nõ autem pro altero tantũ accipi. Ergo quomodocũq; lex ĩ uulgus edebatur, promulgari dicebatur: cùm uerò ſcripta publicè exhibebatur, proponi dicebatur. In quo obiter id obſeruãdũ eſt, ſolitos eos qui legẽ ita ꝓponerẽt, nomen ſuũ adſcribere. Atq; huiuſmodi proſcriptio antè fiebat, quàm legem quis ferre inciperet. Nam etſi ferè cõcionẽ habere ſolitos reperiamus legũ rogatores priuſquã legẽ proponerẽt, ĩ qua cõcione populo neceſsitatẽ & utilitatẽ proponendæ legis oſtẽderent: attamen legẽ ferre adhuc nõ dicebantur, ſed præterea neceſſariũ erat trinundinũ ad legẽ promulgandã. Poſt hãc igitur legis propoſitionẽ trinundino etiã promulgãda erat. Promulgare aũt trinũdino, eſt legẽ quã propoſueris, trib. diebus nũdinarũ aduocata cõcione ita recitare, ut de ſingulis capitib. populũ & doceas, & doceri adhibitis alijs ſuaſorib. facias: data iterim facultate, ut q uolet, legẽ improbare diſſuaderéq; poſſit. Nũdinarũ.n. diebus feriæ Paganorũ erãt, id eſt Ruſticorum, quibus conueniunt negocijs proprijs uel mercibus prouiſuri, fiebantque nono quoque die. Itaq; cùm frequẽtior tũ eſſet populi multitudo, ꝓpterea ĩſtitutũ erat, ut illis potiſsimũ dieb. leges ꝓmulgarẽt. Quo tpe legi ꝓpoſita nõ mõ a magiſtratib. doceri populũ oportebat, ſed ẽt a priuatis, data eis cõcione a magiſtratu. Solebant

lebāt.n.qui legē ferre uolebāt,ſibi uirū aliquē magna auctoritate præditū,cōciliare & adiungere,q̄ populo ſuaderet ut legem acciperet:isq; legis auctor appellabatur. Obſeruatu ēt dignū eſt, q cui lex ita trinundino promulgabatur,ſolebat populus ſignificationē dare acclamationibus legē ſibi acceptā eſſe,aut nō eſſe,antequā dies ſuffragij ueniret.hoc.n.eſt,qđ toties Cic.prædicat, decretis Italię ter ſe reuocatū eſſe.Neq;.n.de ſuffragiis intelligi hoc pōt: præſertim cū tot comitiis eādē legē iuberi abſurdū ſit, & nūdinis comitia habere fas nō eſſet,ut poſtea docebimus. Recitabāt ergo tribus nundinarū dieb.lex ī cōcione ſimulq; docebatur ſingulatim populus,& rogabatur ut legē accipere uellet:proditaq; die qua comitia haberētur,legis ferēdæ cauſſa, ut ad illā diē frequēs adeſſet,rogabatur. An uerò qui trinūdino ita promulgabat legē,ferre eā diceret,antea ſolū die qua populus erat ſuffragiū dicturus,ego de ea re ſic ſentio,uerè quidē ac propriè ferri legē,cū populi ſuffragijs cōmittitur: ideoq; cùm apud auctores reperimus diē ferendæ legis,de die comitiorū intelligimus:quin tamen legē etiā ferre diceretur, qui trinundino promulgabat, negari nō pōt.Neq;.n. aliud ſignificat legē aut rogationē ferre,ut Græcu uerbū εἰσφέρειν oſtendit,quā ī medium adferre. Quoties igitur cōcionē quis uocabat, ut ſuā legē populo exhiberet, toties ferre legē dicebat.Quia tamē illo trinūdino magis cognitionis cauſſa lex populo exhibebatur,q̄ ut eius ſuffragijs tū cōmitteretur , propterea illa uerius promulgatio legis, q̄ latio uocabatur. Ac de legū quidē promulgatione hactenus. Nūc ī iudiciis quid ante diē comitiorū fieri oporteret,pauca dicamus. Primū igitur ante comitia iudiciorū oportuit trinundino prodi diē,quo haberentur comitia. Et quoniā priuilegiū quo perduellionis crimē iudicabatur, lex erat Centuriata,ut ſuprà demōſtrauimus: propterea omnib. Centuriatis legibus cōmune eſſe dicimus,ut trinundino proderetur dis comitiorū:nō quo nihil aliud fieret illo trinundino, q̄ ut proderetur dies:ſed quia lege lata iudiciū hoc peragebatur. Tribus illis nundinarū diebus lex in cōcione recitabatur,ceteraq; peragebātur, quæ in legum promulgatione obſeruari diximus. Hoc igit omnibus Centuriatis comitiis magiſtratuū, legū,& comitiorū cōueniēbat,ut eo,quo dixi,modo dies comitiorū ediceretur, & trinundini tempus relinqueretur inter edictū & diem comitiorū. Erat & illud cōiter obſeruādū in omnibus,ut ſenatus auctoritate haberentur comitia Centuriata. Illud etiam animaduertendum eſt,primis quidem temporibus poſt habita comitia,patres auctores fieri ſolitos: poſtea uerò patres ante comitia auctores fieri oportuiſſe. Itaq; Liuius lib.8.ſcribit a Dictatore P.Philone legem latam, ut legum quæ comitiis Centuriatis ferrentur, āte initum ſuffragium, patres auctores fierent:ill ud,inquā,apertè oſtendit,ad illud uſq; tempus, poſt comitia patres auctores fieri, ſolitos:ſed poſt hāc legem, ut patres antè auctores fierent,fuiſſe neceſſe. Deniq; conſtat ī omnib. Centuriatis comitijs fuiſſe neceſſariā ſenatus auctoritatem. Vnde fit, ut ī hiſtoria Liuii,ubi mentio eſt comitiorū magiſtratibus creādis indictorū, ſenatuſcōſultū præceſſiſſe reperiamus. Iā uerò illud intelligendū eſt,nulla Centuriata comitia iure haberi potuiſſe: niſi captatis antè auſpiciis. Captare autem auſpicia, erat ex auibus, ceteriſq; ſignis auguralis diſciplinæ propriis, Iouis uoluntatem īterpretari. Erāt.n.Romani iam inde ab Romuli ac Numæ inſtituto religionis obſeruantiſſimi: ut ferè nec publicè, nec priuatim quicquam aggrederentur diis inconſultis. Dionyſius tamen li.2.ſcribit poſtremis temporib. auſpicia comitiorū tm̄ ad uſurpationem quandā antiquitatis retenta fuiſſe:& eos, qui magiſtratum accepturi eſſent, prima luce loco aperto expoſitos diis ſupplicaſſe. Tum ex augurib.publici s qui aderāt, nōnullos nunciaſſe illis fulgur ſiniſtrū,quod omnino nō factū ſit. Illos augurium ex uoce accipientes,abiiſſe magiſtratum accepturos:alios qui de ſatis eſſe exiſtimantes, nulla ſibi aduerſa auſpicia fuiſſe:alios uerò etiā repugnātib.diis. Qui igitur comitia Centuriata erat habiturus,ut auſpicato habere comitia uideretur, priuſq̄ in cāpum ueniret,in arce aut alio quodā ſed intra pomœrium loco auſpicabatur,ibiq; augurem quem ſibi in auſpicio eſſe iuſſerat,non tā cōſulere Deos iubebat, quàm bona eſſe auſpicia pronunciare. Itaq; ex uoce Auguris uerius q̄ ex ullo ſigno,ex auib. aut ex cœlo ſumpto,auſpicabatur. Seruādi uerò de cœlo uetus quidem hæc erat ratio,ut magiſtratus adhibita augure ſeruaret ipſe de cœlo,nō oīa alteri crederet. At Cic. ætate pullario omnia credebat ipſe,nō auſpicabatur. Præter auſpicia autem erāt ſacra quædā legitima,quæ fieri a magiſtratu ante comitia Centuriata oportebat:in quib. hoſtiæ immolabant. In quo finem facio tractādi de iis,q̄ ante comitia ſpectāda eſſe diximus. Nā ſi edicto ante propoſito,req;per multos dies antè promulgata,ſenatus auctoritate ſacris factis auſpiciis addicentibus,nullaq; obnunciatione interiecta, Centuriata comitia maior magiſtratus habere uellet, nil omiſerat eorum quæ ad legitimum modum comitiorum ante ipſa comitia requirebātur. Deinceps ſequitur,ut de iis agamus, quæ in ipſis comitiis obſeruabātur. Pop. R.cui quidem ius erat ſuffragii,ad diem edicti cōueniebat in cāpo Martio:atq; ibi priuſq̄ ī Centurias diſtribueretur,habebat magiſtratus cōcionem ad populum,qua rogabatur ut id quo de ageretur, iubere aut uetare uellet. At ſi magiſtratuum quidem eſſent comitia, ſolebat is qui habebat comitia rogare populum, ut ex iis candidatis quorum haberi rationem oporteret,quos tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos uellet Cōſules,

Prætores, Cenſoresve. Neq; tamẽ cũ uoce quidẽ
ſuffragiũ ferebatur, neceſsitas ea ratione populo
imponebatur, ut nõ poſſet alios quà m cãdidatos
facere: ſed libera ſuffragia relinquebãtur, ut ex om-
nib. ciuib. crearet quos uellet, ſi modò ii eſſent,
quorũ ratio haberi legib. poſſet. Quinetiã legibus
ſolutos ſæpe reperimus multos, ut creari poſſent,
uel ante legitimã ætatẽ, uel abſentes, uel decẽnio
nõdũ ĩterpoſito inter eundẽ magiſtratũ. Et mul-
tos qui nõ peterent, creatos inuenimus. Verũ iſta
euenire nõ ſolebãt, niſi ea tẽpora eſſent in quibus
magna uirtus alicuius reip. neceſſaria uidebatur:
quæ ĩ petẽtibus tãta nõ erat populo cognita. Or-
dinariũ aũt ac legitimũ erat, ut ex cãdidatis crea-
rent magiſtratus. Poſt leges tabellarias creari po
terant ij tantũ, quorũ rationẽ haberi debere antè
iudicatũ eſſet, ut tabellis nomen eorũ ſcriberet.
Quod aũt ĩ magiſtratib. dixi, debet idẽ ĩ comitijs
regis ſacrorum intelligi. Neq; uerò huiuſmoi cõ
ciones anteq̃ populus ĩ ſuffragium mitteret, habi
tas tñ reperio, ſed iterrupta iterdum comitia, ad
emendãda populi ſuffragia. Sin legũ comitia eẽnt
anteq̃ populus ĩ ſuffragium mitteret: primũ lex re
citabat a præcone, ſubiiciẽte ſcriba: tum oratione
docebat populus deniq; rogabat ut eã legẽ acci-
pere, & ſuffragiis ſuis iubere uellet. Quinetiã poſt
trinundini promulgationem rurſus comitiorum
die recitare legem oportebat, haberiq; orationes
ſuadẽdi & diſſuadẽdi cauſſa. At ſi iudicii cauſſa co
mitia haberetur, idem fiebat qđ ĩ legib. ferendis.
Iudicium eñ populi lege lata fiebat: quę ſi accipe
retur a populo, cõdemnatus erat reus: ſin antiqua
ret, abſoluebat. Erat aũt omniũ actionũ cũ popu
lo cõmune principiũ: Velitis, iubeatis, Quirites.
Ex qua dicẽdi formula nomẽ ortũ eſt rogationis
omnib. cũ populo actionibus cõmune. His pera-
ctis iubebat magiſtratus populũ ĩ ſuas centurias
diſcedere ad ſuffragiũ ferẽdũ: idq; populus ita fa
ciebat, niſi hic obnũciatũ eſſet, aut ab aliquo ma-
giſtratu interdicerent: & niſi ad diẽ edicto præ-
ſtitutũ haberentur. id eo accidebat, ꝙ dies diffun
deretur uel auſpiciis, uel magiſtratuũ interceſsio
nibus. Ac ſi tũ eueniret, ut tãdiu ducerẽtur comi
tia, ut ad interregnũ res rediret, meritò eueniebat
ut primo quoq; tẽpore, ac nõ poſt trinundinũ ha
berẽtur comitia, tãto antè tẽpore ĩdicta, ut nemo
cõqueri poſſet ſuffragio ſe priuari: ſiquidẽ dilata
tñ comitia eſſe nemo nõ ſciret, ſi quid eueniſſet
cur die pręſtituta nõ eſſent habita. Neq; enim no
uum edictum proponebatur, ſi ad diẽ edicti nõ eſ
ſent habita: ſed ĩ proximum diẽ comitialẽ differe-
bãtur. Verum ut illud ſæpe uſuueniſſe ſuperiorib.
tẽporib. cõcedamus, ut paucis dieb. poſt edictum
nõ ĩterpoſito trinundino haberẽtur comitia: æta
te tamen Ci. nõ æquè id fieri abſq; incõmodo po
terat. Superiorib. enim temporibus pauci Italiæ
populi, & urbis uicini ĩ magiſtratuũ comitiis ius
habebant ſuffragiũ. Quare ut ad diem edicti con-
uenire poſſent, lõgo tempore opus nõ erat. At Ci
ceronis ætate qua omnes Italiæ ſocij ciuitate do-
nati erant, ſi poſt edictũ multi dies nõ fuiſſent in-
terpoſiti, quid aliud fuiſſet, q̃ priuari ciues ſuffra-
gio? Ego igitur ſic ſentio, ordinariũ fuiſſe, ut poſt
præmiſſum edictũ ante diẽ comitiorũ interijcere
tur ſpaciũ trinundini, partĩ ut liceret, omni ex Ita
lia Romã ad creãdos magiſtratus uenire, partim
ut eos tẽporis ſpacio ĩ cãdida toga ſupplicare po
pulo liceret. Porrò edictũ huiuſmodi proponẽdi
ijs modò ius erat, quibus habẽdi comitia ſors ob
tigiſſet. Qui enim erat habiturus comitia, is diem
præſtituebat edicto: qđ ĩterdũ ab eo abſente præ
mittebatur, interdũ die a conſule dicta, a prætore
urbis proponebatur. Neq; uerò præmiſſo edicto
tantũ opus erat ĩ magiſtratuũ, ſed etiã in legũ iu-
diciorumq; comitijs: ueruntamen ĩ his edictũ nõ
ut in magiſtratibus, ĩ tabella quæ hoc tantũ cõti-
neret, ſcriptum proponebatur: ſed ſimul lege per
trinundinum promulgãda dies a magiſtratu præ
dicebatur, qua haberentur comitia, nec alio opus
erat edicto. Atq; ante legum quidem comitia hic
modus erat ſeruãdus, ut primum qui legem ferre
uellet, eã publicè propoſitam haberet, poſtq̃ po-
pulum ĩ ſuas centurias diſcedere iuſſerat ad ſuffra
gium dicendum. Tum omnes qui aderant ciues,
quib. ſuffragij ius erat, diſcedebant in ſuas quiſq;
Centurias, ut quo ordine rogabantur ſuffragium
dicerent. quo de ordine pauca dicenda ſunt. Po-
ſteaq̃; x x x v. tribus Romæ fuerunt, hactenus ſer-
uatum fuit Seruii ĩſtitutum, ꝙ ſex claſſes ſemper
relictæ ſunt, ſed hoc mutatum eſt, ꝙ ĩ claſsib. au-
ctus eſt numerus Centuriarum ab eo inſtitutus:
& cum Centuriæ a Seruio ĩſtitutæ nihil pertine-
rent ad tribus, factum eſt poſtea, ut per xxxv. tri-
bus deſcriberentur Centuriæ, ita ut in unaquaq;
tribu pro ratione cenſus Centuriæ cõtinerentur
ſuæ cuiuſq; claſsis. Neq; enim uerum eſſe potuit
quod Liuius multis locis ſcribit, iuniorum & ſe-
niorum Centurias in prærogatiua tribu fuiſſe: ni
ſi quęq; tribus ſuas quaſdã iuniorum & ſeniorum
Cẽturias haberet: præſertim cùm æquè omnibus
tribub. obtingere poterat, ut prærogatiuæ eſſent.
Pręterea paſsim reperitur cenſores ita ſolitos cen
ſum facere, ut ſingulas tribus perſequerentur: in
quib. quo quiſq; cenſu, qua ætate, quo ordine eſ-
ſet, deſcriberetur. unde etiã fit, ut reperiamus in
hac uel illa tribu quempiã cenſum fuiſſe aut cen-
ſeri debuiſſe potius quàm in hac uel illa claſſe.
Quòd ſi cenſum, ætatem, ordineſq; per ſingulas
trib. cenſores deſcribebant, relinquitur ut in ſin-
gulis tribubus fuiſſe dicamus Centurias quaſdam
in quas pro cenſu, ætate, ordineq;, qui ex eadem
tribu eſſent diſtribuerẽtur. Præterea Ci. ꝓ Planc.
Cẽturiã prærogatiuã appellat partẽ unius tribus:
ex quo plures Centurias in quaq; tribu fuiſſe con
ſequitur. Auctum autem fuiſſe numerum Cen-
turiarum ex uerbis T. Liuii apparet, cum
aits

ait:Duplicato earum numerum. De prærogatiua
hoc primum conſtat, eam fuiſſe unam quandam
Centuriam ex una quadam tribu deſumptam,cui
ſorte obtigiſſet,ut prima ſuffragiũ diceret. Neq;
.n.tribus prerogatiua eo appellaẽ,q̃ea tota ſuffra
gium diceret:ſed quia illius tribus cuidã Centu-
riæ obtigiſſet,ut prima uocareẽ. Eo porrò ſortis
genere hac in re Romani utebantur,ut in ciſtam
quandã ſortes conijcerẽt:cuius aũt Cẽturiæ ſors
prima exiſſet, ea prærogatiua erat. Quòd ſi præ
rogatiua erat una quædã Cẽturia ex quadã tribu
ſorte deſumpta,neceſſe eſt, ut prima ſortitio fie-
ret inter tribus,deinde altera inter Cẽturias eiuſ-
dem tribus:ac tribus quidẽ quæ prima exiſſet, ea
erat, unde deſumẽda eſſet Centuria prærogatiua:
ſed quoniã multæ erant in ea tribu Centuriæ,ne-
ceſſe erat ut rurſus inter Centurias ſortitio fieret.
In ſingulis aũt tribub.non duæ tantum,ſed etiam
plures erant centuriæ:æquæ non modò ætate,ſed
etiã cenſu ordineq; diſtinctæ. Illud porrò intelli-
gẽdũ eſt, prærogatiuæ ſortitionem inter trib.pri
mũ fieri ſolitã: quare ſi nulla tribus excluderetur
beneficio ſortis, oportebat centurias equitũ ſe-
niorũ & iuniorũ primæ claſsis in ſingulis tribub.
fuiſſe:ita ut ĩ quaq; tribu una minimùm eſſet equi
tũ centuria, & plures ſeniorũ ac iuniorũ. Nã au-
ctũ fuiſſe numerũ centuriarũ equitũ,non etiã pe-
ditũ,haud uerisimile eſt. Porrò aũt auxiſſe nume-
rum centuriarum primæ claſsis,nõ etiã ceterarũ,
quid aliud fuiſſet, quàm multo magis in primo-
res uim omnem ſuffragiorum deriuare? quod ſa-
nè periniquũ fuiſſet, nec unquã plebs id paſſa eſ-
ſet. Oportuit igitur & ceterarũ claſsiũ fuiſſe quaſ
dã centurias in ſingulis tribubus. Itaq; cur reli-
quæ claſſes beneficio ſortis excluderentur, nulla
erat cauſſa. Vnde ſequitur, quod ait Liuius du-
plicatum numerũ centuriarũ fuiſſe,pro iuſto nu-
mero non eſſe accipiendũ. Nã ſi claſsiũ centuriæ
per tribus diſtributæ erãt, ut probatũ eſt:ac ſecũ
dæ claſsis,uerbi gratia, centuriæ non excluderen
tur beneficio ſortis: oportebat in ſingulis tribu-
bus minimùm duas eſſe ſecundæ claſsis cẽturias,
unã iuniorum,alterã ſeniorum, ut eſſet inter eius
claſsis centurias diſtinctio. Quare ĩ trigintaquin
que tribus, eſſent ſeptuaginta centuriæ ſecundæ
claſsis: quæ erant tantum uiginti ex inſtituto re-
gis Seruij. Vnde apparet non duplicatum modò
numerũ,ſed triplicatũ,& eo amplius fuiſſe. Quod
uerò dixi in ſecunda claſſe,idẽ in tertia, quarta,&
quinta intelligendum eſt. Neq; enim iuſta ulla ra
tio reddi põt,cur potius in ſingulis tribubus dica
mus fuiſſe ſecundę claſsis quaſdã centurias,quàm
tertiæ,quartæ,aut quintæ. Nunc uerò ſi ſimul iũ-
gas ſecundæ,tertiæ,quartæ & quintæ claſsis cen-
turias,quæ erant per trigintaquinq; tribus diſtri-
butæ, efficientur minimùm quater ſeptuaginta:
hoc eſt ducentæ octoginta centurię. His uerò du
centis octoginta centurijs opponendæ ſunt plu-
res numero cẽturiæ primæ claſsis, coniunctæ cũ
centurijs equitum: alioqui non fuiſſet relicta uis
ſuffragiorum penes primores: niſi numero centu
riarum uincerent ceterarum claſsium centurias.
Quare primæ claſsis,una cum centurijs equitum,
oportebat plures eſſe centurias quàm bis centum
octoginta: quæ erant inſtituto Seruij nonaginta-
octo: peditum quidem primæ claſsis octoginta
centuriæ, equitum uerò octodecim. Ex quibus
perſpicuum eſt,quod ait Liuius, duplicatum nu-
merum centuriarum non poſſe accipi pro iuſto
numero,ſed ſpeciem pro genere poſitam eſſe. Il-
lud igitur iam certum eſt, populum Romanũ ſic
in tribus fuiſſe diuiſum, ut in ſingulis tribubus di
ſtinctæ eſſent centuriæ per claſſes: inter quas eiuſ
dem tribus ſic diſtinctas cẽturias ſors ducebatur,
cui omnium obtingeret,ut prima ſuffragiũ dice-
ret. Cui autem obtigiſſet, ſiue equitum ſiue pedi-
tum eſſet,ſiue primæ,ſiue ſecundæ,tertiæ,quartæ
aut quintæ claſsis, ſiue ſeniorũ,ſiue iuniorũ eẽt,
ea prærogatiua dicebaẽ. Sanè ut certò definiamus
quot eſſent cuiuſque claſsis centuriæ in quaq; tri-
bu, fieri nõ poteſt. Id modò ex iјs quæ dicta ſunt,
affirmare poſſumus,minimùm duas fuiſſe ĩ quaq;
tribu centurias ſecundæ, tertiæ quartæ & quintæ
claſsis,ut una eſſet iuniorum, altera ſeniorum. Id
quoq; pro certo accipiendũ,nũquã ita auctũ fuiſ
ſe numerum centuriarum in inferioribus claſsi-
bus, quin ſimul auctus ſit numerus centuriarum
primæ claſsis: alioqui uis ſuffragiorum primori-
bus detracta fuiſſet. Qualiſcunq; autẽ fuerit nu-
merus centuriarum primæ claſsis in quaq; tribu,
attendendum ſemper fuit, ut uniuerſus earum nu
merus coniunctus cum equitũ centurijs, non eſ-
ſet minor reliquo numero centuriarũ. Neq; por-
rò uerisimile eſt,plus duplo auctum eſſe numerũ
centuriarum peditum, quin ſimul auctus ſit nu-
merus centuriarum equitum. Nã etiã per tribus
centurias equitum deſcriptas fuiſſe, ex eo poteſt
intelligi, quòd beneficio ſortis prærogatiuæ non
excludebantur equitum centuriæ: ſortitio autem
inter trib. fiebat. Itaq; ut in equite cadere poſſet
ſors prærogatiuæ, neceſſe erat in ſingulis tribub.
fuiſſe quaſdã equitum centurias. Sed quæri po-
teſt,cur ſextæ claſsis in hac centuriarũ deſcriptio
ne nuſquã mentionem fecerim. Ratio eſt, quia
ſexta claſsis,quæ Seruij inſtituto una modò cen-
turia continebatur, ut nullius penè momenti
erat, ita nunquam numero centuriarum aucta
fuit,ut eius centuriæ per ſingulas tribus diſtribue
rentur. Et ſanè non immeritò fiebat, ut qui mi
nimo cenſuerant, omnibusq; oneribus publicis
immunes, non eſſent pares in Reipublicæ ca-
peſſendæ auctoritate cũ iis,ĩ quas onera reipubli-
cæ incumberent. Salluſtius in Orat. de republica
ordinanda ad Cæſarem ſcribit, C. Gracchum in
Tribunatu legem promulgaſſe, ut ex confuſis
quinque claſsibus ſorte centuriæ uocarentur.

Hæc lex tametſi perlata non ſit, tamen ex eo loco apparet, ſi C. Gracchus homo maximè omnium popularis, qua lege uellet humilium cum primotib. in ſuffragijs auctoritatem æquare, ſextæ claſſis nullam rationem habuit, eam claſſem nullius tum momenti fuiſſe. Itaq; in tribubus ſingulis cẽturias quinq; claſsium tantum poſuimus: ita ut ſextam claſſem ex infima plebe omnium tribuum confuſam dicamus: ex qua uel una ueteri Seruij inſtituto Centuria fieret, uel ſummùm duæ: una quidem proletariorum, altera capite cenſorum. Dicebantur autem Proletarij, qui in plebe Romana tenuiſsimi pauperrimiq; erant, neq; amplius quàm mille quingentum æris in cenſum deferebant. Qui uerò nullo aut perquàm paruo ære cenſebantur, capite cenſi uocabantur. Erant autem in tabulis cenſorijs ſeorſum deſcripti ab illis, quaſi ordinis diuerſi eſſent: ut ſæpe alij in militia legerentur, cum alij relinquerentur. Sed tamen ex hac diuerſitate ne factas fuiſſe duas centurias credã, eo adducor, quòd ætatis diſtinctione uideo reliquarum claſsium centurias factas, non huiuſmodi quadam diuerſitate, qualis erat inter capite cenſos & proletarios. Potius exiſtimo una modò centuria ſemper contentam fuiſſe ſextam claſſem: quæ tamen, ut ſuprà oſtendimus, nullo propemodum numero haberetur. Deinceps cetera de prærogatiua uideamus. Erat igitur prærogatiua omen iuſtorum comitiorum: tacitaq; comitija Centuriatis religio fuit, ut ferè ſemper ualuerit omen prærogatiuum. Quæ fuit cauſſa, ut ſorti committeretur, ne ſcilicet id in quo tantum erat in ſuffragijs momenti, ut ferè reliquis centurijs præſcribere uideretur quod ſequerentur, ſemper eſſet penes eoſdẽ: ſed id ius uſurparet, cui ſors dediſſet. Itaq; detractũ eſt de iure equitũ, quorũ centuriæ primæ, inſtituto Seruij, uocandæ erant, ut omni populo communicaretur, beneficio ſortis: eaq; ratione plebs minus moleſtè ferret primorum in ſuffragijs uim ac poteſtatẽ, quæ Seruij inſtituto eis attributa fuerat. Quoniã autẽ prima ſors prærogatiuæ inter tribus fiebat, ſecunda inter centurias eiuſdẽ tribus, beneficioq; ſortis utebantur tã equitũ quàm peditum centuriæ, propterea interdũ uſuuenire poterat ut ſors cum iure cõueniret: ut ſcilicet equitũ centuria prærogatiua eſſet. Quæ poſtquã ſuffragiũ dixerat, reliquæ equitũ centuriæ uocabãtur, & deinde claſſes ſuo quæq; ordine. In quo omnia fiebant iure, eo modo quo erant a Seruio inſtituta. Interdũ contrà uſuueniebat, ut ſors in quãdã cẽturiã peditũ, eãq; ex quinta uel quarta, uel alia claſſe, uel iuniorum, uel ſeniorũ caderet. Atq; illa poſtquã ſuffragium dixerat, cũ uocabantur equites, ac poſtremò claſſes, ſuo quæq; ordine. Ac prius quidẽ quàm expletæ eſſent trigintaquinq; tribus, in comitijs Centuriatis habendis, nulla tribuũ habita ratione populus per claſſes ſe diuidebat, ſingulaſq; claſſes per centurias. At poſtquã tribus trigintaquinq; fuerũt, ut erat poſtremis Reipublicæ tẽporibus, quibus omnes Italiæ ſocij in tribus Romanas recepti erant, populus ſuffragiũ initurus, in tribus diſcedebat, haud ſecus quàm in Tributis comitijs: uerum id diuerſum erat, quòd eiuſdẽ tribus homines rurſus ſe in ſuas quaſq; centurias diuidebant, ut centuriatim ſuffragium dicerent: cum in Tributis comitijs nulla fieret huiuſmodi centuriarũ diſtinctio, ſed confuſæ omnes eiuſdem tribus ſuffragium dicerent. Vnde fiebat ut in Centuriatis comitijs, non tota tribus ſimul ſuffragium diceret, ſed illæ modò cẽturiæ quæ eius claſsis eſſent, cuius eſſet ſuffragium inire. Veluti cum equites uocabantur, ea modò centuria quæ equitũ eſſet, ex tribu deſumebatur ad ſuffragiũ dicendum: reliquæ uerò eiuſdem tribus centuriæ pòſt pro ordine claſsium uocabantur. Diuiſus igitur erat Centuriatis comitijs populus in tribus, ſed ſuffragia inibantur centuriatim. atq; ita poſt prærogatiuã prima claſsis uocabatur: hoc eſt, per ſingulas tribus Centuriæ, quæ primæ claſsis erant, ſuffragiũ inibant. Diuidebatur autẽ populus in Centurias equitum & peditũ. Qui uero uel patricii uel plebeii erant, qui ex ordine Senatorio, qui ex equeſtri, qui ex Tribunorum ærarii, qui ex ſcribarum, aut ex libertinorum, cum ſuffragium dicere uellent, in ſuas Centurias diſcedebant, uel equitum, uel peditum: ac pro ætate in iuniorum uel ſeniorum Centurias. Deniq; omnis ciuium diſtinctio Centuriatis comitiis erat per Centurias: eaſq; uel ordinibus diſtinctas, quòd aliæ equitum eſſent, aliæ peditum: uel cenſu, quòd aliæ primæ, aliæ ſecundæ, tertiæ, & quartæ & quintæ claſsis eſſent: uel ætatibus, quòd aliæ eſſent ſeniorum, aliæ iuniorum. Et quoniam poſt prærogatiuam equitum Centuriæ prius uocabantur quàm peditum, & primæ claſsis Centuriæ ante aliarum claſsium Centurias, in omnibuſq; claſsibus ſeniorũ Centuriæ ante iuniorum Centurias: propterea apud auctores reperimus comitiis Centuriatis haberi rationem dignitatis cuiuſque, quòd ſcilicet ordinum, cenſus, ætatiſq; ratio haberetur. Ac de prærogatiua quidem, & reliquo modo rogandorum ſuffragiorum, hactenus. Nunc de reliquo modo ſuffragiorum dicendum. Ante leges tabellarias latas, populus uoce ferebat ſuffragium: at poſtea cœpit tabella ſuffragium ferre. Ac uoce quidem cum dicebatur ſuffragium, erant in ſingulis Centuriis rogatores, qui ſingulorum rogabant ſententias, quas palàm ſinguli proferebant: in quàm autem partem plures eiuſdem Centuriæ homines inclinaſſent, ea totius Centuriæ ſententia cenſebatur: quam deinde rogator præconem pronunciare iubebat. Ac ſi magiſtratuum quidem comitia eſſent, rogabantur ſinguli quem uellent magiſtratum eſſe: tumq; nominatim ſinguli appelabant, quem uellent magiſtratum creari.

Quod

Quod idem in comitiis regis ſacrorum dicendum. Sin legum comitia eſſent, cum populus legem accipere uellet, ſolebat uti his uerbis ſolennibus, VTI ROGAS: quibus ſignificabat uelle ſe, ut ita fieret, quemadmodum legis rogator fieri uellet. Cum uerò legem accipere nolebat, utebatur, ſolenni uerbo, ANTIQVO: quo ſignificabat, ſe quod rogaretur antiquare, hoc eſt, ne omnino fieret, uetare. Quæ ratio ferendi per uocem ſuffragii uſque ad annum urbis DCXV. perdurauit. Eo uerò anno, quo erant COSS. C. Calphurnius Piſo, & M. Popilius Lenas, Tribunus pl. fuit Gabinius, quidam, a quo primum lata eſt lex, ut populus in mandandis magiſtratibus tabella uteretur. Biennio pòſt conſulib. M. Aemilio Lepido, C. Hoſtilio Mancino, L. Caſsius Tribunus pl. legem tabellariam de iudiciis tulit: ut ſcilicet iudices, qui adhuc uoce ſententiam dicebant, tabella ſententiam ferrent. Nomine autem iudicum etiã populus intelligendus eſt, quoties ipſe iudicabat, excepto iudicio perduellionis, In quo tabellam populo non dederat Caſsius: in aliis de mulcta, non de capite iudiciis tabellam populo dederat. Verùm in iudicio perduellionis data eſt poſtea populo tabella a Cælio quodam Tribuno pl. In legibus uerò ferendis, uoce uſus eſt populus uſq; ad Tribunatum C. Carbonis, qui fuit anno urbis DCXXV. conſulib. C. Sempronio Tutitano, & M. Aquilio: quo anno C. Papirius Carbo legem tulit de legib. tabella iubendis ac uetandis. Poſtquã autem tabella populo data eſt, oportuit tabellam munere uocis fungi. Quare tabellis oportuit nomina candidatorum inſcribi, ut daretur iis tabella magiſtratus, ſicut prius nominatim iis appellandis creabantur. Quot ergo erant candidati quorum rationem habere oportere iudicatum eſſet, tot tabellæ unicuique de populo dabantur. ac breuitatis quidem cauſſa tabellis non integra candidatorum nomina ſcribebantur, ſed primæ tantum literæ nominis cuiuſq;. Quod idem in ſacerdotum creatione intelligendum eſt. In comitiis autem legum tabellæ dabantur duæ: una in qua ſcriptum erat VTI ROGAS, duobus ut opinor elementis, VR. altera in qua ſcriptum erat ANTIQVO, una etiam litera A. Porrò autem tabellæ illæ non domo afferebantur a populo, ſed erant qui eas miniſtrarent populo ſuffragium inituro, quos Diribitores appellabant: de quib. ſuprà ſatis multa diximus. Hoc tantùm nunc dicemus, Diribitores iuſſum magiſtratus expectare oportuiſſe. Diribitis tabellis ſuccedebant rogatores qui ciſtam deferebant, in quam populus tabellam ſuffragii coniiciebat. Poſtquàm autem totius Centuriæ tabellæ collectæ erant, tum educendis ſuffragiis adhibebantur cuſtodes: quorum munus erat deſcribere ſuffragia, ut ea Centuriæ ſententia renunciaretur, in quam plures reclinaſſe conſpicerentur. Fuit etiam lex Maria ut pontes anguſti fierent, ne quis illic præter eum qui ſuffragium ferret, conſiſtere poſſet ad appellandum rogandumq;. Hiſq; pontibus non modò in Centuriatis, ſed etiam in Tributis comitiis utebantur. Et quoniam multos huiuſmodi ponticulos uideo fuiſſe tum in foro, tum in campo, tum aliis in locis ubi Tributa comitia habebantur: propterea colligo opere ſubitario ponticulos illos ad eum uſum fieri ſolitos, aut ſanè non admodum firmo & ſtabili opere factos: quos in libro Rhetoricorum ad Herennium primo legimus Cepionem non confregiſſe, ſed diſturbaſſe. Animaduerto præterea populo tabellas miniſtrari ſolitas, ut quiſque ad pontes accedebat: qua ratione fiebat, ut tabella accepta per anguſtiam pontium, omnes qui rogare aut tabellam inſpicere uellent, excluderentur. unde autem uenirent, & quò accederent uideamus. Ante leges tabellarias cum uoce ſuffragium ferebatur, priuſquam ad ſuffragium tribus uocarentur, ſeorſum erant diuiſæ ſuis quæque locis trigintaquinque tribus. Cum ergo ad ſuffragium uocabantur, uel ex ſuis locis in alium locum migrabant, uel iis manentibus in ſuis quæque locis per eas tribus circumeundum erat ad colligenda ſuffragia. Atqui ex eo quòd uocari Centurias, adeoq; introuocari paſsim legimus, intelligi poteſt de ſuis locis migraſſe. Nam magiſtratus qui comitia habebat, Centurias non modò uocabat, ſed etiam introuocabat. Scribit enim Liuius Conſulem in ſella Curuli, pro tribunali ſedentem Centurias uocaſſe. Quod quidem tribunal erat comitiale, in campo Martio poſitum: in quo etiam alius Conſul, ſi adeſſet comitiis, ſedere ſolebat. Erat etiam in eius poteſtate qui comitia haberet, uocatas iam Centurias reuocare: ut interim non cenſerentur huiuſmodi interruptionibus uitiata comitia, tametſi reuocatæ Centuriæ mutarent ſententiam. Locus autem in quo Centuria prærogatiua erat, nominatim appellabatur ouile: quem in locum Centuriæ ſeniorum ingredi non licuiſſet, niſi poteſtate facta a Conſule. Cum autem eo in loco eſſent, ſuffragium ita dicebant, ut interim non liceret aliis eo in loco eſſe. Quod uerò tum fiebat, cùm uoce ſuffragium ferebatur, id poſtea fuiſſe immutatum, nec ueriſimile eſt, nec uſquam ſcriptum reperitur. Quinetiam contrà reperimus, poſt leges tabellarias locum in campo Martio cancellis clauſum, in quo eſſent qui ſuffragium dicebant: quo aliis interim ingredi non liceret. Teſtis eſt præterea Cic. in campo Martio ſepta fuiſſe, quæ comitiis uſui eſſent: quæ ſepta Cæſar cum in Gallia eſſet, cogitabat marmorea facere, eaq; excelſa porticu erigere mille paſſuum ſpacio. Quæ de hoc ouili intelligenda puto, quia Seruius ſcribit ſepta in campo Martio tabulatis incluſa fuiſſe, in quibus ſtans populus

populus ſuffragium ferret. Tabell• igltur popnlo in hæç ſepta ingredienti miniſtrabantur, Sed quoniam Marius uiderat, ne tabellis quidem datis, quibus omni ratione leges uellent occultum eſſe ſuffragium, ſatis repreſſum eſſe ambitum: huiuſmodi pontes inſtituit in ingreſſu ſeptorum, eosq; anguſtos, ut præter ſuffragatores alijs illic cooſiſtendi locus non eſſet. qua ratione excluſi ſunt omnes qui tum maximè ad ſupplicandum populo ueniebant: cum ei erat in manu tabella ſuffragij. ſolet enim recentior petitionis memoria magis mouere. Ac populo quidem ſupplicandi cauſſa omnes candidati circum tribus die ipſo comitiorum curſare poterant, quaodiu diuiſus per tribus populus noodum erat ad ſuffragium uocatus. Quinetiam iam quibuſdam uocatis, reperimus reliquis Centurijs quoſdam caodidatos ſupplicaſſe. Sed nec ingredienti in ſepta Centuriæ ſeorſum ſupplicari uoluit Marius: quo ſcilicet magis liberè populus ſuffragium ferret, data ſioe ulla cuiuſquam poſtulatione tabella. Suum ergo quæque tribus locum io Campo primum occupabant, ex quo loco cum ſuffragium dicendum erat, Centuriæ, ut quæque citabantur, migrabant: cumq; in ingreſſu ouilis etaot, illic poontes reperiebant, in quibus diribitores erant, qui tabelllas miniſtrabant: quibus acceptis ſtatim ingredientibus in ouile rogatores ciſtam proponebant, in quam cooijcerent eam quam uellet, tabellam. Nam ita potius fieri, quàm expectari dum tota Centuria in ſepta eſſet ingreſſa, ut poſtea colligerentur ſuffragia, hac ratione adducor, quòd loogum admodum fuiſſet expectare, dum tota Centuria per anguſtos illos pontes in ouile ingreſſa eſſet, antequam colligere ſuffragia rogator inciperet. At Cicero ſecunda Philippica dicit quàm citiſsimè iſta fieri. de comitiis enim Centuriatis, quib. Dolabella Conſul factus eſt ſcribit omoia citius facta eſſe quàm dixit. Quæ ſanè ut uera ſint, neceſſe eſt, ea ratiooe Centurias ſuffragium dixiſſe, quæ quàm breuiſsima eſſet: atqui id multo breuius eſt, ſingulos ſimul dum per pontes introeunt in ſepta, tabellam io ciſtam conijcere, quàm expectare dum omnes eiuſdem Centuriæ ingreſsi ſint, ut rurſus omnem Centuriam percurras ad colligenda ſingulorum ſuffragia. Porrò autem multos pontes ideo fuiſſe exiſtimamus, ut eſſet in ea ſepta ingreſſus ex diuerſis undique partibus, quas ſeorſum ſingulæ tribus extra ſepta obtinebant. Et ut diribitores tabellas dabant, cum ad pontes populus ueniebat, ita rogatores tranſeuntis populi tabellas colligebant. Quod ſi coniecturis uti placet, quinque & triginta pontes fuiſſe exiſtimauerim: ſicut erant trigintaquinque tribus, quæ ex diuerſis bus parti centuriatim in ouile uenirent, Ac de pontibus quidem ſatis. Nunc de renunciatione ſuffragiorum agendum eſt. Cuſtodes deſcribere ſuffragia ſolebant, in tabellis ſibi ad id ipſum datis. Hoc autem erat deſcribere ſuffragia, tot puncta in tabella notare, quot tabellæ ſimiles reperientur: ut inito tandem numero ea Centuriæ ſeotentia renunciaretur, quæ plures habere ſimiles tabellas ex numero punctorum perſpiceretur. In legibus quidem ferendi ſi plures reperirentur tabellæ, in quibus ſcriptum eſſet VTI ROGAS, pauciores in quibus ſcriptum eſſet ANTIQVO, tum ab ea Centuria legem iuberi renunciabatur. Contrà uerò legem a Centuria non accipi proounciabatur, ſi plures ſcriptum haberent ANTIQVO. At ſi fortè pares numero tabellæ in utranque partem reperirentur, eius Centuriæ nulla renunciabatur ſententia, niſi lex eſſet quæ de perduellione ferretur. Io fauorem enim reorum, abſoluiſſe cenſebatur Ceoturia quæ non coodemnarat. Itaque ſi pares eſſent reliquæ Centuriæ accipieotium legem & uetantium, hæc acceſsione ad uetantes Centurias, legem antiquabat, adeò ut reus abſolueretur. In magiſtratuum uerò creatione numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen continerent. Cuius candidati nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea Centuria Conſul, Prætor, Cenſorve factus renunciabatur. ſin talia ſuffragia tuliſſe omnes candidati reperirentor, nullus renunciabatur: expectandaq; erant reliquarum Centuriarum ſuffragia. Quod uerò dixi de Centuriatis magiſtratuum comitijs, idem in comitijs regis ſacrorum intelligi debet. Hic enim pro candidatis erant duo tresve quos inauguraſſet Pontifex Maximus, ut ex ijs poſtea populus ſuffragijs ſuis crearet quem uellet eſſe regem ſacrorum. Præterea ſicut Centuriæ prærogatiuæ ſententia ante uocationem aliarum renunciabatur, ita reliquarum deinceps Centuriarum ut quæque ſuffragium dixerat: ac non expectabatur dum tota prima claſsis ſuffragium dixiſſet, ut tum demum renuociarentur ſuffragia. Eſt & locus apud Ciceronem io Verrina ſeptima, ex quo apparet, non ſimul, ſed deinceps ſeniorum iuniorumq; Centurias ſuffragium dixiſſe: præcooemq; non totius ſimul claſsis, ſed ſingulatim cuiuſque Centuriæ ſententiam pronunciare ſolitum. Poſteaquam autem renunciata erat alicuius Centuriæ ſententia, exiſtimo oonas ſemper tabellas, ut quæque Ceoturia intrò uocabatur, diriberi ſolitas. Nam cum omnes Centuriæ non eſſent æquales numero, ſed aliæ alijs frequentiores, eædem tabellæ quæ priori Centuriæ datæ erant, ſatis magno numero non erant futuræ, ut frequentiori pòſt Centuriæ miniſtrarentur.

cumq;

cumq; certum ſit in legum quidem comitijs uni cuique de populo binas tabellas dari ſolitas, quarum unam modò in ciſtam conijceret: in magiſtratuum uerò comitiis tot tabellas quot eſſent candidati, quarum tamen in ciſtam non plures co niiceret quiſque quàm pro numero magiſtratuum creandorum: ueluti in Conſulibus Cenſoribusq; creandis duas, in Prætoribus ſex, octo decemve, pro numero ſcilicet Prætorum quem creari oporteret: ſanè ſi tantum eductus de ciſta tabellas reddi diribitoribus oporteret, non totidem tabellæ ſequentibus Cẽturiis datæ fuiſſent, quot primæ: ideoq; libertate ſuffragiorum ſublata non aliam potuiſſent ſententiam dicere quàm quæ a priori Centuria dicta eſſet. At quomodo reliquas tabellas rogatores reddere poſſent, quas ſingulis ſibi retinuiſſent? an rurſus poſt renunciationem percurrenda erat tota Centuria ad recipiendas reliquas tabellas? Quæ ſi apertè redderentur, quomodo ſuffragium cuiuſque occultum eſſe potuit? Ex his enim quas quiſque redderet, facile apertuiſſet quas in ciſtam conieciſſet: ut ſi redderet tabellam, ANTIQVO, facile erat uidere ſententiam dixiſſe, VTI ROGAS. Sin occultè, hic rurſus perferenda erat ciſtella per omnem Centuriam: quæ omnia abſurdiſsima ſunt. Verius igitur eſt, cuique Centuriæ ut intrò uocabatur, nouas tabellas præſtò fuiſſe. Et quoniam miniſtrabantur populo, ut quiſque ad pontes accedebat, propterea exiſtimo iam ante diribitores ad pontes ſteiiſſe, cum tabellis ad eam rem publicè paratis, ea multitudine quam quæq; comitia requirere uiderentur. In comitijs enim legum binas tantum cuique tabellas dari oportebat: in comitijs uerò magiſtratuum interdum plures, interdum pauciores pro numero candidatorum, quare multo pauciores tabellas parari oportebat in comitiis legum, quàm in comitiis magiſtratuum. Et quoniam Prætorum comitiis ſex, octo decemve creãdi erãt Prętores, neceſſe erat ut minimùm, tot eſſe cõpetitores. Quapropter comitiis Prętoriis nimùm oportebat ſingulis tot dari tabellas. unde efficit magnã admodũ multitudinẽ tabellarũ iis comitiis parare debuiſſe. Hic ergo conſiderandũ eſt, primùm ſcribendis tabellis ad publicos illos uſus accommodatis, publicum etiam miniſterium accommodatum fuiſſe. Ex quo colligo in ſcribarum publicis muneribus hoc quoq; fuiſſe, ut ſuffragiorum tabellas ſcriberent. Ac legum quidem comitijs futuris, ſcribere eas tabellas iubebantur, quæ illis comitijs uſui futuræ erant. ſin magiſtratuum futura erant comitia, iubebantur ſcribere tabellas eorum nominibus inſcriptas, quorum habendam eſſe rationem publicè iudicatum eſſet. Hæ tabellæ ita ſcriptę, die comitiorum committebantur diribitoribus. Verùm hic conſiderandus etiam eſt numerus diribitorum. Opinor igitur ad ſingulos pontes unum fuiſſe diribitorem, qui populo centuriatim ex ſuis tribubus aduenienti tabellas uel plures uel pauciores, pro numero candidatorum diuideret. Sed quoniam unicuiq; de populo dandæ erãt tot tabellæ, quot erant candidati, neceſſe eſt, ut non alias pro alijs daret diribitor in tam magna multitudine tabellarum, rationem aliquam inuentam fuiſſe, qua in diribendis tabellis hac in parte nihil peccaretur. Opinor igitur omnes tabellas qua ſingulis daret adhuc iunctas fuiſſe cum diribitor eas dabat: qui autem ſuffragium erat laturus, poſtea ſibi ex ea charta in qua ſcriptæ erant, diſcindebat quas uellet in ciſtam mittere. Quod ſi ita eſt, non plures erant diribitores, quàm pontes: qui ſi eum tribuum numero conuenirent, uti diximus, tot erant omnino diribitores, quot tribus. Hac enim ratione ſufficiebat ſuus cuique tribui diribitor. Quin etiam totidem rogatores ſatis fuiſſe exiſtimo. Nam poſt latas leges tabellarias, nõ amplius ex centurijs, ut quæque uocata erat, unus deſumebatur qui ſuæ Centuriæ ſententiam renunciaret: ſed ſicut certi quidam homines ad pontes iam antè ſtabant, quàm uenirent ad ſuffragium Centuriæ, ad miniſtrandas tabellas: ita oportet fuiſſe certos homines qui ad eoſdem pontes ciſtas antè haberent quàm Centurię uenirent ad ſuffragium dicendum: alioqui ſuam ciſtam ſecum afferre quãq; Centuriam dicendum erit: quod mihi non fit uériſimile.

Cuſtodum numerus cum tabellarum numero quæ ſingulis committebantur, ferè conueniſſe mihi uidetur. ueluti in legibus ferendis duæ tantum dabantur tabellæ populo: itaq; deſcribendo numero ſuffragiorum binis tantum cuſtodibus opus erat. In magiſtratuũ comitijs tot dabantur tabellæ, quot erant candidati: deſcribendis ergo ſuffragijs, nõ multo pluribus erat cuſtodibus opus, quàm quot erant candidati, ut ſuus cuiq; candidato cuſtos eſſet: Sanè ex ijs quæ ſuprà dicta ſunt, intelligi poteſt prærogatiuæ Centuriæ alium cuſtodem dari ſolitum, quàm alijs iure uocatis Centurijs: Credoq; ſingulos candidatos unum cuſtodem habuiſſe, quem prærogatiuæ præficerent: eumq; uirum aliquem grauem ac ſibi amiciſsimum: ob id ſcilicet, quòd in prærogatiua plurimum erat momenti.

Præter cuſtodẽ autẽ Prærogatiuæ reliquarũ Centuriarũ deſcribẽdis ſuffragijs, alium cuſtodem præfeciſſe: adeò ut totis comitijs quiſque candidatus duos modò cuſtodes præficeret. Nã ut numerũ cuſtodũ non faciamus cũ numero tribuũ conuenientẽ, ſicut rogatores & diribitores, hinc adducor, quòd cuſtodes a candidatis præficiebantur, ut ſuprà probauimus. Quare ſi quando accidiſſet, ut eſſent duodecim, uerbi gratia, competitores, neceſſe erat ut duodecies multiplicetur numerus tribuũ, atque ita quadringentos & uigintĩ facere cuſtodes: idq; præter eos qui prærogatiuæ cuſtodes

des eſſent. Nam prærogatiuæ qui præfecti erant, hoc munus totis comitijs non præſtabant, ſed alijs Centurijs alij cuſtodes addebantur, ut iam demonſtratum eſt. Multo minus ueriſimile eſt omnibus centurijs alios ſemper atque alios cuſtodes attributos. Cùm enim oporteat tot eſſe cuſtodes, quot erant tabellæ diuerſæ, quarum numerus deſcribendus erat, ſi ſingulis Centurijs noui ſemper cuſtodes attribuerentur, tanto maior fieret numerus cuſtodum, quanto maior erat numerus Centuriarum quàm tribuum. Deinceps ſequitur ut explicemus quis tandem finis eſſet uocandi Centurias. Centuriatis igitur comitijs ſententiæ ex numero Centuriarum exquirebantur: ita ut ea populi ſententiã ſemper pronũciaretur, in quam ex omni numero Centuriarum plures conſenſiſſe conſpicerentur. Itaque ſi lex ferretur, couſq; fiebat Centuriarum uocatio, dum appareret tot iam Centurias uel iuſsiſſe uel antiquaſſe legem, ut numero reliquas omnes uincerent. Quòd ſi poſt prærogatiuam Centuriæ equitum & primæ claſsis idem cum ea ſenſiſſent, nil iam opus erat reliquas Centurias uocare. Cum enim numero plures eſſent hæ quàm reliquæ omnes, iam tũ poterat decerni non uocatis alijs, plures Centurias id ſciuiſſe. At ſi non idem cum prærogatiua ſenſiſſent, ſed aliæ legem accepiſſent, aliæ antiquaſſent, uocandæ erant ſecundæ claſsis Centuriæ, ut cum altera parte ſe coniungerent. Ac ſi cũ prærogatiua oẽs primę claſsis Centurię legem accepiſſent, pręter duas tresve: ita ut una modò deeſſet Centuria, quo minus decerni poſſet, maiorem partem omnium Centuriarum legem accepiſſe: tum ſi uocata ex ſecunda claſſe prima Centuria legem acciperet, reliquæ eius claſsis non uocabantur: quandoquidem huius unius acceſsione iam apparuit maiorem partem Centuriarum legẽ accepiſſe. Quod idem iudicandum eſt ſi ſecundo, tertio aut quarto loco uocata ſecũdæ claſsis Centuria legem acciperet: poſt hanc enim reliquæ nõ uocabantur. Sin nulla ſecundæ claſsis Centuria legem acciperet, tertiæ claſsis Centuriæ uocandæ erant. Ac ſi primò uocata legem acciperet, hic finis fiebat uocandi Centurias, eodem quo in ſecũda diximus modo. Atq; ut ſummatim dicam, ſemper couſq; fiebat Centuriarũ uocatio per ordines claſsium, dum plures ex omni numero Centuriarum conſenſiſſe conſtaret. ſimulac autem id conſtare cœperat, illic Comitiorum finis erat. Quòd ſi in lege ferẽda accidiſſet, ut cum pares numero eſſent Centuriæ, quæ acciperent, & quæ uetarẽt: tum ſanè legẽ nõ accipi pronunciabatur. In Magiſtratuum uerò comitiis eadem hæc ſingulatim melius conſiderabũtur. Ponamus quatuor conſulatus competitores, ex iis duo tantum creari cõſules poſſunt: ij. ſ. in quos plures Cẽturiæ cõſenſerint. Quòd ſi prærogatiua ſic dixerit ſuffragium, ut paria ſuffragia tuliſſe omnes competitores reperiantur, tum nullus renunciatur conſul. quod idem in aliis comitiis dicendum: adeò ut totis comitiis nihil factum eſſe iudicaretur, ſi quando id eueniſſet. Verùm raró admodum euenire poterat, ut omnes candidati in omnibus Centuriis pares haberent ſuffragantiũ uoluntates. Sin unus candidatus plura ſuffragia tuliſſet ĩ prærogatiua, reliqui autem pares eſſent ſuffragiis, tum unus modò conſul renunciabatur. Ac ſi in reliquis Centuriis idem eueniſſet, totis comitiis non plus quàm unus creatus conſul iudicabatur. At ſi plura ſuffragia duo tuliſſent in prærogatiua quàm reliqui duo, tum conſules duo renunciabantur: ſi idem ceteræ centuriæ feciſſent, quod prærogatiua. Quod autem dixi ſuffragiis unius Centuriæ, idem intelligi poteſt in toto numero Centuriarum. Nam ſi quatuor candidati ita pariter Centurias tuliſſent, ut uel una modò Centuria ſingulis deeſſet ad numerũ, quẽ qui primus tuliſſet cõſul a plurib. Centuriis factus iudicari debere: hic, ſi accidiſſet, ut in reliquo numero Centuriarum paria ſuffragia haberent omnes, tum ſanè nullus conſul renunciari poterat: ſin unus plures Centurias tulerit, reliqui tres pares eſſent numero Centuriarum, tum unus modò conſul factus dicebatur: at ſi duo plures tuliſſent Centurias, conſules duo renunciabantur. Vt autem in legibus ferendis dixi, couſque uocationem fieri Centuriarum, dum conſtaret plures in alteram partem Centurias conſenſiſſe: ita hic tũ finis erat comitiorum, quando in duos conſules plures conſenſiſſe Centuriæ perſpicerentur. Nam ſi in duos conſenſiſſent prærogatiua & omnes primæ claſsis Centuriæ, non erant uocandæ reliquarum claſsium Centuriæ; ſin uel alteri uel utriſque horum una modò deeſſet Centuria, quia aliquas primæ claſſis Centurias alii competitores tuliſſent: tum ſi primò uocata ex ſecunda claſſe Centuria, ad maiorem illum numerum ſe addidiſſet, hic non uocatis ullis poſtea Centuriis finis fiebat comitiorum. His explicatis non erit difficile docere quid eſſent, & quomodo fierent gradus in renunciatione magiſtratuum. Gradus autem appello, primo loco, ſecundo, tertio aut quarto renunciari. Honorificum enim erat priori loco renunciari. Animaduertendum eſt igitur, cuique de populo ſimul dari tot tabellas quot erant candidati: ex iis autem tabellis tot quiſque in ciſtam coniiciebat, quot erant creandi magiſtratus. Ac ſimul quidem omnes illas coniiciebant, alioqui toties reuocari Centurias oporteret, quot eſſent magiſtratus creandi. Vnde fieret, ut ſi uariarent in omnium creatione Centuriæ, toties omnium Centuriarum, adeoq; uniuerſi populi uocatio fieret: itaque in Prætorum creatione pro unis comitiis octo comitia fierent: id eſt, tot quot Prætores erant. Non igitur in gradibus faciendis populus rogabatur, ut cui uel-

let

et primum locum dare, eum primũ crearet: tum deinde cui ſecundum locum eſſe uellet, ſecundò, cui tertium tertiò, cui quartũ quartò, & ita deinceps: ſed omnium ſimul unaq; uocatione tabellis in ciſtam coniectis, inuenienda eſt ex ijs quæ diximus alia ratio graduum faciendorum. Ponamus ergo quatuor conſulatus competitores. Ex ijs ſanè quatuor qui primus legitimum numerum Cẽturiarum confeciſſe per ſuffragiorum deſcriptionem compertetur, prior renũciabitur: deinde ex reliquis candidatis qui primùm legitimum numerum explebit, poſterior conſul renuncisbitur. Vt autem cum duo creandi ſunt, pari dignitate illud eueniat, ut unus legitimum numerum cõficiat ante alios, neceſſe eſt fauorem populi præcipuè in eum inclinare: ſiquidem id accidere non poſſet, niſi in omnib. primò uocatis Centurijs certò deſignaretur, cùm in reliquis uariarent ſententiæ. Quòd ſi duob. pariter faueret populus, adeò ut in omnibus primò uocatis Centuriis pares ſuffragijs eſſent, esq; æqualitas euſque permaneret, dum legitimum numerum Centuriarum uterq; ſimul conficeret: tum profectò in renunciatione gradus eſſe non poterant, ſed ſimul ambo renunciabantur. Quod idem etiam iudicandum eſt, ſi in omnib. Cẽturijs ſuffragia aliqua ferrent quatuor candidati, ita tamen inæquali numero, ut duo quidem ſuperarent alios, eo tamen rurſus inter ſe diſcrimine, ut ſemper numero ſuffrsgiorum unus alterũ uinceret. Tum enim accidebat, ut illi duo non modò Centurias omnes ſimul ferrent, ſed etiam ſimul legitimum numerum Centuriarum tandem conficerent: itaq; neceſſe erat, ut ſimul renunciarentur. Nam gradus renunciationis non potuiſſe id facere, quòd numero ſuffragiorum in ſingulis Centurijs alter ſuperior eſſet, hinc demonſtrari poteſt: quòd euenire poterat, ut qui in omnib. Centurijs uſque ad unam quæ ad legitimum numerum perficiẽdum ambobus reſtaret, inferior numero ſuffragiorum fuerat, in hac poſtrema uel renunciaretur, cùm alter qui ſuperior ſemper fuerat ab ea Centuria præteritus eſſet, uel plura ſuffragia fortè ferret quàm alter, qua ratione fiebat, ut qui ſemper poſterior fuerat, nihilominus prior renunciãdus eſſet, propter hanc unã Centuriam quæ ab alijs uariaſſet. Erat igitur hæc una ratio graduũ faciendorũ per numerũ legitimum Centuriarũ. Sed quoniã rarò accidebat, ut ex numero competitorũ duo ita pares eſſent, ut ſimul explerẽt Centurias, propterea uix fiebat ut nõ eſſent ĩ renũciatiõe gradus. Quin tamẽ accidere poſſet, ut nulli gradus eſſent, negari nõ põt. Verũ in Conſulũ Cenſorũq; renunciatione duo tantùm gradus erant: in Prætorũ uerò creatione tot eſſe poterãt, quot Prętores creãdi. Ac primus quidẽ Prætor, renunciabatur eodẽ modo, quo prior Cõſul, is qui primus omniũ cãdidatorũ legitimũ numerũ Centuriarum cõfeciſſe reperiebatur. uerbi gratia: in prærogatiua, & omnibus primæ claſsis Centuriis cõſtãtiſsimè Cic. inter eos repertus eſt, quos illæ Centuriæ Prætores facerent: nullus aũt competitorum eius tãta conſtantia oẽs tulit. ſed alii atque alii creati ſunt in illis Centuriis. Sanè poſtquàm ultima primæ claſsis Centuria ſuffragium dixerat, ſolus adhuc Cic. omnium competitorum legitimum numerũ confecerat. Quare neceſſario primus omnium Prætor renunciandus erat. Pone nunc Aquilium, uerbi gratia, pari conſtantia tuliſſe omnes primæ claſsis Centurias præter unam atque alteram, cùm reliqui competitores magna uarietate alii alias tulerint. Hic profectò unus erat Aquilius, cui una modò deeſſet Centuria ad legitimum numerum. Si igitur ex ſecunda claſſe uocata Centuria prima Aquilium creaſſet, neceſſe erat Prætorem eum renunciari ſecundo loco: quia primus omniũ poſt Ciceronem legitima ſuffragia confeciſſet. Idemque in ceteris deinceps intelligendum. Quòd ſi alius quidam unus uel plures prærogatiuam cum Cicerone tuliſſet, omnesq; primæ claſsis Centurias, tametſi numero ſuffragiorum in ſingulis Centuriis ſemper eſſet ſuperior Cicero, nihilominus ſimul renunciabsntur, quia ſimul expleuerant Centurias: nec potuiſſet dici Ciceronem eſſe primum Prætorem. At ſi eueniſſet, ut non modò Centurisrum numero, ſed etiam ſuffragiorum in ipſis Centuriis uel omnes cum Cicerone psres fuiſſent, uel unus aut alter: tum multo magis inter eos non feciſſe gradus populus iudicabatur. Itaque uel ſimul renunciandi erant, ut nullus ſe priorem diceret: quod uerius eſſe exiſtimo: uel in gradibus faciendis ratio habenda erat ordinis, generis, ætatis: aut uerò ſorti committebatur. Verùm ego tanti hoc non fuiſſe exiſtimo, ut in gradibus fsciendis aliud ſpectandum eſſet præter populi ſuffragia. Nuſquam uerò reperitur alia inter Prætores ſortitio quàm prouinciarum: quæ tamen ſola commodè poni in ea re poteſt. Sæpe enim euenire poterat, ut multi competitores pares eſſent ordine, ætate, ac genere: uel ut quidam eſſent genere ſuperiores, cùm ordine ac ætate uincerentur, aut contrà. Tum uerò quid poterat controuerſiam omnem tollere præter ſortem? ſi igitur ſorti nullus hac in re locus erst, relinquitur uerius eſſe, ſi quando pares eſſent aliqui a populo facti, tum inter eos gradus renunciationis non fuiſſe: ut ne euentus ſuffragiorum populi ulla ex parte mutaretur. Poſtquam autem primæ claſsis Centuriæ ſuffragium dixerant, iniri ſolebat ratio numeri Centuriarum, ut appareret an legitimus numerus Centuriarum confectus eſſet, nec ne. Diximus enim primæ claſsis Centurias connumeratis quidem in ea equitum Centuriis & prærogatiua, numero ſuperaſſe reliquas omnium

claſsium

claſsium Centurias. Itaq; ſatis erat ad legitimum numerũ Centuriarũ conficiendum, omnes primę claſsis Centurias idem ſenſiſſe: nec prius poterat quæ ſententia populi eſſe decerni, quã tota prima claſsis ſuffragiũ dixiſſet: quia tum demum uerum eſſet, maiorem partem Centuriarũ uocatã fuiſſe. Vt ergo conſtare poſſet, an hic finis faciẽdus erat Comitijs, an præter primæ claſsis Centurias aliæ uocandæ, neceſſe erat numerare ſuffragia: ſcilicet ſciri poſſet an conſenſu Centuriarũ legitimus numerus iã confectus eſſet, aut ſi nondũ confectus eſſet, quot requirerẽtur Centuriæ. Erat igitur duplex ſuffragiorũ deſcriptio. Vna ad deſcribendũ ſingularum Centuriarum ſuffragia, ut eliceretur cuiuſq; Centuriæ ſententia: altera ad eundem numerum Centuriarum, ut tandem de populi ſententia cõſtare poſſet. Illa deſcriptio a cuſtodibus ſiebat ſeorſum in ſua cuiuſq; tabella: hæc a Rogatore Comitiorum ſimul colligente omnes Centurias, quarum iam deſcriptum eſſet ſuffragium. Ex illa deſcriptione naſcebatur ſingularum Centuriarum adhuc incerta renunciatio. Ex hac ſiquidẽ legitimus numerus Centuriarum confectus eſſet, certa, renunciatio: ſi nõdum confectus, cognitio numeri Centuriarum, quæ in omnes partes requirerentur ad legitimum ſuffragiorum numerum perficiendũ. Ac de his quidẽ quæ ipſis Comitijs fierent, ſatis. Sequitur ut pauca de ijs quæ poſt dicta ſuffragia fieri ſolebãt, dicamus. In legum Comitijs nihil reperio, quod ꝑpriè ad Comitia pertineret, fieri ſolitũ poſt ſuffragia, niſi quòd legitimo Centuriarũ numero confecto, legẽ aut acceptam aut antiquatã magiſtratus pronũciabat, populumq; dimittebat. In magiſtratuũ uerò Comitijs ſolebat is qui habebat Comitia, priuſquã populũ dimitteret, eos renũciare quos iã ſæpe a pręconibus pronunciatos populus creaſſet, adiecta ſolenni precatione. Qui uerò Conſules deſignati erãt, domũ è campo deducebantur a magna multitudine populi, ac præſertim propinquorũ & neceſſariorũ. Ac de modo quidẽ comitiorũ Centuriatorum ſatis: nunc de loco agendum.

DE LOCO CENTVRIATOrum comitiorum. Caput v.

Comitia nulla poterant haberi niſi in loco inaugurato: hoc eſt, ab Auguribus ad eã rẽ dicato & cõſecrato. Centuriata uerò intra pomœriũ haberi non poterant, nimirũ quia exercitum extra urbem imperari oporteat: intra urbẽ imperari ius non ſit. Atqui Centuriata comitia niſi imperato exercitu haberi non poterant, idq; præſidij cauſſa, quoniam populus eſſet in ſuffragijs ferendis occupatus. Quoniam autem hæc maximè iuſta erant comitia & uniuerſi populi, cum tributa magis plebis eſſent, idcirco non perinde imperato exercitu præſidii cauſſa Tributis opus erat, ut Centuriatis: quando non æquè populus uniuerſus erat in ſuffragiis ferendis occupatus. Locus igitur Centuriatis deſtinatus erat campus Martius: qui Tarquiniis eiectis a quibus occupatus fuerat, populo reſtitutus eſt adiecta conſecratione. De Septis quæ in campo erant, & de Tribunali comitiali, ſuprà diximus. Reſtat ut de tempore agamus.

DE TEMPORE CENTVriatorum comitiorum. Cap. VI.

Comitia nõ poterant niſi comitialibus diebus haberi: id eſt, quibus cum populo agi licebat. Non enim erant dies comitiales in quos pro arbitrio comitia magiſtratus edicerent, ſed certi quidam iam inde a Numæ inſtituto, quibus ſolis cum populo agi poterat. Itaque nullis diebus ludorum, ſacrificiorum, ac feriarum habebantur. Erãt igitur comitiales dies, illi dies in Faſtis pop. Ro. deſcripti, quibus comitia haberi poſſent. Hoc enim idem eſt atque cum populo agere. Nam rogari populi ſuffragiis niſi comitiis non poſſunt. Quòd ſi de magiſtratuum creandorum tempore quærendum eſt, obſeruauimus moris fuiſſe uſque ad annum ab urbe condita DCI. ut magiſtratus inirentur Idibus Martiis, ac proptere a comitia haberentur Ianuario & Februario menſe: dimiſsis ſcilicet in hyberna exercitibus. At poſtquam Calendis Ianuariis magiſtratum inire cœperunt, ordinaria magiſtratuum creatio fuit ad finem menſis Iulii, & principium Augusti. Quòd ſi ultrà ducerentur comitia, id eueniebat propter intereeſsiones aut obnunciationes per quas differrentur. Porrò autem Conſularia comitia ante Prætoria haberi ſolebant: interdum tamen etiam eodem die, interdum poſtero die, interdum tertio aut alio quodam pòſt die. Cenſoribus autem creandis comitia ſuperioribus temporibus haberi ſolebant paulo poſt initum a Conſulibus magiſtratum, priuſquam in prouincias proficiſcerentur: ætate uerò Ciceronis, ad finem menſis Iunii. Idque quinto quoque anno. Verùm hoc diuerſum erat, quòd Cenſores ſtatim deſignati magiſtratum inibant: Conſules uerò Prætoreſq; niſi interregno aut in locum demortui creati eſſent, non ſtatim deſignati inibant magiſtratum. Vt cùm Calendis Ianuariis magiſtratum inibant, & deſignabantur ad finem Iulii: quinque menſes poſt deſignationem erant: quibus priuati manebant antequam inirent magiſtratum. Quo temporis ſpacio ferè de ambitu in deſignatos inquirebatur per competitores aut alios quoſuis. Erat in hoc accuſationis præmium, ut deſignatum competitorem ambitus damnaſſet, competitor pro eo ſubſtitueretur.

NICO-

NICOLAI GRVCHII

DE COMITIIS ROMANORVM, *Liber ſecundus.*

QVID ESSENT TRIBVTA COMITIA CAPVT I.

TRIBVTA comitia per inde à tribubus nomen habuerunt, ut à Centuriis Centuriata: quòd ſcilicet non modò tributim diuiſus populus ſuffragiũ ferret, ſed etiam quid plures tribus iuberẽt aut uetarent ſpectaretur. Diuerſa autem Tributa comitia à Curiatis fuiſſe, uel hinc licet intelligatur, quòd Tribus à Curiis ſemper diuerſæ fuerunt. Nam iam inde à Romulo triginta curiæ fuerunt, ſuis quæque nominibus appellatæ. Tribus autem, uel ſub Seruio, uel etiam poſt Reges eiectos triginta demum fuerunt, qui deinde numerus ad quinque & triginta tribus excreuit. Erant autem tribus populi Romani in partes diſtinctæ, locis in urbe diuiſis, & regionibus undique circum urbem per Italiam diſperſis: quarum aliquam neceſſe erat ciuem Romanum obtinere, cuiuſcũque ordinis eſſet: ut ait Aſconius. Ex hoc autem numero quatuor tantùm urbanæ fuerunt, in quas transferri ignominiæ eſſet: dictæ à partibus urbis in quibus habitabant. Reliquæ omnes ruſticæ laudatiſſimæ eorum qui rura haberent: quæ propriè ingenuorum erant, cùm urbanæ libertinorum eſſent. Porrò tributa comitia in duo genera diuidi poſſunt: ut alia eſſent omnium Tribuum, alia in quibus pars modò Tribuum ſuffragium diceret. Illius generis erant legum magiſtratuum'que comitia: huius, ſacerdotum comitia. Ac multo quidem tempore ante Romæ fuerunt Tribus, quàm Tributa comitia. Nam illæ ſub Seruio Rege fuerunt. Hæc anno demum Vrbis CCLXIII. quemadmodũ Dionyſius teſtatur.

DE CAVSSIS TRIBVTORVM comitiorum. Caput II.

CAuſſas habendorum comitiorum Tributorum generales quatuor fuiſſe reperio. Primam, ad creandos minores magiſtratus: alteram, ad ſacerdotes collegiorum cooptandos: tertiam, ad leges ferendas: quartam, iudiciorum cauſſa. Magiſtratus iis comitijs creabantur, partim prouinciales, partim urbani: & partim ordinarij, partim extraordinarij. Erant autem ordinarii magiſtratus, qui iis comitiis creabantur, omnes minores magiſtratus, qui ſingulis annis ad ſuum munus ordinarium in urbe obeundum, à populo creabantur. In quo genere erant Aediles Curules, Tribuni pleb. Aediles plebis, Triumuiri capitales, & Triumuiri nocturni, & Triumuiri auro, æri, argento flando feriundo præfecti, Quæſtores, Tribuni militum. Neque enim plures ordinarii magiſtratus minores in urbe fuerunt uſque ad Rempublicam à Cæſare Dictatorem occupatam. Extraordinarii uerò magiſtratus urbani, hoc eſt, quibus etiam in in urbe imperium eſſet, iiſdem comitiis creabantur: ueluti Præfecti annonæ, Duumuiri nauales, Quæſtores patricidii. Quin & prouinciales magiſtratus iiſdem comitiis creari ſolitos, uel inde poteſt oſtendi, quòd habentibus comitia Tribunis ferè creabantur. Prouinciales autem appello omnes magiſtratus, quibus erat imperium curatiove extra urbem tantum, ueluti. Triumuiri, Quinqueuiri, Decemuiri, Vigintiuiri, aut quotquot omnino creari placuerat, ad colonias deducendas, aut redigendos colonos in ſuas quaſque colonias. item curatores uiarum. Sed alii erant prouinciales magiſtratus, qui uel procnnſules, uel proprætores, uel proquæſtores in prouincias mittebantur: de quibus breuiter explicãdum eſt. Vetus adminiſtrandarum prouinciarum ratio iã inde ante tempora ſecundi belli Punici fuit, ut conſules prætoresq; ſtatim inito magiſtratu ſortirentur, aut inter ſe compararent prouincias quas Senatus nominaſſet. Vt autem ſorte euenerant prouinciæ, ita in ſuas quiſq; prouincias proficiſcebantur, in quibus annũ ſui magiſtratus peragebant. Eoq; anno finito, anni ſequentis magiſtratus ſuccedebant. Qua ratione fiebat, ut prouincialib. magiſtratibus creandis, non opus eſſet comitiis, ſi iſta ordinaria ratio obſeruari ſemper potuiſſet. Verum bellis undique urgentibus ordinaria iſta ratio ſæpe ſufficere non uidebatur. Vnde fiebat, ut extraordinem mandari prouinciam oporteret: ob idq; ad populum ferri, ut deſignaret eum quem uellet in prouincia mitti. Porrò autem multis modis euenire poterat, ut extraordinem hic aliquis eueniret. Vno modo, ſi annuo finito imperio continuãdus magiſtratus uideretur. Alio modo, ſi extra ſortẽ nominatim prouincia aliqua cuipiã decerneretur: tũ.n. ſi collega pati nollet beneficio ſortis excludi populus rogari ſolebat, ut deſignaret quẽ uellet eã ꝓuinciã obtinere. Quia.n. legitima ordinariaq; rõ erat decernẽdi ꝓuincias, ut de iis ꝓuinciis quas Senatus ꝓ

neceſsitate reipub.nominaſſet, ſortes mitterent, eamque obtineret quiſq; quam ſors ei dediſſet: ie circo neceſſe erat, ſi extra ſortem prouincia aliqua daretur,populũ,cuius ſumma erat poteſtas, de ea re conſuli. Poſtremis temporibus, adeoque ætatis Ciceronis hanc fuiſſe ratione decernẽdarum prouinciarum reperio. Conſulares erant quædam prouinciæ, quædam prætoriæ. Erant autem conſulares,quæ ſingulorum annorum conſulibus aſsignabantur, & in quas miſsi magiſtratus proconſules erant. Prætoriæ uerò, quæ ſingulorum annorum prætoribus decernebantur, & in quas miſsi magiſtratus proprætores erãt. Et quanquàm ſummum eſſet utriſque imperium in prouincia,maior tamen erat proconſulum dignitas,quam proprætorum.Quod uel inde apparet, quia non modò maiorem exercitum,plures faſces habebant proconſules, ſed etiam reliqua omnia conſularia ornamenta:proprætores uerò minorẽ exercitum habebant,& faſces pauciores,Prætorũque tantum inſignia præ ſe ferebant.In quas ergo prouincias cum imperio conſulari mittendos magiſtratus Senatus decreuiſſet,hæ erant conſulares prouinciæ.Decernebantur autem ſingulis annis duæ iis conſulibus,qui adhuc deſignandi eſſent. Quib.poſt deſignatis nominatæ à Senatu prouinciæ in ſortẽ mittebãtur. Deniq; illud intelligi oportet, conſulares prouincias non fuiſſe certas quaſdam ex Romanis prouinciis, quæ nõ poſſent niſi conſulares eſſe:ſed pro Senatus uoluntate cõſulares fiebant, in qnas cũ imperio conſulari mittebãtur: prætoriæ,in quas cũ imperio prætorio: ita ut uiciſsim quæ conſulares fuerant, prætoriæ fierent:& quæ prætoriæ antè fuerunt, conſulares fierent. Porrò autem ſolebant poſtremis illis tẽporibus conſules ferè totum annum ſui conſulatus in urbe conſumere,nec ferè in prouincias proficiſcebantur, niſi ad finem anni:præſertim ſi nullum eſſet in prouincia bellum quod ad maturandum urgeret. Qua ratione fiebat, nt cum anno conſulatus continuarent & alterum annnm proconſulatus.Nec ſicut prioribus temporibus terminato anno conſulatus rogandus erat populus de prorogando imperio,ſed abſque ulla rogatione,propter decretum ſenatus habebant in prouincia imperium,finito etiam anno ſui conſulatus. Erat autem hoc commune omnibus prouinciarũ magiſtratibus,ut tamdiu obtinerent imperium, quamdiu ſucceſſor non mittebatur, ſiquidem ipſi in prouincia eſſe uellent peracto tempore ſenatuſ conſulti:nec ſingulis annis ferendum erat ad populum de prorogando imperio, ſicut prioribus temporibus fieri ſolebat:ſed ſemel obtentum imperium euſque retinebatur,dum ſucceſſor mitteretur.Alio modo priuatis extra ordinem prouinciæ decernebatur,ſi quando Reipublicæ tempora requirere uiderentur,ut præter eos qui magiſtratus gerebant, aliquis ſingulari uirtute Imperato ſeligeretur,qui in prouinciam mitteretur. Poterant etiam prouinciæ extra ordinem dari his qui in magiſtratu erant:tam iis qui in urbe erãt, quàm iis qui extra urbem imperium habebãt.Et, ut ſummatim de conſularibus prouinciis dicam, ſuffragium populi ad creandos conſules nunquã opus fuit,niſi extra ordinem aliquid fieret. Cùm uerò extra ordinem aliquid fiebat, ante legẽ quidem Corneliam interdum à populo, ſæpe à Senatu abſque ulla populi rogatione imperia extraordinaria dabantur:poſt legem uerò Corneliam,neceſſario populi rogatione,ſed interdum ex Senatus etiam decreto,ſæpe præter Senatus uoluntatẽ creari proconſules oportebat. De prouinciis uerò prætoriis eadem ferè dici poſſunt.Nam à Senatu quoque decernebantur.Quas uerò Senatus nominauerat, eas deinde ſortiebantur inter ſe Prætores:ſed hoc diuerſum a prouinciis conſularib. erat, quòd Conſulares in incertum decerni ſolebant a Senatu,antequam deſignati eſſent Conſules: at prætoriæ decernebantur ipſis Prætoribus cùm magiſtratum gerebant.Fortaſſe, quòd omnibus Prætoribus ſuæ erant in urbe prouinciæ iniure dicendo, quas neceſſariò debebant toto anno ſuæ præturæ adminiſtrare.Itaque ſtatim deſignati Prætores ſortiebãtur inter ſe urbanas iſtas prouincias ſibi per leges iam dudum decretas, ut nono Senatus decreto in ea re opus non eſſet.Quia igitur duas ſimul prouincias eiſdem Prætoribus decernere nõ licebat.icirco ꝓuincias extra nrbẽ Prætorib. decernere non poterat Senatus,niſi eo anno quo præturã gerebant.Sic autẽ decernebãtur,ut niſi exacto anno præturæ in prouincias nõ proficiſcerentur:in quo illorum temporum a ſuperioribus differentia obſeruari poteſt. Superioribus enim temporibus Prætores inito ſtatim magiſtratu ſortiebantur prouincias in quas etiam ſtatim proficiſcebantur ii,quibus extra urbem obtigiſſent prouinciæ,annum ſuæ præturæ in prouincia geſturi:quibus ſi ſucceſſor non mitteretur, de prorogando imperio ad populum ferebatur. At Ciceronis ætate Prætores iuri dicundo in urbe retinebantur toto anno ſuæ præturæ:niſi quid accidiſſet tumultus, cuius cauſſa omiſſa iuriſdictione,urbe exeundum eſſet:quomodo accidit in coniuratione Catilinæ.Ipſo autem anno ſuæ præturæ ſortiebantur eas prouincias, quas Senatus prætorias decreuiſſet,in quas profecti tamdiu imperium habebatur,quamdiu ſucceſſor non mittebatur:idque per legem Corneliam, uti diximus. Atque illa quidem erat prætoriarum prouinciarum ordinaria adminiſtratio, ad quam nullis opus erat comitiis,quib. prouinciales magiſtratus crearẽtur.Sin extra ordinẽ decernerẽtur, hic dicẽdũ eſt,qđ paulo ante in cõſularib. diximus. Ante legẽ C.Cornelii,qua legib. ſoluendi poteſtas inconſulto populo Senatui detracta eſt, ferè prætorias prouincias extra ordinem Senatus ſine ulla rogatione

rogatione pnpuli decernebat. Poſt legem uerò Corneliam perlatam, omnino creandis extra ordinem propraetoribus, neceſſe erat haberi comitia ſiue decreto Senatus, ſiue à populo præter Senatus ſententiam prouinciæ darentur: hoc eſt alicuius Tribuni pleb. rogatione, quæ non Centuriatis, ſed Tributis comitiis ferri ſolebat. Ac de prima quidem cauſſa habendorum comitiorũ Tribunorum hactenus. Sequitur altera cauſſa ad ſacerdotex collegiorum creandos: in qua explicanda primum animaduertendum eſt, Romæ multos ac diuerſi generis ſacerdotes fuiſſe. Erant enim Pontifices, Augures, Aruſpices, Curiones, Veſtales, Flamines, Epulones, Sibyllini ſacerdotes, Feciales, Salij, Luperci, Fratres aruales, ſacerdotes Galli, Rex ſacrorum, Cereris Grȩca ſacerdos, & ſodales Titij. Dionyſius etiam Celerum præfectos adiicit: ſed eos ſub regibus tantum fuiſſe opinor. Ex hoc autẽ omni numero hi ſoli ſuffragiix populi creabantur, qui publicæ religionis adminiſtri aſsidui erant, ac non fungebantur ſacerdotio, quod ſemel tantum atque iterum toto anno uſui eſſent. Vnde fit, ut omittendi nobis ſint Salii, Luperci, Fratres atuales, ſacerdotes Galli, & ſodales Titii. Neq; enim eorum ſacerdotium publicè ſemper uſui eſſe poterat, ſed ſemel tantum in anno ſacris quibuſdam peragendis uacsbant. Salii ad ſacra Martis peragenda menſe tantum Martio adhibebantur, Luperci ad Lupercalia menſe Februario peragenda: eodemque modo alij alio tempore. Quæ cauſſa erat, ut quanquam eorum eſſet quoddam collegium, ſuffragiis tamen populi nũquam creatos credamus. Salii enim à magiſtris collegii legi ſolebant patricii adoleſcentes, quorum uterque parens uiueret, nec in magiſtratu eſſent. Deligebantur ergo ex patriciis iuuenibus à magiſtris collegii Salii ſacerdotes, non populi ſuffragiis creabantur. Quod idem de Lupercis, & huius generis aliis ſodalibus dicendum eſſe exiſtimo. Neque enim tanti erant hæc ſacerdotia, ut magnopere contendendum eſſet de ijs aſſequendis. Ego uerò Potitios & Pinarios in ſuperiori ſacerdotum enumeratione omiſi quia iam inde à tempnribus Appii Cæci ad ſeruos publicos id genus ſacrificii tranſierat. Reſtant igitur nobis ſpectandi reliqui ſacerdotes. Ac primum Veſtales ita fiebant, ut Pontificis Maximi srbitratu uirgines caperentur. Aruſpices etiam populi ſuffragiis non creabantur, ut qui uel Hetruſci erant, & ex Hetruria acciri ſolebant, ſi quãdo opus eſſet prodigiorum interpretibus: uel Romani ciues ab Hetruſcis edocti. Relinquuntur ergo ex omni numerո ſacerdotum conſiderandi Põtifices, Augures, Epulones, Feciales, Sibyllini ſacerdotes, Curiones, Flamines, & rex ſacrorum. Ac regem quidem ſacrorum ſuprà oſtendimus centuriatis comitiis creari. Curiones autem iam inde à Romulo ſingularum curiarum ſuffragio creabantur, non autem ab aliis Curinnibus cooptabantur. Curio uerò Maximus comitiis à populo creabatur. De Fecialibus non habeo certum quod affirmem. Epulones quidem eadem lege Domitia populi ſuffragiis creabantur Sibyllini ſacerdotes principiò duo fuerunt, qui Duumuiri ſacrorum appellabantur. Pòſt Decemuiri facti ſunt, cautumque ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. At poſt Syllæ dictaturam Quindecimuiri facti ſunt, & per eandem legem Domitiam populi ſuffragiis creabantur. quod idem de Auguribus & Pontificibus intelligendum eſt.

Tributis autem comitiis hoc fieri lex eadem demnnſtrat, qua cautum erat, ut non ab uniuerſo populo, ſed à parte populi minore, hoc eſt, à ſeptendecim tribubus ſacerdotes crearentur. ea uerò comitia, quibus tributim ſuffragium ferebatur, tributa fuiſſe, negari non poteſt. Quod autem ſuprà de collegio pontificum diximus, eos ante legem Domitiam cooptatione collegii creari ſolitos ſic accipiendnm eſt, ut tamen Pontifex Maximus excludatur. Nam mortuo Pontifice Maximo à collegio alius quidam cooptabatur, qui Pontifex tantum fieret, non etiam Maximus Pontifex. Tum deinde ſuffragiis populi Pontifex Maximus creabatur. Deinceps ſequitur ut tertiam habendorum comiriorum tributorum cauſſam exponamus. Ac legum quidem ferendarum cauſſa haberi comitia tributa nomen ipſum plebiſcitorum ſatis oſtendere poteſt, ut alia probatione ad eam rem non ſit opus. ſi enim plebiſcitum eſt, ut ait Iuſtinianus, quod plebs plebeio magiſtratu rogante conſtituebat: facile eſt intelligere tributis comitiis non centuriatis, utpote quæ à plebeiis magiſtratibus uocari non poterant, Plebiſcita fieri ſolita. quo in numero ſunt rogationes de pace. bellum enim lege centuriata indici ſolebat. Item ex quibus ſuperioribus temporibus legibus aliquis ſoluebatur: omnes denique quibus per populum triumphum decretum, publicas quæſtiones conſtitutas, & ciuitatem datam legimus. Supereſt ut quartam cauſſam perſequamur. nam ſi magiſtratus aliquis faceret sliquem reum ad populum, nec capitis eum accerſeret, ſed multam indiceret, tum tributis comitiis id iudicium fieri ſolebat. At ſi de capite ciuis Romani ageretur, per leges duodecim tabularum cautum erat, ne niſi comitiis centuriatis iudicari poſſet. Illud tamen non eſt ignorandum, ſi capitis die dicta in exilium abiiſſet reus antequam dies aduenìſſet, tum ad decernendum ei id exilium, ſatis fuiſſe comitia tributa uocare, nec fuiſſe ad eam rem opus centuriatis comitiis.

DE PERSONIS, QVARVM INTERuentu comitia Tributa peragebantur. Caput III.

ORDINARIOS magiſtratus minores, partim Tribuni pleb. partim Conſules creabant. Plebeios enim magiſtratus, ad quos patricij non admittebantur, Tribuni pleb. creabant. Huius generis erant Tribuni pleb. & Aediles pleb. Nam utrorumque comitia Tribuni pl. habebant. Semel tantum à Põtiſice Maximo creatos reperimus Trib. pleb. Quia tum nulli eſſent Tribuni, pp Decemuirorum imperium, in quo inſtituendo ceſſerant omnes alii magiſtratus: nec poſsẽt ipſi ab Interrege patricio magiſtratu creari. Reliquos ordinarios magiſtratus minores creabant Conſules, aut Dictatores, ſi quãdo comitiorum habendorum cauſſa creabãtur, aut Tribuni militũ cõſulari poteſtate. Nam Quæſtores quidẽ à Conſulibus creatos conſtat: quod idem de Aedilibus exiſtimo. Sed & Tribunos militares, & Triumuiros tam Capitales, quàm Nocturnos, & Monetales arbitror creatos ab aliquo maiore magiſtratu: ſiquidem plebeios tantum rogarent Tribuni pleb. Porrò autem ordinarios magiſtratus ſubrogandi munus proprium erat Conſulum, neque id Prætores unquam leguntur factitaſſe Conſulibus præſentibus. Conſules ergo illa comitia habere ſolitos: neceſſariò concedendum erit. Quod autem ad extraordinarios magiſtratus attinet, ſciendum eſt, Conſulibus, Prætoribus, & Tribunis pleb. tantum ius fuiſſe eos creandi. Ex hiſtoriæ autem lectione perſpici poteſt, modo Prætores, modò Tribunos plebis, interdum etiã Conſules habuiſſe comitia ad creandos extraordinarios magiſtratus.

Sacerdotum autem comitia tributa Conſules habebant ex l. Domitia. antequam legem comitia tributa, quæ Pontifici Maximo creando habebãtur, ab uno quodam Pontifice haberi ſolebant. Pòſt uerò ideo exiſtimo Conſules habuiſſe comitia Põtificis Maximi, quòd certum ſit ſacerdotes collegiorum à Conſulibus creari. Non eſt autem probabile, Pontificem Maximum non potuiſſe habere comitia Pontificibus ſufficiendis, cum interim unus de collegio Pontificum poſſet habere Comitia Pontificis Maximi. In quo ſi me fallit coniectura, in reliquis certè collegiorum ſacerdotibus uerißimum eſt quod diximus. De legum iudiciorumq́ue comitijs tributis facile eſt intelligere, ijs magiſtratib. licuiſſe habere ea comitia, quibus ius erat cum populo agendi. In hiſtoria autẽ legimus interdum Conſules, interdum Prætores, ſæpe Tribunos pleb. ad populum de his rebus rogationes tuliſſe. Ac de perſonis quidẽ quib. ius eſſet habendi comitia tributa hactenus. De perſona candidatorum pauca dicenda ſunt. Plebeios magiſtratus petendi ius erat plebeijs tantum hominibus: binosq́ue ex ſingulis claſsibus Tribunos eſſe oportebat. Illud etiam reperio cautum fuiſſe de Tribunorum, Aediliumq; plebis perſona, ut eos magiſtratus gerere iis non liceret, quorum pater, qui ſella Curuli ſediſſet, uiueret. Candidati quæſturæ tam patricii, quam plebeij eſſe poterant: tantumq́ue in ijs prouidendum erat poſt legem annalem, ut ætatem haberent lege definitam: & ut emeritis decem annis ſtipendijs, nullo infami iudicio à petitione reiicerentur. Tribuni uerò militum non temerè quiuis fieri poterant: ſed cum uigintiquatuor Tribuni militum à populo crearentur, qui quatuor ordinariis urbanis legionib. præeſſent, ſinguli ſingulis millibus: nemo ad id deligebatur, qui non geſsiſſet minimum bina ſtipendia. Quod ad magiſtratus extraordinarios attinet, hoc unum lege fuiſſe cautum de candidatis reperio, ut neque ei qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate, neque etiam collegis eius, cognatis, affinibus ea poteſtas curatiove mandetur. De ſacerdotum competitoribus hoc primum annotandum eſt, ſacerdotes horum collegiorum dimidia ex parte patricios, ex altera plebeios eſſe debuiſſe. Itaque fruſtra plebeius petiiſſet, ſi in locum demortui patricii ſufficiendus eſſet ſacerdos: & contra patricio locus eſſe non poterat, ſi pro demortuo plebeio ſubſtituendus eſſet alius plebeius. Hoc etiam loco animaduertendum eſt, non perinde definitam legibus ætatem fuiſſe petendi ſacerdotia, ſicut erat in petendis magiſtratibus. Nam præter id quod legimus apud Suetonium, Cæſarem ſeptimo & decimo ætatis anno factum fuiſſe Flaminem dialem, Cicero ſcribit Bruto, ſe uelle ut Cicero filius qui uixdum annos uiginti unum natus erat, in collegium Pontificum cooptetur. Nec tamen ante annum decimumſeptimum, quo anno uirilem togam Romani iuuenes accipiebant, id licuiſſe exiſtimo: quandoquidem ad eam uſque ætatem pueri cenſerentur: nec ullam Reipublicæ gerendæ poteſtatem haberent. In Pontifice Maximo creando id propriè ſeruandum erat, ut non poſſet niſi ex iis qui Pontifices eſſent, Pontifex Maximus fieri. Ac de perſonis quidem propter quas habebantur comitia tributa, ſatis. Deinceps ſequitur, ut de perſonis ius ſuffragii habentibus dicamus. Omnibus ciuibus Romanis quibus data erat ciuitas cum iure ſuffragii, licebat comitiis Tributis ſuã dicere ſententiã. Simul. n. cũ pleno iure ciuitatis Tribuni accipiebant, in qua ſuffragium ferrent. Nam qui ius ſuffragii nõ habebãt, nõ tã reuera ciues erãt, quàm honoris cauſſa dicebantur. At omnes ciues, qui in tribus Romanas deſcripti erant, ius ſuffragii ferendi habebant: etiamſi tribu moti eſſent, factiq; ærarii à Cenſoribus, aut publico iudicio, mo-

dò ne

dò ne ſimul notæ cauſſa in Ceritum tabulas relati eſſent. Rribu .n. mouere nihil aliud erat, quàm tribum mutare iubere. At qui in tabulas Ceritum referebantur, iure ſuffragii priuabantur. Verum autem Latini ſuffragii ius haberent in is comitiis, obſcurum eſt propter illum Liuii locum: Teſtulis datis Tribuni populum ſubmouerunt: Sitellaque allara eſt, ut ſortirentur ubi Latini ſuffragiũ ferrent. Verùm ego potius id beneficio & benignitati Romanorum magiſtratui attribuendum puto, concedentium illud ſocietati & conſanguinitati Latinorum, qui tum fortè Romæ eſſent, cùm haberentur comitia: quàm iuris ac legum neceſsitati.

De modo comitiorvm tribvtorum. Caput IIII.

Deinceps conſequens eſt, ut de modo agamus, in quo hoc primum animaduertendum eſt: commune omnibus omnium generum comitiis fuiſſe, ut haberi non poſſent Ioue fulgente aut tonante. Interdum tamen ad legẽ aliquam ferendam, quam omnino uellet Senatus pro temporis neceſsitate perferri, ut nulla ratio ne impediretur lator illius legis, ſoluebatur his legibus. Quanquam autem tributa comitia hactenus auſpicatò haberi debebant, in reliquo tamen genere auſpiciorum nulla ferè religione aſtringebantur. Nam cùm plebeij magiſtratus nulla auſpicia haberent, ſiue legum, ſiue magiſtratuũ comitia eſſent, quæ à Tribunis pleb. habebantur, ea non auſpicatò habebantur: niſi quatenus obnunciationi parendum erat. Nam ſi quo die creati eſſent, aut fulguraſſet, aut tonuiſſet, uitio creati dicebantur: Quia cõtra cõmune Augurũ decretũ cũ populo aut plebe actũ eſſet, quo die ſeruatũ erat de cœlo. Quod uerò dixi Tributa comitia, à plebeijs magiſtratib. auſpicatò non haberi, idem ad omnia Tributa comitia quæ etiam à Patricijs habebantur, transferri debet. Nunc quærendum eſt, an ſacerdotum comitia auſpicatò haberentur. Qui in collegia ſacerdotum cooptabantur, antè à quibuſdam collegij ſacerdotib. inaugurari ſolebant. Atenim inaugurati erat augurib. ad deos cõſulendos adhibitis, inter eos nominari, qui ſacerdotio digni eſſent: ut locus inaugurari dicebatur, cùm Dij ab Augurib. cõſulebãtur, placeret'ne eis ad aliquid agendum ille locus. Hoc ergo affirmari poteſt, ante ſacerdotum comitia tributa, auſpicijs hac ſaltem ex patre opus fuiſſe quatenus inauguratos eſſe oportebat eos. de quib. comitia habebantur. Conſules uerò comitia deinde habituros his auſpiciis contentos fuiſſe exiſtimo, ut eis opus non eſſet denuò auſpicia priuſquam comitia haberent captare. Erat igitur hoc diuerſum in comitiis tributis & centuriatis, quòd his habendis auſpicia antè ab eo captanda erant, qui erat ea habiturus: illis uerò, minimè. Hoc etiam erat diuerſum, ꝙ tributis comitiis patres auctores fieri non oportebat, ſicut centuriatis. Id quod ad magiſtratuum comitia potius pertinet quam legum. Leges enim ex Senatus decreto ferri ſolitas, argumento uel hoc unum eſſe poteſt, quòd in hiſtoria ſæpe uidemus rogationibus Tribunorum ple. interceſſum à collegis, quia non ex auctoritate ſenatus ferrentur. Quia tamen multa legimus plebiſcita non modò abſque Senatus auctoritate, ſed etiam contra Senatus decretum perlata, iccirco exiſtimo quod in centuriatis & curiatis legibus neceſſarium erat, in tributis conſentaneum potius fuiſſe, quàm neceſſarium, & decreuiſſe magis, quàm oportuiſſe. Illud etiam erat diſcriminis, quòd non ſacra fieri ante hæc comitia oporteret, quemadmodum ante centuriata. Cetera quæ diximus centuriatis conuenire ante ipſa comitia, cum tributis communia ſunt. Nam & his comitiis præmiſſo edicto opus erat, & promulgari trinundino leges, quas tributis comitiis perferre quis uellet. Ac de iis quidem quæ ante comitia tributa fieri ſolita erant, hactenus: deinceps de ipſorum comitiorum modo dicendum. Quoniã plebeiis magiſtratibus ius non erat plebeios aduocare, ſatis planè intelligitur, præmiſſum ab iis edictum ad plebem tantum pertinuiſſe, cum interim liberum eſſet patriciis adeſſe, uel non adeſſe. Quæ uerò comitia tributa à patriciis magiſtratibus habebantur, quod ad edicti quidem uim attinet, uniuerſi populi erant: ſed tamen quia his comitiis nulla habebatur ratio cenſus, ordinis, ætatis, propterea primores ciuitatis ferè his comitiis adeſſe non ſolebant: quia cum numero longè ſuperior eſſet reliqua multitudo, ſpes nulla erat ſuum ſuffragium uim ullam habiturum contra plebis uoluntatem. Vnde eueniebat ut omnia tributa comitia ferè peragerentur ab humilibus, ut uix unquam primores populi adeſſent. Ex iis inuenire cauſſam poſſumus, cur cùm de tributis comitiis agitur, modò plebis, modò populi fieri mentionem ſæpe eodem in loco reperiamus. Quod enim ad ius ſuffragii attinet, omnia comitia erãt populi: quia nemo ciuis ſuffragio excludi poterat, ſi comitiis adeſſe uellet. Quod uerò ad poteſtatem & ius uocandi attinet, eius magiſtratus à quo comitia edicta ſunt: aut uerò ſi ad eos ſpectemus qui cõuenire ad ea comitia ſolebant: non immeritò plebis tantùm fuiſſe ea comitia dicuntur. Erat autẽ hoc commune his comitiis cẽturiatis, ꝙ priuſquam in ſuffragium mitteretur populus, concio à magiſtratu habebatur, qua de magiſtratibus aut ſacerdotibus creandis, uel de legibus ferendis uerba eodem modo fiebant, quo ſuprà diximus in cẽturiatis comitiis. Hac peracta cõcione populus in ſuas cuiuſq; tribus diſcedebat. Tũ ſortitiones fiebant à magiſtratu: quæ diuerſi generis

erant.

erant. Vna erat ac prima omnium, ad ſortiendũ in qua tribu Latini ſuffragium ferrent: id quod ſuperius attigimus. Altera erat in magiſtratibus quidem creandis,& legibus ferendis, ad ſortiendum quo ordine tribus quæque ſuffragium ferret. Ad quam ſortem peragendam omnium tribuum nomina in ciſtellam quandam conijciebantur, tum ut quæque prior exierat,ita prior ſuffragium ferebat. In ſacerdorum uerò creatione, quia ſeptendecim tantùm tribus ſuffragium ferre ex lege poterant, idcirco ſortiendæ tantùm erant hæ tribus ſeptendecim, quæ erant ſuffragium laturæ. Nam trigintaquinque tribubus in ciſtam coniectis, ſeptendecim ex eo numero educebantur,quarum ſuffragio ſtaretur. Apparet igitur in tributis comitiis pro prærogatiua fuiſſe eam tribum, cui ſortè obtigiſſet, ut prima exiret è ciſtella. Verùm id diuerſum erat à Centuriatis, quòd ſortitione prærogatiuæ centuriæ facta, reliqua comitia abſque ſorte pro cenſu,ordine, atque ætate peragebantur. At comitiis tributis ſorte utendum erat ad finem uſque comitiorum,ad uocandas ordine tribus. Quod uerò ſuprà diximus de tabella ſuffragij, & de pontibus per quos ſuffragium ferebatur, id commune erat tributis comitijs cum centuriatis. Verùm hoc erat proprium tributorum, quòd rogatores in ijs non adhiberi ſolebant, ſed cuſtodum, diribitorum & præconum miniſterio tantùm peragebantur. Vocandis enim ad ſuffragium tribubus ut quæque ſortiente magiſtratu exierat, præconum opera erat neceſſaria:tum uerò & renunciandis ſingularum tribuum ſententijs poſtquam dixcrant ſuffragium. Quia uerò his quoque comitijs diximus tabellas populo miniſtrari ſolitas, cùm ad pontes uenerat, iccirco neceſſe eſt, ut ad hoc miniſterium diribitores adhibitos dicamus. ſed & qui fraudem animaduerterent, quæ uel in diribendis tabellis, uel in colligendis ſuffragijs committi poterat, & qui ſententiarum numerum pro candidatis inirent, certos quoſdam homines fuiſſe neceſſe eſt. Hi autem erant qui cuſtodes appellabantur.Iam uerò in certum quendã locũ uocari ſingulas tribus his comitiis,ſicut in centuriaris,hinc oſtendi poteſt:quòd cùm mentio eſt horũ comitiorũ,non modò uocari trib.ſed etiam intrò uocari reperimus. Vnde apparet ſeorſim diuiſas ſuis locis fuiſſe ſingulas trib. priuſquam uocarentur, ex quibus deinde locis migrarent, ut p pontes in alium quẽdam locum introducerẽtur: quod nos ſuprà ouile & ſepta appellari diximus. Vt autem omnes qui ex eadẽ erãt centuria, uiritim rogabantur, ut poſt numerus iniretur eorum, qui plures fuiſſe in eadem ſententia comperirentur; ita uiritim omnes qui ex eadem tribu erant, rogabantur. Ac poſtquam tota tribus ſuffragium dixerat,ſententiæ numerabantur, ut ea demum ſententia tribus renunciaretur, in quam plures conſenſiſſe perſpicerentur: adeò ut omnia quæ de renunciatione ſuprà diximus ad hæc comitia accommodari poſsint, ſi tantum pro Centurijs Tribus ponas: niſi quòd quædam erant propriè obſeruanda in comitijs Tributis legum, alia quædam in magiſtratuum, alia in ſacerdotum. Nam in magiſtratuum comitijs Tributis tot dabantur Tabellæ, quot erant candidati, quorum nomen receptum eſſet. Et quoniam XXXV.tantum tribus erant, oportebat decem & octo tribus ferre quemque candidatum, ut à maiore parte populi creatus diceretur. Vt autẽ quiſque prior eum numerum tribuum tulerat, ita prior renunciabatur. Cumque tot creati erant, quot ex lege in eo magiſtratu eſſe oportebat,tum finis fiebat comitijs. Veluti Aedilitiis comitijs, quia duo tantùm creandi erant, ſtatim ubi ex omni candidatorum numero duo ob octodecim tribubus facti Aediles erant, finis fiebat uocandarũ tribuum.Ac ſi conſenſiſſent in eo illæ octodecim tribus,quæ primæ ſorte exierant ad ſuffragium ferendum,reliquæ rribus non uocabantur: ſin uariaſſent octodecim illæ tribus, quia alios candidatos aliæ tribus feciſſent, tum eouſque uocandæ erant tribus, dum legitima ſuffragia duo confeciſſent: hoc eſt, donec duo ab octodecim tribubus creati Aediles eſſent. Quod autem in duob. Aedilibus dixi,idem in decem Tribunis pleb. & uiginti Quæſtoribus,& uigintiquatuor Tribunis militaribus,& alijs quotquot creandi eſſent, ordinarijs extraordinarijſve magiſtratibus, dicendũ eſt.Verùm enimuerò in tribunorum pleb.renunciatione primis quidem temporibus id proprium erat,ut ſi euenifſet ex numero candidatorum decem non confeciſſe legitima ſuffragia, tum ab iis qui legitima ſuffragia confecerant, cooptabantur abſque ſuffragio populi, quot erant neceſſarii ad perficiendum numerum decem Tribunorum. Sed ea ratio lege Trebonia quæ cooptationem ſuſtulit,mutata eſt. Vnde apparet, poſt eam legẽ ſi accidiſſet Tribunos pleb. ad numerum legitimum factos eſſe, reuocandas fuiſſe tribus ad ſuffragium,eouſque dum decem Tribuni pleb. creati eſſent. Nam ea lege latum eſt,ut qui plebẽ Romanam Tribunos pl.rogaret, is uſq; eò rogaret, dum decem Tribunos pl.faceret. Quod idem in comitijs Aedilium non fiebat.Nam ſi quando accidiſſet,pares ſuffragiis eſſe candidatos, non reuocabantur tribus, ſed ſorte decernebatur cui cederet magiſtratus:ſed non fuit eadem in ceteris magiſtratibus ratio. Itaque Quæſtoriis comitiis hoc caſu idem factitari ſolitum exiſtimo, quod in Tribunitiis, ut reuocarentur potius Tribus quàm ut ſorti committeretur. In Tribunorum uerò militarium comitiis,ſi ad legitimum numerum non peruenerant qui creati erant, Conſulis, ut opinor, hac in re iudicio ſtabatur. Erat enim is magiſtratus quem Conſul creare poſſet. Nam

qui

qui Ruſuli appellabantur, omnes ab imperato
ribus non à populo creabantur. In extraordina-
rijs uerò magiſtratibus idem quod in Tribunis
pleb. ſentiendum eſt. Id enim totum ſui iudicii eſ
ſe, populus uolebat. Etenim cùm omnes poteſta-
tes, imperia, curationes ab uniuerſo populo Ro-
mano proficiſci conuenit, tum eas profectò maxi
mè quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquē
& commodum. In legum comitijs tributis idem
modus omnino, qui in Centuriatis, ſeruabatur.
Quod uerò attinet ad comitia iudiciorum, eā Ci-
cero pro Domo ſua docet fuiſſe rationem, ut ne-
mo niſi prædicta die accuſaretur: tum ut Magi-
ſtratus ter reū antè accuſaret, quàm multam irro
garet. Hac uerò irrogata, trinundino prodenda
erat dies, qua ad populum multa certanda eſſet:
quæ dies cùm adueniſſet, quarta accuſatio fiebat à
magiſtratu. Cùm dies dicendæ cauſſæ aduenerat,
atratus reus & ſorditatus, barba & capillo promiſ
ſo à magno amicorum item atratorum comitatu
in forum deduci ſolebat. Magiſtratus interim in
roſtris ſedebant, reus ſub roſtris ſtabat, populus
ante roſtra in comitio erat. Nam roſtra ſic erant
ædificata, ut qui inde conciones habebant, comi
tium & curiam ſpectarent: ſed ita tamen, ut etiam
liceret in forum ſe conuertere. Præco interim
cùm Magiſtratus iuſſerat, ex roſtris reum cita-
bat. Qui ſi uellet pro ſe dicere, in roſtra aſcende-
bat, ut inde orationem haberet ad populum. Sin
per alium ſe uellet defendere, is item iuſſu magi-
ſtratus in roſtra aſcendebat, reū quæ defendebat.
Quòd ſi orationibus tēpus uſque eo conſumere-
tur, ut non ſatis uideretur reſtare temporis, quo
ante noctem peragi comitia poſſent, dies produ-
cebatur: hoc eſt, in alium comitialem diem diffe-
rebatur populi iudicium. Qui dies cùm ueniſſet, i-
dem quod priori peragebatur: niſi quod ſpacium
dicendi ferè magiſtratus conſtituebant. Cùm di-
cendi finem utrinque feciſſent, populus in ſuffra
gium mittebatur. In quo non eædem dabantur ta
bellæ, quæ iudicibus, condemnandi, abſoluendi &
ampliandi: ſed quales in legibus ferendis, VTI
ROGAS, & ANTIQVO. lege enim lata multa dice-
batur. Quæ lex ſi à populo acciperetur, tantæ
pecuniæ damnatus erat reus, quanta erat multa
quam dixerat magiſtratus: ſin populus antiqua-
ret, abſoluebatur. Neq; uerò ex eo quòd ſuprà
roſtra comitiumque appellauimus in iudicio po-
puli diſcribendo, exiſtimandum eſt, eo tantùm
in loco comitia de multa haberi. Nam alijs quo-
que in locis haberi poſtea demonſtrabimus: ſed
quia eo in loco ſæpius id uſuueniebat, propterea
eum locum potiſsimùm accepimus: ſed ita ut de
alijs locis idem uellemus quod de hoc inligit.
Præterea in reorū fauorem propriè inſtitutæ fue-
runt duæ rationes effugiendi iudicii: quarum una
erat in auſpiciis, quæ ſi diem iudicii diffunderent,
totum iudicium ſublatum erat: benigna ſcilicet
uoluntatis Deorum interpretatione, quaſi nol-
lent omnino de hoc reo damnando cum populo
agi, quando bona auſpicia non dediſſent. Alte-
ra cauſſa erat in excuſatione legitima: quæ ſi die
iudicii obtendi poterat, tota cauſſa tollebatur
ita ut reus non poſſet hoc nomine cauſſam dice-
re, niſi renouato de integrò toto iudicio, per-
inde ac ſi nihil priore actum eſſet. Erant au-
tem excuſationes legitimæ, morbus, exilium
uolunaarium, funeris familiaris procuratio, a-
liæque generis eiuſdem. Quòd uerò attinet
ad ſacerdotum comitia, in his id iam diximus
proprium fuiſſe, quòd ſeptendecim tantum tri-
buum ſuffragio ſtaretur earum, quibus id ſorte
obtigiſset. Itaque propter incertum ſortis be-
neficium omnes tribus conueniebant, ut nulla ſe
excluſam conqueri poſset: ſed in ſorte tantùm id
coniicere poterant, quæ in ſuffragium uocatæ
non erāt. Statim ergo, ut unus competitorum no
uem tribus tulerat, ſacerdos renunciabatur. Aut
ſi ita uariaſsent tribus, ut nullus competitorum
nouem ferret tribus, tum qui plures tulerat, reli-
quos ſuperabat. Sin ſuffragiis pares eſſent, tum re
uocari tribus oportuiſse exiſtimo: niſi potius hac
in re collegii iudicio ſtaretur, ut is ſacerdos eſset,
quem potiſsimū cooptaſsēt. Erat etiam nomina-
tio neceſsaria iis, qui petitionem ſacerdotii profi
teri uolebant. Neq; quiſquam ſacerdotii petitio-
nem profiteri poterat, qui non ſibi aliquem ex
collegio conciliaſset, à quo in concione nomi-
naretur. Id quod à plurib. quā duobus è collegio
fieri non poterat. Oportebat præterea eum qui
aliquem nominaret, publicè iurare dignum eſse
eum quem nominaret eo ſacerdotio de quo age-
retur. Quod ego iuramentum eò inſtitutū fuiſse
puto, ne quem ſuffragiis ſuis populus indignū ſa-
cerdotio crearet. Pòſt ſacerdotes inaugurraban-
tur: quod tum fiebat, quando adhibitis ad duos
conſulendos auguribus. pronuuciati erant Diis
accepti ad fungendum ſacerdotium. Atq; ante le
gē quidē Domitiā omnino cooptabatur in colle-
giū, qui inauguratus erat. At poſt legem Domi-
tiam omnes competitores inauguratos eſse opor
tebat, ſed is ſolùm cooptabatur, quem populus
creaſset. Nā ſi in quibus ſacerdotiis ante legē Do
mitiā populi ſuffragio opus erat, in iis poſt com-
petitotum inaugurationem populi habebātur co
mitia, quēadmodum nos ſuprà oſtendimus in Re
gis ſacrorū ac Flaminū creatione. Pari profectò
ratione dicendū eſt in his creandis ſacerdotibus
qui lege Domitia ſuffragiis populi fieri cœperūt,
inaugurari antè cōpetitores oportuiſse, quā de
his comitia haberētur. ſi.n. poſt comitia iis inau-
gurādis auſpicia captāda fuiſsēt illis nō addicen-
tib. optari nō potuiſſet quē populus creaſset: nec
fuiſset neceſse hac ī re ſtare populi iudicio. Ac ſi
fortè eueniſset, ut poſt comitia ī uno qui creatus
eſset, auſpicia nō addixiſsent, rurſus ad creādū al-
terum

terum habenda fuiſſent comitia. In quo ſi rurſus eueniſſet auſpicia non bona eſſe, iterum uocanda fuiſſent comitia. Idemque dici poteſt in tertio & quarto competitore, ſi (ut uſuuenire poterat) tot eſſe accidiſſet. Hac igitur ratione efficiebatur ut bis, ter, quaterve fruſtra populus in ſuffragium mitteretur ad unum ſacerdotem creandum. qđ ſanè eſt abſurdiſsimum. Itaque dicendum, inaugurationem quidem fieri antequam populus in ſuffragium mitteretur: ſed quia non alios populus creabat, quàm qui ab aliis ſacerdotib. inaugurati eſſent, ita ut iudicium ſacerdotum populus confirmare tantũ uideretur: idcirco factũ eſt, ut apud Latinos auctores totũ hoc creandorũ ſacerdotũ negocium. uerbo inaugurãdi contineretur: ita ut inauguratum fuiſſe aliquem ſacerdotem dicant, cùm factum fuiſſe ſacerdotem dicere uolunt. Poſt dicta ſuffragia, in magiſtratuum creatione eadem ferè quæ poſt Centuriata fiebant. Poſtquam enim à præcone & à magiſtratu renunciati erant, quos populus crearat, domum à frequenti amicorum comitatu deducebantur. Poſt legum comitia id modò reſtabat, ut publicarentur. id quod æneis tabulis per fora & templa fixis fieri ſolebat. Tacitus lib. 11. Aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo. In iudiciorum uerò comitiis ſi dãnatus erat reus, illico prædes dare ſoluendæ mulctæ cogebatur: alioqui in uincula duci iubebaĩ à magiſtratu.

De loco tribvtorvm comitiorum. Cap. v.

TRibvtis comitiis uocandis nõ erat unus deſtinatus locus, quemadmodum Centuriatis: quia religio non erat, extra'ne, an intra pomœrium haberentur. At magiſtratuum quidem comitia Tributa ferè in campo Martio habebantur. Reperio tamen interdum etiam in pratis Flaminiis, qui pòſt fuit circus Flaminius, item iu Capitolio atque etiam in Comitio habita fuiſſe. Quòd uerò extraordinarii magiſtratus alibi quàm in campo creari poſſent, argumento eſſe poteſt, quòd in Capitolio creati ſunt Triumuiri agrarii ex lege Tiberii Gracchi. Legum comitia plurimùm in comitio haberi ſolita, uel hinc intelligi poteſt: quòd Cicero in oratione pro Poſthumo indicat ex roſtris leges ferri ſolitas. Erant autem roſtra, tribunal aut ſuggeſtus, unde conciones ferè habebantur: ſic dicta à roſtris nauium quæ huic erant præfixa. Erant autem ad comitium, propè iuncta curiæ. Itaque cùm ex roſtris conciones habebantur, populus in comitio ſtabat, à quo etiam populi in eum locum conuentu nomen habuit: uocaturque à Græcis auctoribus ἐκκλησιαστήριον. Quanquam autem hæc pars fori quædam eſſet, concionibus populi propriè deſtinata: unde etiam leges in foro latæ dicuntur, quæ in comitio latæ ſunt: attamen cùm propriè forum accipiebatur, diuerſum erat à comitio. Quod uerò dixi comitium locum fuiſſe propriè deſtinatum concionibus populi, non ita accipi debet, quaſi uelimus eò populum non conuenire ſolitum, niſi ut uerba ad eum ex roſtris fierent. Cicero enim in Bruto minora quędam iudicia apud unum iudicem in comitio exerceri ſolita teſtatur. Quin etiam prætorem urbanum in comitio ius dixiſſe conſtat. Et quoniam Prætori urbano ſuum quoddam tribunal erat, in quo ſedendi multis cum Prætore locus erat, propterea hoc Prætoris tribunal ita ad comitiũ ædificatũ fuiſſe exiſtimo, ut longè à roſtris diſiunctum eſſet: alioqui ſimul ex roſtris cõciones haberi, & ius à Prætore reddi ex ſuo tribunali non potuiſſet: quod tamen ſecus eſſe multis ex locis conſtat. Quoniam ergo una ex parte roſtra comitium ſpectarent, ex altera parte Prætoris urbani tribunal, iccirco pari ratione utraque in comitio fuiſſe non malè dici poſſunt. Erat igitur comitium ea pars fori quę potiſsimùm concionibus & comitiis populi deſtinata erat. His porrò habendis comitiis ſepta quædam fuiſſe, quo introuocarentur tribus cum ſuffragium inibant, cùm ipſum introuocandi uerbum argumento eſſe poteſt, tum uerò quod lege Maria per pontes ſuffragium ferri, his etiam comitiis quæ in foro habebantur, conueniebat. Neque enim pontes intelligere poſſumus uiam fuiſſe, qua ſuffragatores introuocarentur: niſi in ingreſſu ſeptorum quorundam hos pontes fuiſſe inſtitutos concipiamus. Neque enim aliud erant huiuſmodi pontes, quàm anguſtæ quædam ſubſtructiones è tabulatis, gradibus è ſolo ſublatæ, ad id inſtitutæ, ut per eas ſuffragium ferretur abſque omni fraude ac confuſione. Neque uerò in comitio tantùm legum habebantur comitia, ſed etiam interdum in Capitolio, nonnunquam etiam in circo Flaminio. In iudiciorum autem comitiis idem quod de legum comitijs dicendũ: neq;.n. in comitio tantum habebantur: ſed etiam in Capitolio.

DE TEMPORE COMITIOrum Tributorum. Caput v i.

COmmvne omnibus comitijs erat, ut niſi comitiali die non poſſent haberi, ſicuti ſuprà docuimus. Id quod cum hac exceptione intellectum uolo, niſi nominatim, ut alijs etiã diebus cum populo agere ſibi liceret, quiſque legem tuliſset. Erat etiam hoc omnibus comitijs cõmune, ut cum populo agi non liceret ante primã horam diei. Porrò autem ut propius tempus comitiorum definiamus, id non poteſt, niſi in ordinariis magiſtratib. fieri. Nam legum iudiciorumque & extraordinariorum magiſtratuum comitia certum tempus habere non poterant: quandoquidem pro publica neceſsitate ac uoluntate magi-

ſtratuum uarijs anni temporibus haberentur. Sacerdotum comitia cùm erat in demortui locum ſufficiendus alius, non alias habebantur, niſi aut noui inſtituerentur ſacerdotes, aut numerus in collegijs augeretur. Ordinarii uerò magiſtratus ferè ad finem menſis Iulii, & principium Auguſti curabãtur. Ac Tribunorum qnidem, Aediliumq́; pl. comitia primùm erant: ceterorum magiſtratuum prima erant conſularia, tum prætoria mox ædilitia, poſt quæſtoria, poſtrema tribunorum militũ: quæ omnia de his temporibus intelligi debent, quibus Calendis Ianuarij magiſtratus inibãtur. Nam ſuperioribus ætatibus creatio magiſtratuum, præter Tribunos Aedilesq́; plebis, eo tempore fiebat, quo ſuperiori libro diximus Cõſules tum creari ſolitos. Ego uetò propterea Tribunos Aedilesq́; plebis excepi, quia non eodem tempore inibant magiſtratum, quo ceteri magiſtratus. Nam poſtquam primũ creati ſunt Trib. ple. ſemper menſe Decemb. magiſtratum inierunt.

NICOLAI GRVCHII
DE COMITIS ROMANORVM.
Libri tertij Epitome.

QVID ESSENT CVRIATA COmitia Caput I.

CVRIATA comitia a Curiis perinde nomen habuerunt, ut Tributa à Tribubus, Centuriata à Centuriis. Ac Romuli quidem inſtituto curias numero triginta fuiſſe, eumq́; numerum ad extremæ uſque reipublicæ tempora perdnraſſe, ſuperiori lıbro demonſtrauimus, cùm à tribubus curias ſemper fuiſſe diuerſas oſtendimus. Quid autem qualeſq; eſſent hæ curiæ Dionyſius lib. 2. his docet uerbis: Romulus diuiſa in tres partes omni multitudine, ſingulis partibus præfectum conſtituit eum, quem illuſtriſsimum ac nobiliſsimum cenſebat. Tum ſingulas trium partium rurſus in decem partes diſtribuit: totidemq; ſingulis præfectos dedit, qui eſſent fortiſsimi. Ac maiores quidem partes tribus minores curias appellauit, ut etiam ad noſtram uſq; ætatem uocantur. Diuiſæ autem rurſus ſunt curiæ in decurias: uocabaturq; ſingularũ præfectus, Decurio. Poſtquam autem hoc modo omnes in tribus & curias deſcripti ſunt, ſolum urbanum uniuerſum in triginta æquales partes diſtribuit, ac ſingulis curiis ſuam partem attribuit. Exempta ex ſingulis tantilla portione, quæ ſufficeret templis delubriſq; conſtruendis: ſimulq; parte aliqua in commune relicta. & alio loco eiuſdem libri de eodem Romulo: Sacra ſua ſingulis curiis conſtituit: ſuis cuiq; diuis, quos uenerari ſemper deberent, aſsignatis. & ſacris faciendis certos ſumptus definiuit: quos ex ærario ſuppeditare oporteret. Porrò autem unà cum ſuis ſacerdotibus ſacris ſibi ſolennibus peragendis Curiales adeſſe oportebat: unaq́; epulabantur ferijs, in curialibus tricliniis, cœnaculisve. Erant enim ſuæ cuique curiæ cœnationes, in quibus communis ueluti focus ſingulis curiis conſecratus erat. Huiuſmodi autem ædes curiarum nomine etiam Curiæ appellabantur: quod nomen noſtra adhuc ætate retinent. His ex locis intelligi poteſt, Curiata comitia ea fuiſſe, in quibus populus curiatim ſuffragium dicebat: hoc eſt, in quibus populi curias diuiſi ſentẽtia rogabatur: ut quod plures curiæ ſtatuiſſent, id iuſſum populi eſſe diceretur.

DE CAVSSIS CVRIATORVM comitiorum. Caput. II.

CAuſſæ horum comitiorum diuerſæ pro diuerſis reipublicæ temporib. fuerunt. Nam poſt curias à Romulo inſtitutas uſque ad tempora Seruii Tullii ſexti Romanorum regis, omnia quæ ſuffragiis populi à Regibus committebantur, curiatis comitiis peragebantur, ut ex eo intelligi poteſt, quod necdum centuriæ, nec tribus erant, quæ ſuffragium dicere poſſent. Itaq; non modò Reges, ſed etiam ceteros magiſtratus curiatis comitiis creatos fuiſſe interpretandum eſt, cùm apud auctores reperimus à populo cos creatos: & leges omnes quæ ad illud uſq; tempus latæ ſunt, curiatæ fuerunt: & iudicium Horatii à populo curiatis comitiis peractum eſt. At poſt claſſes à Seruio rege inſtitutas, tum duo cœperunt eſſe comitiorum genera, curiata & centuriata: atq; illis duobus tantùm generibus uſus eſt populus uſque ad iudicium Coriolani, anno urbis CCLXIII. Quo primum anno ceperunt Tributa comitia. Creandis etiam magiſtratibus curiata comitia in uſu fuiſſe, demonſtrant Tribuni pl. quos ad legem uſq; Voleronis perlatam curiatis comitiis creari perſpicuum eſt. Et ante Coriolani iudicium multa iudicia populi leguntur habita in foro, ubi centuriata eſſe non poterant, unde relinquitur curiata fuiſſe. Poſtquam uerò ad illa duo comitiorum genera acceſsit tertium genus Tributorum comitiorum, tum minus frequẽtari cœperũt curiata: & maximè poſtquam lex lata, eſt

ta eſt, de plebiis magiſtratibus creandis Tribntis comitiis. Ego tamen adhuc poſt illud tempus reperio duas generales cauſſas fuiſſe horum comitiorum habendorum: unam legibus ferendis: alterã ſacerdotibus creãdis. Ac legum quidẽ cauſſa toties trahebãtur, quoties legibus Curiatis opus fuiſſe legimus. unũ genus earũ legũ erat, quas de magiſtratuũ imperio ferre oportebat, tametſi Tribuni & Aediles pl. eo in num. nõ ſint. Neq; uerò ordinariis magiſtratibus tãtùm ea lege Curiata opus erat, ſed etiã extraordinariis. Neq; enim rem militarem cuiquam attingere licebat, niſi lege Curiata id ei nominatim datum eſſet. Atqui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, niſi Conſulari aut Prætorio. Quicunq; ergo in prouinciã cũ belli gerẽdi poteſtate mittebãtur, legẽ Curiatã antè habere debebãt. At enim neminẽ Prætorio aut Cõſulari imperio in prouincia fuiſſe, qui belli gerẽdi poteſtatẽ non haberet, dubitari nõ poteſt. Neq; uerò illud omittẽdũ eſt, quòd prouincialibus magiſtratibus præter legem Curiatã opus erat ſenatuſconſulto, quo decretæ prouinciæ ornarẽtur. Ornari autẽ prouinciȩ magiſtratuũ dicebãtur, quando à Senatu decernebatur, quo ſumptu, quo comitatu inſtructi de publĩco, magiſtratus in prouincias proficiſcerẽtur. Nã quo id Senatus liberalius fecerat, eo ornatiores dicebãtur eſſe prouinciæ. Ac de magiſtraruũ quidẽ lege Curiata ſatis dictũ eſt legẽ Curiatatã alterius generis reperio eam, qua reuocatus eſt ab exilio Camillus: qua de re ſcribit Liuius li. 5. Fuit etiam alia uetus lex Curiata, quæ ferri olim ſolebat teſtamentis confirmandis, quo tempore Calatis comitiis in cõcione fiebãt. Erat & alia qua adoptiones fiebãr, itẽ alia qua ſacrorum de teſtationes fiebant, id eſt omnes conſecrationes, quas publicè in concione populi fieri oportebat. Atq; ego illas primis temporibus à Pontificibus factas Calatis comitiis exiſtimo, quæ comitia erãt Curiata. At poſt latam legem Papyriam, quæ uetabat ædes, terram, aram, conſecrare iniuſſu plebis, magiſtratib. plebeiis cœpit poteſtas eſſe huiuſmodi conſecrationes faciendi: quas Tributis comitiis peragerent. in quo ſatis erat collegio Põtificũ, ut adeſſet denunciare: ad quod etiam pro imperio Tribuni cogere poterant Pontifices. Altera cauſſa habendorum comitiorum Curiatorum erat ad creandos ſacerdotes: id quod ad Ftamines tantùm & maximum Curionẽ pertinet. Nam ſingulos Curiones ſuæ curiæ creabãt. Erat autẽ maximus Curio, Feſto auctore, cuius auctoritate Curiæ omneſq; Curiones regebantur. Vnde ego potiſsimum collegio Curiarum ſuffragio creari, ac fuiſſe eius comitia Curiata. Par enim eſt, ùt quemadmodũ ſingulos Curiones ſingulæ Curiæ creabant, ita Curionem maximum omnes Curiæ: ut omittam, cùm hoc ſacerdotium inſtitutum eſt, nõ alia fuiſſe in uſu comitia, quàm Curiata.

DE PERSONIS COMITIOREM Curiatorum. Caput. III.

DEinceps ſequitur de perſonis, ut pauca dicamus. His comitiis ius habebanr ſuffragii non omnes qui ciues Romani erant: ſed hi tãtũ qui in Curias deſcripti erant, quas nos ſuprà oſtendimus eorum tãtùm fuiſſe, qui urbẽ habitabant. Quæ cauſſa fuit ut poſtquam Italiæ municipia ciuitate donari cœperunt, minus hæc comitia frequentarentur. Nam quod ad magiſtratus attinet, ego omnes minores à principio exiſtimo Curiatis comitiis creari ſolitos, nõ aliter quã Tribuni Aedileſq; plebis, uſq; ad legẽ à Volerone perlatam: idq; eouſq; duraſſe, donec ex municipiis Italiæ ciues in horum minorum magiſtratuum Centuriis admitti uoluerunt, ſicut in maiorũ comitiis Cẽturiatis. Neq; enim æquum uidebatur hac ſuffragiorum parte eos priuari, qui æquo iure ciues eſſent. Tũ igitur ea ratio inuẽta eſt omnes ciues admittendi, ut illi magiſtratus tributim non curiatim crearentur: ſed ita tamen, ut poſt de eiſdem illis magiſtratibus, lex curiata ferreẽ: idq; auſpiciorum cauſſa, id eſt, ne in eorum magiſtratuum creatione negligi uiderentur auſpicia. Tributa enim auſpicato non habebantur, nec patres auctores fiebant. His ergo magiſtratibus ut ſua eſſent auſpicia, lex Curiata ut de iis qui deſignati eſſent Tributis comitiis ferretur, cautũ eſt. Atq; illa quidem lex à principio iuſtis comitiis Curiatis ferebatur. at ſucceſſu tandem temporis factum eſt, ut non triginta curiæ in ſuffragiũ uocarẽtur, ſed pro triginta curiis triginta lictores ſuffragiũ inirent: adeò ut legem Curiatã magiſtratibus ferre, non eſſet populo cutiatim conuocato legem iubendã dare, ſed ad uſurpationem quandam uetuſtatis, triginta lictorũ ſuffragio legem cõmittere. Quod tamen de ijs comitiis quæ adoptionis aut ſacerdotũ cauſſa habebãtur, dictũ nolo. Nam magiſtratibus creandis tãtum auſpiciorom cauſſa retenta erant hæc adumbrata comitia: ſiquidẽ eos populus iam ante iuſtis comitiis deſignaſſet. Vnde fiebat, ut rurſus coire populus pprer eoſdẽ magiſtratus minus curaret. Itaq; re omnino deſerta ꝑ infrequentiã populi uiderentur, conſtitutum uidetur ut pro triginta curiis, triginta lictores conuenireot. ad ceteris in rebus retinenda uidẽtur fuiſſe Curiata comitia: quãdo nullis alijs comitijs de ijs iudicium eſſet populi. Ego tamẽ hac in re nihil pro certo affirmare auſim. Tãtùm hoc dicere poſſumus, ſi quæ adhuc eſſenr iuſta comitia Curiata ætate Ciceronis in iis ſuffragij ius habuiſſe oẽs ciues, qui curiarũ deſcriptione continebãtur. ſin nulla erãt iuſta comitia, in ijs omnibus triginta tantùm lictores in ſuffragium mitti ſolitos. comitia Curiata habẽdi ius erat patriciis tãtũ

magiſtra-

magiſtratibus,& pôtificibus'. illis quidẽ, legibus Curiatis ferẽdis:his uerò,ſacrorum cauſſa. Magiſtratus autẽ intelligo ex ordinarijs quidem, ſolos Conſules & Prætores:de extraordinariis uerò, Dictatores & Interreges. Neq; enim uerisimile eſt, eos qui à Cõſulibus creabârur,ut Aediles, Quæſtores,& Tribuni militũ, potuiſſe Curiatã legem de ſuo imperio ferre:præſertim cùm lege Curiata iuſtius magiſtratum acciperet, quàm Tributa:ut omittã auſpicia eos, niſi per legẽ Curiatã nõ habuiſſe. Pontifices uerò ſacrorum cauſſa ius habuiſſe uocãdi comitia Curiata,ex eo intelligi poteſt quod ſuprà oſtẽdimus,Cẽturiata comitia habẽdi ius habuiſſe. & Calata comitia propria erant Pontificũ:Flamines autẽ Calatis comitiis creabâtur. Quoniã autẽ nõ modò à Põtifice Maximo inaugurari Flamines reperiũtur, ſed etiã nuſquã in eorũ creatione ulli interuenire magiſtratus cõperiuntur: idcirco à Pontifice Maximo haberi comitia creãdis Flaminib. exiſtimo, abſq; ullo interuẽtu magiſtratuũ præſertim cũ ei pro ſui ſacerdotii auctoritate ius eſſet agẽdi cũ populo. comitia maximi Curionis potius alicui magiſtratuum maiorũ quã Põtificibus attribuẽda cẽſeo:comitia uerò legis Curiatæ de adoptione ferẽdæ ab aliquo magiſtratu potius quàm à Pontificib. haberi ſolita exiſtimo: tametſi hac in re Põtifices interueniebant, ut de iure adoptionis cognoſcerent, ne ſcilicet populus legem iuberet contrà quam iura adoptionis poſtularent.

DE MODO COMITIORVM. Curiatorum. Cap. IIII.

Modus horum comitiorum diuerſus fuit diuerſis reipublicæ tẽporibus. Nã donec Tributis comitijs creari minores magiſtratus cœperũt, comitia Curiata, quod ad magiſtratus quidẽ attinet habebãtur ad deſignãdos magiſtratus ex cãdidatis alijsve, quos populus uellet. At poſtea retẽta ſunt ad legẽ Curiatã de imperio magiſtratuũ ferẽdã, perinde ut antè ferri ſolebat de imperio maiorũ magiſtratuũ:adeò ut poſt illud tẽpus nulli deſignarẽtur magiſtratus comitiis Curiatis, ſed tãtùm de eorũ imperio, quos iã populus deſignaſſet, lex ferretur: ob idq; duas tantùm cauſſas poſuimus habendorum comitiorum Curiatorũ, ad leges ſcilicet ferẽdas, & ad ſacerdotes creãdos. Curiatis omnibus comitiis cõmune erat, ut auſpicatò haberẽtur, & patriciis auctoribus. ſic autẽ auſpicatò haberi debebãt, ut nõ modò obnunciationi parendũ eſſet, ſi de cœlo ſeruatũ eſſet:ſed etiã ut adeſſe augures oporteret, qui latori legis in auſpicio eſſent, & ut boni ominis eſſet prærogatiua curia. Interceſsionis ius etiã in his comitiis ualuit. Legibus antè Curiatis de adoptione ferendis, trinundini promulgatione opus erat, priuſquã ad diẽ quã magiſtratus i dixiſſet, comitia haberi poſſent. Quod autem ad leges imperio magiſtratuũ ferẽdas attinet, exiſtimo eas prima quoq; die comitiali ferri ſolitas, nec trinũdini promulgatione opus fuiſſe, ſicut in lege Curiata de adoptione: quia nõ perinde noui aliquid ad populum referebatur in lege Curiata magiſtratuũ, quando id ordinariũ eſſet, ut in lege de adoptione. Cauſſa uerò promulgationis per trinundinum erat, ut populus antè rem cognoſceret, quam in ſuffragium mitteretur. Indictis ergo comitiis tantũ opus erat, nõ etiã legis promulgatione Ad in lege adoptionis trinũdini promulgatione opus erat, ut eſſet examinãdæ legis ſpaciũ. Multa enim erãt quæ in adoptione legitima prouidẽda erãt: quorũ cognitio ad collegiũ põtificũ pertinebat. Itaq; prætor latorẽ legis, eoſq; inter quos arrogatio fiebat, põtifices aderãt: qui de cauſsis & omni iure arrogãdi cognoſcerẽt. In quo certũ quoddã erat iuramentũ à Pontificibus conceptum, quod hi iurare debebãt inter quos fiebat arrogatio. Ac tum Põtifices publicè profitebãtur, utrum cauſſas adoptiõis probarẽt, nec ne. Quòd ſi omnia ſe probare Põtifices palã profeſsi eſſent, tum populus à magiſtratu rogabatur, ut legem iuberet. Qđ autẽ attinet ad comitia ſacerdotum propriè obſeruãdum erat in creatione Flaminis dialis, ut tres patricii cõfarreatis natis parẽtibus nominarẽtur, ex quibus deinde unus legeretur. Neq; uerò flamen Dialis tãtũ inaugurabaẽ à Põtifice Maximo, ſed ut omnes Flamines attributi erãt collegio põtificum, ita eos omnes inaugurandi poteſtas erat penes collegiũ Pontificum. Curio uerò Maximus ex iis qui peterẽt, creabatur: nõ ſecus quàm in magiſtratibus, aut quo modo poſt legẽ Domitiã in collegiorum ſacerdotibus fieri ſolebat. Ac de iis quidem quæ ante ſuffragia ſpectãda uidebãtur, ſatis. In ipſis comitiis Curiatis, quæ iuſta ac nõ adumbrata erãt populus, poſtquam magiſtratus aut Põtifex expoſuerat ſuã rogationẽ, in ſuas cuiuſq; curias diſcedebat: quæ deinde eo' ordine ſuffragium dicerent, quo ſorte exibant. Quodq; plures ex triginta curiis iuſſerant, id ratum habebatur. ac ſi primò uocatæ cõſentirẽt, ſtatim atq; ſedecim ex illis ſuffragium dixerant, finis fiebat comitiis: quia tum certum eſſet à pluribus curiis id iuſſum eſſe, quod ſedecim Curiæ iuſsiſſent. ſin diſſentirent, eouſq; nocabantur, dum ſedecim Curiæ conſenſiſſent. Iam uerò qui in tribus deſcripti erant, locis ac regionibus erant diſtincti: qui in claſſes, cenſu, ordinibus, ætatibuſq;:at qui curiis continebantur, nulla habita iſtorum ratione tantum ſacrorum quadam diſtinctione diſtinguebantur. Erant enim ex omnibus tribubus qui urbem incolerent, ideoq; in curias deſcripti erant. unde fit ut in Curiis eſſet tribuum & claſsium diffuſio: quæ tribus claſſeſq; quoniam erãt populi Romani partes præcipuæ, ut ex eo conſtat quòd Cenſores in partibus populis deſcribendis tribuũ modò &

dò & claſsiũ rationẽ habuiſſe legũtur, iccirco cũ
curiatim ſuffragiũ ferebatur, cõfuſe & abſq; ulla
uerarum populi partium diſtinctione, ſuffragium
ferri dicebatur.

DE LOCO ET TEMPORE CVriatorum comitiorum. Cap. v. & vi.

CVriata comitia non ferè poterãt auſpicatò
fieri, idq; in foro, adeoq; in comitio. nã quę
comitia habebãtur in foro, in ea fori parte
ubi erat comitiũ, ea haberi docuimus. unde appa-
ret Comitiũ locũ fuiſſe deſtinatũ Curiatis comi
tiis. quod & Varronis uerba ſignificãt, ubi ait, Co
mitium inde primum nomẽ habuiſſe, quod comi
tiis curiatis populus illuc cõueniret. De tempore
uerò iſtorum comitiorum, nihil habeo quod di-
cam: niſi diebus comitialibus ea habita fuiſſe.

DE COMITIIS ROMA. EPItomes Gruchij.

FINIS.

FRAGMENTA E DVOSEXTO

POLYBII HISTORIARVM LIBRO, DE DIVERSIS RERVMPVBLICARVM FORMIS, DEQVE ROMANAE PRAESTANTIA.

POMPILIVS AMASAEVS VERTIT.

AC DE Græcię quidẽ
Rebuſpublicis, quæ
ſæpius auctæ, ſæpius
mutationes in con-
trariũ expertæ ſunt,
facilis eſt & præteri-
torum commemora-
tio, & futurorum præ
dictio: quòd non ma
gni utiq; negocii eſt, & cognita referre, & futura
ex præteritorum euẽtis conijciẽtẽ enunciare. Ro
manæ autẽ Reipublicæ, propter eius uarietatem
& præſentem ſtatum exponere, & cum non ſatis
cõſtet, qualis cùm in ſingulis quibuſq; tum in uni
uerſum ſuperiorib. temporibus propria eius for-
ma fuerit, euẽta & exitus prædicere, difficile nẽpe
ac laborioſum eſt. Quare nõ fortuita quadã intel-
ligẽtia & cõtemplatione opus fuerit, ſi quis dilu-
cidè ac diſtinctè ipſius diſcrimina & differẽtias di
ſpicere uelit. Tria nerò cõſueuerunt, qui certa ra-
tione huiuſmodi quæſtiones tractãdas ſuſcepe-
runt, rerumpublicarum genera ſtatuere: quorum
unum Regnũ, alterũ optimatiũ Principatũ, ter-
tiũ populi Imperiũ appellant. Iure autẽ quis mea
quidẽ ſentẽtia, eos percõtetur: utrum hæc ut ſola
nobis, an ut optima Rerũpublicarum genera pro
ponant. Ac mihi quidẽ utrũcunq; reſpõderint, pa
rũ attendiſſe quid dicerẽt, uiderentur. Nanq; om
nium ea Reſpub. optima ducẽda eſt, quæ ex om
nibus hiſce formis compoſita ſit: atq; hoc quidẽ
nõ ratio tãtum, ſed in hunc planè modum, inſtitu
tæ apud Lacedæmonios à Licurgo Reip. exem-
plum, certo fuerit documento. Sed neq; ſola hæc
genera eſſe arbitrãdum eſt: uidimus enim ſingu-
lorũ plerunq; hominum, tirannorũq; dominatus:
qui plurimũ á regno differentes, quiddam tamen
regno ipſi perſimile habere uiderentur. Siquidẽ
& qui ſoli potiuntur imperijs, quatenus poſſunt,
Regni nomen uſurpãt atq; ementiũtur. Quinimò
& plures etiã ſunt ex earũ Rerumpublicarũ nume
ro, quæ paucorum arbitratu regunt: quæ cùm ad
earũ formã proximè accedere uideãtur, quæ opti
morũ quorumq; cõſilio gubernãtur: ab ea tamẽ,
ut dicã, quã longiſsimè abſunt. Eadem eſt ratio in
populi adminiſtratione. Quod ſanè ueriſsimum
eſſe, ex hoc, uel maximè patet. Nõ omnis etenim
unius dominatio, Regnũ nũcupãdũ eſt: ſed quod
libẽtes ac uoluntarij populi permittunt ac diſe-
runt: atq; ubi res magis conſilio, & ſapientia, quã
ui aut metu adminiſtrãtur. Nec ſanè quæ uis pau
corũ gubernatio, bonorum principatus exiſtima
ri debet: ſed ea in qua lectiſsimus quiſq;, ac iuſti-
cia prudẽtiaq; probatiſsimus æquabiliter ſummæ
rerum præſit. Eodẽq; modo nõ ea populi admini
ſtratio habenda eſt, cùm promiſcuè uniuerſa mul
titudo, quicquid ei uiſum oblatumq; fuerit, ſta
tuit & decernit: ſed ubi patrium cõſuetumq; ſit ri
tè pieq; Deos uenerari, parentes colere, honore
ſenes af[illegible]icere, legibus parere, ubi mores hi atq; in
ſtituta uigeant: cùm id tum demum ius ratumq;
fuerit, quod plures iuſſerint, ea meritò populi ad-
miniſtratio appellari poterit. Dicendũ eſt igitur,
ſex rerumpublicarum genera eſſe: tria quidem ab
omnib. uulgata, & ſuperius à nobis dicta: tria uerò
his proxima & cognata, unius uidelicet, pauco-
rum, confuſæ atq; imperitæ multitudinis impe-
rium. Verùm enimuerò prima omniũ fortuita ue
luti naturæ opera, nullo hominũ cõſilio, unius tã-
tũ dominatio exiſtit. Hãc ſequitur, ex eaq; ſtudio
iam &

iam & moderatione adhibita, regnum gignitur. Hoc iam at proxima ſibi uitia cum declinare atq; in tyrannidẽ conuerti cœperit, rurſus eo ſublato optimatum principatus exoritur. Hoc iam in paucorum dominatum ſuapte natura tranſmutato, cumq; multitudo præſidũ iniurias perſecuta fuerit, populi gubernatio conflatur. Poſtremò huius licentia & petulantia temporis ui quadam & progreſſu, res ad uniuerſæ atq; imperitæ multitudinis adminiſtrationem deducitur. Atq; ea quidem quæ nũc diſſerui, quiuis uerìſsima eſſe intelliget, qui horum uniuſcuiuſque generis, naturales hortus & conuerſiones diligenter animaduerterit. Qui enim reipublicæ cuiuslibet primordia nouerit, ſolus utiq; eiuſdẽ progreſſus & ſummam, inclinationesq́ue ac finem perſpicere poterit: quove tempore, quave ratione ſit quælibet præſtinã formam receptura. In primis autẽ exiſtimaui Romanæ reipublicæ, cum ea maximè naturales origines & progreſſus habuerit, hanc deſcriptionis rationem accommodatam fore. Atqui ſubtilius fortaſſe ac enucleatius de naturali rerumpublicarum conuerſione, à Platone, atq; aliis quibuſdam Philoſophis, tota ratio ꝑpẽſa & examinata fuerit. Eorum tamen diſputationes, qđ multa rerum uarietate, ac propè nimis longa oratione explicantur, paucis perſpicuæ atque apertæ ſunt. Quare ex omnibus quæ de hoc genere tradita fuerunt, ea duntaxat quæ ad ciuilem diſciplinam, communéque hominum ſenſum pertinere uidebuntur, ut breuiter ac ſummatim percurram, operam dabo. Quòd ſi quid in hac priore, ac de uniuerſa re ſummatim ſuſcepta tractatione prætermiſſum uidebitur, totum id ſequens deinceps, & per partes decurrens oratio reponet. Quas igitur rerumpublicarum cauſſas, quibusve initiis eas ortum duxiſſe dicam? Nempe cùm aut ob eluuiones, aut peſtilentiam, aut famẽ, aut alias eiuſmodi clades, maxima hominum multitudo conſumpta & delata fuerit (quæ calamitatum genera etiam antè accidiſſe, & in poſterum ſæpius euentura, ipſa nobis ratio perſuadet) amiſsis ac ſublaris artibus & ſtudiis, cum ex quibuſdam quaſi ſeminum reliquiis, aliquo pòſt temporis interuallo, rurſus humanum genus auctum & propagatum fuerit: tum credibile eſt, quẽadmodum cetera etiã tãto ignobiliora animãtium genera ſolẽt, quib. natura inſitum eſt, ut ſui quæq; generis cœtus & ſocietates expetãt, in unum congregata ob naturæ imbecillitatem, hominum multitudine, certa quadam naturæ lege fieri, ut qui maximè corporis robore atq; animi ſortitudine præſtet, ceteris præſit atq; imperet. Atq; hoe quidem uel maximè naturale arbitrari debemus, quod etiam in ratione carentinm animalium generib. cõtingere uidemus: in quorũ gregib. manifeſto ſortiſsimum quenq; principatũ ſibi uendicare animaduertimus: exemplo ſunt tauri, apri, galli gallinacei, atque his ſimiles beſtiæ.

Ac eiuſmodi ſanè principia eſſe cõſentaneum eſt, libentiusq́ue homines animantium omnium ritu, ſui generis ſocietatem & congregationem ad uitam degendam expetere, omnes fortiſsimum & potentiſsimum quenque ſectari. utpote qui robore ac uiribus imperium contineri ducant. nomen autem rectè quis, unius dominatum dixerit. Poſtea uerò quàm cœtus & congregationes, conuictus & conſuetudo ſubſequi cœperit: inde iam regni principium exiſtit, actum primum iuſti atque honeſti, & his contrariorum notio & conſideratio inter homines exoritur. Atque huius quidem principatus, hæc origo, hæc ratio eſt. Cùm enim ſit omnibus cõmunis coniunctionis appetitus, ex eoque filii procreentur: quoties aliquis nouæ ſobolis iam adultus, iis à quibus altus & educatus fuerit gratiam non referat neque opituletur, ſed contrà maledictis laceſcat, aut iniuriam inferat: conuenit profectò eos qui adſint grauiter id ferre atque indignari, cum nouerint quanta parẽtes cura, diligẽtia & charitate, quàm multis etiam & quantis laboribus & incommodis liberos educarint. Etenim cum hoc uel maximè à ceteris animãtib. homines differant, quòd ſoli ratione ac mente præditi ſunt: eſſet profectò abſurdum eos pecudum ritu, id quo ab illis maximè differunt, contẽnere, ac pro nihilo habere. Quinimò par eſt unumquenque aliorum actiones dilgenter notare, inſolentia offendi, & aliorum periculo, quid ſibi etiam euenire poſſet, proſpicere ac ratiocinari. Eodẽq; modo ſi quis ei à quo aduerſis in reb. adiutus & protectus fuerit, nedum gratiam non referat, ſed eum etiam lædere aggrediatur: conſentaneum eſt omnes qui hoc uideant ſtomachari, atque in illum offenſiore animo eſſe: ex aliorũ autem periculo ſibi exemplum capere, unde ad hominum animos officiorum ſpecies quædam & notio peruenit: quæ ſanè iuſticiæ origo & finis eſt. Pari etiam ratione, ſi quis ab aliis omnibus pericula & calamitates ꝓpulſet, ferociſsimarumque belluarum impetus excipiat & ſuſtineat: hũc uerìſimile eſt cõſentienti multitudinis beneuolentia ac ſtudio principatu dignum iudicari. Iis uerò cõtraria qui faciant, abalienati animi atq; inuidiæ ſignificationem dari. Quib. item ex rebus probabile efficit, quandã apud multitudinem honeſti ac turpis, & eius quod eſt inter hæc diſcriminis cõſiderationem oriri: quorum alterum ob utilitatem expetendum atq; imitandum ducitur, alterum cõtrà fugiendum. Quoties uerò is qui ſummæ rerũ præeſt, plurimumq; põt, multis id teſtimonio ſuo cõprobãrib. in iiſdem quæ ſuperius dictæ ſunt, artib. ac ſtudiis perſeueret, exiſtimeturq́ue eorum qui ei parent, unicuiq; ſuum ꝓ dignitate tribuere nullam iam homines uim metuentes, plurimum uerò in unius conſilio & rerum gerendarum prudentia, poſitum iudicantes, eius ſe poteſtati ſubiiciunt, eiuſq́ue dominatum diutiſsimè tuentur,

ac iam ſeniori præſidio ſunt, unoque omnes con ſenſu contra inſidiatores pro eius imperio dimicant. Ita cùm principatus à robore ac uirib. ad rationem transferatur, ſenſim ex uno rerum dominatore fit, exiſtitque rex. Hæc prima eſt iuſti atq; honeſti apud homines, atque his contrariorum notio: hæc ueri & legitimi regni origo. Neque illos tãtùm populi, ſed eorũ quoq; poſteros, quos maiorum ſuorum ſtudia & artes retenturos credunt in regno conſeruare ſolẽt. Quòd ſi nonnunquã eos propter impotentiam ferre non poſsint, non iam robore & corporis uirib. ſed conſilio & prudentia, quibus regnum deferant, præſtantes eligunt, reipſa in ſuperiorum temporum mutationib. quantum eorum alterum alteri præſtet, experti. Olim igiť qui ſemel honore illo digni habiti, eiuſmodiq; poteſtatem adepti fuiſſent, in regnis conſeneſcebant, cùm ut opportuna loca munirent, & imperij fines propagarent, tum ob ſecuritatem, tum ut populis affluenter uictui neceſſaria ſuppeterent. Hæc ſtudia ſectantes, nulli aut crimini, aut inuidiæ locum dabant, quòd non magna in eis aut uictus, aut ueſtitus mutatio cernebatur: uerùm ſemper in oculis ciuium uitam agentes, eadem qua populus uictus ratione utebãtur. Sed poſtquam ii qui eodem ex genere ac ſanguine in regna ſucceſſerant, cùm iam comparata haberent præſidia, & rebus ad uictum pertinentib. magis quàm pro neceſsitate abũdarent, ob nimiã bonorum copiam atq; affluentiam, cupiditatibus obſequentes, arbitrati ſunt, oportere principes ornatiore ac ſplendidiore ueſtium & epularũ apparatu, ab ijs qui ſub eorum imperio eſſent, differre: ad hæc licere, nemine ob metum contradicente, inconceſſos concubitus appetere. Quæ cùm partim in eos inuidiam concitarent, partim iram atrociſsimam atque odium accenderent, coorta eſt ex regno tyrannis. Tollendæ uerò iniuſtæ dominationis initia, hæc propemodum quæ à me iã exponentur, fuere. Fiebant aduerſus principes, nõ ab infimis, ſed generoſiſsimis & fortiſsimis quib. que inſidiarum coniurationes. quòd qui tales ſunt, minimè poſſunt Principum iniurias & contumelias ferre. Adiuuante autem eaſdem ob cauſſas, Ducum ſuorum cõſilia multitudine, regnum, atque illius imperii, quod penes unum tantummodo fuiſſet forma facile ut deleretur, eueniebat. Atque inde iam optimatum principatus, ortum atque initium duxit. Iis enim qui unius imperium euertiſſent, multitudo præmii loco, de manu quodammodo rerum adminiſtrationem tradere, eiſque ſe ac ſua gubernanda committere. Hi primò adminiſtratione gaudentes, communi utilitate nihil antiquius habere: ſingula quæque tam publica quàm priuata, ſedulò & accuratè adminiſtrare ac tueri. Sed cùm iam liberi eandem à patribus poteſtatem accepiſſent, malorum illi quidem expertes, æquabilis uerò iuris, communiſque libertatis rudes & ignari, educati autem ab initio in poteſtate atq; honorib. paternis, ac eorum alii ad im potentiam & cupiditatem, alii ad uinolentiam, & luxurioſos conuiuiorum apparatus, multi ad uim iniuriamque mulieribus ac pueris, per ſtupra & raptus inferendam ſe conuertiſſent: facile optima tum principatum ad paucorum dominationem trãsferebãt. Quare celeriter eiuſmodi quales paulo antè commemoraui, conſpirationes in populo fiebant, unde illorum imperio, per idem quod tyrannos oppreſſerat infortunium, finis imponebatur. Cùm enim quiſpiam animaduertiſſet, ciuium in potentiores concitatã inuidiam atq; odium, ac tum demum cõtra eos dicere, aut aliquid moliri auderet, uulgi cõcurſu prõptè atq; alacriter adiuuabatur. Reſtabat igitur ut his de medio ſublatis, neq; regẽ creare, ob iniuſticiæ qua ſuperiores uſi fuerant metum, neq; plurib. rempublicã cõmittere auderent, tã recenti ſcilicet rei malè geſtæ memoria. Ad eam igitur unam, & adhuc integram, quam in ſeipſis poſitam haberent, ſpem deuoluti, reipublicæ cuius prius adminiſtratio penes paucos potentiores erat, popularem formã efficiebãt, ad ſuam uerò ipſorum fidem & procurationem, publica recipiebant. Ac ſanè donec ii ſupereſſent, qui ſub dominatu & impotentia uixiſſent, præſenti temporum ſtatu læti, ac bene & præclarè ſecũ agi exiſtimantes, libertatem & concionum licentiam plurimi faciebant. At cum iam ex illis geniti iuuenes, ad reipublicę gubernacula acceſsiſſent, & ſubinde nepotibus rerum adminiſtratio tradita eſſet, illi minoris iam ob diuturnum uſum, æquabile ius, ac liberè concionandi facultatem æſtimantes, eorum ſinguli, plus ceteris in republica poſſe contendebant: in hanc autem cupiditatem, locupletiores maximè incidebant. Reliquum igitur erat, ut cùm iam iĩ principatum appeterent, atq; id per ſeipſos, propriiſq; uirtutib. cõſequi nequirent, pecuniam in uulgus, quauis ratione deliniendum & corrumpendum, profunderent: qua largitione cùm ſemel iam plures ineſcaſſent, ob multitudinis in accipiendis abligurien diſque muneribus dementiam, rurſus popularis reipublicæ adminiſtratio tollebatur, moxque in ui ac manuũ licentia, omne erat ciuitatis ius. Aſſuefacta enim multitudo, aliena bona comeſſe, uitæq; ſuæ ſpem omnem in fortunis alienis ponere, ac ducem elato animo atq; audacem, cui paupertatem ad publicos honores intercluſus fuiſſet aditus, nacta, reipub. formam illam, quæ tota in manuum fiducia poſita eſſet, efficiebat, ac tum in unum coacta, cædem facere, ciues eiicere, proſcriptorum agros, diuidere, donec ſeuum rurſus & efferatum unicum dominum reperiret. Hæc eſt rerumpublicarum ueluti in orbem quendam conuerſio, hæc naturalis earum, qua immutãtur & conuertuntur, eodemque certo rurſus ordine referuntur, diſpenſatio. Quæ ſi quis diligen-

ter

ter notarit, is fortaſſe in temporum momentis aliquantulum aberrabit, cum rerumpublicarum euenta & exitus prædicet. Quo uerò earum ſingulæ, quoad incremẽtum & declinationem loco ſint: quove pacto earum tranſmutatio futura ſit, qui abſq; ira & inuidia pronunciarit: perrarò utique falli ac decipi poterit. Atqui ad hanc maximè normam & diſciplinam, Romanæ reipublicæ conſtitutionem, incrementumq́ue ac ſummam, atque his econtrariò futuras conuerſiones, digno ſcere poſsimus. Quod ſi & aliarum cuiuis, ut modò dixi, & huic ipſi continget, cùm ab initio naturalem ortum atque incrementum habuerit, eadem naturæ ui atque ordine, contrarias mutationes pati. Quod ex ijs quæ poſterius dicentur, colligere llcebit. Nunc autem breuiter de Lycurgi in ferendis legibus instituto, pauca commemorabimus: erit enim ſermo hic nequaquã à propoſito alienus. Is cùm intelligeret, ſingula quæq́ue ſuperius commemorata rerumpublicarum genera, certa quadam naturæ ui conſumi atque interire, quæq́ue earum ſimplices, & unius tantũ formæ eſſent, quod celeriter in propria, & natura ſibi adiuncta uitia uerterentur; maximè debiles & caducas eſſe. nã quemadmodum ferro ærugo, lignis teredines ac tineæ innatæ peſtes adhæreſcunt, à quib. ea quamuis ceteras extraneas noxas euaſerint, his tamen inteſtinis malis exeduntur & corrumpuntur: eodem modo ſingulas reſpublicas quædam natura inſita & ingenita uitia conſequuntur & comitantur: regnum unius dominatio, optimorum quorunq; principatum paucorum impotentia, populi adminiſtrationem feritas, audacia & manuum iniectio: in quas utique uitioſas deprauatasq́ue ſpecies, reſpublicas, uti ſuperius expoſitum eſt, conuerti atque immutari temporis progreſſo neceſſe eſt. Quæ intuens & prouidens Lycurgus, non ſimplicem, neq; unius tantùm formæ rempublicam conſtituit, ſed omnes optimarum rerumpublicarũ uirtutes ac proprietates in unum coniunxit & congregauit, ne qua earum ultrà quàm ſatis eſſet aucta & prouecta, in ſibi adhærentem & cognatam perniciem incideret. ſed uniuſcuiuſque robore ac potentia inter ſe inuicem obnitente, nulla ciuitatis pars uſquam declinaret, neve multum propenderet, ſed reipublicæ forma æquis ponderibus examinata, parique ueluti lance librata, per quandam inter ſe partium æqualitatem, tanquam adæquatis nauis onerib. quam diutiſsimè duraret ac uigeret. Nam regno ne ſe inſolenter efferret, populi metus obſtabat, cui ſua etiam in reipublicæ adminiſtratione pars attributa erat: ac rurſus populus minimè Reges contemnere audebat, ob ſeniorũ metum, qui ex uirtute ac meritis in Senatum lecti, ſemper ſeſe ad meliores iuſtioresq́ue partes applicare parati erant: adeò ut tenuior debiliorq́ue pars, ꝙ legib. atq; inſtitutis pareret, ſenum acceſſione quaſi libramento quodam ſuſtẽtata, maior grauiorq́ue redderetur. Is igitur cum eiuſmodi rempublicã inſtituiſſet, effecit ut præ ceteris omnibus quas unquã nouerimus, Lacedæmonij diutiſsimè libertatẽ ſuam conſeruarent. Atq; ita quidem ille cùm certa quadam ratione, ciuitatum naturales ortus & progreſſus proſpexiſſet, eam quã diximus rempublicam ab omni labe ac uitio ſeiunctam inſtituit. Romani uerò in republica domi conſtituenda, eundem ſanè finẽ cõſecuti ſunt: non tamen id conſilio, rationeve aliqua, ſed per tot certamina ipſa caſuum uarietate, in maximis plerunq; rerum diſcriminibus, ut optimum quodque ſemper eligerẽt, admoniti ac edocti ad eundẽ quẽ Lycurgus inſtituit, finem peruenerũt, præclariſsimè uerò præ ceteris omnib. noſtri temporis, rẽpublicã conſtituerunt. Oportet autẽ rectũ iudicẽ, non ex ijs quæ prætermiſſa, ſed ex ijs quæ expoſita ſunt, ſcriptores dijudicare: ac ſi qđ in his mendacium deprehẽderit, illa quoque ob ignorãtiam prætermiſſa putare: ſin omnia uera fuerint, concedere ſcriptores, ea certo conſilio, non ob ignorationẽ reticere uoluiſſe. Tres igitur, quas omnes prius cõmemoraui, partes in republica uigebant. Tam uerò æquis portionibus, apteq́ue diſpoſitæ, ac inter ſe diſtributæ, ab ipſis regebãtur, ut neque incolarum quiſquam cõſtanter affirmare poſſet, uniuerſa reip. forma, ex optimatumne; an populi totius adminiſtratione, an uerò unius tantùm imperio eſſet. Ac minimè quidẽ id abſurdum uideri debet. Quoties enim Cõſulũ imperiũ intueamur abſolutè regia, & ex unius dominatu: quoties uerò Senatus auctoritatẽ, ex optimatũ adminiſtratione: at quoties populi poteſtatẽ reſpiciamus, popularis utiq; reipublicæ forma uideatur. In quib. autẽ reipublicæ partib. unũquodq; genus & quondam emineret, & nunc etiã pauculis quibuſdã exceptis, ius ſuum obtineat, hæc ſunt. Conſules antequam ex urbe legiones educãt, urbanatũ omniũ rerũ ius atq; imperium habent. his etenim ceteri omnes magiſtratus, præter Tribu. ple. parẽt ac ſubiecti ſunt: hi legationes in curiam introducunt, hi quæ celeriter decidenda ſunt ſtatuunt ac decernunt: cùm negocia urgent, quæ deliberanda ſunt ad Senatũ referunt: penes ipſos ut quæ patres decreuerunt, ſedulò perficiãtur, cura omnis & adminiſtratio eſt. Quinimò & quę de republica ꝑ populũ trãſigẽda & conficiẽda ſunt, eorũ officiũ eſt perpendere ac diligenter examinare, conciones quoties opus eſt aduocare, Senatuſconſulta populo referre, quicquid maior pars iuſſerit exequi. Quin etiam in his quæ ad belli apparatum, & caſtrenſem diſciplinam pertinent, hi ſummum imperium habent. His ius eſt ſociis quicquid uiſum fuerit imperare, tribunos militũ creare, delectum habere. Ad hæc de ijs qui ſub eorũ imperio ſunt, in caſtris arbitratu ſuo ſuppliciũ ſumere. His præterea licet, eos cunitante quæ

ſtore, ac ſedulò imperata faciente, publici æris quantum res ipſa tulerit, impendere: adeò ut quiſquis ad hanc partem reſpexerit, probabiliter dicere poſsit, reipublicæ formam regiam & ex unius tantum imperio eſſe. Quòd ſi quid ex his aut ex ijs quæ paulo pòſt dicentur, uel nunc uel in poſterum immutatum fuerit, nihil utique illud ad hanc quæ nunc à nobis explicatur, reipublicæ ex diuerſis formis conſtitutionem pertinebit. Atenim Senatus primò quidem ærarii totius dominus eſt atque adminiſtrator: nam & redditus omnes in eius poteſtate ſunt, & eiuſdem arbitratu impenſæ fiunt. Quæſtores enim ſine Senatus auctoritate, præter ea quæ Conſules iuſſerint, ne minimum quidem cùm opus fuerit, in rem ullam ſumptum facere poſſunt: grauiſsimæ autem illi ac maximæ impenſæ, quam Cenſores in quinquennale a luſtri apparatus faciunt. Senatus præeſt, ab eoque auctoritas illa & facultas his conceditur ac permittitur. Iam uerò maleficia & crimina per Italiam commiſsa, de quibus iudicium publice fieri debet, ntputa proditionis, coniurationis, ueneficii, cædis atque inſidiarum, ad Senatum referuntur, eiuſque de his cognitio eſt. Quòd ſi qua in Jtalia controuerſia dirimenda, ſi publice uel priuatus quiſpiam, uel ciuitas obiurganda, ſi cui auxilium aut præſidium ferendum eſt, de his omnibus curam Senatus adhibet. Eodemque modo ſi extra Italiam ad aliquos legatio mittenda ſit, uel ad aliquid decidendum, uel ad fœdus faciendum, uel ad cohortandum, aut etiam medius fidius, imperandum, aut poſtremò ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: hæc Senatus ipſe curat & prouidet. Præterea quid de legationibus exterarum gentium quæ in urbem uenerint agendum, quid eis reſpondendum, in Senatus uoluntate atque arbitrio poſitum eſt. Atque horum quidem quæ ſuperius dicta ſunt, nihil eſt cum populo cõmune, adeò ut quoties quis ad urbem neneri t abſentibus Conſulibus, prorſus ei reſpublica optimatum cõſilio regi & gubernari uideatur. Quod ſanè multi Græcorum & Regum etiam perſuaſum habent, quòd negocia quæ in urbe habent, ſere omnia per Senatum tranſiguntur. Quibus ex rebus quis non utiq; iure addubitet atque interroget, qualis & quæ nam in reipublicæ adminiſtratione, populo pars relicta fuerit? cùm eorum omnium quæ ſuperius commemorata ſunt, ſummam Senatus poteſtatem habeat, & quod multo maximnm eſt, omnis ærarij diſpẽſatio penes eum ſit;: Conſules autem cùm exercitum eduxerint, ſummum foris militiæque imperium habeant. Atqui ſua etiam populo, & ea quidem ampliſsima pars relicta eſt: ſolus enim in Republica & pœnę & præmij poteſtatem habet: quibus utique rebus Imperia & Reſpublicæ, atque omnis humana uita continentur. apnd qnos enim huiuſmodi ratio non cernitur, aut iam nota male adminiſtratur, nullum apud hos negociorum genus recte & prudenter geri poteſt. Qui enim id paeſt, æqua honoris portione improbis ac bonis: iudicat igitur populus & plerunque in alijs etiã quæſtionibus quoties grauior aliqua maleficij mulcta irroganda ſit, & præſertim in eos qui maiores magiſtratus geſſerint: ſolus autem capite damnandi poteſtatem habet. Qua in re illud ſane apud eos laude commemorationeque digniſsimum eſt, quòd eorum inſtituto, ijs qui capitis damnati fuerint, ut ex urbe palàm egrediantur permittitur: ac ſi tribuum una ex eis quæ iudicium exercent, reliqua fuerit quæ nondum ſuffragium tulerit, exilium reo ſibi arbitratu ſuo deligendi facultas datur: exules autem Neapoli, Præneſte, Tybure, atque in alia quauis fœderatarum urbium tutò eſſe poſſunt. Præterea populus ipſe magiſtratus digniſsimis quibuſque defert, ac mandata: quod ſane pulcherrimum eſt in republica probitatis & uirtutis præmium: leges etiam comprobandi ac ſanciendi ius habet, & quod caput eſt, is de pace, de bello, de fœdere, de controuerſiis decidendis aut componendis deliberat, is unũquodque horum confirmat, ratumve aut irritum facit. Quibus ex rebus iure optimo poſsit aliquis dicere, populum ſibi maximam in Republica partem uendicare, ac reipublicæ formam ex populi adminiſtratione conflatam eſſe. Quo igitur pacto Reſpublica in partes diſtributa fuerit, iam dictum eſt: nunc autem qua partes illæ ratione, quotiea uelint ſibi mutuò repugnare, ſibique inuicem opitulari poſsint, dicendum eſt. Enimuerò Conſul poſtquam eam quam ſuperius dixi facultatem adeptus, copias eduxerit, quod ad ea quæ ſuperius dicta ſunt attinet, ſummo quidem ille cum imperio eſſe uidetur: uerùm ob eum de quo iam egimus conſenſum, populi ac Senatus auxilio indiget, ac ſine his, per ſe minime ad res gerendas ac perficiendas idoneus eſt. Conſtat enim oportere aſsiduè legionibus eorum aliquid mitti, quæ illis publicè ſuppeditari ſolent. Sine tamen Senatuſconſulto, neque frumentum, neque ueſtimenta, nec obſonia legionibus adminiſtrari poſſunt, adeò ut eorum qui exercitus ducunt expeditiones & conſilia omnia, quoties eis obſtare, eumeiſque malignè agere Senatus in animum induxerit, irrita reddantur, & minimè ad exitum perducantur. Quin ut quæ illi animo & cogitatione complexi fuerint, ac ſibi propoſuerint, perficere poſsint, in ſenatus uoluntate poſitum eſt. nam is poſtquam annuum tempus prætericrit, aut ſucceſſores mittendi aut imperium prorogandi poteſtatem habet: ac etiam penes eundem eſt, ducum res geſtas & dignitatẽ uel extollere atque ornare, uel eleuare ac deprimere. Nam quos illi triumphos appellant, quib. rerum ab imperatoribus geſtarum, ſub ciuium aſpectum euidentior quædã imago profertur, neque uti decet

apparere,

apparere,neque omninò ducere cuiquã licet,niſi aſſenſus fuerit ſenatus, in eiusque ſumptum quicquid opus fuerit,erogauerit.Si quis tamen ex ꝓuincia decedere uelit,quamuis domo longiſsimè abſit,populi certè aſſenſu opus eſt. Nam uti paulo antè expoſui, quicquid tranſigendum, decidendumve, aut componendum eſt, id per populum ratum,irritumve fieri debet:quodque eſt omnium fere maximũ,omnes qui cum imperio fuerint, cum id deponunt, populo eorum quæ geſſerint,rationẽ reddere oportet. quãobrẽ minime illis expedit,Senatus ac populi erga ſe uoluntatẽ, ac ſtudia contemnere. Rurſus iam Senatus,quamuis tantum in Republica poſsit, populum intueri,ác eius rationem habere cogitur. In maximis àutem atque atrociſsimis quæſtionibus, eorum maleficiorum quæ contra Remp. commiſſa, capite plectuntur, nihil Senatus exequi poteſt: niſi prius eius autoritatem populus approbarit.Eadẽ eſt ratio in iis quæ ad Senatum ipſum pertinent. Si quis enim de ueteri eius auctoritate, commodis, atque honoribus minuendis,legem promulgarit,eius uel perferendæ uel antiquãdæ poteſtas penes populum eſt.Ad ſummam ſi quis ex tribu. pleb.interceſſerit, nedum Senatus nihil eorum quæ decreuit,perficere,ſed ne ſedere quidem,aut omnino in curiam uenire poteſt.Tribunorum autem officium eſt,id ſemper exequi qđ populo uiſum fuerit,eiusq; uoluntatem quam maximè reſpicere.His omnib.de cauſsis,multitudinem Senatus metuit,ad populiq; uolũtatem, ſtudium,cogitationesq; ſuas dirigit atq; intendit.At cõtra Senatui populus ipſe obnoxius & ſubiectus eſt:eumq; uniuerſum,& ſingulatim etiam unumquenq; patrum colere atq; obſeruare,ſua ꝑmagni intereſſe putat.Nã cum in Italia multa ſint uectigalium genera,quæ cenſores in ſumptus apparatusq; publicos locare ſolent,ea uerò non ſatis utiq; facilè quis enumerare poſsit,ueluti flumina,portus, horti,metalla,atq; ut paucis comprehendã, quæcunque Romanorum imperio ſunt:hæc omnia populus exercere atq; exigere,& fermè, ut ita dicam, uniuerſus in his conducendis & curandis occupatus atq; implicitus eſſe cõſueuit. Quidam.n.ſunt, qui conducunt:alii cum his ſocietatem coeunt, alii ſponſiones faciunt,alii pro his bona fortunasque ſuas reipublicæ mancipiant. His autem omnib. Senatus præeſt.Idem diem proferendi,ſi quã publicani calamitatem acceperint eos releuandi, ſi quæ difficultas aut publicum infortunium,quo minus ſoluendo ſint,obſtiterit:locationem prorſus inducendi ius ac poteſtatem habet. Ac ſanè multa ſunt, in quib.maximo Senatus publicanos

uel commodo uel incommodo afficere poſsit,ad eum enim huiuſmodi omnia pertinent ac referuntur,& quod maximum eſt,ex hoc ordine qui plurimas ex maiorib.grauioribusq; cauſsis,tã publicis,quàm priuatis cognoſcant,eliguntur. Quaꝓpter omnes eius fide illigati & impliciti,dubiosque rerum euentus metuentes ſedulò cauent, ne ſe ipſius uoluntati,ac decretis opponant.eodemque modo Conſulum actionib. timidè ac minime libenter aduerſantur:cum foris militiæq; uniuerſus exercitus,& ſinguli quiq; ſub eorum imperio ac poteſtate ſint. Hæc porrò cum ſit uniuſcuiuſq; partium uis & facultas,ad ſe inuicem & iuuandum & impediendum:ad omnes rerum occaſiones,tam inter ſe apte conuenienterq; connexæ ac diſpoſitæ ſunt,ut hac nulla melior præſtantiorque Reipub.forma reperiri poſsit. Quoties enim communis quiſpiam extrinſecus ingruens terror eos conſpirare,ſibiq; Inuicem opitulari coegerit: tantum Reſpub.roboris ac uirium ſumere conſueuit,ut nihil omnino eorum quæ facienda ſunt prętermittatur,ac nullius cuiuſquam in muneribus obeundis, fides ac diligentia deſideretur: cum ſummo ſtudio atq; animi contentione omnes inter ſe certent,ne quid ſerius quam ſtatutum fuerit agatur, ſinguliq́ue tum unà cum ceteris, tum per ſe,ad id quod propoſitum eſt perficiendum, ſummo conſenſu & conſpiratione incumbant.

Quibus ex rebus euenit,ut eiuſmodi Reipublicæ forma inuicta, inexpugnabilisque ſit, atque in ea quicquid fieri oportere iudicatum fuerit, perficiatur,ac nihil tam arduum ac difficile ſit, quod poſtquam id ſibi propoſuerit non aſſequatur. Contrà uerò quoties externis terroribus liberati, uitam beatiorem, atque opibus ſecundo rerum euentu partis,affluentem degant, felicitateque ſua perfruantur,ac ſeſe totos mutuis adulationibus, luxuique ac deſidiæ tradiderint: tum uidere eſt,Rempublicam ſibi propria ope, ac per ſe ſe auxilium ac remedium afferentem. Nam cùm aliqua eius pars extra fines terminosque egreſſa, tumultus ac ſeditiones concitare cœperit,ac plus iuſto poſſe contendat: clare conſtat, cum pars nulla,uti ſuperius expoſitum eſt, per ſe perfecta & abſoluta ſit, ac earum uniuſcuiuſque impetus & conſilia,pari aliarum in diuerſa niſu infringi ac reprimi poſsint,earum nullam plus iuſto efferri, aut potentiam ſibi nimiam aſſumere. Atque ita partes omnes in officio permanent, cum huius quidem inſolentia & conatus reprimantur:illa uerò ſemper alterius uires ac repugnantiam caueat ac metuat.

E SEXTO POLYBII

HISTORIARVM LIBRO,

De illuſtrium rerum publicarum inter ipſas differentia, deque Romanæ præſtantia.

POMPILIVS AMASAEVS VERTIT.

ENIMVERÒ ſcriptores
feiè omnes haſce Re
rumpub.formas,quæ
gloria ceteris antecel
luerint, nobis prodi-
derunt. De Lacedæ
moniorum autem &
Cretenſium,Matinen
ſiumque ae Cartagi-
nenſium , quidam etiam de Athenienſium , &
Thebanorum Repub.mentionem fecerunt. Ego
uero nunc de ſuperiorib. illis nihil dieo.De Athe
nienſium autem ac Thebanorum paucis omnino
diſſerendum arbitror, quòd non ſanè diu flo rue-
runt,neque paulatim immutatæ ſunt:ſed tum cũ
maximè florerent, ac ſecundiſsimos etiam in po
ſterum progreſſus habituræ u iderentur, quòd eis
(ut aiunt) ex rebus paulo antè proſperè geſtis,
pro temporum occaſione, magna ſpes affulſerat
repentè contrarias fortunæ mutationes expertæ
ſunt. Thebani etenim ob Lacedemoniorum in-
ſcitiam, ſociorumque in eos odium , ſibi unius
uel etiam alterius hominis uirtute, qui hoc ipſum
optimè noſſent atque intelligerent, laudem inter
Græcos & gloriam compararunt. Quod enim
tunc Thebanis non Reipub.forma , ſed eorum à
quibus tum regebantur uirtus, rerum ſecundarũ
cauſſa fuerit , aduerſa deinde fortuna omnibus
planum fecit. Euidenter enim cum Epaminondæ
ac Pelopidæ uita, illorum opes auctę ,ad ſum-
mumque prouectæ , ac deinde illis amiſsis,attri-
tæ fuerunt. Quibus ex rebus exiſtimandum eſt,
non ex Reipublicæ forma, ſed ex uiris Thebano
rum urbem tunc nobiltiatam atque illuſtratam
fuiſſe. Idem etiam de Athenienſium Republica
dicendum eſt. Nam cum ea , & antè quidem ſæ-
pius, manifeſtiſsimè autem Themiſtoclis uirtu
te aucta fuiſſet,paulo pòſt ob naturæ ſuæ inæqua
litatem, contrariam fortunæ conditionem exper
ta eſt. Semper enim conſueuit Athenienſis po-
pulus,nauigiis domino carentibus perſimilis eſſe:
in quibus cum uel hoſtium metus, uel ſubitò co-
orta tempeſtas,uectoribus inter ſe conſpirandi,&
gubernatori animum adhibendi neceſsitatem at-
tulerit, ab his egregiè ac tempeſtiuè omnia quæ
opus eſt fiunt. At poſtquam iam depoſito metu,
eos qui ad gubernacula ſunt contemnere, atque
inter ſe quòd non omnibus idem uideatur, diſsi-
dere cœperint:tum cùm ex iis alii adhuc nauigan
dum cenſeant,alii gubernatorem urgeant ,ut na-
uem in portum deducat:alii rudentes explicent ,
eoſdem alii arripiant,& contrahere iubeant: tur-
pe quidem ob eorum inter ſe diſsidium & cōſter-
nationem,iis qui extrinſecus intuentur, ſpectacu
lum editur:ipſi autē uectores ex huiuſmodi per-
turbatione,in maximum diſcrimen ac periculum
deducuntur: quare plerunque cum ex maximis
pelagi æſtibus, euidentiſsimisque tempeſtatibus
euaſerint, prope terram,atque in portu ipſo nau
fragium faciunt. Quod utique ſæpius Athenien-
ſium Reipub.contigit:quæ cum aliquando maxi-
mas temporum procellas:ob eorum à quib. tunc
regebatur uirtutem deuitarit,interdum in ſumma
tranquillitate,rebusque maximè ſedatis & com-
poſitis,temerè quodammodo & præter rationem
omnem periclitatur. De hac itaque ac Thebano
rum Republica nihil eſt quod plura dicamus: in
earum enim utraque confuſa & imperita multitu
do,illic concitatione quadam atque acerbitate in
ſignis,hic in ui & inſolentia alta & educata, prout
proprius cuiuſque impetus fert,cuncta regit atq;
adminiſtrat. Iam uerò cum ad Cretenſium Rem
publicam tranſeamus,operæprecium eſt,duo hec
conſiderare:primò quidem quibus adducti ratio
nibus ueterum ſcriptorum probatiſsimi, Epho-
rus,Xenophon,Calliſthenes,Plato,eam Lacedæ-
moniorum ſimilem eſſe tradiderint:deinde lauda
bilem demonſtrent.quorum neutrum ſanè mihi
uerum uidetur.quod ex his animaduertere licet:
ae primò de utriuſque inter ſe diſsimilitudine diſ
ſeramus. Aiunt enim hoc proprium eſſe Lacedæ-
moniorum Reipublicæ,ut in his quæ ad prædia
pertinent,nemo cenſu alios ſuperet:ſed unuſquiſ-
que ciuium tantundem publici agri poſsideat,ne-
ve quiſquā pecunia precioſave ſuppellectili abun
det. Quæ cum nullo apud eos in honore ſint, ne-
ceſſe tandem eſt ex Republica, omnem plus mi-
nusve habendi contentionem tolli. Tertio apud
Lacedæmonios reges imperium hereditarium
habent: qui uerò ſenes appellantur, quoad uiuũt.
Quorum ductu & conſilio uniuerſa Reſpublica
regitur & gubernatur. Apud Cretenſes autem
omnia his contraria ſunt. Nam illis ut quiſq; ma-
ximè poteſt,agros in infinitum (ut aiunt) poſsi-
dere,

de re, leges permittunt: ſuppellectilium uerò copia tanti apud eos fit, ut quo lautiore quis ea, & precioſiore utatur, eò præclarius eum illo agi putetur. In uniuerſum autem turpis quæſtus, & plus ceteris habendi cupiditas, adeò inter eos dominatur, ut apud Cretenſes nullum omnino turpe ac ſordidum lucri genus exiſtimetur. Magiſtratus uerò apud eos annui ſunt, popularisque Re pub. forma, adeò ut plerunq; mirari ſoleam, quanam ratione adducti, de rebus tã diuerſis atq; inter ſe cõtrarijs non ſecus ac ſi conſimiles, eiuſdẽq; generis eſſent, diſſeruerint: & cùm eiuſmodi differentias non uiderint, ad reliquam orationem ueluti Corollarium quoddam addunt, ſolum inter homines natos Lycurgum certiſsima rerumpublicarum firmamenta uidiſſe. Nam cum duo ſint quibus Reſpub. cõſeruantur, fortitudo in hoſtes, & ciuium inter ſe concordia: eum opum cupiditate ſublata, ſimul inteſtinas diſcordias & ſeditiones remouiſſe: quib. ita conſtitutis, Lacedæmonios horum malorum expertes optimè præ ceteris omnibus Græcis, & ſumma concordia Remp. regere. His ita expoſitis, cum uideant ex comparatione Cretenſes, ob ingenitam auaritiam & impotentiam, ut plurimum inter ſe diſsidere, atq; inter cædes ac ciuilia bella uerſari: nihil tamen ſua intereſſe arbitrantur, cum de hiſce Reſpub. ueluti ſi cõſimili propemodum eſſent natura, uerba facere audeant. Ephorus quidem præterquam quòd propria utriuſq; nomina uſurpat, uocabulis iiſdem de utraq; diſſerens eouſq; utitur: ut niſi quis ad propria nomina attenderit, nullo modo diſcernere poſsit, de utranam earum dicat. Hæc ſunt in quibus illæ inter ſe mihi differre uidentur. Iam uerò quibus de cauſis Cretenſem, neq; laude neq; imitatione dignam cenſeamus deinceps perſequamur. Etenim duo cuiuslibet Reipublicæ fundamenta eſſe arbitror, per quæ earum potentia & ſtatus aut expetendus, aut contrà pro nihilo habendus ſit. Hæc autem ſunt conſuetudines & leges, quæ ſi laudabiles & expetendæ fuerint, & priuatim hominum uitam, ad pietatem & animi moderationem comparant: & publica ciuitatis inſtituta, appoſitè ad æquitatis ac iuſtitiæ rationem informant. E contrà uerò, ſi uituperabiles ac fugiendæ. Quemadmodum igitur quoties apud aliquos mores atq; inſtituta recta & honeſta intuemur, aſſeuerãter dicimus, & homines ubi ea uigeant, & eorum Rempublicam probitate ac uirtute inſignem eſſe: eodem etiam modo cum priuatorum hominum uitam turpẽ, auaritiæq; ac iniuriis deditã, publicas uerò actiones iniuſtas conſpexerimus, iure optimo affirmari poſsit, & leges ad priuatorum morum conſuetudinumq; normam factas, & compoſitas, & Rẽpublicam uniuerſam neceſſariò flagitioſam eſſe. At neq; magis fallacia & fraudulenta ingenia quã Cretenſium, paucis admodum exceptis, neq; publicas actiones iniuſtiores quiſquam reperire poſſit. Quare cum neq; Cretenſium Rempub. Spartanæ ſimilem, neq; per ſe expetendam atq; imitandam iudicemus, eam ab hac ſuperius nobis propoſita Rerumpublicarum comparatione reijcimus. Sed neq; Platonis Rempublicam equum eſt quamuis eam philoſophorum aliquot celebrent, in comparationem deducere. Quemadmodum enim artifices, aut Athletas, qui nullum unquam de ſe ſpecimen dederint, neq; corpus exercuerint in publicorum ludorum certamina non admittimus: ita neq; hanc decet adducere in contentionẽ de principatu, niſi prius uerum aliquod opus ſuum demonſtrarit. Vti uerò ad hunc uſq; diem ſeſe res habet, quicquid de hac, ſi cum Spartana, Romanaq; ac Carthaginenſi comparetur, dictum fuerit, perſimile uideatur, ac ſi quis cum ſimulacrum aliquod protulerit, id cum uiuis & ſpirantibus hominib. conferat: quamuis enim Id ex artificio laudabile ſit, eõtentionem tamen eorum quæ inanima ſunt cum animatis, imperfectam & planè diſsimilem ac diſſentaneam ſpectantibus contingere par eſt. Quare his omiſsis ad Laconicam reuertamur. Ac profectò mihi Lycurgus uidetur ad hunc ſanè finem, ut ciues inter ſe concordes degerent, ac Laconicam terram ſecuram præſtarent, incolumemq; Sparten, ac liberam tueretur, tam egregiè prouidiſſe, easq; leges tuliſſe, ut eius mentem & conſilium diuinius quàm pro humano captu fuiſſe iudicem. opum enim æqualitas, & in uictu frugalitas, & communio eam uim erat habitura, ut & priuatorum uitam temperantem ac modeſtam efficeret, & Rempublicam à diſsidiis ac ſeditionibus uacuam & immunẽ præſtaret exercitatio uerò ad labores & rerũ difficultates, homines fortes ac generoſos redderet. Atq; hæ q dẽ uirtutes, tẽperãtia uidelicet, & fortitudo, cum ambæ in eundẽ animũ, aut eandẽ ciuitatẽ cõcurrerint: non ſanè facile, aut ullum inde flagitium emanarit, aut ullum eis oppreſsionis ac ſeruitutis periculum metuendum fuerit. quapropter eum ille eiuſmodi rationib. atq; artibus Rempublicam inſtituiſſet firmam, & maximè ſtabilem uniuerſæ Laconicæ ſecuritatem peperit, & in multa ſecula Spartanis ipſis libertatem reliquit. Quod uerò ad Imperii propagationem, principatumq; ſibi uendicandum, atq; uniuerſam rerum foris gerendarum facultatem attinet: nihil ſanè mihi neq; ſigillatim, neque uniuerſe aliud quidquam cogitatione complexus fuiſſe uidetur, quàm ut certam quandam ciuibus neceſsitatem imponeret: ut quẽadmodum in uictu priuato eos temperantes, ac ſuis contentos bonis inſtituerat: ita ciuitas publicè in omni actione frugalitatem quandam ſeruaret, ac nullius extrinſecus opis egeret. Sed enim cum eos in priuata uictus ratione, ciuitatiſq; ſuæ inſtitutis ambitionis omnis expertes ac modeſtiſſimos reddidiſſet aduerſus ceteros Græcos ambitioſiſsimos

tioſiſsimos, ac dominandi cupidiſsimos, maximeq; alieni appetentes reliquit. Quis enim ignorat eos cum primi ferè Græcorum omnium ad uicinorum agros animum adiecissent, ob cupiditatem atq; auaritiam bellum Meſſenijs ut eos in ſeruitutem redigerent, intuliſſe? Quis autem non literis mandauit, eos maximè obſtinato & peruicaci animo, iureiurando ſe obſtrinxiſſe, non antè obſidionem ſoluturos, quàm Meſſenen euertiſſent? Hoc iã omnibus notiſsimum eſt, eos quòd Græciæ imperare cupiebant, eorum quos bella uicerunt, imperata feciſſe. Nam cum ipſi pro Græciæ libertate dimicarent, Perſas in Græciam irruentes deuicerunt. Iis autem retrocedentibus, fugientibusq;, ut pecunia ad Græciam occupandã abundarent ex pacis conditionibus, cui faciendæ Antalcides præfuerat, Græciæ ciuitates prodiderunt. Quo ſanè tempore, quid eorũ legibus atq; inſtitutis potiſsimum deeſſet, intellectum eſt. Nã quo ad finitimorum, ac ipſius etiam Peloponneſi imperium concupiuerunt, ad res gerendas Laconicæ fructibus & copijs contenti eſſe poterant: cum illis & ad bellum gerendum neceſſaria in promptu eſſent, & celeriter domum reuerti, ac ſe recipere poſſent. Poſtquam uerò per mare claſſes emittere, ac terreſtres exercitus educere aggreſsi ſunt, clarum ac perſpicuum eſt, his neq; ferreum numum, neq; annuorum fructuum permutationes, ex Lycurgi legib. inſtitutas, ad uſus ac neceſſarias impenſas ſufficere potuiſſe. Ad res enim gerendas & communes numi, & apparatus ad longinquas regiones accommodati deſiderabantur. Quare ad Perſarum regias fores accedere, inſularum incolis tributa imperare, argentum ex omni Græcia corrogare coacti ſunt: cum planè iam intelligerent, per leges à Lycurgo latas, nedum Græciæ imperium acquiri, ſed neq, ullam omnino expeditionem ſuſcipi poſſe. Quam igitur ob cauſſam huc digreſſus ſum? nempe ut re ipſa manifeſtum fiat, ad ſuã tuenda & firmiter conſeruanda, libertatemq; retinendam, inſtitutæ à Lycurgo Reipublicæ formam, per ſeipſam idoneam fuiſſe, iiſq; qui hunc ſibi finem ſtatuerint, concedendum, nullam eſſe neq; unquam fuiſſe, Laconica republica præſtantiorem, aut magis expetendã. Si quis uerò maiora optet, preclariusq; atq; illuſtrius eſſe ducat, quamplurimis præeſſe, dominari atq; imperare, ad unum omnes reſpicere, atq; illius ex nutu pendere: iam negari non poterit, Laconicæ reipublicæ formam mancam & imperfectam eſſe: Romanam autem excellere, ipſiusq; ſtatum firmiſsimum ac robuſtiſsimum eſſe. quod & uſu perſpectum eſt. Nam Lacedæmonij cùm Græciæ principatum appeterent, de propria libertate in periculum ac diſcrimen uenerunt. At Romani ſtatim atq; Italiam in ditionem ac poteſtatem ſuam redegerunt, totius ferè orbis terrarum imperio potiti ſunt: cum ad id conſequendum, opes & eorum copiam, quæ ad belli admini ſtrationem requiruntur, magno illis adiumento eſſent Carthaginenſis uerò reſpub. quod ad ſupremas illas differentias attinet, egregiè ſanè mihi ab initio conſtituta fuiſſe uidetur. nam & in ea reges erant, & Senatus optimatum autoritatem obtinebat, & populus iis quæ ad eum pertinebant præerat: ac ſi quandam in uniuerſum conuenientiam ſpectare uolumus, Romanæ ac Spartanæ perſimilis erat. Temporibus uerò ſecundi belli Punici, in Reipublicæ adminiſtratione deterior fuit Carthaginenſium conditio, melior autem Romanorum. Et quoniam corporum, Rerumpublicarum omniumq; rerum naturales quidam ſunt auctus, deinde ſtatus poſtremò inclinatio & interitus: unũquodque autem tunc perfectiſsimum eſt, cùm maximè uiget, & ad ſummum ueluti faſtigium peruenit: hoc ipſo tum hæ Reſpublicæ inter ſe differebant, quod quo plus uiriũ ac roboris Carthaginenſium prius habuerat, Romanaq; felicior atque opulentior fuerat, eo magis iam Carthago inclinauerat, & quodammodo defloruerat: Roma uerò tum maximè optima Reipublicæ ratione uigebat. In deliberationibus enim plus, apud Carthaginenſes poterat populus, apud Romanos ſumma tunc erat Senatus auctoritas. Vnde fiebat, ut cùm apud illos plus populus, apud hos plus optimatum auctoritas & conſilium ualeret, publicis in rebus multo meliora & præſtantiora eſſent Romanorum conſilia. quæ ſanè cauſſa fuit, ut cum de ſumma rerum in periculum ac diſcrimen adducti fuerint, ad extremum tamen ob recta conſilia Pœnos eo bello deuicerint. Ex ijs uerò quæ ad partes & ſingula quæque pertinent, ueluti ut definitè dicam, ad rem militarem, rerum naualium exercitatione atq; apparatu Carthaginenſes uti conſentaneum eſt, præſtant: quòd diſciplinam hanc patriam & uetuſtam habent, maximeq; omnium maritimas res exercent Terreſtri autem militia Romani Carthaginenſibus antecellunt, exercitatioresq; ſunt. in hac enim ſtudii diligentiæq; plurimum adhibent, Carthaginenſes uerò peditatum planè contemnunt: equitatũ etiam non magni admodum faciunt. In cauſſa eſt, quòd hi externis & mercenariis copiis, Romani patrio legionarioq; milite utuntur. Qua etiã in parte plus huic Reipublicæ, quàm illi tribuendum eſt. Illa enim in mercenariorum fide ac fortitudine ſemper libertatis tuendæ ſpem poſitam habet: Romana uero in ſuorum uirtute, ſociorumq; auxiliis. Quamobrem Romani ſi quid in principiis offenderint, uniuerſis copiis iterum decertant. contrà Carthaginenſes, cùm pro patria & liberis dimicant, nunquam iram deponere poſſunt: ſed magna cum animi alacritate atq; impetu, donec hoſtes ſuperarint, pugnantes perſiſtunt Quare cùm in rebus naualib. longè illis Romani uſu & experientia inferiores ſint, uniuerſo tamen apparatu

apparatu, uti paulo antè dixi, ob hominum uir-
tutem uincunt. Quamuis enim ad maritimas ex-
peditiones non parum naualis diſciplina confe-
rat:plurimùm tamen ad nictoriam conſequen-
dam,eorum qui in nauibus ſunt, uirtus momenti
affert. Differunt etiã Itali omnes ab Afris ac Pœ-
nis ingenio, corporis tobore,atque animi forti-
tudine. Præterea quibuſdam inſtitutis Romani
ntuntur ad iuuenes, ad hæc ſtudia hortandos &
incitandos. Vnius autem commemoratio ſatis
magno indicio atque argumento eſſe poterit eius
curæ ac diligentiæ, quam Reſpublica in ciuibus
ita inſtituendis adhibet, ut ob laudem & gloriam
ſibi apud ſuos comparandam, quæuis pericula &
labores libentiſsimè ſubeant. Quoties enim illu-
ſtrium uirorum aliquis è uita deceſſerit, is cum
exequiæ celebrantur,cum reliqua pompa & orna
tu in forum ad roſtra effertur, aliquando planè e-
rectus, aliquando etiam,ſed id perrarò, iacens &
reclinatus.circunſtante autẽ omni populo,ſi quis
illi adulta ætate filius ſuperſtes ſit, isque in urbe
adſit:ſin minus, ei genere proximus in roſtra aſcẽ
dit:ibiq́ue mortui laudes,resq́ue ab eo dum uiue-
ret geſtas,recenſet.Quibus ex rebus fieri conſue-
uit, ut cùm multi res eas geſtas recordentur,ſibi-
q́ue ante oculos ponant,non ſolum qui earum ſo
cij ac participes fuere, ſed illi etiam qui eis geren
dis minimè interfuerunt,adeò afficiantur ac per-
moueantur,ut luctus non tantùm eorum ad quos
præcipue pertinet, ſed publicus, ac totius popu-
li communis eſſe uideatur. Poſt hæc ſepulto ca
dauere,iuſtisq́ue peractis,mortui imaginem in in
ſigniori ac celebriori domus parte collocant, eã
q́ue ligneo quaſi delubro circundant. Imsgo su
tem eſt ſimulscrum, oris ſimilitudinem affabre,
miroq́ue artificio effictam, coloribus pigmen-
tisq́ue adumbratam referens. Has autem imagi
nes feſtis dieb.aperientes, egregie exornant.Cùm
uerò ex domeſticis quiſpiam dignitate aliqua prę
ditus,defunctus fuerit,eas in funeris pompa effe-
runt:addito, ut magnitudine quam ſimillimæ ap
pareant, reliquo corporis trunco.Hi ueſtib.exor
nantur ſi Conſulares, aut cum imperio fuerint,
prætextis:ſi Cenſorii, purpureis: ſi triumphales,
auro intextis: atque hi quidem curru uehuntur.
Faſces autem,ſecures,aliaq́ue magiſtratuum inſi-
gnia præferuntur,prout quiſque honores grada-
tim in Rep.geſſerit:cùm uerò iam in roſtra uen-
tum fuerit,ordine omnes eburneis ſellis inſident.
Quo ſane laudis uirtutisq́ue amico & cupido a-
doleſcenti, nullum pulchrius ſpectaculum facile
contingere poſsit. Quis enim non laudis amore
accendatur, cùm ſimul uideat uirtute inſignium
uirorum imagines,omnes propè uiuentes ac ſpi-
rantes?uel quod ſpectaculi genus pulchrius atq;
honeſtius uideri poſsit? Inſuper is qui eum qui
mox ſepeliendus eſt, laudat, poſtquam omnia
quæ nominatim de illo dicẽda erãt,oratione per-
ſecutus fuerit,ab eorũ qui tum ibi adſunt maiori-
bus,atq; altiſsimè à primo ipſo generis auctore
exorditur:eorumq́; uniuſcuiuſq; fortunam & res
geſtas recenſet. quo fit, ut bonorum gloria per-
petuò renouata, eorum qui præclarè aliquid ge-
rendo,bene de patria meruerint, fama & memo-
ria immortalitsti conſecretur, ac nomen longè
lateq́; in multitudinem ac poſteritatem diffuſum
propagetur:& quod plurimi refert, iuuenes ad la
bores & quæuis pericula pro patria ſubeunda in-
citantur,ut laudem eam & gloriam adipiſcantur,
quæ bonos conſequi ſemper & comitari ſolet.
atq; hoc quidem uerißimum eſſe, hinc maximè
cognoſci poteſt. multi enim ſingulari certamine
de ſumma rerum libenter ac uoluntariæ depugna
runt, non psuci manifeſtæ iſe ac certæ morti de-
nouerunt,aliqui in bello pro aliorum ſalute, alij
in pace pro incolumitate ac ſecuritate publica,
quidam etiam cùm in imperio eſſent præter le-
ges omnes atq; inſtituta, proprios liberos neca-
runt: patriæ utilitatem, naturali erga proximos
& ſibi coniunctiſsimos, beneuolentiæ, charita-
tiq́; anteponentes. Ac ſanè de multis eiuſmodi
multa Romanorum hiſtoriis celebrata ſunt. Sa-
tis uerò fuerit in præſentia exempli cauſſa,& quo
maior dictis fides adſit, ex his unum nominatim
commemorare. Fertur enim Horatius cui Cocli
tis cognomen fuit, cùm aduerſus duos ex hoſtili
exercitu,in primo aditu pontis,quo ſub ipſe urbe
Tyberis iunctus eſt,dimicaret, poſtquam hoſtiũ
multitudinem ſuis auxilium ferentem irruere ui-
dit:ueritus ne per uim in Vrbem irrumperet, ad
ſuos qui à tergo erant conuerſus exclamaſſe, ut
ſtatim retrocedentes pontem reſcinderent: qui
cùm paruiſſent,dum hi pontem interrumperent,
quàm plurimis uulneribus acceptis,locum ſuum
tutatus eſt hoſtiumq́; impetum ſuſtinuit,cùm il-
li non tam robur ipſius ac uires,quàm animi for-
titudinem atq; audaciam obſtupeſcerent. Ponte
autem reſciſſo,impetus hoſtium repreſſus eſt:Co
cles uerò ut erat armatus, cùm ſe de ponte deie-
ciſſet, uoluntariam mortem oppetijt: antepoſita
patriæ incolumitate ac fama, quam in poſterum
de ſe relicturus erat, præſenti, ac reliquæ etiam
uitæ. Eiuſmodi ſanè inſtitutis, apud eos iuuenes
laudis amore ſtudioq́; accenduntur,& ad res prę
clarè gerendas incitantur. Quod uerò ad pecu-
niam & quæſtum attinet, legibus atq; inſtitutis
Romani Carthaginenſibus longè præſtant. apud
illos enim nullum lucri genus turpe ducitur: a-
pud hos uerò nihil turpius eſt quàm munera con
tra Rempublicsm accipere,pecuniamq́; malis ar
tibus comparare. Quò enim hi honeſtius ducũt,
fortunas bonis artibus augere: eo magis infame
ac ſordidum exiſtimant, præter ius faſq́; locuple
tari. Huius rei certiſsimum eſt argumentũ,quod
apud Carthaginenſes apertis largitionibus ad
Magiſtratus perueniunt: quod apud Romanos
capitali

capitali pœna uindicatur. Quare cùm uirtutis
ptæmia aliter his atq; illis propoſita ſint, par eſt,
artes etiam quibus ad hæc contendant, longè a-
pud utroſq; diuerſas eſſe. In his autem quæ ad
Deorum cultum pertinent, uel maximè Roma-
norũ reſpublica mihi antecellere uidetur: quod
enim apud ceteras nationes uitio uertitur, hoc ip
ſo Romanorum res continentur. Id uerò eſt reli
gio, quæ ab illis cum publicis, tum priuatis in re-
bus adeò recepta, ad eiuſmodi quæ faſtigium eue
cta eſt, ut ad eam in animis hominum augendam
nihil reliqui feciſſe uideantur. Quod ſanè multis
mirum uideatur: ego uerò id eos multitudinis
cauſſa inſtituiſſe arbitror. Nam ſi Reſpublica ex
ſolis ſapientibus conflari poſſet, nihil forſitan his
artibus opus eſſet. Sed cùm omnis multitudo le-
uis inaniſq;, ac prauis cupiditatibus referta ſit,
iraq; atq; animi uehementi cõcitatione exæſtuet:
reliquum eſt, populos in certis terroribus ac eiuſ
modi Tragœdijs in officio continere. Quam-
obrem non temere ac fortuito, ueteres de Dijs
atque Inferis opiniones & commenta in multitu
dinem induxiſſe arbitror: tanto uerò inſipientius
& præter rationem omnem qui nunc uiuunt, ea
mihi reiicere atque aſpernari uidentur. Enimue-
rò præter ceteros Græci qui ciuitatum tenẽt gu-
bernacula, ſi eis talentum tantummodo unũ cre-
ditum fuerit, quamuis decem ſcribẽdo affuerint,
ſigna totidem ac duplo plures teſtes adſint, mi-
nimè tamen fidem ſeruare poſſunt. Apud Roma
nos uerò, qui multo maiorem pecuniæ ſummam
in magiſtratibus aut legationibus tractãt, ſola iu
riſiurandi religione obſtricti in officio perma-
nent. Ac apud alias quidem nationes perrarum
eſt reperire, qui à publica pecunia abſtineat, in
eiuſq; adminiſtratione purum ſe atq; integrum
præbeat: apud Romanos autem, perraro utique
aliquis in eiuſmodi ſordib. deprehendi poſsit. Ve
rum enimuerò omnia quæ orta ſunt mutationes
pati, atq; ad interitum uenire liquidius eſt, quàm
ut oratione ulla demonſtrandum ſit: ad fidem
enim in hoc faciendam, ſatis ipſa per ſe naturæ
uis ac neceſsitas idonea eſt. Verùm cùm duæ ſint
rationes, quibus omnia Rerumpublicarum gene
ra interire neceſſe eſt: quarum altera, extra, altera
in ipſiſmet poſita eſt: exterior illa incertior, & ad
iudicandum difficilior eſt: ex iis uerò cauſsis quę
ab ipſiſmet naſcuntur, & ſerie quadam atque or-
dine pendent, quæ Rerumpublicarum genera
prius, quæ item poſterius exoriantur, & quo pa-
cto rurſus in alia tranſmutentur, ſuperius à nobis
dictum eſt: adeò ut qui extrema primis in hac di-
ſputatione adiungere atque annectere ſciant, ipſi
etiam per ſe futuri exitum prædicere poſsint.
Atq; id mea quidem opinione clarum atq; aper-
tum eſt. Cùm enim Reſpub. ex multis & graui-
bus periculis elapſa, ipſa iam inuidia fauente, ad
ſummum quendam potentiæ atq; imperii gra-
dum euecta fuerit: clarè conſtat ex ea felicitatę
atq; opulentia ſolere mores luxuriæ diffluere,
atq; homines plus iuſto magiſtratus atq; hono-
res in Repub. appetere. Quæ cùm magis indies
ſerpant, fit ut ex principatus & cuiuſdam inanis
gloriæ appetentia, morumq; arrogantia & luxu-
rie res in peius mutentur. Tunc autem populus
immutandæ Reipub. anſam arripiet, cùm ab his
quidem iniuria ob impotentiam ſe affici putarit:
ab his autem ob dominandi cupiditatem, blandi
tiis atq; aſſentationibus delinitus fuerit. tunc
enim ira incenſus, atq; in conſultando & delibe-
rando uiolento animi impetu elatus, ut magiſtra
tibus obedire uelit, minimè adduci poterit, neq;
pari cum illis iure contentus erit, uerùm poteſta
tem in ſe omnem atq; imperium trãsferet. Quo
facto, Reſpublica omnium quidem pulcherrimũ
libertatis populariſq; gubernationis nomen aſ-
ſumet: quod autem re ipſa peſsimum eſt. ad con-
fuſæ atq; imperitæ multitudinis adminiſtratio-
nem deueniet. Sed nos poſtquam Reipublicæ ini
tium atq; incrementum, ſummam atq; admini-
ſtrationem, ad hæc quibus in rebus à ceteris dif-
ferat, inferiorve illis, aut ſuperior ſit, expoſuimus
ſusceptæ de Reip. forma orationi finem impone
mus: ad eam uerò hiſtoriæ ſeriem, quæ unde di-
greſsi ſumus pendet, redeuntes, breuiter ac ſum-
matim factum quoddam commemorabimus, ut
non oratione tantùm, ſed etiam re ipſa, cùm ue lu
ti ex præclari artificis operibus unum aliquod
exempli cauſſa in medium protulerimus, aper-
tius ac manifeſtius demõſtremus, qualis tempo-
rib. illis Reipub. ſtatus ac forma eſſet. Annibal
enim poſtquam Romanos Cannenſi prælio ſu-
perauerat, cùm octies mille homines, qui uallum
cuſtodiebant, uiuos omnes in poteſtatem ſuam
redegiſſet, eis permiſit, ut domum ad ſuos mitte
rent, qui de captiuis redimendis agerent. Cùm
uerò illi decem ex omni numero elegiſſent, eos
Annibal cùm iureiurando obſtrinxiſſet, infecta
re ad ſe redituros, dimiſit: ex his uerò unus cùm
è caſtris iam egreſſus, quiddam ſe oblitum dice-
ret, in caſtra rediit, & cum id quod reliquerat ac
cepiſſet, à ſe fidem ſeruatam, ſe quæ reuerſione il
la ſacramento ſolutũ interpretatus, rurſus abiit.
omnes uerò hi cùm Romam perueniſſent, preci-
buſque atq; hortatione à Senatu contendiſſent,
ne ſaluti captiuorum inuiderent, ſed eorum unũ
quenque trecentis numis hoſti perſolutis, ad
ſuos incolumes reuerti ſinerent, cum ita ſibi con
ueniſſe cum Annibale dicerent: ſe autem qui ſer-
uarentur dignos eſſe: non enim ſe timiditatis in
prælio inſimulari poſſe, aut quicquam omnino
ſe Romano nomine indignum feciſſe, ſed ad ual-
lum tutandum relictos, quod temporis neceſsi-
tate coacti eſſent, in hoſtium poteſtatem ueniſ-
ſe. Romani cùm aliquot iam præliis magnis cla-
dibus affecti, ac ſociis ferè omnibus priuati fuiſ-
ſent, ac

ſent, ac iam iam extremum patriæ periculum me tuerant: audita tamen legatione, minime animũ acceptis cladibus & calamitatibus demittentes, afflictis propè ac perditis rebus, ſuam ſibi dignitatem retinendam cenſuerunt, neque quicquam eos quod in conſulatione animaduertendum eſſet præterijt. Sed cùm ab Annibale hac facilitate id agi uiderent, ut & pecuniam quamplurimã cogeret, & pugnandi peruicaciam hoſtibus eriperet, cùm illis quamuis deuictis, ſalutis tamen ſpes iniecta eſſet: tantum abſuit, ut quicquam eorum quæ poſtulabantur facere uellent, ut nihil magis, neque propinquorum lacrymis, neque eo quòd ille hominum numerus non paruo Reipublicæ uſui eſſe poſſet, commouerentur. Verùm cùm nequaquam captiuos redimendos cenſuiſſent, Annibalis conſilia ſpesq; ex his ſuſceptas irritas reddiderunt. Hanc uerò reliquis legem impoſuerunt, ut pugnando aut uincerent, aut mortem occumberent: utpote quibus uictis nulla iã amplius ſalutis ſpes reliqua eſſet. Quæ cùm ita ſtatuiſſent, nouem ex legatis ſponte ad Annibalẽ, ob iuriſiurandi religionem redeuntes dimiſerũt: eum uerò qui fallaci reditu ſe iureiurando exoluerat, in uinculis ad hoſtem reducendum curarunt. Quo factum eſt, ut Annibalem non tam ſecundi prælii euentus erexerit, quàm ſpectata Romanorum in conſiliis capiendis conſtantia atq; animi magnitudo, admiratione perculſum fregerit.

DE MAGISTRATIBVS GRAEcorum & Romanorum.

GRæci formam reipub. & magiſtratuum Romanis oſtenderunt. Athenienſes primi Prytanes, pòſt reges ſicuti Romani Coſs. habuere. At Prytanes, ut ait Pauſanias lib. t. erãt numero L. decima uidelicet pars Senatus quingentorum hominum, qui exequebantur quęcunq; Senatus decernebat. Locus autem ubi conueniebãt, Prytanium uocabãt, quaſi Pyritanium, quòd frumenti ibi ſeruaretur. Lacedæmonii aũt Ephoros creabãt num. x. perpetuos, qui uitæ necisq; haberent poteſtatem. Regem item perpetuum, qui tantum bellorum tẽpore dominaretur. Harmoſtæ quoque quoquo uerſus diſcurrebant per ditionem, quorum erat officium, collapſa ædificia, urbes, mœnia, portus reſtituere. Cretenſes ſimiliter Coſmos magiſtratus ſuos appellatos perpetuos habebant: quos omnes Ariſtoteles in 1 t. Politic. reprehendit, ac temporarios maluiſſe ſe ſcribit. Thebani quoq; & ipſi poſt reges ſtatim ſeſe reip. accommodauerunt: quo tempore maximè & opibus & gloria floruerunt. Hæc priſca Græciæ magiſtratus conditio. Poſtquam uerò res ad imperium deducta per Conſtantinum, qui primus Byzantij imperauit: tunc hos uſq; ad extremum habuit magiſtratus, ſiue munera, ſiue officia ſub ipſis principibus. Filii imperatorum Deſpotæ uocabantur, præcedebantq; honore & fratres & generos Imperatorum, etiam deſpotas. Ipſi autem & Sebaſtocrator & Cæſar nullum habebant certum munus, niſi belli tempore exercitibus præficerentur. Magnus dux claſsi imperatoriæ præerat, cui parebat magnus Drungarius & Admiratus & Protocomes, ceteriq; claſsis curatores. Magnus Domeſticus poſt Cęſarem erat, Spatham ante Imperatorem ferebat: quo honore functus eſt Catacunzenus apud Andronicum Iuniorem. Magnus Comeſtabulus caput erat togatorum Francorum. Pincerna ſiue à poculis. Paracæmomenus cubilis, Decurio cubiculariorum erat, ſeruat palatim, abſente principe, fert Spathã eius. Domeſticus menſæ & à menſa, præerãt menſæ imperatoriæ. Primicerius aulæ, in conſeſſu magiſtratus omnes pro dignitate loco ſuo diſponit, ac ordine ſedere iubet, quaſi magiſter ceremoniarum apud Pontificem. Magnus Drungarius claſſis eundem habet locum apud magnum ducem, quem magnus Drungarius Biglæ apud magnum Domeſticum. Protocynegus præeſt canibus quãdo Imperator equitat, cui donari ſolet ab ipſo quicquid ueſtium ei ſanguis ferinus polluerit. Scuterius fert ſcutum ante Imperatorem quocunq; proficiſcatur. Ameralius præeſt claſsi maritimæ uniuerſæ, ſubeſt autem magno duci. Magnus interpres præeſt interpretibus omnibus. A memoria hi erant qui deſcribebant eos qui, uel in bello uel alibi pulchre ac cum laude ſe geſſerint, eosq; Imperatori commemorabant, ut ex hoc præmiis dignis afficerentur: ſed hoc poſtea munus uacauit. Protoieracarius præeſt uenatoribus ferentibus aut nutrientibus accipitres. Magnus ſtratopedarca eſt curator exercitus neceſſariorum & commeatuum. Magnus Hæteriarcha recipit undecunq; exules & ſodales & amicos Imperiales. Acoluthus ſequitur Imperatorem quocunq; ierit ſicuti Scuterius præcedit. Orphanotrophus olim curabat orphanos: poſtea ceſſauit. Protonotarius nomine ipſo manifeſtus. nam & notariorum ſeu pragmaticorum primus erat. Domeſticus murorum, curam habebat caſtrorum aut murorum reficiendorum ſi quid his opus erat. Præfectus cubili curam habet cubilis imperialis, præeſt quoq; cubiculariis. Subditus tamen & ipſe Paracœmomeno. Præfectus ueſtiarii, imperii curat uectigal, datiq; & accepti rationes. Veſtiarius Imperatorem per mare ſequitur, curamq; habet eius inſtrumenti ac ueſtium. Protocomenſis in mari præeſt omnibus euratoribus. Præfecti & caſtrophylaces ciuitatibus præſunt, quiſq; pro dignitate. Domeſtici orientalium thematum ſimiliter curant res eorum populorum. Stratopedarcha Monocaballorum

nocaballorum qui præerat monocaballis. Erant enim locis ſecundum themata ordines pholati, quorum alii tricaballi, alii dicaballi, nonnulli monocaballi dicebantur. Similiter Stratopedarcha martariorũ,& Stratopedarca Zaconorum Zangratorum curam habet in caſtris cuſtodum, qui Zaconi uocantur. Protoſtrator qui per abſentiam magni Domeſtici fert ſpatham Imperatoris,& eo ad equitare uolente tenet equum uſquequò ſit tempus. Tunc comes equorum exceptum ab eo ducit ad quintum aulæ Palatinæ gradum. Inde rurſus magnus Carthularius excipiens ducit ad portam ubi adequitet. Idem quoq; cum deſcendit, ordo ſeruatur. Comes præterea equitatum pompæ Imperatoriæ in itinere diſponit, ireq; iubet ordine quo ſibi placet. Habet etiam dona regia: ephippia, habenas, omnemq; equi Imperatorii ueterem ornatum, ſingulis annis: quòd eadẽ omnia in Reſurrectionis dominicæ celebritate iterentur. Protoſtrator etiam poſt exercitum adequitat ſi quos uidet inordinatos ire corrigit. Erant & alia præter hæc honorum nomina quæ antiquitus certa obibant munera: poſtea tantum titulo tenus habita. hæc ſunt Panyperſebaſtes, Protoueſtiarius, magnus Primicerius, Logothetes, qui idẽ ferè quod ſcriba:& magnus Logothetes, qui erat ſupra magnum Stratopedarium: quo munere functus eſt Theodorus Metochites ſub Andronico primo Palæologo, Ariſtotelis cõmentator. Magnus Papias magiſter equitum, magnus Drungarius Biglæ, magnus Hetæriarcha, magnus Carthularius, Logothetes, Genici, Dromi, Domeſticus ſcholarum, magnus Drũgarius claſsis, Protoſpatharius, magnus Zauſius, Prætor populi, magnus Logatiaſtes. A libellis ij erant qui ſupplicationibus à noſtris appellatis præerant. Coealter, Logothetes expeditionis, Logothetes turmarum Iudex Phoſati, Diæcetes, id eſt adminiſtrator. Logatiaſtes aulæ, magnus Myrtheta, Patricius.

ROMANI MAGISTRATVS.

DE Romanis autem hæc comperimus. Primum Dictator pluribus de cauſsis dicebatur. Aut rei gerendæ, id eſt, belli cauſſa grauioris. Primusq; fuit T. Largius, cum LX. populi Latinorum aduerſus Rom. coniuraſſent. auctor Dionyſius Halicarnaſſeus. Deinde claui figendi cauſſa, quum graui morbo peſtilentiæ ciuitas affecta eſſet, ſenatus L. Mãlium Imperioſum Dictatorem claui figendi cauſſa dici iuſsit. Isq; clauus in æde Iouis in Capitolio in dextro latere fixus eſt. auctor Liu. Sed ob aliquam aliam calamitatẽ clauus affigi etiam ſolitus. Comitiorum item cõſularium cauſſa, ut Conſul Dictatorem diceret, ſi contingeret utrunq; aut per bellum, aut aliam neceſsitatem ab Vrbe abeſſe. Aut quæſtionis exercendæ. Quando Q. Cincinnatus dictator factus ut Sp. Melii regnum affectantis temeritati reſiſteret. Aut legendi ſenatus, numero deficiente, ut M. Fab. Butheo. Modus autem hic fuerat. Conſul dictatorem dicebat, Dictator magiſtrum equitum: noctuq; tantum dicebatur, & in ſolo Romano quod Italia terminabatur. ſexq; tantum menſes durabat. Et ex patriciis C. Marcius Rutilius tantum de plebe in bello Faliſcorum dictus, qui & ipſe de plebe hominem L. Plaucium magiſtrum equitum dixit. Procedebat cũ lictoribus XXIIII. ac totidem ſecuribus, à quo prouocatio nõ erat. Magiſtratum hunc Romani ab Albanis acceperant, apud quos Metius Suffetius dictator inuenitur prius fuiſſe. Tribunorum plebis creandorum cauſſa, ſeceſſus plebis fuit in montem ſacrum a ſenatu grauatæ. Inde per Menenium Agrippam reducta, dato exemplo uentris ad membra. Tribuni duo primùm creati: deinde per aliam ſeceſsionem tres, mox quinq; alii, fuereq; tandem numero X. Sacroſancta uocabatur poteſtas, nec ſicuti aliæ p dictatorẽ unquã ceſſabat. Abſq; iudicii diſcuſsione in exilium carceremque mittebat. Curiam non ingrediebatur, ſed in ſella ante ueſtibulum permanebat dum S.C. fieret quod ſi probaret, T. litera annotabat: ſi minus, intercedebat. Ab Vrbe nec per unum diem abeſſe licebat. Domus eius die noctuq; apertis foribus patebat, ut auxilio plebi omnibus horis (ſi quando opus) foret. Præterea de plebe tantum fuerat, & qui patrem uiuum non haberet: ex quo Seruilius tribunatum falſo geſsiſſe creditus, quòd pater eius quem deceſsiſſe opinio erat uiuere ferebatur. Inter ſe quoq; diſsidebant, pluſque poterat unus qui prohibuiſſet, quàm reliqui qui rem aliquam probaſſent. auctor Plutarchus in Catone. Capitis etiam diem & Dictatori & Conſuli poſt magiſtratum dicere poterant. Nec purpuram, nec ſellã curulem, nec lictores ut Coſ. & Prætores habebant, ſed tãtum unũ uiatorem. Per aliam plebis diſcordiam quæ delectum pati non poterat, neceſſe fuit Tribunos Cõſulari poteſtate creare: creatiq; ſunt ex patribus. A. Sempronius Atratinus. L. Attilius. & C. Cæcilius. autor Liuius. Hi duorum generum erant. Comitiarii, qui in comitiis fiebant: & Rutilii ſeu Rufi, qui in caſtris. Nam Rutilius Rufus legem tulit de eis in exercitu creandis, ut autor Feſtus. Prætores numero XVIII. fuere. habebant ſellam curulem, & lictores ſex, trabeam item reliquaq; Conſularia inſignia. Ab initio unus tantum Prætor urbanus fuit, qui in urbe ius diceret omnemq; publici ac priuati iuris poteſtatem habebat, equis item albis utebatur. Alius deinde Prætor peregrinus factus qui inter peregrinos ius dicebat. Deinde adauctus paulatim numerus, qui & urbanis & prouincialibus rebus adeſſent. Sylla quatuor, Auguſtus duos, Claudius totidem adiecit. Inter minores

nores magiſtratus etiam ius dicebãt. Abſentibus
Coſ. prætor urbanus ſenatum & comitia habere
poterat. In prouinciis non ſolum ius dicebant,
ſed res gerebant. Quæſtores ſub ſe habebant,
qui uice eorum fungerentur cùm opus. ſicut Di
ctator magiſtrum equitum, & Conſul legatum.
Proprætores prætoria poteſtate prouincias etiã
adminiſtrabant. Quæſtores uetuſtus magiſtra-
tus. Gratianus Iuriſconſultus in eo libro quem
de Poteſtatibus ſcripſit, ipſum etiam Romulum
& Numam duos habuiſſe Quæſtores, quos non
ſua uoce, ſed populi ſuffragio creatos, ſcriptum
reliquit. Deinde Tullum Hoſtilium ſine dubio
Quæſtores etiam habuiſſe. Dictos autem à quæ-
rendo: quorum officium, partim ærarij & urba-
banæ pecuniæ curam agere, partim prouincias
exigendis uectigalibus ſortiri, quandoque in ſe-
natu occupari: & hos candidatos principis eſſe di
ctos. nonnullos in exercendis quæſtionibus uerſa
ri: alios Quæſtores parricidij dictos, qui ut capi
talibus rebus præeſſent, à populo conſtitueban-
tur. Hæc ex libris Digeſtorum. Reperio quoq;
apud Valerium, Quæſtorum fuiſſe curam, lega-
tos regesve Romam uenientes pro dignitate po
puli Rom. excipere ac honorare, obuiamq; profi
ciſci. Nam legati primum in ædem Saturni pete-
bant ubi ærarium erat: ibiq; mos erat ut à Præfe-
ctis ærarij ſcriberentur eorum nomina, traderen
turq; Quæſtoribus, qui & eos donis proſequi, &
ægrotos curare, ac demum mortuos ſumptu pu-
blico ſepelire ſolebant. Aerarium enim apud Sa-
turni prius ædem fuit. Hic libri elephantini ſerua
bantur, in quo XXXV. tribus conſcriptæ, tum ſe-
natuſconſulta omnia fuerunt. Libros autem lin-
teos Pontifices retinebant. In quibus annales cõ-
ſcri bebant. In ipſo quoq; ærario locus erat ſecre
tior, ubi uigeſima uectigalium ſeruabatur. Liuius
XXXVII. Cetera expedientibus quæ ad bellum
opus erant Conſulibus, aurum uigeſimarium,
quod in ſanctiore ærario ad ultimos caſus ſerua-
batur, promi uiſum eſt. prompta ad III. mil. pon
do auri. Fiſcus deinde ærarium appellari cœptus,
à fiſcella, id eſt crumena, ubi ſeruabantur pecu-
niæ, ut ait Varro. Primum fiſci aduocatum inſti-
tuit, Hadrianus princeps, ut teſtatur Spartia. Ve-
ctigal pop. Rom. inter alia fuit uigeſima reddi-
tuum omnium rei frumentariæ in Italia: præte-
rea ſal à ſingulis exigendum, Salinatoris commẽ-
tum. Qui uectigalia redimebant, Publicani appel
lati, & mãcipes publicanorum principes, ut ait Pe
dianus. Senatores primum à Romulo centum in
ſtituti: Patres appellati. ex his geniti, Patricij di-
cti. qui uerò poſtea per reges, ac alios additi fue-
re, patres conſcripti, & minorum gentium uoca-
ti apud Gellium. Fuereq; uſq; ad mille: quem nu-
merum Auguſtus poſtea minuit. Qui non uti
nunc mercedem aut ſtipendium aliquod à re-
pub. ſumebant, ſed gratuitam exhibebant ope-
ram quod ſanè ex nonnullorum ſenatorum pau-
pertate maximè declaratur. Liberalitas tamẽ prin
cipum multis prouidit. Auguſtus itẽ teſte Tran-
quillo Senatus cẽſũ ampliauit, ac ꝓ DCCC. Duo
decies LLS. taxauit ſuppleuitq; nõ habentibus. Et
in Veſpaſiano ſcribitur: Expleuit cenſum ſenato-
rũ. Cõſulares inopes quingentis ſeſtertiis annuis
ſuſtẽtauit. Senatores libertinos in ſenatum Com
modus teſte Lampridio aſciuit. Cæſar etiã Gal-
los, Heliogabalus Senatulum mulierum in colle
Quirinali inſtituit. Auguſti quoq; conſtitutio-
ne Senatores priuſquam conſiderẽt, uino & farre
ſacrificabãt ei deo, in cuius ædem cõuenerãt, nec
ultrà quàm bis in mẽſe plerunq; cogebantur. An
te ortum aut poſt occaſum ſolis, Senatuſcon-
ſultum irritum erat. Ante annos XXV. in curiam
ingredi non licebat poſt caſum Papyrii Præte-
xtati. Senatores ex lege poſt annos LX. non ci-
tantur, ut auctor Seneca ad Paulinum. Citatis ue-
rò ex lege non uenientibus pignora auferebãtur:
ut uidere licet apud Ciceronem de Oratore lib.
III. duobus tantum exceptis caſibus, cum ſuppli
catio uidelicet aut triũphus alicui decernendus.
Nam tunc uti placerent, libenter omnes ſponte
minimeq; coacti properabant. Cic. Philip. pri-
ma: De ſupplicationibus referebatur, quo ge-
nere Senatores deeſſe non ſolent. Senatuſconſul-
tum tribus modis fiebat: ſententia, uerbo, diſceſ-
ſione. De quibus teſtatur Liuius XXXVI. Liuium
Salinatorem, inquit, olim damnatum in Senatum
uenire, & tondere, ſqualoremq; ponere Cenſo-
res iuſſerunt: ſed tum quoq; aut uerbo adſentie-
batur: aut pedibus in ſentẽtiam ibat: quos modos
ſanè deprehendimus fuiſſe ignobilium Senatorũ,
præcipuorum uerò ſententiam dicere. Pedibus
ibant mouendo ſe in locum illius cuius ſenten-
tiam probabant. unde pedarii Senatores dicti
ſunt. Gellius uerò etymi cauſam dicit, quod pe-
dibus in Senatum irent: ad eorum differentiam
qui curru uehebantur, in quo ſella erat, quòd cu-
rulẽ iam dignitatem obtinuiſſent. In ſententia ue
rò dicenda is ordo erat, ut ait Gellius ante legem
de Senatu habendo. Princeps Senatus primũ à cõ
ſule rogabatur, deinde COS. deſignati, deinde reli-
qui præcipuæ exiſtimationis. Cæſar conſul Cato-
nem rogauit, dicentemq; non placita in carcerem
duci iuſsit: ſequenteq; cum ſenatu, pudore motus
prohibuit. Quem uerò ordinem, ut ait Tranquil-
lus in Cæſare, Calend. Ianuar. Cõſul ſeruaſſet, to-
to anno ſeruabãt. Sententia inſuper ſi quãdo non
tota placeret, diuidebatur. Cicero in epiſtola ad
Lentulum: Poſtulatum ut ſententia Bibuli diuide
retur. Pedianus in oratione pro Milone: Cum ali
quis dixit quod non probaretur, poſtulabãt ut di
uideretur, & de ſingulis referret. Seneca in Epi-
ſtolis: Qđ fieri in Senatu ſolet, iubeo illud diuide
re, & ſentẽtiã ſequor. Et hæc quidẽ de Senatu Cõ
ſules primi poſt exactos reges L. Iu. Brutus, & L.

Tarquinius Collstinus, quibus dati XII. faſces ac totidem ſecures cum lictoribus, ita ut apud unum tantum eſſent, ne timor duplicaretur: isque maior Conſul appellaretur. Val. Publicola eis ſecures ademit, dum prouocandi poteſtatem à Cõſulibus dedit. T. Largius Dictator reſtituit, ita tamen ut minimè iu caput Romani iniuſſu populi ualerẽt. Addita his ſella Curulis, purpurea trabea, prætexta: quæ omnia ab Hetruſcis, teſte Liuio, acceſita ſunt. Plebes deinde per ſeditionem alterũ de ſuis obtinuit. Alterum item Campani ſuperbi per Annium petierunt Conſulem Campanum, quem Torquatus paulo minus quin è curiæ gradibus præcipitem deiecerit. Prima hæc poſt Dictatorem poteſtas. Ciues in carcerem mittendi, non tamen necandi auctoritatem habebat. Proconſules autẽ (ut narratur in libris Digeſtorum) ſex lictores, ac tantum in prouiucia ius habuere, ingreſsi urbis portas amittebant. Legatos & ipſi couſtituebant, qui accepta ab eis facultate adminiſtrabant. Candidati & honores petituri in campũ ad Comitia deſcendebant: ubi in ſeptis ouilibusque, locis uidelicet eorum ſimilitudine factis comitia Conſularia, Calata, Tributa, Centuriata, Curiata. Calata à calando, id eſt uocãdo per lictorẽ. Curiata tantum ex curiis ciuium, quæ XXX. fuerant, conſtabãt. Centuriata frequentiſsima ꝑ Cornicinem ex cenſu & ætate acceſebãtur. Tributa uerò ex omnibus regionib. urbis & tribub. Accedebant prærogatiuæ iuniorum ſeu ueteranorum, hoc eſt ex omnibus qui militarent iuuenibus & ueteranis. Centuriæ ad ſuffragia deligebantur. Conſul uerò ſortiebatur, quæ pro uno quoque candidato prærogatiua iuniorum prius ad ſuffragia mitteretur, quam & præco citabat in montem citatorum dimiſſa. Claſſes uerò in centurias diſtributæ fuerant. Dabantur ſuffragia duobus modis Primò, mos fuit ſentẽtiis ab utraque parte dictis: deinde tabellis. ut deprehenditur in Cicerone legum II. In ea, inquit, ſum ſententia qua te ſemper fuiſſe ſcio, nihil ut fuerit in ſuffragiis uoce utilius. Quis autẽ nõ ſentit, auctoritatẽ optimatũ tabellariam legẽ abſtuliſſe: quam populo libero nũquam deſiderauit, in oppreſsis dominatio & potẽtis principum flagitauit. Quandoque non in eomitiis Conſules, ſed per Interregem ad hoc factum legebantur, ob candidatorum tumultũ & arma. Liuius IIII. per Interregẽ creati COSS. ac pronunciati, L. Val. & M. Hotatius, acta res in Flaminiis pratis. Pompeium quoque ſolum creatum Coſ. per Sulpitium interregẽ legimus apud Plutarchum in Pomp. Collegæque poteſtatẽ ei attributam fuiſſe. Candidati ueſte induti alba ſine toga, ut ait Plu. ne munera ad corruptionem abſcõderent: ciues rogabãt, prenſabãtque, merita cõmemorabãt. Naſica uir ſanctiſsimus bis cãdidatus repulſam habuit. Cæ. Metellus ſemel in cõſulatu, qui poſtea Macedoniam patriæ ſubiecit. Cato quoque ſemel & Q. Aelius Tubero uir Stoicus in prætura ob menſas pellibus hœdinis pop. Ro. paratas, Cenſores primi L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus: anno Vrbis CCCX. per quennium ab initio facti: deinde ob eorũ inſolentiam pet Mamercum Aemylium dictatorem ad anuũ & ſex mẽſes redacti, ut auctor Liuius IIII. Alteroque defuncto ſe etiam alter Magiſtratu abrogabat, totidemque fiebant. Cenſum agebant ciuium Ro. luſtrumque condebant: quem prius Seruius Tullius inſtituit, rem ſaluberrimam, ex quo belli paciſque munia, nõ uiritim, ut antè, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Cenſu perfecto edixit, ut in cãpo Martio omnes ciues quiſque cum ſuis centuriis prima luce adeſſent: ibi inſtructum exercitum omnes, ſue, oue, taurisq; luſtrauit: idq; conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt. Milia LXXX. eo luſtro ciuium cenſa dicuntur. Bello II. Pu. cenſa fuere ciuium capita CXXVII. milia, CVIII. ex quo numero apparuit quantum hominum Pœnus abſtuliſſet, Liu. XXVII. Idem lib. LIX. dicit ſub Q. Pompeo & Q. Metello. Cenſ. ſtatim poſt III. bellum Pu. cenſa fuiſſe capita CCCXIX. milia, & DCCCXXXIII. præter pupillos & uiduas, quo nunquam maior numerus. Præterea diſciplinam ordinum, morumve curam habebant: Senatum legebant, ab eoq; indignos amouebant. Quorum tanta ſeueritas fuit, ut oſcitantem paulo altius ciuem Ro. in publico ignominia adfecerint: & equiti Romano qui equum ſtrigoſiorem haberet, ſe autem pinguem, mollius ut curaret equum admonuerint. auctor Gellius. De Præfecto urbi ſic ſcribitur in libris Digeſtorum: Omnia crimina quæ per totam Italiam admittebantur (ut in epiſtola diui Seueri ad Fabium Cilonem cautum eſt) præfectura urbi ſibi uendicat. Initio uerò eius epiſtolæ, ſic ſcribitur: Quum urbem noſtram fidei tuæ cõmiſerimus, quicquid intra urbẽ admittitur ad Præfectũ urbi uidetur pertinere. Sed & ſi quid intra centeſimũ lapidẽ admiſſum ſit, Præfecti urbi ad cognitionem pertinet: ſi ultrà, Præfecti urbi notio non erit. Curam præterea habet tutorũ, curatorũ non proborum, ſed & numulariorum, ut ab illicitis abſtineant. Macellum quoq; ac forum boarium, ſuarium, piſcarium, olitoriũ curat, ut iuſto ueneant res precio. Præfecti annonæ frumentũ prouidere urbi habebant, emereq; à ciuib. quod uictui ſupereſſet. Præfectos uigilium, ut ſcribitur in Digeſtis, Auguſt. primũ cõſtituit ad incẽdia reprimẽda, qđ erat antea officiũ triũuirorũ: nã cohortes opportunis urbis locis diſpoſuit, quibus Præfectos conſtituit, qui furum, incendiariorũ raptorũ, receptatorũ crimina uindicabant. Præfectus prætorio, ut in iiſdẽ ſcribitur libris, erat apud Imperatorẽ, qualis magiſter equitũ apud Dictatorẽ. Nã diſciplinæ publicæ præerat, à quo ex Cæſarũ priuilegio prouo

care nõ licebat: ſecũdũ poſt Imperatorẽ locũ obtinebat. Aediles plebeii & Curules ſatis nomine ipſo diſtinguũtur. Hi ludos curabant, aquas, cloacas, publicaque ædificia. Quicquid etiã rerum uitioſarũ pro ſincero, fractũq; ꝑ integro ueniſſet, Aedilitio edicto redhiberi ſolet. Petitis per legatos & allatis Atticis legib. ad eas proponẽdas x. uiri, inter quos Appius Claudius, & T. Genutius principes fuere, pro Conſulib. ſine ullis aliis magiſtratibus creati, à quibus non eſſet prouocatio: anno ab urbe cond. CCCI. Hi deſcriptis legibus quum modeſtè ſe geſsiſſent, in alterum quoque annum eundem eſſe magiſtratum placuit. Quo tẽpore quũ plura impotenter feciſſent, magiſtratũ deponere nolentes in tertium annum detinuerũt, donec inuicto eorum imperio finem attulit Appii in Virginiam libido, ad quem ſumma rerum referebatur: quo facto Plebes incitata occupat Auentinum, Decemuiros ſe magiſtratu abdicare coegit: ex quibus Appius & unus collegarum, qui præcipuè pœnam merebantur in carcerem coniecti, ceteri in exilium acti. Inſtante igitur Virginij accuſatione, & ex altera parte Claudiorum omnium deprecatione, Virginij lacrymæ iuſtiores uiſæ fuerunt. Itaque antequam dies adeſſet, Appius ſibi necem conſciuit. Liuius lib. III. III uiri capitales cauſſas criminum capitalium cognoſcebãt. Ab initio duo fuerant. iam inde concreati ad iudicandum Horatium illum, qui ſororem interfecerat rediens à uictoria Curatiorum. III uiri coloniæ deducendæ. ad hos pertinebat, ut agros nouis deductis colonis diuiderent, urbes deſignarent, ædificare uolentibus areas partirentur, cõmodis regionib. ciuitatem diſtinguerent, legib. magiſtratibus ſiſterent, & ad ſpem optimę gubernationis rempub. effingerent. III uiri reip. conſtituendæ. Hi fuere M. Antonius, Octauianus, & M. Lepidus. II uiri Sacrorum, ſactis libris legendis, carminibus Sibyllæ, fatisque populi interpretandis præerant, ut ſi quid in urbe portenti accidiſſet, lectiſterniis ad puluinaria deorum factis eorum minas auerruncarent, præterea templa dedicarent. VIII uiri Epulonum, genus erat Sacerdotii, additum Pontificibus, qui epularum conuiuiorumque ſacrorum & pontificalium cerimonias curarent. Quum magiſtratibus horis ueſpertinis in publicum conuenire fas non eſſet, ut habetur in libris Digeſtorum, creati V uiri cis Tyberim, & totidem ultra, qui poſsint pro magiſtratibus fungi. Erant & V uiri qui minuendis publicis ſumptibus iudicio Senatus conſtitui erant. auctor Cęcilius II. lib. Epiſt. Et item V uiri menſarii, de quibus poſtea dicam. Pontifex maximus ſupra omneis Pontifices, omniaque ſacra erat, penes quem libri rituales, lintei, elephantinique erant, ubi annales ſcribebant. Tantaque pollebant auctoritate, ut Metellus Cæcus Pontifex Max. A. Poſthumium Coſ. ad bellum properantem, quòd is flamen Martialis eſſet, non ſit paſſus à ſacris recedere, ut Li. XIX. teſtatur. Rex ſacrificulus exactis regibus creati cœptus ad obeunda quædam ſacra ſolis regibus fieri conſueta, quòd populus ægrè ferebat diminutam propterea religionem & numerum ſacrificiorum, Iu. Bruto, & M. Valerio Coſs. Flamines Numa inſtituit, id eſt ſacerdotes, quaſi filamines, quòd lanam in capite quandã geſtarent: duos Marti, unum Quirino, & alium Ioui, qui flamen Dialis diceretur, omnibus ſuperiorem. Idem & Salios XII. Marti, quòd ſaltando per urbem irent dictos, Mamurramq́ue uocabant, fabrum uidelicet Ancylium, ad ſimilitudinem illius quod è cœlo delapſum fuit. Quæ inſtitutio diſcrepare non uidetur à modo ueteris legis. Dauid enim legimus ante arcam fœderis ſaltando proceſsiſſe. Potitij & pinarij, Herculis ſacerdotes ab Euandro inſtituti, quæ familiæ tunc nobiles ea loca tenebant. Potitij diutius remanſerunt, ſublati tandem utrique ab Appio Claudio Cenſore his infenſo familijs: ob id creditur ira deorum luminibus orbatus. auctor Liuius. Fœcialis ſacerdotium & Patris patrati idem ferè & in eiſdem rebus fuerat, in feriendo cum hoſte fœdere & bello Indicendo iam uſque à tempore Tulli Hoſtilij. Forma autem fœderis feriendi huiuſcemodi à Liuio ponitur. Fœcialis, inquit, regem Tullum ita rogauit: Iubesne me rex cum Patre patrato populi Albani fœdus ferire? Iubẽte rege: Sagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait: Pura tollito. Fœcialis graminis herbam puram attulit, poſtea regem ita rogat: Rex facisne tu me regium nuncium populumq́ue Ro. Quiritum? Rex reſpõdet: Quod ſine fraude mea Quiritumve fiat, Facio. Fit ergo tunc fœdus, multisq́ue id uerbis peragit. Legibus deinde recitatis: Audi, inquit, Iupiter, audi Pater patrate populi Albani, audi popule Albane, audi ut illa palàm prima poſtremave ex illis tabulis cerave recitata ſunt ſine dolo malo, utiq́ue ea hic hodie rectiſsimè intellecta ſunt, illis legibus populus Romanus ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tãtoq́ue magis ferito, quanto magis potes pollesq́;. Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſsit. Eodem modo pars altera per ſuos ſacerdotes ſuumq́ue Dictatorem peragit. Cum autem bellum per Fœciales indicunt, hoc more utuntur: Fœcialis haſtam ferratam præuſtam aut ſanguineam ad fines eorum quibus bellum indicit, defert, nec minus puberibus tribus præſentibus hæc adiicit: Quòd populi priſcorum Latinorum, homines ve priſci Latini aduerſus pop. Ro. Quiritum fecerunt, deliqueruntq́ue, popu. Ro. bellum cum Latinis priſcis fiet: ob eam rem ego populusq́ue Ro. populo priſcorum Latinorum, hominibusq́ue Latinis bellum indico, facioq́ue. Id ubi dixit, haſtam in fines eorum mittit, ex quo bellum eſſe intelligitur. Virgines Veſtales Numa inſtituit: quæ ſacra in Italiam per Aeneam adducta fuerunt.

fuerunt. Virgilius:

Sic ait: et manibus uittas Veſtamq́; potentem
Aeternumq́ue adytis effert penetralibus ignem.

Antiſtius Labeo ſcripſit, minorem quàm annis ſex, maiorem quàm x. natam negauerunt capi fas eſſeipræterea quæ ex ſeruis nata ſit, aut corpore ſen ſuve diminuto. Neq; illa hæres cuiquam inteſtato, neq; inteſtatæ illi quiſquam eſt, ſed bona in publicum redigebantur. Carpento uehebantur, magiſtratusq́ue illis ad ſurgebant, magnusq́; apud hos illarum reſpectus fuerat, ſi quando pro reis aut damnatis precabantur. Iu. Cæſar, Tranquillo teſte, per Veſtales apud Sullam meruit ueniam impetrare. Ignem perpetuum ſeruabant: quæ autem per negligentiam extingui ſineret, flagris à Pontifice Max. cui ſuberant, cædebatur. In ſtupro deprehenſa uiua defodiebatur, eoq́; die in urbe publici nihil fiebat. Nuper ſub radice Palatini è regione Coſmi & Damiani templi multa Veſtalium monumenta refoſſa, in quib. ſtatuæ olim fuerunt: ex his duo tantum ponam. Cœliæ Claudiæ V.V. maximæ ſanctiſsimæque, cui egregiam ſanctitatem, & in deos infatigabilem operationẽ meritis ſuis laudis æternam adhibita grauitate, numen quoque Veſtæ comprobauit. Sacerdotes ſacri urbis, in dextro latere. Dedicata Cal. Mart. M. Iunio Max. II. & Velleio Aquilio Coſs. curante Fla. Martiano & B. Fictore, V.V. Et in altera, Fla. Manilię V.V. Max. cuius egregiam ſanctimoniã & uenerabilem morum diſciplinam, in deosq́ue peruigilem adminiſtrationem, Senatus laudando comprobauit: Aemylius Rufinus frater, & Flauii Siluinus, & Irenæus ſororis filii ob eximiam eius erga ſe pietatem præſtantiamq́ue, in latere dextro. Collocata XII. Cal. April. C. Veraio Attico, & A. Aſinio Prætextato Coſs. Augurum diſciplinam ab Actio Nauio, ubi de eo diximus, proceſsiſſe narraui: unde collegium inſtitutum. cui tãta fuit auctoritas, ut nihil magni in rep. fieret inaugurato, inauſpicatove. Reges, Conſules, aut Dictatores qui uitio creati per augures cenſebantur, redeuntes retractabantur: in monte conſiſtebat augur, manum ſupra caput eius qui inaugurabatur tenebat, cum lituo in altera manu, id eſt, recuruo baculo, ſeptentrionem à ſiniſtra, meridiemq́ue à dextra ſtatuens, oculis regionem præfiniebat, uerbaq́ue quædam ad Iouem dicebat, atque ita inauguratus diſcedebat.

DIVERSARVM RERVMPVBLICARVM DESCRIPTIONIS
EX POLYBIO FINIS.

INDEX RERVM, DE QVIBVS QVAEQVE LEX LATA EST. DEMONSTRAT

autem quot, quæq; leges perlatæ ſint. Nam ROGATIONES omnes, quæ perlatæ non ſunt omiſimus.

A

DE Adulterijs, Iulia 290.b
de Aedilibus ex patribus creandis, Furia 286.b
de Aere alieno, Valeria. 302.b
de Aere alieno, Sulpitia 301.a
de Aere alieno, Sempronia 300.a
Agraria Seruilia 300.b
Agraria Sempronia 300.a
Agraria Liuia 292.b
Agraria lex paulo poſt C. Gracchi necē lata 304.b
Agraria Appuleia 280.b
Agraria Caſsia 282.a
Agraria Cornelia 283.b
Agraria Flaminia 286.a
Agraria Iulia 288.b
Agraria Licinia 292.a
Agraria Plotia 296.a
Agraria Sempronia 300.a
Agraria Seruilia 300.b
Agraria Titia 301.b
Agraria Thoria. 302.a
de Alea, Titia, Talaria, Cornelia, Publicia uide de Luſu.
de Ambitu leges 304.a
de Ambitu, Culpurnia 281.b
de Ambitu, Cornelia Bæbia 283.b
de Ambitu, Fabia 285.b
de Ambitu, Iulia 289.b
de Ambitu, Pinaria 295.b
de Ambitu, prima Pœtelia 296.a
de Ambitu, Tullia 302.b
Annalis, Villia 303.b
Annaria lex 280.a
de Annona, Clodia 282.b
de Auctoritate patrum Menia 294.a
de Auctoritate patrum, Curia 285.a
de Auentino, Icilia 288.a

B

DE Bello Antiochi, Cornelia 283.b
de Bello Macedonico, Sulpitia. 301.a
de bello Mithridatico, Manilia 293.a
de bello Perſei, Licinia, Caſsia 292.a
de Bello Punico ſecundo lex 305.a

C

CAducaria Iulia 281.b
Caſtrenſis lex 305.a
de C. Mario, Cornelia 283.b
de C. Mario, Manlia 293.b
de C. Pontinio 301.a
de C. Seruilio 304.b
de Cæſare, Trebonia 302.a
de Cæſaris prouinciis. Vatinia 303.a
de Caía Tarratia, Horatia 287.b
de Carminibus infamibus 304.a
de Cenſoribus, Clodia 283.a
de Cenſoribus Cœcilia 281.b
de Cenſura, Aemilia 280.a
de Cereis, Publicia 297.b
de Ceſsione bonorum, Iulia 291.a
Cibaria, Aemylia 280.a
de Ciuitate, Gellia & Cornelia 287.b
de Ciuitate, Calpurnia 282.a
de Ciuitate, Iulia 291.a
de Ciuitate, Papiria 294.b
de Ciuitate, Pappia 295.a
de Ciuitate, Plautia Papiria 296.a
de Ciuitate, Menſia 294.a
de Ciuitate Romana 304.b
de Ciuitate, Seruilia 301.a
de Clauo pangendo, Genutia, Aemylia. 287.b
de Cn. Pompeio, Ampia, Labiena 280.a
de Cn. Publicio Menandro 304.a
de Coitionibus, Duilia, Menenia 285.b
de Collegiis, Clodia 282.b
De Colonia Nouicomi, Claudia 283.a
de Coloniis, Appuleia 280.b
de Coloniis, Iulia 286.a
de Coloniis deducendis, Acilia 279.a
de Coloniis deducendis Aelia 279.a
de Coloniis deducendis, Liuia 292.b
de Coloniis deducendis, Sempronia 300.b
de Comitiis, Aelia 279.a
de Comitiis, Claudia 283.a
de Comitiis, Clodia 282.b
de Comitiis, Fuſia 287.a
De comitiis 304.b
de Comitiis ibid.
de Conſecratione, Papiria 295.a
Curiata lex 285.a

D

DE Damno à canibus illato, Peſulania 295.b
de Damno iniuria dato, Aquilia 280.b
de Dedititijs, Atilia 281.a
de Defectione militum, Valeria 303.a
de Dictatura, Antonia 284.a
de Dictatore 304.b
de Donis & muneribus, Cincia 282.a
de Donis & muneribus, Titia 301.b
de Duumuiris naualibus, Decia 285.b
de Duodecim tabulis, Decemuirales 285.a

E

DE Exulibus, Plotia 296.a

F

FAbia lex 283.b
de Falſo, Cornelia 284.b
de Fœnore, Claudia 283.a
de Fœnore, Duilia Mænia 285.b
de Fœnore, Genutia 287.b
de Fœnore, Iulia 289.a
de Fœnore, Licinia 292.a
Fœnoris ſemunciarij lex 304.a
Frumentaria, Liuia 292.b
Frumentaria, Sempronia 300.b
Frumentaria, Terentia Caſsia 301.b
de Fullonibus, Cæcilia 281.b
de Furtis, Hoſtilia 288.a

H

DE Hæredum inſtitutione, Velleia 291.b. & 303.b

I

DE Iactu, Rhodia 298.a
de Inceſtu, Peducea 295.b
de Iniurijs, Cornelia 284.b
de Interceſsione, Clodia 282.b
de Iis qui legibus ſoluuntur, Cornelia 285.b
Iudiciaria, Antonia 280.a
Iudicaria, Aurelia 281.a
Iudiciaria, Cornelia 283.b
Iudiciaria, Iulia 288.b
Iudiciaria, Liuia 292.b
Iudiciaria, Plautia 296.a
Iudiciaria, Pompeia 296.b
Iudiciaria, Pompeia 297.a
Iudiciaria, Sempronia 300.a
Iudiciaria, Seruilia 301.a
de Iudiciis, Iulia 290.a
de Iugurta Romam euocando, Memmia 293.b

Iunia Velleia lex 291.b
de Iure Campanorum, Furia 286.b
de Iure ciuitatis, Porcia 297.b
de Iure ciuitatis, Sempronia 300.a
de Iure ciuitatis, Seruilia 301.a
de Iure ciuitatis, Pappia 295.a
de Iure ciuitatis, Sulpitia 301.a
de Iure ciuitatis, Valeria 303.a
de Iure dicundo, Plætoria 296.a
de Iure patronatus, Pappia 295.a
de Iure Siculorum, Rupilia 299.a
de Iure ſuffragij, Valeria 303.a
de Iuriſdictione Prætorum, Cornelia 285.b

L

DE Legationibus liberis, Tullia 302.b
de Legibus Conſularis imperii, Terentia 301.b
de Legibus, Aebutia 279.a
de Legibus, Cæcilia Didia 281.b
de Legibus, Iunia Licinia 292.b
de Legibus, Licinia Iunia 291.b
de Legibus & Cenſoribus, Publilia 297.b
de Legibus Cæſaris, Iulia 289.a
de Legumlatorib. Licinia Aebutia 291.b
de Liberali cauſſa, Clodia 282.a
de Libertate, Iunia Petronia 291.b
de libertinis, Iunia Norbana 291.b
de Libertinis, Viſellia 303.b
de Limitibus, Cornelia 285.a
de Limitibus, Iulia 291.a
de Limitibus, Mamilia 293.a
de Limitibus, Sempronia, Iulia 291.a & 300.b
de Ludis apollinaribus, Licinia 292.a
de Luſu, Cornelia 285.b
de Luſu, Publicia 297.b
de Luſu, Titia 301.b

M

DE Magiſtratibus 305.a
de Magiſtratibus Bithyniorum, Pompeia 297.a
de Magiſtratibus, Cornelia 284.a
de Magiſtratibus, Cornelia. ibid.
de Magiſtratibus, Duilia 285.b
de Magiſtratibus, Genutia 287.b
de Magiſtratibus ſacroſanctis, Horatia 287.b
de Magiſtratibus è plebe creandis, Licinia 292.a
de Magiſtratibus, Martia 293.b
de Magiſtratibus Plebeiis, Publilia 297.b
de magiſtratibus, Pompeia 297.a
de Magiſtratibus, Sextia 301.a
de magiſtratib. Sempronia 300.a
Maieſtatis, Appuleia 280.b
Maieſtatis, Cornelia 284.a

Maieſtatis,

Maieſtatis,Iulia 288.b
Maieſtatis,Iulia 289.a
Maieſtatis,Varia 303.a
Mania lex 293.a
de Mancino,Atilia 286.b
de Manumiſsionibus,Iulia 290.b
de Manumiſsionibus,Aelia Sentia 279.b
de Manumiſsione,Furia Caninia 286.b
de M.Tullio,Clodia 282.b
de M.Tullio Cicerone,Cornelia 285.a
de Matronarum cultu,Oppia 294.a
de Maritandis ordinibus,Iulia 289.b
de Maritandis ordinibus,Pappia Poppæa 295.a
de Menſe Iulio,Antonia 280.a.
de Menſe Auguſto,Pacuuia 294.b
de Metello,Appuleia 280.b.
de Metello reuocando,Callidia 281.b
de Militia lex 304.a
de Militia lex 304.a
Militaris ſacrata 299.a
de Minoribus,Lætoria 291.b
Minutia lex 294.a
de Mortuo inferendo,Regia 298.a
de Mulierum hæreditatibus,Voconia 303.b
de Multa,Ateria Tarpeia 280.b
de Multa,Tarpeia 301.b
de Multa,Menenia Sextia 294.a
de Multarum æſtimatione,Papiria Iulia 294.b
de Municipiis,Cornelia 283.b
Muneralis lex 304.b

N

DE Natali urbis,Cornelia 285.a
de Nexu,Pœtilia Papiria 296.b
de Nocturnis cœtibus,Gabinia 287.a
de Numero conuiuarum,Orchia 294.b
de Nundinis,Hortenſia 288.a

O

OPtima lex 294.b

P

PAgana lex 294.b
de Pace Carthaginienſium, Acilia, Minutia 279.a
de Pace Macedonica,Marcia Atinia 293.b
de Parricidiis,Pompeia 296.b
de Patrum connubiis,Canuleia 282.a
de Patriciis 305.a
de Patrum auctoritate,Curia 285.a
de Patriciis,Cornelia 283.b
de Pauli triumpho,Caſsia 282.a
Peculatus,Iulia 290.b
de Peculatu,Petillia 295.b
Pecuniaria lex 305.a
de Pecuniis repetundis 304.b
de Pecuniis ob rem iudicandam captis,Pompeia 297.a
de Peregrinis,Licinia & Mutia 292.a
de Peregrinis,Petronia 295.b
de Peſsinuntio ſacerdotio,Clodia 283.a
Pinatia Furia 296.a
de Piratis perſequendis,Gabinia 287.a
de Plagiariis,Fabia 285.b
Plautia iudiciaria 296.a
de Plebiſcitis,Horatia Valeria 287.b
de Plebiſcitis,Hortenſia 288.a
Pletoria lex 296.a
Plotia agraria 296.a
Plotia Flauia 396.a
de Pompeio,Trebonia 302.a
de Pompeianis,Hircia 287.b
de Præfecto Aegypti 304.b
de Præſidum muneribus 304.b
de Prætoribus,Bæbia 281.b
de Priuernatibus ciuitate donandis 305.a
de Proſcriptis,Valeria 303.a
de Prouinciis,Cornelia 284.a
de Prouinciis,Clodia 282.b
de Prouinciis,Iulia 288.a
de Prouinciis,Iulia 289.a
de Prouincijs,Pompeia 296.b
de Prouincijs decernendis,Sempronia 300.b
de Prouocatione & libertate populi,Valeria 302.b
de Prouocatione,Valeria ibid.
de Prouocatione,Valeria. ibid.
de Pueris impudicis,Scatinia 299.b

Q

DE Quæſtoribus 284.a
de Quæſtoribus,Cornelia 284.a
de Quæſtoribus,lex 305.a

R

DE Regio & Conſulari imperio,Iunia 291.a
de Regis Attali hæreditate, Sempronia 300.a
de Regno Cypri,Clodia 283.a
de Reis poſtulandis,Memmia 294.a
Remnia lex 298.a
de Re militari,Sempronia 300.b
de Re nummaria,Claudia 283.a
de Re nummaria,Liuia 292.b
de Re nummaria,Maria 293.b
de Re nummaria,Papiria 295.a
Repetundarum,Acilia 279.a
Repetundarum,Cæcilia 281.b
Repetundarum,Calpurnia. 281.b
Repetundarum,Cornelia 283.b
Repetundarum,Iulia 288.b

Repe-

Repetundarum,Seruilia 301.a
de Repetundis 304.b
de Repetundis,Vatinia 303.b
de Reſiduis,Iulia 291.a

S

DE Sacerdotiis 305.a
de Sacerdotiis ratio Licinia 292.b
de Sacerdotiis,Sextia Licinia 301.a
de Sacerdotiis,Antonina 280.b
de Sacerdotiis,Atia 281.a
de Sacerdotiis,Cornelia 284.a
de Sacerdotiis,Domitia 285.b
de Sacerdotiis,Iulia 288.b
de Sacerdotiis,Iulia 289.a
de Sacerdotiis,Labiena 291.b
de Sacerdotiis,Manlia 293.b
de Sacerdotiis,Ogulnia 294.a
de Sacerdotiis,Romuleia 298.b
Sacratæ leges 299.a
Sacrata militaris ibid.
Satyra lex 299.b
de Satricanis,Antiſtia 280.a
de Scribarum negociatione,Claudia. 282.b
Semunciarii fœnoris lex 304.a
de Senatu,Caſsia 282.a
de Senatu habendo,Gabinia 287.a
de Senatu habendo,Pupia 297.b
de Senatu ſupplendo,Caſsia 282.a
de Senatu ſupplendo,Sentia 300.b
de Senatorum nauibus,Claudia 282.b
de Senatorum quæſtu,Claudia 282.b
de Senatorib. à Iugurtha corruptis,Mamilla 293.a
de Seruis,Petronia 295.b
de Sicariis & ueneficiis,Cornelia 284.a
de Sociis ac nominis Latini,Claudia. 283.a
de Sociis Latini nominis,Liuia 292.b
de Sociis,Liuia 293.a
de Sociis,Pappia 295.a
de Sodalitiis,Licinia 293.a
de Statilio,Aelia 279.b
Sulpitia 301.a
Sumptuaria,Antia 280.a
Sumptuaria,Cornelia 283.b
Sumptuaria,Didia 285.b
Sumptuaria,Fannia 286.b
Sumptuaria,Iulia 290.b
Sumptuaria,Licinia 292.a
de Sumptu ſepulchrorum 305.a
de Sumptibus funerum,Cornelia 284.a
de Suffragiis pop.Antonia 280.b
de Suffragiis,Cælia 281.b
de Suffragiis,Caſsia 282.a
de Suffragiis,Gabinia 287.a
de Suffragiis,Maria 293.b
de Suffragiis,Papiria 294.b
de Suffragiis Sempronia 300.b
de Syllæ dictatura,Valeria 303.a

T

DE Talorum luſu 301.b
de Templis, & aris, Sulpitia Sempronia 301.b
Theatralis,Iulia 290.b
Theatralis,Roſcia 298.b
de Terminis,Alliena 280.a
de Terminis,Fabia 286.a
de Terminis Fauia,uide Fabia 286.b
de Terminis,Mamilia 293.a
de Terminis,Peducea 295.b
de Terminis,Roſcia 299.a
de Teſtamentis,Cornelia 284.b
de Teſtamentis,Furia 286.b
de Teſtamentis,Iulia Miſcella 291.a
de Teſtamentis,Falcidia 286.a
de Teſtamentis,Glitia 287.b
de Treuiris capitalibus,Pappia 294.b
Tribunitia lex 302.a
Tribunitia lex à quo ſic nominatur. ibid.
de Tribunis militum,Rutilia 299.a
de Tribunis militum,Atilia Martia 281.a
de Tribunis militum,Licinia Caſsia 292.a
de Tribunis plebis,Sacrata Iunia 291.b.& 299.a
de Tribunis plebis,Iunia.uide Sacrata Iunia 299.a
de Tribunis plebis,Atinia 281.a
de Tribunis plebis,Trebonia 302.a
de Tribunis plebis,Aurelia 281.a
de Tribunis plebis,Cornelia 284.a
de Tribunis plebis,Icilia 288.a
de Tribunis plebis,Pompeia 296.b
de Tribunis plebis,Lex 305.a
de Trigeminis lex 305.a
de Triumpho,Maria Porcia 293.b
de Triumpho lex 305.a
de Triumuiratu quinquennali,Titia 301.a
de Triumuiris menſariis,Minutia 294.a
de Tuſculanis,Flauia 286.b
de Tutelis,Atilia 281.a
de Tutelis,Claudia 283.a
de Tutoribus,Iulia Titia 291.a

V

DE Vacatione lex 305.a
de Vectigalibus,Liuia 292.b
Venalium uendendorum, leges Maniliæ 293.a
de Veſtalis capiendæ ritu,Pappia 295.a
de ueſtalis capiendæ ritu,Popilia 295.a
de Veneno,Iulia 290.b
Viaria,Scribonia 299.b
de Vini potu 304.a
de Vi,Clodia 282.b

de Vi,Iulia 288.b
de Vi,Pedia 295.b
de Vi publica & priuata,Iulia 289.a
de Vi publica,Lutatia 293.a
de Vi publica,Plautia 296.a
de Vi & de ambitu,Pompeia 297.a
de Viceſima,Iulia 290.a
de Viceſima Manlia 293.b
de Viis Italiæ,Sempronia 300.b
de uſucapionibus,Atini a 281.a
de Vſucapionibus,Iulia Plautia 291.a
de Vſucapionibus,Scribonia 299.b
de Vſuris,Gabinia 287.a
Vnciaria lex 303.b
de Vnius imperio,Regia 297.b

INDICIS LEGVM. FINIS.

IN DESCRIPTIONEM MAGISTRATVVM ROM. INDEX,

Alphabeti ordine digeſtus.

AEdilatus 306.a
Aedilium plebis creatio & munus 306.b
Aediles Cereales 307.a
Cenſorum munus & creatio 306.b
Centumuirorum conditio 308.a
Conſulum inſtitutio 309.a
Decemuiri litibus iudicandis creati. 310.a
Decemuirorum reipub. adminiſtrandæ creatio. 310.a
Dictator unde dictus,& eius munus quale 310.b
Duumuiri capitales qui fuerint 311.a
Duumuiri curatores 311.b
Duumuiri municipales ibid.
Duumuiri nauales ibid.
Duumuiri ſacerdotes ibid.
Interregis officium 311.b
Iuridici Alexandriæ munus 311.b
Magiſtri equitum officium 312.a
Præfectus urbi quæ curârit 312.a
Præfecti ærarij munus 312.a
Præfecti annonæ munus 313.b
Præfecti Auguſtalis officium 314.b
Præfecti prætorio munus 313.b
Præfecti uigilum munus 314.a
Præſides prouinciarum 315.a
Prætor fideicommiſſarius 317.a
Prætor fiſcalis 317.a
Prætor peregrinus 316.a
Prætores rerum capitalium 317.a
Prætor tutelaris 317.a
Prætor urbanus 316.a
Prætores prouinciales 316.b
Proconſules 317.b
Procurator Cæſaris 317.b
Prodictator 320.a
Proprætores 317.b
Quæſitores candidati 322.a
Quæſitores paricidij 321.a
Quæſtores ærarij 324.b
Quæſtores prouinciales 320.b
Tribunus celerum 322.b
Tribuni ærarij 322.b
Tribuni militum conſulari poteſtate. 323.a
Tribuni militum in legionibus. ibid.
Tribuni plebis 323.b

INDICIS MAGISTRATVVM FINIS.

IVRISCONSVLTORVM INDEX, ALPHABETI ORDINE CONDITVS.

ABurnius Valens 344.b
Aemylius Papinianus 345.a
Antiſtius Labeo 342.b
App.Claudius Decemuir. 337.a
App.Claudius Cæcus 337.a
Ateius Capito 342.b
Aufidius Tucca Iuriſconſultus 341.b
Aufidius Namuſa. ibid.
A.Caſcelius 242.a
A.Ofilius 341.a
Cælius Sabinus 343.b
C.Aquilius Gallus 340.a

C.Ateius	340.b	Priſcus Neratius	344.a
C.Caſſius Longinus	343.a	Proculus	343.b
C.Iouentius	340.b	Publicius Gellius	342.a
C.Trebatius	342.a	P.Aelius Pætus	338.a
Caſſius Longinus, alter	343.b	P.Alfenus	341.a
Celſi duo	344.a	P.Atilius	338.a
Cn Flauius	337.b	P.Cornelius Scipio Naſica	338.b
Cocceius Nerua	343.a	P.Licinius Craſſus	339.b
Domitius Vlpianus	345.a	P.Mutius Scæuola	339.a
Fabij Sabini P.& F.	345.a	P.Papyrius	337.a
Flauius Priſcus	341.b	P.Rutilius Rufus	339.a
Herennius Modeſtinus	345.b	P.Sempronius Sophus	337.b
Hermodorus Epheſius	337.a	Q.Aelius	342.b
Iulius Paulus	345.b	Q.Aelius Tubero	339.a
Labeo Antiſtius	341.b	Q.Fabius	338.a
L.Cælius Antipater	339.b	Q.Mutius Scæuola	339.b
L.Ceruidius Scæuola	344.b	Saluius Iulianus	344.b
L.Lucilius Balbus	340.a	Ser.Sulpitius	340.b
M.Iunius Brutus	339.a	Sex.Aelius Paitus	338.a
M.Manilius	339.a	Sex.Papyrius	340.b
M.Porcius Cato	338.b	Sex.Pompeius	339.b
M.Porcius Cato ſuperioris F.	338.b	Ti.Coruncanius	338.a
Martianus	344.b	T.Cæſius	341.b
Maſurius Sabinus	343.a	Tuſcianus	344.b
Paulus Verginius	339.a	Voluſius Metianus	344.b
Pegaſus	343.b		
Priſcus Iauolenus	344.a		

INDICIS IVRISCONSS.

FINIS.

VENETIIS,

Apud Nicolai Beuilacqua.

M D L X IIII.

MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO [illegible]